ꝓui ⁊ ipē comuta
dum seu muñci
ut raperent inde
ū. Quē absq; ul
t in medio cāpo
ulq; triduū te
re custodiri. Qđ
ens fere uene
as. ⁊ pedes beati
nbebant. S; ⁊ aldā
cutabim. qđ ꝯ
ſlocturna enim
o ꝓ solacio misse
anuo annum cam
ollebat. Tunc
n maquā necati
lū meuanacū.
ant sōs uncenci
ls. uidert te aq
a conturbata s.
o tu stare fecisti
os etham. Mane
tus conuiuus ē te
oce continuo ap
it aq̄m. ⁊ conteri
ntes aūt hoc fcm
ert. fugiemelq;
bmersi sunt in
cto. S. ñ poti
us ē sup tram
nci ei⁹ ad cellulā
latorib⁹ coge. fcis

coep⁹ scī uuncencii epi ut illud ūma
laci ꝑfundissimi iam ꝯramme sub
meaꝯerent. S; ꝑuidit hoc quedā
matrona nomine gliceria nobilis
familie que mercata coep⁹ eius libra
ponderis auri. ⁊ condiens aromatib⁹
sepelluit in predio suo qđ uocat⁹ cap⁹
salutis in uncuans nundinas augus
tales. inter portuhone ⁊ meuaniam
miliario aburle roma plusmun⁹ no
nagesimo quarto. ubi prestant⁹ milia
benificia di. ⁊ ē magnus honor scō
uuncencio diuinit⁹ ꝺ celsus ame.

Liber Reuelatō scōr Guasti ⁊
sius seruus, ⁊ fidēl⁹ protasii.
pomme ytaliā indño et
nā salutē. Induimus uo
luminib⁹ reus subscribit. qui nō stu
det dare gratis quod ipe accepit.
Quicqđ enī dīm ecclie ꝑ sua cū eius
subtrahere aliquit⁹ cum noluerit tra
dere omnib⁹ quod ipe accepit nō ce
landū. vñ psalmograph⁹ uaticinando
dicens. Justiciā tuā nō abscondi in
corde meo. ueritatē tuā ⁊ salutare tuū
dixi. Et ꝑ hoc ope quasi uerisimili
nē adō postulans adiecit. Tu aute
dne ne longe facias tu. ⁊. ame. qua
do diceret. Sic ego alios fecī mihi
mueniri. ita ⁊ ipe nō patiatis longe
fieri misericordias tuas a me. Quam ꝯ

2

WBP
Opole



Janusz Daszkiewicz
1775 r.
(1848)

maj. Mereczowszczyzna

IV 377

MISCELLANEORUM HISTORICORUM REGNI BOHEMIÆ

DECADIS I. LIBER VII. REGALIS;

Seu

De Ducibus, ac Regibus Bohemiæ.

In quo gesta Regum præcipua, tum Genealogiæ omnium Familiarum apud nos imperitantium (*Czechi*; Gentis Ducis ac Patris, *Croci*, *Przemysli*, deinde Regum *Lucemburgicorum*, *Austriacorum Habspurgensium*, *Cunstadæorum*, *Jagellonidarum*, ac tandem iteratò *Austriacorum*) diligenti semper ad Chronologiam respectu, proponuntur, & Notis Historicis, aut ethicis illustrantur.

AUTHORE

BOHUSLAO BALBINO
SOCIETATIS JESU.

Cum Licentia Superiorum.

PRAGÆ,

Typis Universitatis Carolo-Ferdinandeæ, in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem.

ANNO M. DC. LXXXVII.

III

WBP Opole

2341 st.
a.15

1687 r.



In Arma Gentilitia Illustrissimæ & Excellentissimæ
Stirpis, Comitum Slawatarum de Chlum
& Kossumberg, &c. &c.

Omnia Mors mordet (*a*): Rosa, Lilia, Ruta, Coronæ,
Corda, Scyphus, Plumæ, Linea, *Mortis erunt.*
Gloria non moritur (*b*) Slawatæ *sunt Gloria Gentis*: (*c*)
Ergo non poterit Stirps Slawatina *mori.*

(*a*) Horatius Lib: 1. Epistol:
(*b*) Taciti verba Lib: 4. Annal:
(*c*) Slava apud Bohemos Gloriam significat.

WBF
OSSEG
K 143 76 Starodr. 51

EPISTOLA DEDICATORIA.

Illustrissimo & Excellentissimo
Domino Domino

JOANNI GEORGIO JOACHIMO SLAWATA,

Comiti de Chlum & Kossumberg;
Gubernatori Domûs Novodomensis, Domino in Novadomo, Telcz, Novobistricz, Chlumecz, Zerownicz, Straz, &c. &c.
Sac. Cæs. & Reg. Maiestatis Camerario
& Intimo Consiliario;
Supremo Regni Bohemiæ Judici, Locumtenenti, & Supremo Pocillatori hæreditario in Regno Bohemiæ;

Domino & Patrono meo reverentissimè colendo.

Librum de Ducibus & Regibus Bohemiæ, Tibi, Illustrissime & Excellentissime Comes, *consecro, dedicóque justis, gravissimísque de causis. Jam tum dum conciperetur & gigneretur liber, Tuâ sese oblectabat Imagine, Te velut* solstitialis herba, *ut Plautinè loquar, sequebatur, & modò natus & adhuc* rubens, *ceu* Heliodori Chariclea *stellam, ità Rosam Tuam in molli adhuc & tenera fronte circumfert. Sic* (*quod superbè dictum nolim*) Uniones *concipi, & ad Cœli imaginem conformari, & quodammodo ab ortu suo sigillari, ac modò læves, illimes, serenos, modò scabros, turbidos, nubilósque* (*prout se Cœlum ostenderit*) *existere & nasci, docuit earum rerum peritissimus* RUDOLFI II. *gemmarius.* *Heliodorus in Æthiopicis.* *Anselmus de Boot Lib. de Gemmis.*

Hanc primam & necessariam offerendi causam, sequitur non parum gloriosior, & forsan in vulgus hodiernæ ætatis ignota; quòd Regum nostrorum historia nulli aptius conveniat, quàm ei Familiæ, quæ Regibus semper fida Paternâ vel Maternâ lineâ annis centum & ampliùs in Cancellarij munere ante Reges stetit, eorúmque Acta signavit. His adjici potest amœnum illud & memoratu dignum: quòd in Novodomensium & Slavvatarum Clypeo, velut in compendio quodam universa spectari possit Bohemia; neque istud adulationis ingenio dictum à me quispiam putet: imprimis Bohemiam Sphæroidem & circularis figuræ faciunt Chorographi; certè clarissimus inter Hollandos Geometra Philippus Cluverius, *cùm* Europam Reginæ *formosæ instar descripsisset nobis, in* Umbilico Bohemiam *statuit. Jam verò Clypeum* Slawatinæ Gentis *orbicularem esse, oculorum fide discimus; bellè itaque figura respondet; sed hæc levissima & superficialis similitudo foret, nisi cætera omnia congruerent.*

Cluver. in Introd. Geometr.

Figura.

Ursi.

Quid Ursi, *qui* Scutum Slawatinæ Gentis *sustinent, unde & quibus ex silvis venerunt?* Ursinorum *gentem universam â* Comitibus Ascaniæ Beringeris, *seu de* Behren *vel* Beringen, *qui ad* Hercyniam silvam *ad* Ballenstedium *sedem fixerant, descendere, Eruditi consentiunt. Itaque* Ursi *vestri* Hercynij *sunt. & Hercyniam silvam, quâ defenditur & coronatur* Bohemia, *aptissimè repræsentant.*

Ern. Brottuff. Genealog. Anhaltina, init. Croll. præfat. lib. de signaturis Histor: Bolesl. lib. 1.

Coronæ.

Tres Coronas (*primam Regiam, duas deinde Imperatorias*) *in* Clypeo Slawatinæ Gentis *intueor: primam Majoribus Tuis* EXCELLENTISSIME COMES, *Antiqui Bohemiæ Reges, alteram & tertiam* Avo Tuo Guilielmo Austriaci Cæsares *addidêre. Quis verò dubitet has* Coronas *toti* Bohemiæ *convenire, quæ cùm in* Imperio Romano *censeatur, Regúmque sit, utramque* Coronam *veneratur suo vertici imminentem.*

Poculum.

Jam super Galeam *coronatam* Fasciculus *quidam visitur quinque* Pennarum, Slawatinis *lineis consignatus.* Poculum *id esse, non fasciculum, docuit originum Bohemæ Nobilitatis diligens explorator* Paprocius, *quod etiam in Veteribus* Slawatarum *Clypeis sæpius ipsi vidimus.* Pennis, Gloriam & Victoriam *significari in confesso est. Videre summâ gloriâ conspicuos in utraque Republica in sago & toga* Slawatas *ætates omnes; vidêre stantes in acie* Vngari, Austrij, Germani, Galli, *vidêre etiam Sabaudi gloriosè vincentes, & opima ex acie spolia referentes. ùt in* Syntagmate Slawatino *demonstrabitur. Nimirum hoc Majores nostri summum esse decus credebant:* Gloriam *spectare,* Gloriæ *velificari,* Gloriam *sequi; hinc* Slavos *sese, seu* gloriosos (Slava *enim* gloriam *significat*) *appellari gaudebant, ac pleraque eorum nomina in Slavam seu gloriam desinebant velut in metam* (Sobieslaw, Boleslaw, Przemyslaw, Radislaw, Bohuslaw *&c.*) *unde etiam Urbibus imposita nomina* Wratislavia, Wladislavia, Przemyslavia *&c. Quod Universæ*

Paprocius in Stemmatogr. Boh.

Pennæ.

Pier. in hieregl.

Nomen Slavatarum.

versæ Genti Slavvorum commune fuit, hoc Slawata *proprium* per quandam excellentiam, *ob res fortiter gestas adepti sunt nomen, ut ipsam Gloriam* (*Slavvam*) Slawatarum *gloriosa posteritas hæreditâsse videatur.*

Poculum.

At longè alia est Poculi *significatio: habent hoc hæreditarium in* Bohemia *munus* Slawatæ, *ut ejus Gentis* Gubernator Supremus *sit* Pocillator, *& Pocula* Bohemiæ Regibus *ministret. Jam ecquis in Rebus* Imperij *tam hospes est, ut nesciat,* Bohemiæ Regum *in* Romano Imperio *munus, quæ prima est inter* Electores *dignitas: ad eam significandam* Clypeus Regum Bohemiæ *olim erat* Leo, *qui primoribus pedibus* Poculum aureum *sustinebat. Ergo* Bohemiæ Reges Pocula *ministrant* Imperatoribus, Slawatæ Pocula *ministrant* Bohemiæ Regibus.

Goldast. in libris de Bohemia.

Campus in Insignibus Slavvatarũ.

Venio nunc ad ipsum Clypei Campum, *quem* Campum, *si ipsam* Bohemiam *esse ostendero, apertissimè vici;* quod mihi tam est in proclivi, quàm imber cùm pluit, *ait Comicus.*

Plaut.

Fluvij.

Qui indagandis Illustrium Familiarum Originibus *dederunt operam, observant: antiquissimas quasdam nobilissimásque Familias,* Fluvios Regionum *quibus imperabant, in Clypeis suis gentilitijs, gestavisse; id quod in aliarum Regionum Clypeis, tum etiam in Regni Vngariæ Clypeo videmus. Quisnam igitur ille* Campus, *quinam* Fluvij, *qui* Slawatinæ *Gentis Clypeum intersecant, & dispescunt?* Duces *ac* Reges Bohemiæ *â* Przemyslao *descendentes* fluvios *tulisse in scutis in Epitome Libro I. demonstravi;* Przemyslaus *enim* Stadicensis *ad* Bilinam Dominus (*qui* Libussæ *conjugio* Bohemiam *obtinuit*) tres fluvios *in Clypeo tulit, eò quod inter tria* flumina *habitaret; at verò à* Przemyslai *posteritate* Lucenses Principes (*quod omnes nostri Scriptores affirmant*) *& â* Lucensibus Slawatæ *descendunt, ùt insignis ætate patrum Historiographus* Nicolaus Artemisius (*cui Genealogistæ Veteres, Novíque subscribunt*) *clarissimis argumentis ex* Curia Zatecensi, *ex vetustis literis, Clypeis & Anulis ostendit.*

Weleslav. in Geneal. Ducum & Regiũ Boh.

Rosa in Clypeo Slavvatino.

At cùm tot fluminibus *irrigentur* Campi, *uberes esse oportet;* hortos *esse potiùs dixerim, quia in ijs &* Rutæ, *&* Rosæ, *&* Lilia *nascuntur. Nemo* Rosam Bohemiæ *negârit, cùm in* Bohemia *tot Illustrissimas Stirpes* Rosarum, *multis divisas coloribus, excrevisse sciamus, ipsámque adeò* Bohemiam *instar* Rosæ *Chorographi nobis expresserint.*

Lilium.

Adstat Rosæ Lilium, *quod quia ab ejus societate* spinas *trahit, Patientiæ Gloriâ coronatur. Scio nonnullos docere: in* Slawatarum Clypeo *non esse* Lilium, *sed* M. literam *coronatam, videlicet* Mathiæ Corvini Regis Ungariæ *nomen, cui* Henricus Novodomensis *præ cæteris* Bohemiæ Proceribus *legitur placuisse. Verùm hanc conjecturam vetustiores ante* Henricum *Clypei Novodomensium* (*in quibus* Lilium *spectatur*) *tum etiam ipsum* Henrici *hujus sepulchrum in* Novodomensi B. Virginis Basilica *altè in Templi*

medio eminens, satis refellit; in eo enim nulla litera M. sed Lilium *tænijs quibusdam colligatum in marmore porphyretico tam dextre visitur expressum, multis in locis, ut* Lilium *esse nemo nisi luscios admodum dubitare possit. Antiquior igitur est origo, neque à* Mathia Corvino *petenda. Ego existimo ad* Joannis Bohemiæ Regis *tempora hoc* Lilium *pertinere, qui pro Regibus Gallorum adversus* Anglos *pugnaturus, multam Bohemiæ Nobilitatem in* Galliam *militatum adduxit, atque inter eos* Aureæ & rubræ Rosæ *Proceres, uti in historia* Joannis Regis *diximus; cúmque multa præclara edidissent facinora,* Rex Galliæ Philippus *ad* Rubram Rosam Monstrantiam (*ùt in Templis vocant*) S. Ludovici *Symbolum, ad* auream *verò* Novodomensium Rosam, Lilium *Coronâ Regiâ redimitum adjecit.*

Lib. 3. histor.

Corona Rutea.

Corona Rutea *sequitur; aptissimè profectò: nam cùm* Ruta faciat Pocula tuta, & *venenis ac fascinationibus occurrat, ac deniq;* sanitatis *sit Symbolum,* Corona Rutea *neque* Bohemiæ, *neque* Slavatis *qui* Pocillatorum *obtinent dignitatem, deesse debet; hoc verò decus Majores Vestri à* Saxoniæ *Ducibus mutuati sunt. Prima Origo à* Bernardo II. Saxoniæ Duce: *cùm enim ab Imperatore* Friderico I. Investituram, *ùt vocant, A.* 1180. *accepe-ret, orâsse fertur Cæsarem, ut aliquo à Fratribus cæteris discrimine,* Arma Ducatus *sui, & prærogativæ* Electoralis *dignitatem insigniret; hîc* Imperator (*ùt erat per æstum* rutâ *coronatus*) Ruteam Coronam *Clypeo supplicantis injecit, &* Electores Saxoniæ *in perpetuum ferre jussit; hanc igitur Ruteam Coronam* Elector Saxoniæ Wilhelmus III. *cùm* Annam *Neptem suam* (*ex* Hinkone Duce *Münsterbergico & filia sua genitam*) Henrico Novodomensi *desponsavet, in Nuptiarum honorem* Sponso *imposuit, eóque Electorali munere* Novodomensem Familiam *honoravit.*

Typot. l. 2. de hierograph. Gyrald. dialog. 7. Aristoteles in Prolem. Mylio in horto Philos. tit. Ruta. Henric. Bunting in Chronico Brunsvicensi, in Henrico Leone. Ælur. in hist. Franckenst. Paprocius in Spec Morav. Crato in Genealog. Reg. Boh.

Corda.

Jam ad Corda, *quæ numero octodecim sunt in* Alis Aquilarum *depicta, & tandem ad* Anchoram *veniamus. Falluntur egregiè, qui cordium istorum argumento, inter* Comites Teckenses, & Novodomenses Proceres, *nescio quæ mutuæ successionis in Bonis & ditionibus constituta pacta somniârunt, & sinè omni publicarum literarum testimonio intercessisse scripserunt. Nullum in Antiquitate, nullum in Archivis vestigium, nulla litera, nec ullum vel tenue rei tantæ indicium reperitur. Nimirum in Ludis hastarum, cæterísque Nobilitati usitatis decursibus, & præliorum simulacris, ùt fieri solet,* Novodomenses & Comites Teckenses *consociaverant arma, & tesseris mutuis datis noscebantur, quos* Fratres Armorum *appellabat Antiquitas; eas amoris mutui & fraternitatis æternas tesseras (cùm ità* Teckenses *vellent*) Novodomæi *suis Insignibus conjunxerunt. Hæc omnia Veteris* Bohemiæ *Gloriam significant, cujus Nobilitas cordatissima & animi plena, in* Bellis *fortem semper & præsentem animum, & in* ludis *singularem dexteritatem in totius Imperij conspectu sæpius demonstravit, ùt* Libri Torneamentorum

Libri Torneamentorum Reuxneri & Francolini.

rum *loquuntur. Optimum illud est, quod Clypeus Slavvatinus spei* Anchorâ *consignetur:*

Anchora.

Μόνη δ' αὐτόθι Ἐλπὶς ἐν ἀῤῥήκτοισι δόμοισι
Ἔνδον ἔμιμνε.

Ἐν ἔργοις.

Sola autem illic spes infracta in pyxide
Intus remansit. *canit de* Pandoræ *poculo* Hesiodus.

Habes ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME COMES, *consilij mei causas, &* Bohemiæ *Universim, ac Clypei Tui gentilitij lineas parallelas; ut intelligant omnes convenientissimè ei, qui Typum Bohemiæ gerat in Clypeo, & cujus Majores in Cancellarij Munere Regum literas centum & ampliùs annis sigillaverunt, gesta eorundem Regum ac terræ Principum dedicari. Accipe igitur,* EXCELLENTISSIME COMES, *Historiam à me diligenter ex vetustissimis & probatissimis Authoribus collectam & conscriptam. Fateor ingenuè, Tuis me antiquissimis & novis semper beneficijs cumulatum vicem reddere non posse, at Tu (quod de DEO dixit* Magnus Gregorius) affectum intuere non censum; *pretium huic meo labori Tu unus potes imponere; fiet pretiosum munus (ùt in omni æstimatione monetæ videmus) si pretiosum esse volueris. Quod superest,* DEUS Optimus Maximus *Te Ecclesiæ, Patriæ, Domûs Tuæ Slavvatinæ, Societatísque nostræ bono, quàm longissimè servet incolumem!*

Pragæ in Collegio Acad: Soc. Jesu
A. 1687. die 11. Junij.

Tuus

Illustrissime & Excellentissime
Comes,

Servus, Tuo Nomini deditissimus

Bohuslaus Balbinus S. I.

FACUL-

FACULTAS
Reverendi Patris Provincialis Bohemiæ Societatis JESU.

Cùm Librum inſcriptum de Ducibus & Regibus Bohemiæ (qui eſt Decadis I. Miſcellaneorum Liber VII. à P. Bohuslao Balbino Societatis JESU conſcriptum, tres ejuſdem Societatis JESU Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognoverint, ac in lucem edi poſſe cenſuerint poteſtate acceptâ à Patre Noſtro CAROLO NOYELLE, Societatis Præpoſito Generali, Facultatem concedo, ut Typis mandetur. In quorum fidem haſce literas manu meâ ſubſcriptas, & Sigillo Officij munitas dedi. Pragæ in Collegio Academico ad S. Clementem 15. Decembris An. 1686.

L.S.

Mathias Tanner.

Qui magno Imperio præditi in Excelſo vitam agunt, eorum facta cuncti mortales novêre; ità in magna fortuna minima licentia eſt. Saluſt: in Catilina.

Ut Gubernatori curſus ſecundus, Medico ſalus, Imperatori Victoria; ſic Moderatori Reipublicæ beata Civium vita propoſita eſt, ut opibus firma, copijs locuples, gratiâ ampla, virtute honeſta ſit. M. Tull. Lib: 5. de Republ: & Lib: 8. ad Atticum Epiſt: 2.

Princeps mortalis, Respublica æterna eſt. Tacit: Lib: 3. Annal.

DECAS I.

DECAS PRIMA MISCELLANEORUM HISTORICORUM.

LIBER VII. SECTIO I.

Duces Regéſq; Bohemiæ poſt Czechum ex ſtirpe Craci & Przemysli.

CAPUT PRIMUM.

Czech Gentis univerſæ primus Dux, Author, Patérque.



CZechicæ Slavorum Gentis in Bojohemo primordia conſenſu omnis Antiquitatis, teſtimonio Scriptorum omniũ, traditione vetuſtiſſimâ, ipſóq; etiam nomine *Czechorum* (quo *Czechi* vel *Czechitæ* domi appellamur) ad *Czechum* in *Corvatia*, vel *Croatia* Provincia Virum Principem referuntur. Hic, ſive Romanæ dominationis odio, populares ſuos, qui nuper ex *Sarmatia Europæa* (& olim fortè in Europam ex Sarmatia Aſiatica) in *Illyricum* aſcenderant (ùt lib. 2. Dec. 1. memoravimus) odiosè & impotenter prementium, ſive per tumultum parte aliquâ exercitûs Romani deletâ, & ereptâ militariter *Aquilâ* (unde primus Gentis Czechicæ clypeus, *Aquila nigra in flammeo campo* fuit)

à Czecho Czechita.

Weleslavinus ex Codicillo, in Geneal. Ducum Boh.

L. 2. Miſcell. Piaſecius in Chron. Polon.

A iram

Pessima in Marte Moraviæ.

iram Romanorum, quos irritârat, metuens, sive aliâ domi cæde factâ (nam id quoque traditur) sive invitatu popularium, qui paulò antè in Moraviæ plana vel in Bohemiæ vacuos populo saltus intraverant; sive *Attilæ Hunnorum Ducis* invitatu & favore, qui *Slavorum* populis (ùt in Hunnorum Originibus legimus) plurimùm tribuebat, sempérque *Slavos* suis immixtos in castris habebat, *Czech* noster in *Bojohemum* ascendit.

I. 2. Miscel. ex Bonfinio Ritio, Olao, &c.

Cromer. lib. 1. histor. Polon. c. 14. Miech. hist. Polon. lib. 1 c. 2. *Czechi fratres.* In Stemato-graphia.

Comites Migrationis hujus *Czecho* fuisse minores natu fratres duos, *Lechum*, qui Poloniam, *Russum*, qui *Russiam* fundârint, docet *Cromerus*, & ex Manuscripto vetutissimo Miechovius; hósque maximam *Slavicæ Nobilitatis* partem secum traxisse Scriptores omnes nostri, & vicinarum Gentium consentiunt, atque idem antiquarum Familiarum Origines, ùt suo loco probavimus, demonstrant.

De tempore adventûs Czechi.

De tempore acris inter Scriptores movetur disputatio, quam monimentorum defectu ad liquidum adducere & finire non possumus: *Codicillus* & *Weleslavinus*, *Czechum* circa An. Dom, 278. advenisse affirmant, cùm jam *Boji* in Romanam Danubij ripam (quæ Regio postea, *Bojorum deserta* dicta fuit) translati essent, aut spontè in Noricos abijssent; *Welserus* verò & *Cromerus* viri, in Historia Temporum magni, ad *Attilæ* ævum (qui ab A. 402. usque ad A. 454. Romanum Imperium flagellavit) *Czechi* adventum posuerunt.

Welserus in Boicis. Cromer: in Hist: Pol. Petav. in Rationar. tempor.

In eandem propè sententiam concedit *Stransky* Chronologus *Bohemiæ* unus è primis, qui etsi nunquam adventus *Czechi* Annum nominare voluerit, tamen cùm disertè *Przemyslum* obijsse A. C. 632. affirmet, necessariò advenisse *Czechum* A. 452. cogetur admittere. At verò, qui seriùs ponunt, ùt *Cuthenus*, *Hagek*, *Theobaldus*, ad A. 644. multóq; magìs *Schleinicius* in sua *Vandalo-Bohemia* ad A. 800. planissimè à nobis L. 2. *Miscellaneorum* authoritate antiquorum Scriptorum refelluntur. Quódq; novum refutationis caput est, cogitur *Schleinicius* novem Bohemiæ Duces cum ipso *Przemyslo* & *Libussa*, ex historia nostra, imò ex rerum natura expungere, & delere; quod quâ authoritate contra omnium Scriptorum torrentem fecerit, ipse videat, cùm ab A. 864. (quo *Borzivogium* Christi sacra suscepisse fide probatissimorum Authorum constat) novem Principes tantùm imperâsse *Bohemiæ* 50. Annis inverisimile, aut etiam impossibile videatur.

Str. in Rep. Bohe. c. 8. 452. Cuth. in Silv. Hagek in Annal. Theob. in Hussit.

Ego pro certissimo statuo, cùm maximi in historia Viri *Welserus*, *Adelzreiter*, *Blondus*, *Crantzius*, *Bonfinius*, *Dresserus*, *Brunnerus* noster, *Besoldus*, *Wohburgius*, *Bollandus* & cæteri, quos infrà citabo, disertissimè doceant Slavos ex Bohemia circa Annum Christi 520. in Illiricum Colonias duxisse, *ac* fundâsse *Slavoniam* (ùt etiam ostendi lib. 2. *Miscellaneorum* cap. 9. & c. 18. in Animadver.) non potuisse *Nationem Czechorum* tanto numero augeri, & tam citò multiplicari,

Vid. differt. post c. 11.

cari, quæ videlicet nuper *Coloniam*, eámque non numerosissimam in *Bojohemum* adduxerat, nisi priùs ducentis aut etiam pluribus annis necessariæ propagationis causâ in *Bojohemia* consedisset. Sed ad *Czechum* redeamus.

Czech populum assvefacit laboribus, & paci.

Postquam ab antiquis & novis Bohemiæ Incolis *Czecho* delatum Imperium est, prima Ducis cura: militarem ideóque facilè irritabilem *Czechorum* populum, magno gubernationis arcano, pacatis agriculturæ laboribus, ædificationibus villarum, oppidorum, & Arcium, fossionibus metallorum, præsertim auri, argenti, & gemmarum (quibus si modicè refulserint, mox hominum avaritia capitur) illigare, & cœtibus suorum frequentandis, & communione ejusdem villæ, Oppidorum, Civitatum, ad Patriæ charitatem erudire, ut jam quædam Reipub: non alicujus multitudinis inconditæ, & volaticæ forma appareret, quod sanum & prudentiæ plenum consilium, omnes qui secuti sunt Principes, ac *Libussa* præcipuè sagacissima mulier, tenuerunt. Quæ Oppida regnante *Czecho* surrexerint, diligenter enumerat historiæ nostræ Princeps *Hagecius*: prima villa *Klenecz* à *Czecho* pro filio *Clen* condita stetit; *Czech* ipse sibi veteris Patriæ memor, castrum *Psary* construxit, quod *Libussa* à se *Libin*, posteri villâ *Teinensi* Pragæ exædificatâ *Wissehrad* vel *Wissihrad*, quòd altiorem locum occuparet, appellârunt.

Czechi mitissima gubernatio.

Viginti & septem annos *Czechus* regnavit, tantâ Imperij authoritate, clementiâ, prudentiâ, & subditorum amore, ut *Patrem* se habere universi crederent, & ipsa odia & ultiones, nè Princeps optimus gravaretur, differrent. Æternum quàm diu gens stabit trophæum *Czechus* habebit, quòd in ejus nomen gens universa transierit, ut quantum est *Czechorum*, tantum *Czecho* sit liberorum

peragit tranquilla potestas,
quod violenta nequit,

Ctinovès quasi dicâs *honoris villa.*

& quæ gens obsecro, in Tyranni nomen adoptare se velit? sepultus est *Czech* in *Ctinoves* quasi dicas *honoris villa*, veris subditorum lachrymis Tumulum irrigantibus; cui arcum triumphalem saxeum (rarum in illa populi rusticitate honoris genus) posuerunt.

Czechi filius degener.

Filium unicum *Klen* nomine, cùm & ingenio (quod Heroum filijs sæpe accidere videmus) & corpore debilis esset, nulla Patris merita regnandi idoneum efficere potuerunt; ità factum, ut cùm populus ob recentem Patris memoriam *Klenum* in toto deserere nollet, & *Klen* ipse conscientiâ imbecillitatis, Ducis personam sustinere cum dignitate non posset, utrique quieverint, & novi Ducis electio in mortem *Kleni*, 15. ipsos Annos, dilata sit. Mortuus est Czechus A. C. 352.

De Genealogia Czechi.

NIhil propè de *Czechi* Familia conſtat ; ſummo ortum genere apud *Corvatios* vel *Croatios* affirmant omnes, & ſatis oſtenditur ex ejus & fratrum Principatu, tum ex eo quoque, quòd tanta *Slavorum Nobilitas* procul in ignotas terras *Czechum* ignobilem ſequi, ejúſque auſpicijs gubernari probroſum, & malè ominatum putâſſet.

Czech Bohemiæ Dux. | *Lech* Poloniæ Dux. | *Ruſſus* alter *Czechi* frater *Ruſſiæ* Princeps.

Klen Czechi filius. *ignoratur ſucceſſio.*

Wrſſovecij cognati Ducis Czechi.

Ultra *Klenum* in ſilentio, Annalium ire non poſſumus; certum tamen habetur vetuſtiſſimam *Wrſſoveciorum Comitum* gentem apud nos & Polonos latè propagatam *Imperium Bohemiæ* ſibi deberi contendiſſe, eáque ex cauſa *Libuſſæ* conjugium affectâſſe, quòd ſe ex ſtirpe *Czechi* ortos dicerent. Sed iſtud, an virili an fæmininâ majorum ſerie deduci potuerit, nemo unquam tradidit.

Notæ in Caput primum.

Intentio Authoris in hoc libro.

CUperem *Lectores* meos ſemel intelligere: me in hoc libro, quo geſta Regum noſtrorum præcipua complector, nolle *Regum elogia texere*, neque ingeniosè & argutè ſententijs illuſtribus & vibrantibus cauſſas factorum explicare, non enim id valetudinis meæ ſtatus nuper ſideratione non leviter perſtrictus ſinit, ídque ante me argutiſſimè præſtitêre plurimi ac præcipuè Italus homo, ſed ſummus gentis noſtræ admirator & amator (ùt ex Orationibus ab eo editis elegantiſſimis poſtea patebit) *Julius Solimanus* è Societate Jesu, cujus *Duces & Reges Bohemiæ Pragæ* excuſos legimus, at qui recudêre omiſſo authoris nomine, habent quod de Plagio reſpondeant. Nè igitur quod nolui à me *Lectores* expectent, tria mihi in hoc libro ſtudioſiùs conſectanda ſumſi, I. *Succeſſionem* Principum ac Regum, eorúmque geſta ſingularia, tum *Chronologiam*, ac tandem *Genealogiam*. Hæc ſi præſtitero, optimè officio functum me putabo. Ac certè (ſi quid ego intelligo) hæc tria ſunt, quæ Hiſtoriam à fabularum vanitate diſcernunt, & quibus omnis ævi memoria tutiſſimè inædificatur.

Jul. Solim. Elogia Principum, & Regum Boh.

Czechi Slavica gens.

Czechicæ Slavorum gentis &c. Slavicam gentem *Czechos* eſſe dubitare nemo poteſt: id ipſe Slavicus ſermo nobis, *Polonis*, *Moſcis*, *Dalmatis*, *Croatis*, ac cæteris communis demonſtrat. Antiquiſſimi Scriptores noſtri *Chriſtannus Boleslai Fratricidæ* filius, & *Coſmas Pragenſis Decanus*, aliíque Veteres, Slavicam vel *Slavonicam Bohemorum gentem* ſemper appellant; totus in hoc argumento Secundus *Miſcellaneorum* Liber conſumitur.

Czech in Bohemiam aſcendit &c. De tempore adventûs *Czechi*, ùt dixi diſceptatur, nos mediam quandam viam inibimus, & Chronologiâ poſcente, inter An. 300. & 330. *Czechum* in Bohemiam veriſimiliter inducemus.

Ruſſus Czechi frater. In Notis.

Ruſſum, qui Ruſſiam fundavit &c. Quæ hoc loco de *Ruſſo Czechi* fratre attuli, ex *Cromero* deſcripta ſunt. Si quis hæc accuratiùs ſibi probari cupit, legat Epitomes noſtræ

noſtræ Librum 3. c. 10. & ſatis ſcio licèt pugnaciſſimus manus dabit veritati.

Czechi comitatus nobilis. Vide Origines Comitũ Guttenſtein.

Maximam Slavicæ Nobilitatis partem &c. Cum *Czecho* in Bohemiam adveniſſe *Bſſovios*, poſtea *Mielniko* ædificato, *Comites Mielnicenſes* (deinde *Guttenſteinios*) appellatos, *Kolovratæos*, item *Wrſſovecios*, *Bivogios* ſeu *Leones* & *Haſenburgios*, *Kaunicios*, & qui communia cum illis arma ferunt, tum *Rziczanios*, *Comites Bilinenſes*, *Caplirzios*, *Comites Oſecanos*, *SSvabenskios*, *Benedas*, & alios innumeros cum *Czecho* in Bohemiam adveniſſe ſcribit *Paprocius*, & nos in Stemmatographia evidenter probavimus.

Paprocius in ſtemmat.

Tursko ante Czechum. vi. Lib. 2. Miſcell.

Poſtquam Czecho delatum Imperium eſt &c. Non continuò advenienti *Czecho* defertur Imperium, regnavit latiſſimè in his oris (ùt *Petrus Codicillus* & *Weleslavinus* tradunt) licèt evacuatâ *Boijs* & *Marcomannis Bohemiâ* rari eſſent Cultores, regnabat, inquam, in his *Zalmanius* quidam *Circipani* filius Originis Slavicæ, cui ſucceſſit *Tursko* filius, quem in prælio *M. Conſtantini* adverſus *Licinium* (quod circa A. 315. geſtum *Ricciolius ponit*) periiſſe affirmant; poſt *Turskonem* Populi veteris & Novi lætis clamoribus victus *Czech* jam ſenior, quippe Annum 60. ætatis agebat, tandem Rempublicam tractandam ſuſcepit, Anníſque dein decem ac ſeptem (veriùs 27.) imperavit. Hæc modò dicta an cum Chronologia componi poſſint paulò pòſt videbimus.

Ricciol. in Chronol. reformata.

Magno Gubernationis Arcano &c. Plurima hujuſmodi exempla ſuppeditant hiſtoriæ: portentoſas illas ædificationes Pyramidum, Templorum, Urbium, & eorum operum, quæ *Mundi miracula* appellantur in Aſia, hoc quoque conſilio ſuſceptas reor, ut populus qui numero nimiùm excreverat, teneretur, neque otio indulgens res novas moliretur. Huc etiam ſpectant Populo excreſcente deductæ in alias terras Coloniæ, ùt *Bojorum* ex *Gallia Germanica*, rurſus ex *Bojohemo Toliſtobojorum* in *Græciam* &c. & omnes propè gentium *Migrationes*, quas proſequitur *Lazius*. Eadem eſt ratio in Populis, qui otioſam multitudinem è Patria militatum emittunt, malunt enim extra Patriam quàm domi bellum geri, ùt *Helveti*, *Galli* Veteres, *Turci*, qui aliquo bello diſtinent ſuos & armis aſſvefaciunt. Ad hoc exemplum *Cæſar Sigiſmundus*, poſtquam paternum *Bohemiæ Regnum* precariò potiùs, quàm armis recuperâſſet, *Bohemos* milites exercitatiſſimos, quos domi meritò metuebat, in bellum Turcicum duxit, ut (quod prudenter obſervat *Æneas Sylvius*) ſeu caderent, ſeu vincerent, prodeſſent.

Cauſſæ cur migraverint populi.

Czechus veteris Patriæ memor &c. Czech in Croatia *Krupinam* & *Pſary* arces ditione tenebat, ùt habet *Weleslavinus*. Caſtelli hujus *Krupinæ* mentionem in Croatia ſua facit aliud agens *Bonfinius*; ex quo multùm confirmatur eorum ſententia, qui ex *Croatia* in *Bohemiam Czechum* aſſerunt appuliſſe. *Pſary* hodiéque locus dicitur poſt *Wiſſehradum*.

Weleslav. in Genealogia Ducum Bohemiæ, & in Præfat. ad Silvium Cutheni. Bonfin. rerũ Ungaricar: Dec. 3. l. 1. Loco citi

Sepultus in Ctinoves &c. In *Budecz* ad *Welvarium Czechum* eſſe ſepultum quidam aqud *Welesvinum* tradidêre, ſed manifeſtè refelluntur à *Pulkava*, qui *Carolo IV.* imperante hiſtoriam *Bohemiæ* ſcribens, ait, *Ctinoveſij* fuiſſe, & Monumentum *Czechi* fornice antiqui operis concameratum vidiſſe. Annis compluribus, quoties mihi illac iter fuit, locum quæſivi, incolas rogavi, fruſtra fuerunt omnia, ruſtici, utpote aliunde translati indicium dare non poterant; ſenem nominabant qui illic viciniæ habitaret, ex hoc pago oriundus; tandem repertus eſt, qui advocatùs, benignè locum oſtendit in horto ruſtici cujuſdam Pragâ venientibus ad dexteram ſub Eccleſia, quæ in colliculo vicino ſtat, quam nuper ibi *Lobkovicius* veſtuſtate cadentem de novo eleganter extruxit, fornix ſubterraneus tumuli multis locis corruit, cœtera ſenticetis & ruderibus malè tecta clauduntur. Porrò de Clypeo *Ducis Czechi* aptiore loco dicetur.

Sepultura Czechi.

CAPUT II.

Crocus I. Bohemiæ Dux II.



CZechi *Ducis* felicitas, mitiſſima gubernationis ratio, & quædam in conſilijs divinitas populum Bohemiæ grandi mœrore, poſtquam ex oculis amiſſus eſt, proſtravit: ſucceſſorem nullum, qui paria faceret, neque illum quidem, quem Patri eſſe maximè ſimilem oportuerat, inveniebant: filios enim degeneres Patrum claritas obſcurat potiùs, quàm illuſtrat. Novem aut etiam pluribus annis ijs moribus, ijſque legibus, quibus ſub Czecho aſſveverant, utcunque ſuſtinebant ſeſe, & in officio permanebant. Sed nimirum regi debet humanum genus, nec ſibi permitti. Violenta & inſidioſa ſunt vitia, contactu vulgantur, neq; fieri poteſt, ut inter malos tuta ſit innocentia, niſi pœnis cum poteſtate irrogatis coërceatur improbitas. Decimo ineunte Anno aut ſeriùs quibus aliqua in Bohemia publicæ rei cura fuit, de communi conſilio, Legatos in Poloniam mittunt, & *Lecho* fratri Imperium offerunt; maluit *Lechus* ſecura, & jam ſua Imperia obtinere, quàm aliena & ſenectuti ſuæ incommoda conſectari. Conſilio tamen fraternæ Czechorum genti tantum profuit, quantum ſi in rem præſentem veniſſet: *Crocum* (alijs *Gracchum*) in Zatecenſi Provincia arcis *Wladarz Dominum*, pro ſe commendat Legatis, qui domum reverſi legatione populo expoſitâ unius *Lechi* authoritate rem omnem confecerunt, éſtque *Cracus Pſary* ab univerſo Populo Princeps adoratus. Aliquid in Principe ſemper eſſe oportet, quod eum Populo admirabilem, ſive etiam ſi res ferat, terribilem, denique præſtantiorem ſubditis efficiat & eximat vulgo; vaticinandi ſcientiam (ùt erant illa ſæcula dæmonibus obnoxia) adamaverat, & profitebatur *Cracus*; hanc ille de ſe Populi exiſtimationem perſtudioſè fovebat, multis edictis, & Imperijs ſuis vel timorem, vel ſpem adjungens, ut aliquid de cœlo trahere edicta viderentur: eſt enim maximum divinitatis argumentum ſcientia futurorum; ad idem exemplum conjugem duxerat *Borzenam* nomine, quæ divinos afflatus mentiebatur. Rebus domi ex ſententia compoſitis *Cracus* foris amicitias quæſivit, & fœderibus,

Lech deſignat Crocũ Ducem Bohemiæ.

Craci geſta.

bus, Regum maximorum exemplo, potentiam ſuam ſtabilire conatus eſt; *Weleslavinum* authorem habeo, *Cracum Marcomiro* Francorum Duci *Milenkam* filiam deſpondiſſe conjugem, & Genero adverſus *Imperatorem Gratianum* ad Moguntiacum tuliſſe ſuppetias. Jam quinquaginta, quot olim Romæ Conditor *Romulus*, in Bohemia *Cracus* regnaverat Annos, cùm ecce fraterna gens Poloni ob turbatas res ſuas Legationem ſplendidiſſimam in *Bohemiam* adornant, & ad eas componendas *Cracum* ſibi, vel Cognitorem, vel Judicem depoſcunt. Non negligenda res viſa glorioſo ſeni: advocat Procerum, ac Populi conſilium in *Pſary*, Legatorum poſtulata exponit, filium ſibi cognominem juvenem lætæ, & exporrectæ indolis, jam quatuor & viginti natum Annos, qui adſtabat lateri, oſtentat, ſi quos ex Populo ſui deſiderium teneat filium, qui & conſilio, & moribus paternis Rempublicam tractaturus ſit paria facturum. Facto à *Proceribus* initio, conſenſêre omnes, quos ille blandiſſimâ oratione conſolatus, & gratias pro ſecundiſſima in ſe voluntate verbis ampliſſimis referens, & filio, quæ Populo placerent juſtitiam, aliáſque Principum virtutes, commendans, conſilium dimiſit, brevíque pòſt *Proceribus Bohemiæ* procul deducentibus, in *Poloniam* diſceſſit. Ad Populi votum geſſiſſe Imperium in *Polonia* & *Craco-viam* de ſuo nomine condidiſſe, Poloni Scriptores tradiderunt.

De hoc bello R ciolius in Catalogis, vid: t. 1. l. p. c. 8. Chronologiæ reformatæ.

Cracus filium deſignat Ducem Bohemiæ.

NOTÆ in Caput ſecundum.

Iis moribus aſſveti &c. Sarmaticos, ſeu Slavicos mores, & vitam diu adhæſiſſe primis illis *Bohemiæ* cultoribus dubium eſſe non poteſt: viros bonos, ſinè dolo & fraude, in commune conſulentes, omnia ad publicam utilitatem referentes (quod in tanta hoſtium Germanorum, quibus incincti erant, potentiâ neceſſe fuit) velut nihil proprium illis eſſet, *noſtra*, quæ tenerent ſinguli, vocitâſſe, maximos & vetuſtiſſimos Authores habeo; qua in re ridiculos quidam Scriptores ſe præbuerunt, qui cùm *auream ætatem* tribuere Populo illi novo percuperent, nè quid aureæ ætati deeſſet, *glandibus* (quas jam pridem humana vita proſcripſerat) eos vixiſſe tradiderunt, quod meritò irriſit *Æneas Silvius*.

Czechorum primi mores

Coſmas Chron: l. 1. Boloslaus chron. c. 2. Dubrav. l. 1. Stransky in Rep: Boh: l. 1. & 2. c. 5. Silvius in hiſt: Boh. Gvagnin: in chronico Polon.

Crocum alijs Cracum &c. Cracum primum nepotem fuiſſe *Czechi* Bohemorum Ducis ſcribit *Alexander Guagninus*, quem in hoc omnes alij Scriptores deſtituunt nominántque vetuſti Annales *Hledium* virum Principem, qui *Cracum* in Bohemia genuerit. Illud probatur magìs, quod Poloni, atque etiam noſtri tradidêre: *Craco* vel *Croco* Romanorum genus *Gracchorum* fuiſſe, cujus ſcilicet Majores Româ in *Illyricum*, aut indicto exilio, aut aliâ causâ olim immigraſſent, noménque *Gracchi* in *Craci* vel *Croci* ùt facilè in nominibus contingere amat, à Populo commutatum.

Craci genus à Romanis.

Milenka Marcomiri Conjux. Quæ hoc loco de *Milenka* attuli ex *Weleslavino* deſumpſi; unde verò is deſcripſerit, non laboro, favent tamen huic ſententiæ Genealogiſtæ *Reüſnerus*, & *Heninges*, ùt dicam Notis in Cap. II.; crediderim *Weleslavinum* ex *Petro Codicillo*, hunc verò ex vetuſtis Scriptoribus, qui mihi nunc ad manum non ſunt, quod de *Milenka* dicitur, deſcripſiſſe.

Adver-

Adversus Imperatorem Gratianum &c. Hoc bellum A. C. 379. gestum ex *Ricciolij* nostri Chronologia apertissimè constat. *Weleslavinus Cracum* Seniorem (quem ad Imperium vocatum asserit A. C. 345.) cum *Juliano* Cæsare tuendorum limitum causâ ad Danubium depugnâsse scribit; unde id acceperit nescio, Chronologia tamen concordat: nam *Julianus Coloniam* vel *Argentoratum* post cruentum prælium A. 357. recuperavit, & Annis duobus sequentibus 358. & 359. *Francos & Alemannos* in deditionem accepit. *Vide Chronologiam nostram post cap.* 12.

Ricciolius in chronico magno chronologiæ reformatæ.

CAPUT III.

Cracus II. Bohemiæ Princeps III.



Craci II. Imperium laudatissimum.

Cracus Bohemiæ Ducis Imperium non paternæ, sed multò magis propriæ virtutes sustinuerunt. Illud juveni Principi primis annis ad Authoritatem parandam idoneum maximè, quòd viveret Pater, & fortissimæ & vicinæ genti imperaret, ut si quid adversus filium moveretur, *Cracus* senior armorum terrore ex vicinia componeret; sed eò deventum nunquam est: nam primùm cùm à Patre mitti sibi Imperia ex *Polonia* fingeret, postea id sibi & Populo odiosum intelligens omisit, & pòst paulò Patre demortuo suis auspicijs *Bohemiam* rexit, maluítque virtutes patrias in seipso exprimere, quàm monita absentis audire. Literarum studiosissimus fuit, quas adhuc eo tempore in papyro, & corticibus tiliarum & salicum exarâsse, & pinxisse nostros homines *Hagecius* est Author. In Urbe *Budecz* tribus à Regio Castello Psary milliaribus (nam *Praga* necdum stabat) scholas primùm pueriles, deinde etiam cæterarum scientiarum (quæ sinè dubio in illa sæculorum Barbarie vix hoc nomen merebantur) aperuit; sola *Magia Theologiæ instar* regnabat, & præcipuum obtinebat locum, ad quam penitùs perdiscendam Princeps *Cracus* Procerum liberos invitabat, atque ut loco celebritatem adderet tres filiolas (cum prole masculâ careret) discipulas ablegavit; in his Budecensibus studijs *Przemysli Stadicensis*, cum *Libussæ Ducis* filia familiaritatem quandam initium habuisse tradunt vetusti historiæ nostræ Scriptores. Militiam quoque (Regium, ùt ità dicam, opificium) coluisse Principem *Cracum in Weleslavino* legimus, qui eum Gothorum *Regem Arbogastum* bello perijsse scribit, in quo prælio viginti *Gothorum* millia ceciderint; ego in nullo eorum temporum Scriptore, *Arbogasti* apud *Gothos* regnantis nomen invenio, nisi Exscriptoris sit error. Verbo totum eloquar: usque ad *Przemysli* & *Libussæ* Imperium, omnis *Bohemiæ* historia incerta in gestis Ducum nutat, & pauculis exceptis Chronologiæ examen vix sustinet, quid verisimiliter statui possit suo loco dicetur. Obijt *Cracus* vel *Gracchus* ætatis 86. Imperij 62. si *Weleslavino* credimus. Ex *Niva* conjuge insignis proceritatis, & paris venustatis fæmina, nullam prolem masculam, sed tres filias genuit, vel ad invidiam virorum præstantes: *Cassa* sororum maxima herbarum & medendi scientiâ, *Tetka* magicis artibus, quibus cæteræ etiam eruditæ erant, *Bohemiam* universam in admirationem & sui venerationem trahebant, *Libussæ* licèt natu minimæ, ingenio tamen & prudentiâ maximæ, cessêre sorores Imperium, Proceres ac Populus jusserunt, nec vanissima & ingenij gloriâ elata virgo Imperium in viros recusavit accipere.

Weleslav. in Genealogia Principum Boh.

Filiæ Craci II.

NOTÆ in Caput tertium.

In corticibus tiliarum, & salicum &c. Ut papyrus Ægyptijs olim, sic cæteris gentibus Cortices & tunicæ, imò & folia certarum arborum chartæ usum præbebant, cujus confectionem tardiùs inventam docuit *Gvillandinus*, qui *Plinij* locũ lib. 13. hist. Nat. c. 2. corrigit, & non in *palmarum* folijs, sed in *malvarum* scripsisse Veteres ostendit. Vide accuratam de his tractationem apud *Robartellum* in Disp. de arte corrigendi veteres libros, & *Milium* in *Horto Philosophico*, tit. de *papyro*.

Charta Veterum.

Gvillandinus Tract. de papyro.

Gothorum Regem Arbogastum &c. Scio Arbogastum Comitem apud *Zosimum*, quem ad prandium S. Ambrosius A. 375. invitâsse legitur, is *Arbogastus* & *Victorium Maximi* Tyranni filium interfecit, & *Valentinianum* juniorem vulneravit A. 392. & ipsemet rerum suarum, & *Eugenij*, cujus partes sequebatur, desperatione sibi ipse mortem conscivit A. 394. sed neq; *Rex Gothorum* unquam fuit, neq; in *Gothica*, sed in *Romana militia Magistri militum* sibi munus usurpavit; adde quòd *Weleslavinum* ipsa Chronologia apertè refutet, cùm enim apud eum *Cracus II.* A. 395. Bohemiæ Imperium sit auspicatus, contrà irrefragabili bonorum ejus temporis Scriptorum authoritate (quos in Chronico magno suo citavit *Ricciolus*) constet: *Arbogastum* A. 394. perijsse, non potuit *Cracus* noster nisi cum *Arbogasto* mortuo manus conserere. Erit igitur *Weleslavino*, alius *Gothorum Rex Arbogastus* quærendus.

De Arbogasto controversiæ. *Zosimus l. 4. A. 388.*

Obijt Cracus ætatis 86. &c. Weleslavinus alioqui ad Chronologiam perattentus, malè iterum *Craci II.* ætatem cum Annis Christi ordinâsse & composuisse videtur: imprimis *Cracum* ait A. C. 395. auspicatum esse Imperium, ætatis suæ A. 24. regnâsse verò A. 39. igitur obierit A. C. 434. at, quod addit, vixisse Cracum II. A. 86. evertit totum, quod dixerat: nam si 24. ætatis annos compleverat, A. 395. Anni 62. necessario adjici debent, ut 86. vixisse statuatur; ergò non tantùm 39. Annis regnavit, sed Annis 62. adeóq; obijsse eum oportebat (non A. C. 434.) A. 463. cùm nihilominùs *Weleslavinus Libussæ* mortem in sequentibus posuerit A. 457. quod si admittatur, Chronologiâ, quam ipse statuit pescente totum *Libussæ* Imperium delebitur, quod à nullo Historiæ nostræ perito, nè quidem ab ipso *Weleslavino* potest defendi. Nos in ætate *Craci* vetustum *Pulkavam* tum alios Scriptores secuti sumus.

Craci II. chronologia.

TABULA I.

Genealogia Cracorum, vel Grachorum.

ā. *Hledius* ex Grachorum Romana ſtirpe, qui cum Czecho in Bohemiam advenerat.

b. *Cracus* vel *Crocus I.* Wladorzij Dominus primùm Bohemiæ, & poſtea Poloniæ Princeps. ♆ c. *Borzena* vaticinatrix. d. *Bazak* Croci frater.

e. *Cracus II.* Bohemiæ Princeps. ♆ f. *Niva.* g. *Milenka*, uxor *Marcomiri* Ducis Francorum. h. *Lapak.* ♆ i. *Zvratka* Claudus, ignoratur ſucceſſio. Saga.

k. *Kaſſa* ♆ l. *Bivogij* herois. m. *Tetka* ♆ *Slavoſij* quæ condidit arcem *Kaſſin.* quæ condidit *Tetin.* n. *Libuſſa* ♆ *Przemysli* de qua capite ſequenti.

o. *Rodislav.* p. *Proſtoslav.* q. *Bela* uxor Koſſalij, quæ *Bilinam* condidit. r. *Hes.*

s. *Rodov.* t. *Chleboslav* .u. *Ctiboh.* x. *Lidomir.* y. *Sudiprav.* z. ab hoc Hes deſcendunt qui tabulam Scachidis geſtant in Clypeo.

aa. *Zbraslav.* bb. *Rod.* ec. ab his duobus fratribus deſcendit ſtirps eorum, qui Apri caput gerebant in Clypeo.

dd. *Hrutu.*

ee. *Sucoslav.* ff. *Stugmir* ſeu Stillfrid.

gg. *Mileſs,*

ab hoc Mileſſio deſcendit Familia *Kaplirziana.*

NOTÆ ad Genealogiam Cracorum vel Grachorum in Bohemia.

Cvagninus in chron: Polon:

a. DE *Hledio* nihil addere poſſum, præterquam Virum Nobilem, potentem & celebrem fuiſſe, quódque ipſa ætas, & Chronologia perſvadent, *Czecho* coævum & comitem itinerum & viatum. Romanum genus in eo plurimi Scriptores agnoſcunt.

Polk c. 1. hiſtor: Boh.

b. *Cracus vel Grachus I.* quem MM. SS. Codices non *Ducem*, aut *Principem*, ſed *Judicem Bohemiæ* appellant.

In Genealogijs.

c. *Borzenam* aut *Bozenam* fatidicam, & vaticinatricem fuiſſe affirmat *Weleslavinus.*

d. Præter nomen *Bazak* nihil poteſt adferri.

e. *Cracus II.* longævus Princeps, de quo antè dixi, mortuus eſt A. 480.

De Marcomiro dubia hiſtoria.

f. *Niva* longè ante Conjugem *Cracum* obiſſe traditur.

g. *Milenka* uxor *Marcomiri* Francorum Orientalium Ducis, cujus filius *Pharamundus* primus Francorum Rex electus A. C. 420. deceſſit. quo Anno *Marcomirus* vitâ exceſſerit, non ſatis liquet; obtinebat verò *Marcomirus* proximas Bohemiæ Regiones, ùt Genealogiſtæ tradunt, ideóque facilè ex proximo *Milenkam* in Conjugem accepit; nec parva inde gloria Principibus noſtris, & qui ex Przemyslæa gente deſcendunt, *Ssvihovijs, Czerninijs*, & *Slavatis* (ùt poſtea pro-

Ricciol. in chron. ref. Reuſnerus. Henninges.

probabitur) naſcitur, quòd ab ijs tot Regnorum & Imperiorum Monarchæ, quot à *Pharamundo* Genealogiſtæ derivant, proceſſerint, ac procedant.

Hagek in Annal.

h. *Lapak Croci I.* ex fratre nepos, de quo aliud nihil traditum accepimus, quàm prudentem & circumſpectum, ſed claudum altero pede, inſignem Civitatem *Kleczany* (quæ nunc pagus eſt) condidiſſe.

i. *Zvratkam* dæmonum ſacris diligenter operatam habent vetuſti Scriptores, aliud nihil.

Kaſſæ ſepulchrum. Pulkava c. 2. Coſmas init. hiſtor. Fortè: fluminis albeæ.

k. *Kaſſa* ſenior ſororum, herbarum gnara & artis medicæ imprimis, condidit arcem *Kaſſin* trans flumen *Wltavam* contra *Zbraslav*; rudera quædam hodiéque viſuntur, ùt dixi in prioribus Miſcellaneorum libris. De *Kaſſæ* ſepulchro hæc ampliùs Coſmas: *Kaſſæ*, inquit, *Croci filiæ adhuc hodie cernitur tumulus altè congeſtus ſuper ripam fluminis Alſæ, juxta viam, quà itur in partes Provinciæ Bechin, per Montem, qui dicitur Oſſeka.* Ubi flumen *Alſa* ſit, ubi Mons *Oſſeka* in *Bechinenſi* Provincia, etſi multùm indagaverim, fateor me neſcire, ſcient fortaſſe viarum noſtrarum & locorum periti.

l. *Bivojus* filius *Sudivogij* Slavicæ Nobilitatis quæ cum *Czecho* advenerat vir præcipuus, *Kaſſæ* conjux. Hic obvium in ſilvis *Aprum* in ſe euntem, viribus fretus, vitato ejus fulmineo impetu, auribus comprehenſum ad *Libuſſam* attulit, ideóque in militari Clypeo *Aprum* ei *Libuſſa* ferre dedit.

Tetkæ ſepulchrum.

m. *Tetka* media ſororum Magicis ſacris, ùt cæteræ quoque ſorores, initiata, oraculis dæmonum conſulendis occupatâ, de ſuo nomine Arcem & Civitatem *Tetin* condidit, eóque loci cum Conjuge *Slavoſſio Whodbogij* filio habitavit, cujus honori ad *Mizam* fluvium *Slavoſſov* Urbem (quam poſteri *Beraunam* dixêre) conſtruxit, à morte ad radices Montis *Pohled*, qui *Tetino* occidentalis eſt tumulatur. *Slavoſſ* conjunx ab elegantia formæ, & robuſtiſſimis viribus ab antiquis laudatur.

n. De *Libuſſa* & *Przemislo* agemus Capite ſequenti.

o. *Rodislav Bivogij* filius ex militari Patris Clypeo *Apri caput* dictus, in filij nati gratiam Arcem *Rodov*, vel *Ronov* ædificavit.

p. *Proſtislav* ſolum nomen habet in antiquitate.

De Biela.

q. *Biela Kaſſæ* filia virilis animi mulier, factis heroicis multos ſuperavit, venationibus urſorum dedita, eâque periculosâ voluptate ſe oblectans duos urſos furentes ſuâ manu ſola confecit, & ab hoc felici eventu Medwědicé (urſorum villam) extruxit. Sed à *Bilina* Civitate, quam fundavit, & à fluvio præterfluente, quem à ſe *Bilam* vel *Bielam* appellari voluit, major & diuturnior cœpit gloria. *Koſſal* maritus *Bielæ* caſtellum *Koſſalov*, vel *Koſſtalov*, quod hodiéque ad *Litomericium* videmus, in Rupe conſtruxit. Cædem *Koſſali Hagecius* deſcripſit; *Bielæ* mariti Cæde acceptâ decimo pòſt die mœrore contabuit.

Hagecius in Annal.

r. *Hes Slavoſſij* & *Tetkæ* filius magni vir nominis ætate ſuâ, duas ſibi arces *Heskov* & *Nizbor* ad fluvium *Miſam* non ità procul à Patre condidit; primus in Bohemia ferrum invenit, eâque ratione ingentes opes, & celebritatem nominis ſibi comparavit.

s. t. *Rodov* & *Chleboslav* fratres. Addere nihil poſſum.

u. *Ctiboh* Civitatem *Bielam* (hodie multis dictam *Weiſvaſſer*) ædificavit in matris ſuæ memoriam.

Pokratiſe.

x. *Lidomir* Annos 24. natus Patrem amiſit; juniori fratri *Bilinam*, quæ poſt Patris mortem ad eum hæreditate pervenerat, ceſſit, atque ipſe novas ſibi ſedes quæſivit, ac *Lidomiricium* ſeu Litomericium (hodie Regiam & notiſſimam Urbem) & inde non procul, *Pokraticiam* villam ſtatuit.

y. *Sudipravi* ceſſione utriuſque fratris *Bilinam* ditione tenuit.

Clypeus Scach.

z. *Hes Slavoſſij* filius poſteritatis amplitudine & numero, quos hîc adduximus, omnes exſuperat. Tabulam *Scachidis* gerebat in Clypeo, quâ hodiéque complures ex Nobilitate noſtra meritò gloriantur, ùt *Klenovij* Comites, Equites *Janovsky*, *Dohalsky*, olim & *Koſorzij*. Multi ex hac gente à nobis in Poloniam immigrârunt, ùt teſtatur *Dlugoſſius*, *Paprocius* in *Klenovijs* diſertè affirmat: *Martinum Archi-Epiſcopum Gneſnenſem* A. 1118. ex hac ſtirpe nobiliſſima prodijſſe, enumerátq; in eo glorioſiſſimo Regno complures tam *Antiſtites*, quàm militiæ Duces, aliiſque honoribus inſignes *armorum fratres*, ùt antiquè dicam, ab eadem origine *Slavoſſij* deſcendentes, de noſtris dubium eſſe non poteſt, idque ex Hiſtoria *Clatovienſi* ante ſexcentos & ampliùs annos ſcripta diſcimus, & in Stemmatographia noſtra probamus, videatur *Okolsky*, & *Paprocius*.

Okolsky in Orbe Polonico. Paproc. in Klenovijs.

aa. *Zbraslav* de ſuo nomine Villam condidit cognominem, ob quam cauſſam *Cœnobium Aulæ Regiæ*, quod eo in loco *Wenceslaus VI. Rex* exſtruxit, hodiéque apud multos retinet nomen, & *Zbraslavienſe* vocatur.

bb. *Rod Zbraslavij* frater Villam ſtatuit *Radotin* vel *Rodoten*, ac ſi diceret *Rodi ſepimentum*, & circumvallatio: *Tyn* namque ſepem, & *Tyniti* vetuſtâ *Slavorum* voce *ſepire* ſignificat.

Hazmburgici.

cc. Stirps *Bivogij* (cujus Majores cum *Czecho* in Bohemiam advenêre) maximos heroas Patriæ genuit, qui multiplicatâ ſobole varijs ſeſe nominibus, & ramis divisêre, ùt de *Waldek*, *Trzemſſinij*, *Hazmburgij*, *Sselenbergij*, *Leones &c.* omnes jam extincti ſunt, præter *Leones in Moravia* hodiéque ſuperſtites, qui ad *Aprugnum* caput, *Leonem* additum habent à Regibus, de quibus in Stemmatographia.

dd. *Hruta* ob aliam nullam cauſſam, quàm ob patrem, & filios nominatur. *Bilinam* ditione tenebat.

ee. *Sukoslav Hrutæ* filius, auri & argenti ditiſſimus, cùm Duci Pragenſi *Hoſtivito* refractarium ſe contumaciter oſtenderet, & *Slavibori Comitis Mielnicenſis* ditiones fœdiſſimè vaſtaret, à Duce & *Slavibore* in arce ſua *Sukoslav* obſeſſus, & captus graves pœnas dedit, manibúſque ac pedibus truncatus in *Egra* fluvio demerſus interijt.

Sukoslav.

Stillfrid.

ff. *Stugmir* (Germanis in Bavaria *Stillfrid* poſtea dictus) *Sukoslai* frater ab *Hoſtivito* in prælio captus, in Bavariam exulatum miſſus eſt. Poſt annos 13. cùm *Borzivojus Hoſtiviti* filius, quòd Religionem Chriſtianam amplexus ab Ethnicis ex Bohemia in Moraviam ejectus eſſet, revocatus domum, oblatis Ducum inſignibus; at quia lingvam patriam oblitus, de Religione inſuper Populo ſuſpectus erat, quâ facilitate admiſſus erat, eâdem ſolio Ducali dejectus; ùt ſuo loco narrabimus, in *Bavariam* remiſſus, nunquam redijt, poſtquam menſibus non ampliùs decem imperâſſet.

Mileſſov.

In Stemmatographia.

Kaplirzij.

gg. *Mileſs Sukoslai* filius ædificatâ arce *Mileſſov* parvos liberos reliquit, ipſe in prælio, quod cum *Krzeſio Budinenſi* commiſerat interfectus. Ab hujus *Mileſsij* poſterit deſcendunt lineâ virili vetuſtiſſimi Equites *Kaplirzij*, qua de re ſuo loco. Illud memorabile prorſus (quod an de alia illuſtri in Bohemia ſtirpe dici poſſit, neſcio) ex eo tempore ad nos uſque *mille* ampliùs continuis annis *Mileſſoviam arcem*, & adſitum arci terræ tractum, nunquam Dominos mutâſſe, ſempérque eam ditionem ad *Kaplirzios* pertinuiſſe, quâ cauſsâ fortaſſis adductus *Zdenko* Comes *Kaplirzius*, inſignis bello Dux Cæſari à bellicis conſilijs *Mileſſoviam arcem* dirutâ vetere novam à fundamentis opere magnifico conſtruxit.

Hacte-

Hactenus Genealogia Cracorum, & eorum qui *Craci* vel *Grachorum* Rômanæ quondam ſtirpis Procerum, per tres ejus filias naſcentes acceperunt ſangvinem. Quam Genealogiam ex parte *Chriſtannus S. Wenceslai* nepos, & *Coſmas* poſt mille à Chriſto nato Annos hiſtoriam texens, tum *Pulkava Caroli IV.* tempore, ſed totam, ùt hîc recenſuimus *Weleslavinus* in Calendario hiſtorico A. 1590. Typis edito confirmant.

CAPUT IV.

Libuſſa Craci II. filia partim ſola, partim cum Conjuge Przemyslo IV. Duce ac Principe Bohemiæ imperat.





Libuſſæ in regendo prudentia.

LIbuſſa *Craco* patre rebus humanis exempto, ultro cedentibus, ùt antè dixeram, ſororibus, ingenij, prudentiæ, & eloquentiæ commendatione, accedente formæ gratiâ, & morum ſvavitate, anno ætatis ſuæ quinto ſupra viceſimum, Imperium à Populo ſibi delatum libens accepit. Sorores cæteræ Conjugum, & liberorum amoribus implicabantur; *Libuſſa* non eſſe ſola credebatur, quæ ipſos Deos haberet obſequentes, & quæ Rempublicam velut filiam, non molli quidem, aut ſegni, ſed delicatâ, & placidâ manu mulceret, & tractaret; additi ſunt regiæ Virgini duo, tréſve Proceres, quorum non tam audiret conſilia, quàm operâ in exequendis Imperijs uteretur. Dubitari non poterat, quin præſentia bene judicaret, quæ etiam futura pernoſſet; quidquid timebat, aut ſperabat populus, ad eam referebat, atque illa ſinè pretio reſponſa reddebat. *Sybillam* Bohemiæ poſſes dicere, quæ ut quondam illæ, fortaſſe Virginitatis merito, CHRISTUM naſciturum, perinde noſtra ſanctimoniam & gloriam *SS. Wenceslai* & *Adalberti* ſub ænigmate dua-

Ejus opera.

Pulkava hist. c. 3.

rum *Olivarum* in cœlos usque crescentium prædixerit. *Pragam* à limine dictam *Libussa* condere cœpit eo in loco sub monte *Petrino* ubi stetisse *Casurgium* vetustissimam Vrbem fama erat; condidit etiam *Libicium*, *Libehrad*, *Libin*, & *Liben*, *Libezicium*, & *Libiesscium*, & plura, quæ ab ejus nomine appellationem traxerunt; præcipua ejus gloria, Arx *Libin* (*Psary* nuper, postea *VVissehradum*) Regiâ magnificentiâ constructa, ubi Jura Principes dicerent, & Populo dividerent Imperia. Jam annum decimum tertium invidendâ suo sexui felicitate *Libussa* pacatè regnaverat, cùm ecce Procerum quorundam occultissimâ conspiratione, qui eam sibi Conjugem, & cum conjugio Imperium destinabant, seditione coortâ, à Populo ad Maritum Principem sibi legendum compellitur. Fecit *Libussa*; sed præteritis seditionis authoribus (quos sic ulciscebatur) ad *Przemyslum Stadicensis* villæ Dominum, aratorem illum quidem, sed opulentum & Nobilem ex familia *Scyphorum*; in *Budecensibus* Scholis Condiscipulum quondam, Equo suo candido deducente, Legatos mittit. Venit *Przemyslus*, & cum conjuge, ùt fieri solet, assumlit Imperium; regnatum est summâ concordiâ, &, quæ sequitur, felicitate, *Libussâ* ubique concedente Conjugi: nam etsi Principatum attulerit, mulierem se natam esse meminerat. Obijt *Libussa* circa A. C. 505. ætatis 48. multo Populi dolore *Libicij* in porta Arcis suæ tumulata. *Przemyslus* quasi adhuc viveret, cujus beneficio regnabat, viduus ad ultimam senectutem permansit: Jura quædam, & Leges tulit ad Populum; Nobilitatem in partem curarum vocavit, suisq; discrevit nominibus: Zemanos (à Zemé quod *terram* significat) appellari eos voluit, qui terram, & subditos glebæ suæ adscriptos haberent; *Wladykas* qui imperarent; *Lopotas*, qui Rempublicam curarent; bellum quoque cum *Romanis* gessisse, eósque feliciter ex *Boica* ejecisse; Dobrosul (quod hodie Hallas *Saxonicas* dicimus) occupâsse armis *Weleslavinus* est Author; sed majus domi exortum est bellum, quod in duodenos annos protractum in grave discrimen conjecit Rempublicam, fæminis *Amazonibus* adversus viros arma corripientibus, & fraude dolisque pugnantibus, tandem prælio victæ, *Wlastâ* omnium *Reginâ* cadente fugatæ aut captæ, ad Sexum redire cœperunt. Obijt senectutis morbo *Przemyslus* ætatis 90. Christi circiter 549. tres ex Libussa melioris sexûs liberos suscepit: *Nezamyslum*, qui Patri in Imperio successit, *Radobeylum*, qui *Lucensibus*, *Teplicensibus*, & *Lippensibus* imperavit, *Lidomirum*, qui Sirbiæ (quæ tum maximam *Misniæ* & *Lusatiæ* partem complectebatur) dominatus est. Humatus sub Arce Wissehrado supertorrentem *Boticz* ubi deinde & *Nezamyslus* & *Mnata* cæteriq; ex ordine Duces usq; ad *Borzivojum* Christianum Principem sunt humati.

Cogitur virum ducere.

Vide Notas in hoc Caput.

Przemyslũ Virum Nobilem eligit.

Przemyslus dividit populum Bohemiæ.

Ejus filius.

NOTÆ

NOTÆ in Caput quartum.

Libussa responsa reddebat &c. Notum est ex ijs, qui de Magicis artibus scripsêre, incantationibus perfici posse, ut mali dæmones in vitra aliáque hujusmodi includantur, & improbissimo obsequio indicium faciant rerum, quas Magus, aut Saga scire voluerit. *Libussa*, *Ranam* auream habebat, quam dæmon subierat, eíque significationes dabat. Talem quoque *Equum* candidissimum, quem modò ad *Przemyslum* quærendum missum dixeram, fuisse probabile puto, qui à dæmone intus regebatur. Psittacos, ut simul pretium venditori crescceret, à dæmone infestos sæpe audivi & legi, & quendam ex Psittacis paulò tristiorem à Domino rogatum: quid ità mœreret? respondisse: *cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui*! sera fuit illa cacodæmonis pœnitentia!

Cicogna in lib. de magia. Delrio in disquisitionibus magicis. Magica sæcula.

Sibyllam Bohemiæ &c. Pro Sibyllarum defensione si res ageretur multa possent adferri: *M. Tullius* in libris Philosophicis CHRISTUM ab ijs prædictum agnovit, cùm fatetur initiales Sibyllinorum quorundam carminum literas nomen efficere. Videlicet græcè *JESVS Christus Filius Dei. Crux.* Quæ modò de *Tullio* scripseram cùm legeret quidam *Sciolus*, carpendi studio, nec inspecto priùs *Cicerone*, locum hunc confixit, addens: *de Cic. figmentum est.* Ego ut suis ipse oculis credat, verba *Ciceronis* apponam (ex lib. 2. de Divinat.) *Non esse illud carmen* (de Sibyllis loquitur) *furentis declarat ea, quæ Acrostichis dicitur, cùm ex primis versûs literis aliquid connectitur.* Paulò pòst: *atque Sibyllinis ex primo versu cujusque sententiæ primis literis, illius sententiæ carmen omne prætextitur &c.* Porrò vaticinia *Libussæ* de Montibus Bohemiæ metalliferis, de argento *Cuttnæ*, de auro *Gilovíæ*, de stanno *Crupnæ*, de ferro *Comarovij*, aliisque locis retulit *Hagecius*; nobis Historiam Bohemiæ hoc libro contexere propositum non fuit.

De Sibyllis

In Annal. Boh.

Casurgis. Casurgium Urbem in Bojohemo ponit *Claudius Ptolemæus* in Geographia sub Antonino Imperatore scribens circa A. D. 150.

Condidit etiam Libicium &c. *Libicium* Arx & Oppidum dilecta *Libussæ* sedes, sita est ad ostium Fluvij *Cydlinæ*, ubi ille *Albi* miscetur: non procul, inquit *Pulkava*, *à castro quod hodie Kolin na Labi dicimus, diu post hæc tempora in ditione Slavkonis Comitis S. Adalberti Parentis.* *Libiehrad* castrum ad *Wltavam* Praga ultra milliare è regione *Tursko.* Pagus *Libczice sub Libehrad.* *Libin* Arx est *Wissehradensis* (Visurgin quidam latinè appellant) id *Wissehradum* significare somniantes. *Liben* villa hodieque ad *Pragam* visitur; hîc *Libussa* centum, eásque candidissimas, sinè coloris alterius admixtione & maculis, Vaccas pascebat. *Libiessice*, *Libczoves* stant etiamnum, prius in Societatis nostræ, hoc in *Lobkoviciorum Bilinensium* ditione.

Pulk. c. 4.

Quæ Libussa ædificaverit

Procerum conspiratione &c. Etsi istud apertè neque *Pulkava*, neque *Hagek* dixerint tamen Aulicæ artes, fraudes & seditiones in *Przemyslæam* gentem fabricatæ rem ostendunt, præsertim à *Wrssovecijs*, qui *Libussæ* conjugium (quòd ex *Czechi* progenie descendere se dicebant) sæpiùs affectârunt, eâque mortuâ Principatum sibi deberi jactabant.

Przemyslum &c. Virum Nobilem fuisse docet *Weleslavinus*: nam quòd arando vires experiretur suas, Nobilitati nihil adversatur, cùm legamus in Historijs ab aratro ad summum Romæ Imperium accersitos, qui feliciter, ut antè Boves ità postea hostes Romani nominis sub jugum miserint. Argumentum nobilitatis ac potentiæ & illud adducitur: quòd tres in Clypeo ejus gentilitio fluvij tria Ungariæ flumina, *Danubium*, *Sauum*, *& Tisam* significare illustres Authores putent, quæ scilicet fuere insignia *Zoardi Attilæ Ducis*, ùt postea dicam. Ob eam maximè causam illustres quædam apud nos familiæ (quas à *Przemyslo* virili semper ac legitimâ sangvi-

Przemyslus vir nobilis, non rusticus

Quid significârint tres fluvij in ejus clypeo.

gvinis lineâ deſcendere ſæpiùs jam ex *Artemiſio*, *Paprocio*, aliiſque probavi, *Peſſinâ* & *Crugerio* ſubſcribentibus) ejuſmodi lineas ſeu fluvios hodiéque geſtant in clypeo, licèt coloribus linearum, & campi (ùt in diviſione ejuſdem familiæ in ramos plures dum propagantur fieri, & ſemper factum eſſe videmus) nonnihil variatis. *Przemyslææ ſtirpes* adhuc in Bohemia perſeverant tres: *Slavatæ*, *Ssvihovij*, & *Czerninij*. Quod tam clarè demonſtrare poſſum, ut me in Hiſtoricorum numero haberi nolim, niſi fidem fecero. Videatur Stemmatographia noſtra, & quia illa nondum lucem aſpexit, conſulantur *Genealogicæ Tabulæ*, quas à me confectas, eædem familiæ in Arcibus ſuis affixerunt.

Tres Przemyslææ familiæ adhuc perſeverant.

Przemyslum ex familia Scyphorum &c. *Przemyslum* ex ea familia deſcendiſſe (etſi illud ante me neminem ſenſiſſe aut ſcripſiſſe ſciam) nullo negotio poteſt evinci. *Primùm*: *Slavatas* ex familia *Scyphorum* ortum habere, non modò *Paprocius* Stemata Bohemiæ noſtræ ſub Rudolpho II. recenſens, affirmat, ſed ipſe etiam *Scyphus* tribus lineis notatus, quem ſuper galeam, & coronam in Inſignibus Slawatarum videmus, palàm facit, ex quo Scypho novem Struthionum plumæ *albæ cæruleæq;* prodeuntes viſuntur. Secundò: certiſſimum eſt *Slavatinam* familiam ex *Lucenſibus* ſeu *Zatecenſibus Principibus*, qui à *Wogeno* Bohemiæ Duce *Przemysli* Pronepote lineâ virili deſcendebant, originem trahere: id non modò ſuprà citati Scriptores, ſed omnes antiqui, quicunque bella Francorum, nominatim *Ludovici* junioris (qui *Ludovici Imperatoris* filius fuit) circa A. C. 845. geſta deſcripſerunt, apertiſſimè teſtantur ac *Slavatam Wratislai Zatecenſis* Principis filium *Wlaſtislai* fratrem nominant, quem *Carolomannus Ludovici* junioris Filius, ob injuriam fratri illatam ex Bohemia, & Zatecio in Moravos ad *Raſticem*, ſeu *Radislaum* Moraviæ Regem expulerit. Hæc coævi, & vicini eorum temporum, & peritiſſimi rerum Germanicarum Scriptores: *Rudolfus* in Annalibus Francorum, Schaffnaburgenſis, *Sigebertus*, & ex recentioribus *Spangenbergius*, *Aventinus*, *Calviſius*, *Fabricius*, *Brunnerus* noſter, ac cæteri; quæ omnia probata ſunt in Tabula Genealogica *Domûs Slavatinæ*, quam Excellentiſſimo *Comiti Joachimo* Anno ſuperiore confeci; in qua nominatis omnibus majoribus à *Przemyslo* uſque ad ipſum *Comitem Joachimum* ſtemma deduxi. Porrò quinam ſint, qui *Scyphum* geſtent in clypeo, & quj ex familia *Scyphorum* eſſe cenſeantur (ùt in Italia *Caraffæ*, *Donati*, *Slavatæ* apud nos, *Czerninij*, & *Ssvihovij*, in Polonia *Cziſſove* &c.) docuerunt præſtantiſſimi *Slavicarum* gentium *Genealogiſtæ*, *Simon Okolsky* Ordinis Prædicatorum, & in Stemmatographia duplici *Bartholomæus Paprocius*; quas omnes ſtirpes *Scyphorum* cum tribus fluvijs ſeu lineis à *Zoardi Attilæ Ducis* conſangvinitate progeniem ducere, & *Itali* & noſtri *Scriptores* affirmant, congruunt omnia *Cziſs* & *Korczak Slavicâ* lingvâ *Poculum*, aut *vaſculum*, *Caraffa* Italis idem ſignificat: *Flumina* tria communis eſt nota harum omnium familiarum. His igitur ſtatutis, evidenter ſequitur: *Przemyslum Stadicenſem* ex familia *Scyphorum* prodiiſſe: nam ſi *Slavatæ*, ùt vidimus, ex eadem familia deſcendunt, conſequens eſt, ut etiam *Przemyslus* ex eadem ſtirpe prodierit; utique enim non potuerunt, *Slavatæ* à *Przemyslo* orti, à *Scyphorum* gente ſi alia, & diverſa fuiſſet, poſteriùs oriti, vel in eam adoptari, & inoculari. Objici poſſet hoc loco: cur igitur vetuſti Bohemiæ Duces ac Reges (à quibus *Ssvihovij* & *Czerninij* poſt A. C. 1150. deſcenderunt Regio Jure ac Titulo per propagationem familiæ privati) cur, inquam, *Bohemiæ Duces ac Reges Scyphum Przemyslæum* in clypeo omiſerunt geſtare? non adferam id, quod ex *Goldaſto* poſſet adferri: *Bohemiæ Duces* olim *Leonem Scyphum* primoribus pedibus tenentem in clypeo geſtâſſe (hoc enim *Pincernatûs* Imperij inſigne fuit) ſed ajo: exiguum iſtud Ducibus ac Regibus noſtris, qui ducales ac Regias Coronas oſtentabant, viſum eſſe Nobilitatis monimentum; ſatis illis fuit tria *Przemysli flumina* in clypeo

Slavatarum origo pervetuſta.

Rudolf. ad A. 846.

Peſsina in Marte Mora. l. 2. c. 5. f. 142. & 144.

Przemyslus ex familia Scyphorum.

clypeo depicta geſtare, ac fortè res tam minuta, ùt eſt Scyphi ſimilitudo, ipsâ antiquitate memoriam amiſit. Exemplum manifeſtum in re prorſus eadem, aut planè ſimili habemus: *Boleslaus Sævus* compoſitâ cum Ottone primo Imp. pace (ùt in *Epitome* noſtra demonſtratum eſt) *S. R. I. Dapifer*, ùt vocant nominatus eſt, & *Ahenum*, dignitatis inſigne geſtavit in clypeo, geſtavit itidem ejus filius *Boleslaus Pius*, ùt in Eccleſia S. *Laurentij ſuper Pragam* videmus; cæteri abindè Principes *Ahenum* omiſerunt. Poſt hæc diu *Bohemiæ Reges*, *Pocillatores S. R. Imperij* appellati, Scyphum addidêre *Leoni* (ùt *Goldaſtus* teſtatur) id etiam ſemel, iterúmque additum tandem Reges noſtri reliquêre, hodiéque *Pincernatûs* retentâ dignitate emanet *Scyphus*, neque uſquam in Regum noſtrorum clypeis, ac ſigillis conſpicitur. Ad extremum id quoque notandum venit: ſi, ùt certum videtur, *Przemyslus* ex familia *Scyphorum* prodijt, tres illas lineas ſeu flumina in clypeo Regum noſtrorum, & eorum omnium, qui ex Scyphorum gente prodierunt, non *Albim*, *Bielam* & *Egram*, ſed maximos tres Pannoniæ fluvios, *Danubium Sauum*, & *Tiſam*, quos per ditionem ſuam *Zoardus* fluentes habebat, ſignificâſſe & ſignificare. De *Aquila Czechi* & *Leone Regni* noſtri ſuo loco dicetur.

Boleslao Sævo Ahenum dignitatis gratiâ ab Otone I. datum.

Venit Przemyslus &c. *Przemyslum* quidam latinè *Prometheum* verterunt, providentem Virum fuiſſe apparet; *Pulkava* multis locis *Prophetam* & *Vatem* appellat. De prodigijs illis, quæ cum *Przemyslo* acciderunt, legantur *Annales*, equi iter quem *Libuſſa Stadicium* miſit, nomina trium villarum ad *Bilinam* conſervant, *Brozanky*, quâ equus tranſvadavit, *Hliniany*, ubi ſe volutavit in luto, *Rzechlovice*, ubi hinnivit; *Stadice* Villa decem milliaribus *Wiſſehrado* diſtat in *confinibus*, ùt ait *Pulkava Regionis Litomericenſis*, & *Zatecenſis*. Campus, quem arabat, rotundus vel circularis eſt: duo jugera longus, totidem latus, nigerrimâ glebâ, cùm alij circum campi albeant. De *Coryleto* dixi in *Epitome*. De *Peronibus* ſeu calceis ruſticis *Pulkava* teſtatur, aſſervatos inter Cimmelia *Wiſſehradi*, & novis Ducibus ac Regibus oſtendi ſolitos unà cum ejuſdem *Przemysli* mitra, quæ capiti Ducis imponebatur. Neque tamen ruſticum *Przemyslum* aliquis ſuſpicetur, nam ruſtica illa ſæcula mitras ſuæ ætati ſimplici ſimillimas ferebant: maximè ſi cogitemus, alia eſſe Nobilitatis, alia Principum ac Regum coronatorum auro & gemmis ardentium, operimenta.

Colleg. Prag. in Bohemia Ethnica.

Przemysli artes magicæ.

Pulk. c. 1.

Obijt juxta Stransky *Libuſſa* circa A. 588. *Przemyslus* nonagenario major circa A. 632. nos paulò citius eos obijſſe exiſtimamus, quæ *Chronologia* infrà ſtatuetur.

Bellum cum Romanis &c. De his bellis nihil omninò habent *Hiſtorici Bojorum*, & revera difficilè eſt credere hoc tempore Romanos ab Italia & Roma aliquid in *Bojos* tentâſſe, qui domi (in Italia) malos hoſpites haberent, *Gothorum* multa genera, *Vandalos*, *Hunnos* (ex his *Attilam* ab A. C. 442. uſque ad A. 454.) & *Herulos*, qui omnes occidentales Imperij Provincias dilacerabant, ac Romani Imperij Majeſtatem circa hæc tempora conculcabant. Nihilominus *Weleslavinus* diligentiſſimus Scriptor, rem tantam ſinè authoritate veterum non poſuiſſet; ego igitur totum in medio relinquo. Certius bellum eſt *Amazonicum*, quod à *Przemyslo* Annis 12. geſtum, omnes omninò rerum Bohemicarum Scriptores antiqui & novi commemorant.

Bella Przemysli.

CAPUT V.

Nezamyslus V. Bohemiæ Dux & Princeps.

Nezamyslus nihil novi induxit.



PRimogenito & post se regnaturo filio prudentissimus *Pater*, *Nezamysli* nomen imposuit, quasi diceres: *nihil novi excogitantis*; nè quid scilicet constituto jam, & bonis legibus vallato Imperio, aut excogitaret novi, aut quæreret. Ergo ille congruenter nomini suo, quæ Pater statuerat, aut legibus sanxerat, defendere, & in usum ac mores Populi inducere contentus, placidè, ideóque & feliciter administravit Rempublicam. Secura sunt Imperia, quæcunque *moribus antiquis & legibus*, quæ in naturam Populi quodammodo tempore, & consvetudine transiêre, reguntur; novæ Leges, aut novum Principem, aut mutatam & novam vel novatam Rempublicam ostendunt; omnis novitas dura est, & velut nova vestis, nunquam in totum antiquo Reipublicæ corpori congruere potest, alicubi longior, alicubi brevior ac sæpiùs emendata, vix tandem aptatur. Sed quis alienæ cupiditati imperare & frænos injicere possit? primus quietem optimi *Principis Nezamysli*, *Rozhon Caurzimensis Princeps* (cujus Genealogiam dabimus postea) turbavit: huic *Nezamyslus* amantibus, ac proinde fidis subditis fretus prælium obtulit, & in *Strhovv* acie victum cepit, atque ut dolorem & contemptum augeret hosti, falculâ naribus & auribus abscissis dimisit, ac deinde misericordiâ calamitatis, & potentiæ suæ fiduciâ *Principatui* suo restituit. Novum hoc tamen *Nezamysli Ducis* opus: Nobilitatem omnem in quasdam classes partitus est, & Aulæ munia divisit, ac certis temporibus illigavit, ut quisque Nobilium quotannis statо tempore ad Aulam veniret, ante Principem staret, agnoscere Dominum, gratiam Principis obsequio mereri, & præmia ab eo accipere consvesceret. *Weleslavinus* diligens Scriptor bello cum Romanis implicitum fuisse scripsit, de quo dicemus in *Notis*; gratiora & certiora sunt domestica: *Pragam Urbem Libussæ* auspicijs fundatam, & jam paulatim crescentem cinxisse mœnibus, & multâ oblatâ immunitate, insigni numero novorum Civium adauxisse narratur. Vita excessit *Nezamyslus* 74. ætatis, cùm 49. Annos imperâsset, sepultus in Hrobka sub *Wissehrado* ad rivum Boticensem non procul à Patre A. C. 598. at juxta *Stranskium* 715. nos mediam viam inter hos Annos tutissimam esse putamus.

Nezamysl. Nobilitatem ad se venire hono concilio induxit.

NOTÆ

NOTÆ in Caput quintum.

Nihil novi excogitantis &c. Quàm periculosum sit leges antiquas abrogare, & novas (nisi id Populus non sentiat, quod vix, aut nè vix quidem fieri potest) ferre, omnes sani politici docuerunt. *Dietæ*, quam vocant, mutatio, quantos in corpore humano tumultus & morbos parit? quantò id magìs in Republica, quæ multos habet stomachos, & complexionis est in Proceribus delicatæ, quæ dura Imperia non bene concoquit. *Non aliundè magìs*, ait Strada noster, *labefactatur Reipublicæ status, quàm crebrâ mutatione legum.* Illud longè deterrimum, cùm leges feruntur, neque tamen servantur, atque ùt quidam dixit, aranearum telis persimiles, muscas tantùm eásque minores irretiunt, ab avibus impunè lacerantur, hâc unâ re (etsi abessent alia omnia) Principis Majestas apud subditos minuitur, deridetur & planè prostituitur: quid enim supereſt impunè violatis legibus, quàm, ut sulditi audaciores aut metu perterriti, aut spe, & potentiâ vicini, aut domestici Principis lactati, obedire omninò recusent? huic rei potissimùm causam præbet, legum inutilium multitudo contraria sæpe jubentium, cùm scilicet ob earum multitudinem, an & quid deliquerimus nesciamus, & Iurisconsulto sit opus, qui nos peccâsse vel non peccâsse ex legibus demonstret. Quid de illa multitudine legum senserit Magnus Vir *Justus Lipsius* vide in *Monitis Politicis* l. 2. c. 10. & in Centuria *Miscellanearum* Epistolarum 78. Aureum *Taciti* dictum est in Annalibus, *corruptissimâ Republicâ plurimæ leges*; neq; facilius communitatem aliquam perturbaveris, quàm si eam legum multitudine obrueris, maximè quas humana imbecillitas ægrè observet; illa sola statuenda sunt, quæ servari volumus & tueri. Hæc unica causa esse videtur, cur præclari Scriptores, mediam conditionem ingeniorum, aptissimam esse Reipublicæ regendæ asseruerint: quòd nimirum *Nihil Novi* in Republica statuant, cúmque aliud occurrat nihil, summam laudem in moribus, & legibus antiquis defendendis, & in usum revocandis reponant.

Leges & cõsuetudines antiquæ conservant rempublicam.

Bello cum Romanis implicitum &c. *Weleslavinus* tradit *Nezamyslum Romanorum* injurijs & impotenti dominatu irritatum, collecto sexaginta millium peditum, sex millium Equitum exercitu, *Stativa Romanorum* in Germania vexâsse & *Ratisbonam* usque progressum, id juxta eum inter A. 499. quo regnare cœpit & inter 528. quo decessit, fieri oportuit; nos aliam Chronologiam sequimur, & mortis A. C. 598. circiter ponimus ùt postea dicemus. Sed quod multitudinem armatorum attinet, nemo historiæ nostræ ignarus eam incredibilem existimet: constat quippè tantam eo sæculo in Bohemia Populi multitudinem fuisse (quod in lib. 2. Miscellaneorum probavimus) ut jam post A. C. 500. non tantùm in *Slavoniam* & *Croatiam* (unde *Czechus* advenerat) sed etiam ultra *Albis* fontes prægravante domi multitudine, in *Lusatiam*, *Marchiam*, & *Misniam*, *Colonias Slavicas* immiserint, quod & *Pulkava* noster, & præstans historiæ Septentrionalis Conditor *Dresserus* affirmant. Innumeros in hanc rem Authores postea citabo.

Strada Dec. 1 l. 5.

Multitudo Legum noxia.

Multitudo populi in Bohemia.

Pulkava in hist. Boh. Dress. Millenario VI. in Brandeburg.

Stranskius &c. Is posuit Annum mortis *Nezamysli* 715. & Patrem ejus *Przemyslum* obijsse A. C. 632, ergò *Nezamyslus* Annis 83. regnâsset, cùm tamen idemmet *Stransky* Annis tantùm 39. administrâsse Rempublicam tradat.

CAPUT VI.

Mnatæ VI. Ducis Principatus.



Wrſſoveciorum conatus in Regno adipiſcendo.

ELato Patre, *Mnata* quarto & viceſimo ætatis Anno, ùt habet *Weleslavinus*, ſolium Ducis aſcendit, ídque ſinè rivali, ſubjectis Populis in filio Patrem *Nezamyslum* agnoſcentibus; uni omnium *Wrſſovecij Dynaſtæ* potentiſſimi res novas moliri cœperunt, non tam odio Principatûs, quàm *Przemyslææ gentis Principum*, quos *Libuſſa* conjugem eligens contempſerat, & quòd cùm ex parentela primi Ducis *Czechi* originem ducerent, nulla tamen neque in Conjugijs, neque in creatione Principum ſuæ ſtirpis ratio haberetur. Protraxêre hæc odia *Wrſſovecij* pluribus ſæculis aliquot Ducum noſtrorum cædibus indignè perpetratis, ſed propè cum extremo ſuæ gentis ac ſuorum exitio, niſi in Poloniam receptum habuiſſent & immigrâſſent, unde iterum ob recuperatam militari virtute *Ratiborij* Moraviam, *Ducibus* noſtris & toti *Bohemiæ* conciliati; in gratiam recepti, circa A. C. 1184. in Bohemiam redierunt. Nimirùm altè in animis Nobilium inſident, & quodammodo in poſteros cum ſangvine transfunduntur, & viviſcunt odia, præſertim ſi Jura prætendantur, ſpéſque affulgeat recipi quoquo modo poſſe, quæ Majoribus noſtris erepta putamus; qua in re non parum ſæpe ambitione, cupiditate, & falsâ gloriæ ſpecie decipiuntur, qui juſtitiam habent obtentui, cùm antiquas & exoletas bellorum cauſſas quærere, ùt ait Accurſius, *ſit revangare, & turbare mundum.* Ad Mnatam, qui *Wrſſovvecios* etiam ſupplicijs irrogatis ad officium adduxit, redeamus: cum *Moravis* bellum geſſiſſe tradit *Weleslavinus* Chronologiâ adverſante. Judicia correxiſſe & ordinâſſe *Mnatam* Annales noſtri commemorant; illud propè incredibile, quod *Hagecius* habet: *Mnatam* conjugi ſuæ *Strzezyslavvæ* Matronæ prudentiſſimæ fæminarum judicia ceſſiſſe, ùt in *Suilo Monte* ſupra *Pragam* cum delectis Virginibus & Matronis lites fæminarum audiret, & finiret; nonne adhuc *Amazonum* recens erat memoria? an non veſtigia impotentiſſimæ mulierum dominationis remanebant, buſtis fumantibus? niſi forſitan ambitioſæ mulieri partem Imperij minimam concedere voluerit, ut mulier in toto & in ſumma nihil haberet; ùt de *Struthione* legimus, qui in manibus inſectantium caudæ *Syrma* relinquit, ut evadat corpore. Extinctus eſt *Mnata* circa A. C. (juxta Chronologiam noſtram) 651. ætatis 72. *Stransky* putavit A. 735. ætatis 44. obiiſſe, in quo cum falli & lapſum eſſe facilè probabitur ſuo loco.

Nobilitas memor injuriarum.

Mulierum judicia.

NOTÆ

NOTÆ in Caput ſextum.

Mnata ſinè rivali &c. Inter innumera Regnorum, quæ hæreditaria ſunt, & vocantur, commoda præcipuum eſſe puto, quòd incertum Populo ſucceſſorem non relinquant, cùm incertæ & ambulatoriæ ſint Procerum voluntates; ob eam cauſam *Interregnorum* periculoſiſſima & peſſima ſæpe conditio eſt, quod politicorum Magiſtri omnibus paginis inculcant.

Rex moriēs ſucceſſorem dubium non relinquat.

Wrſſovecij Dynaſtæ &c. Hæc gens inclyta hodiéque apud nos perennat, etiam in Miſniam longè deductis colonijs, ſed in *Poloniæ* Regno innumero numero propagata, ùt ex *Okolskio* Stemmatographo Regni illius datur intelligi. Porrò *Wrſſovecij* amore militaris vitæ multis ſæculis apud nos inter Equites ſunt cenſi, ſed recepit veterem Comitis dignitatem ætate noſtrâ *Jaroslaus Sekerca de Sedczicz* amantiſſimus nominis mei, *Legionis Pedeſtris Spankavianæ ſupremus Vigiliarum Magiſter.* Sed de his in Stemmatographia Bohemiæ pluribus.

De Wrſſovecijs.

Ratiborij Wrſſovecij &c. Cædes Principum indignas, & ex inſidijs perpetratas referre, non eſt hujus loci, cùm hiſtoriam continuam non ſcribamus: *Hagecius* & *Dubravius* conſulantur. *Ratiborius* ex hac gente ortus *Moraviam* nutantem & penè jam ad Polonos inclinantem, *Bohemiæ* aſſeruit, & conjunxit armis; quo merito novum Nobilitatis clypeum & arma & nomen *Sekerkarum* (quòd in prælijs acutiſſimâ ſecuri cum longiſſimo manubrio uteretur) & amneſtiam & oblivionem æternam omnium factorum, quæ majores ſui adverſus Principes egiſſent, obtinuit, recitátque diploma illud *Hagecius.*

Wrſſovecij bene meriti de Bohemia.

Altè in animis Nobilium inſident &c. Certiſſimum eſt Nobilibus animis altiùs infigi injurias, & odia ex injurijs nata, quàm cæteris, & vulgo mortalium. Ipſa ad gloriam novam parandam, vel ad veterem tuendam perpetua attentio (in qua naſcuntur & educantur) extenuat ſangvinem & quodammodo ſulphuratum reddit, ut vel ad ſcintillam ſuſpicionis & læſæ famæ flammam concipiant & exardeſcant; in hanc, ùt ità dicam irritabilitatem Nobilium, qui *Struthionum* plumis plerumque exornant capita, nos olim Epigrammate luſimus ad *Struthionem.*

Nobiles animi vindictæ cupidiores.

O qui Nobilibus pretioſas Struthio pennas
Concedis, ſtomachum tu quoque mitte tuum!

Nam *Struthionem* ſi vera eſt fabula, ajunt tam calenti eſſe ſtomacho, ut etiam ferrum concoquat, & diſſolvat; igitur qui pennas *Struthionis* habent, habere oportet etiam ſtomachum, quô injurias concoquant. Quòd ſi hæc in ſubitis caſibus accidere videmus quanto magis in odijs diuturnis, quæ nobis hæreditate Majorum ſunt relicta, & tanto tempore corroborata? profectò niſi odia DEO aut Reipublicæ donentur, quæ, obſecro, major eſſe poteſt in hominum vita acerbitas? ſæpe legi Nobilibus ſigna Majorum innaſci ut *Seleucidarum* pueris anchoras, & lanceas genti cuidam *Spartanorum; Conzanorum* Regibus, Aquilas; alijs alia; ſic injuriæ Majoribus noſtris illatæ, amiſſæ Ditiones, in exilium deportationes poſteris vindicandæ, & repetendæ animis poſterorum ſæpe immortaliter inuruntur.

Juſtin. l. 15. Tiraquell. de Nobilit. c. 36 Pet. Vict or. l. 16. c. 8. & l. 44. c. 9.

Cum Moravis bellum geſſiſſe &c. Hæc ad *Crzezomysli* temqora pertinere dicemus ſuo loco.

Impotentiſſimæ dominationis Mulierem &c. Exempla pauciſſima, & ſæculis rarè ſunt alicujus Imperij à mulieribus bene adminiſtrati. Conſilium mulierum eſt ἄκυρον, ait *Ariſtoteles* primo Politicorum c. 13. id eſt *invalidum*, non ſatis ad res regendas, idoneum. Mulierem optimi Scriptores nobis depingunt ſemper affectibus verminantem, adeò ut *Philo* Judæorum doctiſſimus *Mulierem* cum *appetitu* in homine comparârit. Quis igitur tam impotenti affectu laborantem, quæ ſibi imperare

Malè committitur mulieri Reſpub.

Philo l. 1. Allegor.

rare non possit, alijs bene imperaturam speret? *aut amat, aut odit mulier, nihil est tertium*, ait *Syrus* in Mimis (sanctas prudentes, in Tropicis Aularum versatas, Dominas affectuum suorum, ùt phœnices, semper excipio) memorabile fuit Imperium muliebre priore sæculo paucissimis animadversum: quippè A. 1568. in *Anglia* regnabat *Elisabetha*, in Francia *Catharina*, in Scotia *Maria*, in Belgio *Margarita*, in Cantabria *Jana Navarra*, in Turingia *Christina*, & si quæ aliæ.

Prudentia politica.

Partem cedere, ut in toto nihil haberet &c. Notum est fortasse Lectori meo *Organum* illud *Aulicum*, cujus fistulas musicas in *Arnesti Vita* descripsi: poterit inter eas constitui *Tractus Organicus*, qui appellabitur *Pars pro toto*. Sapienti pauca! ità infantibus, quos Nutrices gerunt in pallijs, si fortè cultrum temere apprehenderint, & (ùt est natura) eripi sibi non patiantur, pomum formosum objiciunt, ut cultrum dimittant.

CAPUT VII.

Wogen VII. Bohemiæ Princeps.

Dissimulatio magna pars Regalis prudentiæ.



Wogen Mnatæ filius defuncto Patre triginta natus annos imperare cœpit. Non erant tanta *Mnatæ* in subditos merita, ut securitatem Principatûs filio facerent, ideóque à Competitore & Rivali *Rohovicio Wrssovicensi* in Conventu Populi penè eversus est; vicit tamen ortus Principalis, & sangvis, Patris liberalitas, & magnifica *Wogenij* ipsius promissa, denique *Avorum* recordatio, quod maximum apud subjectos habere solet momentum: At *Wogenus* satis in præsentia habuit *Rohovicium* Imperio imminentem repulisse, donec opportuniùs haberet sub ictu: nam dissimulato tantisper (quod maturari tempore debebat) odio, & consilio; *Rohovicium* timendum adhuc, & multa ausurum cepit, & incautum brevi sententiâ egit in furcam. Bellum *Wogeno* cum Romanis, vel alijs *Slavici* nominis hostibus ad *Danubij* ripam (si *Weleslavino* credimus) fuit. Altero bello *Saxones* (quibus angusta erat nova Patria) *Albim* transgressos fudit repulítque; neque mirum id cuiquam esse potest: fortunatiores & fortiores plerumque fuisse comperio, qui pro Patria pugnant intus, quàm foris; an quòd in suo, & pro suo pugnant? an quòd aspectu dulcis Patriæ, & conjugum ac liberôm commonentur & commoventur? an ob desperationem, nè semel cæsi in perpetuum vincantur, & sub jugum mittantur? an locus ipse familiaris

In Patria pro Patria fortiùs pugnatur.

Stransky c. 8

vWelesl. in Geneal.

miliaris toties peragratus, & calcatus audaces facit? plures aliæ causæ possent adferri; majora tamen sunt commoda, cùm extra Patriam bella geruntur; victum se esse & vinci agnoscit, qui in Patria bellum gerit, jam enim hostem admisit. *Ducis Wogeni* egregium opus celebratur, *antiquæ Urbis Pragensis fundatio*; nullâ enim re glorioſiùs bonorum *Principum* commendatur memoria, quàm operibus publicis, & utilitati publicæ serviturís; ità *Princeps* bono publico natum se demonstrat; ut qui bono publico invigilat, ex quo nullum odium, sed amorem colligit, & si quod odium apud subditos scintillat, extingvit. Vitâ excessit *Wogenus* senectâ ætate, in Majorum sepulchris sub *Wissehrado* tumulatus, in *Hrobka*, ùt hodiéque appellant. *Weleslavinus* Annum mortis non apposuit, *Stransky* Annum C. 763. nominavit, quem refellemus, ponimus enim Annum circiter 689.

NOTÆ in Caput septimum.

Mnatæ merita &c. Principes non sibi tantum, quantum posteris bene aut malè imperando prosunt, aut nocent. Fama Populorum est ingentis campanæ tinnitus, qui in longum tempus propagatur, nec sonus cessabit nisi campanam demulseris. Princeps qui posteritati suæ consulere cupit, suæ domûs fortunam in capite, & in manu se gestare intelligat; seu in consilijs, & in eorum executione. Cur stirpem suam odiosam esse Populo velit, cùm reddere eam possit amabilem? nemo subjectos Populos cæcos esse, & nihil videre eorum, quæ geruntur à Rege, & ejus consilio nihil audire, nihil intelligere putet: multas manus habet Populus, multos oculos, & quidquid malus, aut bonus Princeps designet, sagaciter odoratur. Ut ad propositum redeamus: sæpe Pater optimo filio nocuit; contra plerumque Patris merita filio profuerunt.

Princeps famæ bonæ studens eò-sulit suæ posteritati.

Consilia & odia maturantur &c. Summa sapientia est temporibus aptare consilia, memini legisse me in fano *Apollinis Delphici* singulis januis singulas inscriptas fuisse sententias, imò veriùs Oracula Sapientiæ plena, ùt exempli gratiâ. *Si* (de quo *Plutarchus* tractationem scripsit) *NOSCE TE IPSVM, & præstantissimum inær cætera: NOSCE TEMPVS. Salomon* cùm ad discendam sapientiam primis *Libri Sapientiæ* capitibus, blandissimis verbis sibi discipulos advocâsset, primam & quasi fundamentalem lectionem dictavit de tempore: *Tempus loquendi, tempus tacendi, tempus flendi, tempus ridendi &c.* quasi in observatione temporis omnis humanæ prudentæ cardo verteretur.

Tempus nosse summa sapientia est.

Nova Patria Saxonibus angusta &c. Saxones adventitium esse Populum, & *Slavos* primitus eas incoluisse terras, multis *Miscellaneorum* locis ex sensu meliorum Scriptorum pridem ostendi. Idem initio *Annalium* suorum pervetustus Scriptor *Vitikindus* ad *Reginam Mathildem* scribens affirmat. *Saxones* veteres, *Incolas Slavos* discordijs inter ipsorum Duces excitatis, aliísque, tum armis *Henrici Aucupis*, *Ottonis I.* ac cæterorum ex sua gente Principum oppresserunt. Vide quæ Lib. 11. *Miscellaneorum* ex *Dresserο* potissimùm attulimus.

Discordia Patriorum hominum hostibus prodit Patriam.

Bellum ad Danubij ripam &c. Nullibi frequentiùs quàm ad flumina & ripas fluminum pugnatur ùt innumeris constat exemplis; dum aut navibus transporta-

Flumina noscenda Duci exercitus.

tur

tur, aut vadum tentat, ac transit exercitus, laxantur ordines, & quod insolentissimus hostis pugnando vix efficeret, dividuntur, & opportuniores fiunt injuriæ. Quam ob causam *Polemici Scriptores* præcipiunt, ut militiæ Duces præcipuè Velitum Ductores, ejus Regionis in qua bellum geritur, silvas, valles & montes, angustias, impedita & paludosa loca, sed maximè flumina, vada, & ripas, perspectissimas sibi ac suis familiarissimas habere conentur. Porrò *Danubius* diu limes Imperij Romanis fuit, ùt ex *Marcomannorum, Quadorum*, & Populorum Septentrionalium bellis, quæ cum Romanis gessêre, apparet: ibi illi in ulteriore ripa Castella excitârant plurima, stativa atque etiam castra sæpe habebant quorum nomina in *Notitia Imperij* recitantur; at contrà nostri *Germani Slavique* citeriorem ripam servabant, ut ad nos illis, vel nobis ad illos, transgredi hostilitas esset. Ac mirabile illud, quod omnium penè Provinciarum, Regnorum & Imperiorum limites, vel angustijs montium & *Thermopylis* vel *Isthmo* aliquo & sinu maris, aut promontorijs, aut fluminibus, aut cæcis paludibus, aut profundissimis silvis, aut invijs & ignotis solitudinibus coërceantur, quasi natura ipsa potentiæ vicinorum & cupiditati ad aliena rapienda semper hianti, fines & frænos injiceret. Nimirùm cùm primùm Regna fundabantur, locorum opportunitas spectabatur, & quæ inaccessa, aut difficilia superatu fuerunt, pro limitibus & finibus Regnorum haberi cœperunt.

Regiones natura ipsa ferè concludit montibus fluminibus.

Pro Patria in Patria fortiùs pugnatur &c. Id patet omnium ferarum, & vel minimarum avicularum exemplo, pro cubilibus & nidulis suis pugnantium; adversarias quantumlibet rapacissimas, & violentissimas arcent, & à pullis, & prolibus teneris fortiter ac feliciter injurias propulsant.

Fera cubilia acriter defendunt.

CAPUT VIII.

Wnyslaus Bohemiæ Princeps Octavus.



Wnyslaum recêtes Scriptores omiserunt, & cur

DE *Wnyslao*, quid egerit memoratu, & Principatu dignum nusquam inveni; *Hagek*, & qui eum describunt, & sinè omni rerum, ac temporum delectu, sinè omni Chronologiæ examine cæco quodam impetu sequuntur, ipsum *Wnyslai* nomen ignorant; alij verò; sed pauciores *Wnyslaum* cum *Crzezomyslo* filio confuderunt, adeóque *Wnyslaus* illaudatus, & sinè præconio, quasi privatus in historia remansit. Non satis est Principibus viris in purpura vixisse: quippe nisi Illustribus factis immortalitatem mereantur, vel ipsum nomen amittunt, vel in marginibus historiarum, velut *Glossæ* (ùt cum *Antonio* sapientissimo Imperatore loquar) leguntur. Dubitare nihilominus de ejus Principatu non licet, cùm eum *Wogeni* filium *Crzezomysli* Patrem in vetutissimis Indicibus

Marc. Anton. Imp. de vita sua.

bus *Bohemiæ Principem* annotatum videamus, idem disertè affirmat *Pulkava, Weleslavinus, Stranskj*, cæteríque diligentissimi rerum Bohemicarum Scriptores. Cur verò *Hagecius Wnyslaum* libenter omiserit (cujus nomen in *Pulkava* legebat) conjecturam adferemus in *Notis*; majus de Chronologia, & *Wnyslai* ætate inter Scriptores certamen est; de gestis tacent omnes. Vitâ excessit *Wnyslaus* A. C. 785. juxta *Stranskium*, cùm duos & viginti regnâsset Annos. Nobis circa A. C. 711.

NOTÆ in Caput octavum.

Hagek, & qui eum describunt &c. Sunt nonnulli in Patria ij præcipuè, qui alium de Bohemia scribentem præter *Hagecium* legerunt neminem: qui ferunt ægerrimè, si *Hagecius* vel uno apice lapsus esse dicatur; statim clamorem tollunt, & penè ad furorem vociferantur: *Túne Hagecio, quo omnis Patriæ historia nititur, dicam impinges? túne eum errâsse audebis dicere? talia Crugerio, Pessimæ*, ac mihi ipsi objecta sæpius memini, quòd uno alteróve in loco in re manifesta *Hagecium* hallucinatum fuisse scripseramus. Imò adeò amico referente didici, cùm alius nescio quid in meis libris laudaret, Virum alioqui in scientijs, sed in historia parum versatum dixisse: *Nunquam se in animum posse inducere, ut libros meos legeret, neque se illos magnopere desiderare; nihili*, inquit, *Authorem illum facio, qui Hagecium audeat refellere* (erat sermo de S. *Wenceslai* apparitione, *Erico* Regi Daniæ facta) atqui ego non refellebam *Hagecium*, neque rem ipsam in dubium revocabam, sed omisso *Hagecij* nomine, negabam eâ nocte, quâ cæsus est S. *Martyr Wenceslaus*, *Ericum* in Dania regnâsse, sed eam apparitionem *Erico VII.* Regi factam, qui S. *Wenceslao* apparenti Ecclesiam sub ejus nomine cum Cœnobio *Revaliæ*, ùt habent *Annales Danorum*, construxit; tempus igitur ab *Hagecio* annotatum, non ipsam historiam reprehendi. Equidem fateor, Vir magnus & historiæ nostræ *Livius* dici potest *Hagecius*, si multitudo rerum, quas attulit, spectetur; at eundem minimam Chronologiæ rationem habuisse omnes Eruditi consentiunt: in Ducibus nostris eorúmq; ætatibus ordinandis quantum DEUS bone dormitavit! quantum in Præsulibus & Archiepiscopis nostris! quantum in monetæ ratione! quantum in signandis præliorum temporibus! ut ad propositum redeam: *Wnyslaum* ex numero Principum expunxit *Hagecius* non sinè causa: cùm enim nimiâ Principum Bohemiæ multitudine & numero premeretur, & *Czechum* in Bohemiam A. C. 644. venisse, & A. C. 894. *Borzivojum* CHRISTO dedisse nomen & S. *Wenceslaum* à fratre cæsum A. C. 929. posuisset (quæ omnia tria Chronologiæ adversantur) intra ducentos octoginta quinque Annos 15. Duces cum aliquot interregnis à *Czecho* usque ad S. Wenceslai cædem (tantum enim temporis ab A. 644. usque ad A. 929. effluxit) includere coactus est, adeóque ut minorem Principum numerum haberet, *Wnyslaum* obscurum aliàs omisit, cæteris verò Principibus Bohemiæ Annos Imperij, ubi ubi poterat, decurtavit.. Atque hæc est vera ratio Chronologiæ Hagecianæ perturbatæ: at majorem admirationem meretur, quòd ante se habuerit *Pulkavam* Scriptorem egregium, qui ducentis & ampliùs annis ante *Hagecium* historiam scripsit, & optimè Regum nostrorum Chronologiam ordinavit, quem se legisse ultrò fatetur *Hagecius*; quid ergò causæ subesse potest, quòd eum non sequatur, malítque novam viam inire, quàm veterem tritam, ac certam sectari! nihil aliud inveneris, quàm quod dixi, multitudini Principum succumbere debuisse. Hanc in ratione temporum & sup-

Hagek non in omnibus cæcè sequêdus.

Epitome l. 1. c. 9.

Hagecius in chronologia indulgens.

Cranzius in Dania.

Pulkava nobilis Historicus Regni sub Carolo IV.

putatione annorum Hagecij negligentiam, & Chronologicas hallucinationes multis in *Epitome* mea locis ſole meridiano clariùs oſtendi; ſciendum autem neminem *Hageco* antiquiorem omiſiſſe *Wnyslaum*; qualis eſt *Coſmas*, *Jaroslaus* Præmonſtratenſis, *Franciſcus Canonicus &c.* ùt & *Pulkava* prope duobus ſeculis *Hageco* antiquior Regiâ authoritate à *Joanne Rege*, & *Carolo IV.* conſtitutus Hiſtoricus, qui Hiſtoriam ſuam An. 1330. finivit: Hagecius verò obijt An. 1553. *Coſmæ* hæc ſunt verba: *Wogen ſuſcepit rerum gubernacula, hujus poſt fatum Wnyslaus rexit Ducatum.* *Jaroslaus* ex Canonico Pragenſi Strahovienſis Religioſus, qui Coſmam continuavit, *Wnyslaus VI. Bohemiæ Dux poſt Przemyslum.* *Franciſcus* Canonicus Pragenſis, qui vixit, & ſcripſit ſub *Wenceslao, quem vocat trigeſimum, & ultimum Bohemiæ Regem* circa A. 1305. *Notandum*, inquit, *quòd iſti fuerunt Duces Bohemiæ primitus: quartus Dux Wogen, Quintus Dux Wnyslaus &c.* His antiquior Dalimil *Mezerziczky* in ſua hiſtoria Bohemiæ quam carmine ſcripſit *Wnyslaum* inter Principes numerat. *Æneas Silvius* in hiſtoria Bohemiæ capiti nono hunc titulum præfixit: *De Wnyslao VII. Bohemorum Duce*; & poſtea in contextu: *Mnatam Principem ſubſecutus eſt Vortius* (ſeu Vogenus) *cui duo fuerunt filij, Wnyslaus & Wratislaus; inter quos partitus eſt terram: Wnyslao Praga & Ducatus Bohemiæ ceſſit. Ex Wnyslao natus Crzezomyslus &c.* Eadem habet *Cutenus* in Notis ad Silvium. Jam qui *Hagecium* tempore & ætate ſecuti ſunt omnes *Wnyslaum* nominant, ùt *Dubravius* (quanquam hîc eodem anno, quo *Hagecius* eſt mortuus) *Weleslavinus*, *Crato*, *Stransky*, & cæteri omnes, adeò ut Hagecius excuſari non poſſit.

Iarosl. in ſupp. Coſmæ. Coſm. lib. 1. hiſt. Boh. Franc. in hiſt. Boh.

Dubr. lib. 2. hiſt. Boh. Weleslav. in Genealog. Crato in Indice Princ. Boh. Stransky in Rep.

Weleslavini error chronologicus.

De Chronologia Wnyslai magnum certamen &c. Wnyslaum A. C. 656. imperare cœpiſſe tradit *Weleslavinus*; quæ Chronologia nullâ ratione poteſt defendi: cogitur enim *Weleslavinus* admittere *Vogenum Wnyslai* Patrem, & *Mnatam* Avum, hos ſolos duos, centum viginti & octo Annis *Bohemiæ* gubernacula tenuiſſe, cùm enim *Mnatæ* dominatûs initium A. 528. poſuerit, & 656. affirmet *Wnyslaum* Imperium auſpicatum eſſe; ab A. 528. uſque ad 656. Anni fluxerunt 128. quibus *Mnata* & *Vogen* regnârunt; quæ tanta diuturnitas Imperij duorum Principum non ſatis credibilis eſt, neque ab ullo ex Scriptoribus annotata. *Paulus Stransky* diligens Hiſtoricus tradit, *Vogenum* A. C. 763. vitâ exceſſiſſe *Wnyslao* filio Proceribus commendato, *Wnyslaum* ætatis 24. eodem Anno Patri in Imperio ſucceſſiſſe, & 22. Annis in Principatu exactis A. C. 785. vivendi feciſſe finem; quæ an ſubſiſtant in *Chronologia* Principum noſtrorum, quàm in *Borzivojo* ſtatuemus, Lectores intelligent.

Caput IX.

Crzezomysl IX. Bohemiæ Princeps.



Crzezomysl an cum Carolo M. bellum geſſerit.

Crzezomysl, vel *Crzevomysl Wnyslai* filius juxta *Weleslavinum* A. C. 711. juxta *Stransky* Anno 785. ætatis ſupra viceſimum quintum relictum ſibi à Patre aſſumſit Imperium. Tradunt brevem fuiſſe corpore, ſed ſagacem ingenio, atque inſuper bellicoſum, & felicem Principem. Cum *Carolo Magno* bellâſſe A. 789. conſilijs & armis

armis cum *Wratislao* Patruo ſuo Lucenſi Principe ſociatis, narrat *Stransky*, & Carolum invictum cæterà Imperatorem Bohemiæ ingreſſu arcuiſſe. Id ſi admittatur neceſſum eſt dicere bello inchoato, novam pacem eodem Anno, vel proximè ſequenti cum *Carolo* factam, cùm conſtet ex Germanicis & Francicis Scriptoribus propè coævis A.C. 791. Principem Bohemiæ *Caroli* Ducibus adverſus *Hunnos* pugnantibus dediſſe per *Bohemiam* tranſitum, de comeatu exercitui *Carolino* providiſſe, auxilia præbuiſſe, ac poſtea bello fractis *Hunnis* redeuntem *Saxonicum* & *Friſonicum Caroli* exercitum per *Bohemannos* (ùt diſertè ſcribunt *Adelmus* & *Aimoinus*) velut per amicos & ſocios pacatiſſimè dimiſiſſe. Cum *Moravis* deinde ac Rege eorum *Samoslao* (ex *Samonis* Familia, qui circa A.C. 661. obierat, nato) variâ fortunâ per Duces ſuos dimicavit *Crzezomyslus*; victi ad extremum Moravi fuſtes octingentos, quos Bohemis tellure ſuâ pellendis per contemptum attulerant, ſuis tergis imprimi ſerviliter doluerunt; locus hodiéque Kyge (id eſt *baculi*) appellatur. Ego pleraque iſtorum ſub *Neklano* filio contigiſſe reor. At domi *Crzezomyslus* (ùt militaria ingenia ſolent) mitiſſimus, in Cives beneficus admodum, & benignus fuit; cinctam mœnibus *Majorem Vrbem Pragenſem* Prærogativis plurimis exornavit, & Civium in Principem amore, quàm vallis, & muris omnibus valentiore permunivit. Quo anno vitâ exceſſerit (nondum ad liquidum adductâ Chronologiâ eorum temporum) incertum eſt. *Stransky* conceſſiſſe fatis, ætatis Anno quarto & quadrageſimo, Imperij decimo nono, affirmat.

Stransky c. 7. Reip. Boh.

Vide Notas.

Adelmus in Annal. ad An. 791. Aimoinus de geſtis Franc. l. 4. Regino ad A. 791.

Bellicoſus, foris domi mitiſſimus Crzezomyslus.

Notæ in Caput nonum.

Crzevomysl, vel Crzezomysl &c. Ab hoc *Crzezomyslio*, vel ejus conſangvinitate credibile eſt prodiiſſe *Creſſium Hoſtiviti Principis* adverſus *Sukoslaum Bilinenſem* Ducem, ùt Hagecius ad A. 880. commemorat, qui rebus ex ſententia Hoſtiviti geſtis ad *Egram* fluvium circa A. 883. caſtrum quoddam conſtruxerit, quod poſtea *Kreſſtein* dixêre; perſeverat etiamnum hæc Illuſtris & Generoſa ſtirps, & inter Patricias *Norimbergæ* numeratur; qua de re me pridem admonuit *Chriſtophorus Arnoldus Profeſſor publicus*, magnus meus & ſtudiorum meorum Amicus, Vir omnigenâ eruditione, & orientalium lingvarum peritiâ clarus, qui *Jacobo Chriſtophoro Kreſſio à Kreſſenſtein* Illuſtris illius Reipublicæ Septemviro A. 1663. mortuo, Elogium funebre perelegans, doctum, & prudens concinnavit. Sed de *Creſſijs*, eorúmque in Bohemia noſtra ſacris memorijs erit aptior ſcribendi locus.

Crzezomysli ſangvis hodiéque in Creſſijs Noribergæ perſeverat.

Brevem corpore, ſed ſagacem, & bellicoſum &c. Nihil hîc novi dicimus: plerumque enim breves & corneos homines animoſiores, vivaciores, magiſque irritabiles, & experrectos invenias, & qui minimè omnium contemni ſe ferant: faciliùs enim ſemel concitati incaleſcunt, utpotè *in quibus unita virtus ſit fortior*, ùt Ariſtoteles L. 3. de partibus Animal. c. 4. pronunciavit; vide *Parvorum* laudes apud *Raynaudum*, qui maximos bello Duces, eoſdem breves corpore enumeravit.

Breves ſaturâ ſæpe animoſi.

Raynaud. T. XIII. in laude Brevitatis

An Carolus M. in Bohemos pugnaverit.

Carolum Magnum Bohemiâ arcuiſſe &c. Id prorſus improbabile puto, quod narrat *Stransky*, cùm ea de re altiſſimum ſit in Scriptoribus eorum temporum, qui omnia *Caroli* bella, & quodammodo ejus paſſus numerant, ſilentium; deinde *Carolus* in hoc bello non per ſolam *Bohemiam*, ſed & *Ratisbonâ* ſolvens dextrâ *Danubij* ripâ per Noricum adverſus *Vngaros* duxit exercitum, ùt ex *Reginone* diſcimus. Duobus enim exercitibus adverſus Hunnos pugnavit *Carolus:* primum ex *Francis & Bavaris* conſtantem penes Danubium ipſe *Carolus* duxit, alterum verò ex *Saxonibus Friſijs, & Thuringis* per Bohemiam duci juſſit *Theodorico* Comite & *Meginfrido* Ducibus. Hoc bellum *Caroli*, velut extra noſtram ſphæram, omittimus, plurimi Authores præter *Reginonem*, ùt *Aimoinus*, & *Eginhardus*, & *Ado Viennenſis*, aliíque, quos *Peſſina* in ſuum *Martem Moraviæ* tranſtulit, deſcripſerunt.

Regino lib. 2. Chronic.

Aimoin. l. 4. de geſtis Francorum. Eginhard. in vita Caroli Magni. Ado in Annal. Peſſina in Marte Morav. l. 2. c. 4. Worb. volu. 8. ad A. 638 & ſeq. Peſſina Marte Morav. l. 2 c. 4.

Rege Samoslao ex Samonis familia &c. *Samo Slavorum*, qui in ſuperiore *Pannonia, Norico,* & *Moravia* habitabant, Rex conſilio magnus, armis inclytus, de quo videatur *Worburgius*; ejus familia apud Moravos diu regnavit, ùt oſtendit *Peſſina.*

Victi ad extremum Moravi &c. *Hagek* in Annalibus conſulatur ad A. 793. & 794. belli hujus atrociſſimi cauſas, progreſſus & exitum *Bohemis* lætum latè commemorans; in eo uno corrigendus, quòd *Mnatam*, Avum ſcilicet pro Nepote, nominârit, cujus auſpicijs *Moravi Bohemiâ* cum ignominia ſunt ejecti.

Bellum cum Moravis. Milites in pace mitiſſimi. *Plut. in Demetrio.*

Militaria ingenia &c. Id mille exemplis ab antiquitate (ſi hoc ageretur) planum facere poſſem: novi egomet clariſſimos belli Duces, veróſque *Martis pullos* inter ſuos domi tam mites, & amicis commodos, ut nulla malacia æquè placida, quàm eorum animus videretur. Eadem cauſa eſt, quod militares animi ad amorem ſint proniores, ùt Ethici Scriptores notârunt, ac ſanè prudenter *Homerus Marti* armorum Deo *Venerem* conjunxit; talem nobis *Plutarchus* depingit magnum illum *Regem Demetrium* ab expugnandis Urbibus appellatum *Poliorcetem*, in bello & acie maximè ſtrenuum, & nullam dimicationem capitis recuſantem, & tolerantiſſimum miſeriarum bellicarum, at contrà in Hibernis convivantem, amantem, & delicijs omnibus diffluentem.

Majorem Vrbem Pragenſem &c. Hæc major hodiéque comparatione minoris Urbis à *Libuſſa* conditæ, & *Antiqua* ob *Novam Vrbem*, quam *Carolus IV.* diù pòſt extruxit, indigitatur. Prærogativas *Veteris Pragæ* in ejus Urbis Hiſtoria adferemus.

Caput X.

Neklan Decimus Bohemiæ Princeps.

Stransky c. 8.



Deus ignavorum Principum tempore fortiſſimos Duces excitat.

Crzezomysl moriens duodecennem filium *Neklanum* nomine ſucceſſorem reliquit; is toto Principatûs tempore (ùt erat timidè & molliter inter fæminas educatus) timidè gubernavit, audaciſſimi & bellicoſi Patris propè degener filius. Sed dono cæleſtis providentiæ factum, ut *Neklani* tempore egregij bello Duces exiſterent, qui Principis authoritatem conſilijs, & armis,

armis, ubi maximè opus erat, apud Cives & Milites ſuſtinerent. Bohemiam pro puero Principe (ità Pater moriens ſtatuerat) *Wratislaus Lucenſis* Princeps patruus regebat, quo extincto *Neklan* ſuis auſpicijs adminiſtravit Rempublicam. Ad hoc unum profuit timor, ut cautiſſimè militiæ Duces legeret, *Proſtislaum* de *Chlum*, & *Czaslaum* nobiliſſimæ *Woracziczkiorum* ſtirpis (à quo *Czaslaviæ* nomen) pluréſque alios, qui *Moravis* cum quibus gerebatur bellum fugatis, ipſam etiam *Iglaviam Vrbem* in limine Moraviæ ſitam, captam incendêre. *Wlaſtislao* Principi Lucenſi (aut *Wratislao* potiùs) res novas molienti *Sstirum* de *Chegnova* periculis militaribus aſſvetum oppoſuit, iſque *Wlaſtislao* priùs in acie manu ſuâ interfecto, gloriosè in victoria occubuit. Adverſus *Saxones*, & deinde adverſus *Carolum*, *Caroli Magni* filium pro *Avaribus* & *Hunnis* pugnantem, *Neklan* extra Patriam infeliciter bellum geſſit; nam *Lecho Duce* An. 805. in prælio cæſo, *Mildruhum* ſuffecit, qui pariter in bello cecidit, quod bellum omnium diligentiſſimè *Vorburgius* deſcribit, licèt *Lechonem Poloni* Ducem ſuum, qui ſcilicet auxilio *Slavis*, & *Moravis* advenerit, *Peſſina* verò eundem *Moraviæ Regem* fuiſſe exiſtimârint. Hæc omnia bella *Stransky* & *Weleslavinus Neklano* adſcribunt (qui 35. Annis geſto Imperio Anno ætatis ſexto & quadrageſimo Chriſti 839. deceſſerit) mihi inveriſimile videtur illud de Annis Chriſti; reliqua tolerari poſſunt, ſed probabile videtur aliquam bellorum iſtorum partem ad *Crzezomyslum Patrem*, aliqua etiam ad filium *Hoſtivitum* pertinere, qui imperare cœpit A. C. 802.

Dubrav. l. 2. hiſt. Boh.

Vorburg. Volum. 10. Hiſtor.

Notæ in Caput decimum.

Magna cura educandi Principes.

Molliter inter fœminas educatus &c. Plurimùm in Principes educatio poteſt, eſt enim potentior quàm *Nutricum* ubera, quas cum maximo delectu admoveri Regijs infantibus *Medici*, & morum *Magiſtri Ethici* præcipiunt; diſcunt pueri Regum inter fœminas, ad gratiam loqui, timere ubi timore opus non eſt, omnia ad teneritudinem quandàm referre, nihil aggredi periculoſum, licèt cum gloria conjunctum; & quamvis ætas virilis ſangvinem Majorum in venis exſuſcitet, tamen ùt funiculus ſericeus tortus, & adſtrictus, facillimè ſeſe retorquet & evolvit, ità Principum animi primâ illâ educatione fracti & intorti, ſuâ ſponte ad mollitiem revertuntur. *Neklan* Princeps cùm nihil egregium & victurum præſtiterit merito *Nihil fecit*, perinde ùt *Ludovicus Carolomanni* filius apud nos habebitur.

Aimoin. l. 5. c. 41.

Princeps familiaris ſit bonis militibus.

Egregij bello Duces exſtiterunt &c. Illaudabile eſt Principem ſuos militiæ Duces non nôſſe, non allocutum eſſe. *Syneſius* lib. de Regno ad *Arcadium Imperatorem* multis probat, neceſſarium eſſe Duci, milites nôſſe, adeò ut etiam Vexilliferos majores nominare poſſit. Inter alia ſic loquitur: *Nemo eſt, qui non coram Rege pericula velit ſuſcipere,* tum inducit ex *Homero Agamemnonem Gregarios* milites nominatim vocantem, æquales *fratres*, ſenes *Patres* appellantem.

Varietas in Principum familijs.

Bellicosi Patris degener filius &c. Mirabile illud est, quod Scriptores omnes obsérvârunt ex fortissimis ignavissimos nasci, ex Sapientissimis plerumque sapientiæ egentes, unde illud *Heroum filij noxæ.* Imò adeò *Bodinus* diligens Author obsérvat: usu venire, ut crudelem Principem sequatur justissimus, & mitissimus: Sic *Neronem Galba, Domitianum Nerva, Heliogabalum Alexander, Pertinax Commodum, Gordianus Maximinum &c.*

Bodinus in methodo historiarum l. 1 c. 6.

Wratislaus Lucensis Princeps patruus &c. Difficilis & multum intricata *Wratislai* hujus, & *Lucensium* seu *Zatecensium* Principum Chronologia est: *Pulkava* pervetus Sriptor *Vogeno* filios duos attribuit, alterum *Wnyslaum* cui Pater Pragensem Provinciam tradiderit, alterum *Wlastislaum* (non *Wratislaum*) cui *Lucensis Provincia* relicta sit à Patre: ex hoc *Wlastislao* genitum *Wratislaum*, qui cum *Neklano* acre & internecinum bellum gesserit; postea capite sequenti bellum Lucensium cum Pragensibus describens, non *Wratislaum* sed *Wlastislaum* appellat, cujus filium *Zbislaum, Thuringus* ejus *Pædagogus* occiderit. *Weleslavinus* duos *Vogeni filios Wnyslaum* Pragensem & *Wratislaum* Lucensem agnoscit; ex *Wratislao Wlastislaum* prodijsse affirmat, qui à Styro *Chegnovienst* in prælio occisus, parvum filium *Zbislaum* nomine reliquerit à *Thuringo* natione Srbio interemtum in glacie. *Stransky Nobilis Bohemiæ Scriptor Wratislaum Lucensem* Principem A. 804. tutelam *Neklani Pragensis* Principis Nepotis sui ex fratre suscepisse, deinde cùm fatis concessisset, *Wratislai* hujus filium *Wlastislaum* (quid non ambitio designat?) Pragensis Principatûs cupiditate *Neklano* Duci bellum indixisse scribit, obijsse verò *Neklanum* A. 839. *Hagecius* quid senserit minimè curandum videtur: is enim res actas diligenter persequi contentus Chronologiam neglexit, & mirabiliter confudit, quod Sole clariùs in *Epitome* nostra rerum Bohemicarum demonstravimus. Jam quid tenendum sit breviter dicemus; imprimis *Pulkavæ* sententiam Germani Scriptores coævi, paulò pòst citandi refellunt, qui *Wratislaum Lucensem Principem* (corruptè illi *Witztrachum*, utì *Radislaum Moraviæ Regem, Rastizem* appellant, ùt ostendit *Pessina*) nominant, pro quo *Ludovicus II.* A. C. 856. contra *Slavatam* ejus fratrem bellum gesserit; admittendus igitur in *Lucensium Principum* numerum *Wratislaus*, quem *Pulkava* prætermisit. Contra *Weleslavinum* facit, quòd cùm *Wnyslaus Wratislai Lucensis Principis* frater, juxta ipsius Chronologiam A. 656. Bohemiæ imperare cœperit, & *Wratislaus* eodem Anno *Lucensem Regionem* à Patre traditam cum Principis titulo acceperit, fieri omninò non possit, ùt *Wratislaus* vivendo, & fratrem *Wnyslaum*, deinde *Crzezomyslum* superârit, ac tandem *Neklani* tempora attigerit, Annis enim centum & pluribus regnâsse eum dicere cogeremur; quôd sic ostendo: A. 656. cœpit *Lucensibus* imperare, fuerit Annorum saltèm 18. (cùm ejus frater senior *Wnyslaus* 24. ageret Annum, ùt habet idem *Weleslavinus*) *Wnyslaus* verò Annis 55. juxta eundem regnârit, auspicatus enim est Imperium, ùt ipse dixit Anno 656. ejus autem filius *Crezomyslus* A. C. 711. qui 19. annos exegit in Principatu, & cùm 12. annorum esset, sub tutela hujus *Wratislai* fuit, ùt idemmet affirmat, cúmque evidenter ex illius ævi Scriptoribus constet *Wratislaum Lucensem* Ducem variâ fortunâ ab A. 846. cum *Ludovico Ludovici Imperatoris* filio in ipsa Bohemia bellum gessisse, eâdem operâ *Weleslavinus* cogetur admittere, *Wratislaum* annis 108. regnâsse. Quod nec quidem inter exempla totius mundi Regum inveneris. Jam *Stransky* quoque sententiam ex eodem capite nutare necesse est: cùm enim affirmet, *Wratislaum* Ducem A. C. 789. *Caroli Magni* in Bohemia conatus, *Crzezomyslo Pragensi* Duce, armorum socio, frustraneos fecisse, & cùm id quoque constet, ùt dixi, *Wratislaum* adhuc A. 846. vixisse, additis annis juventutis, quibus Principatum adijt, erit necessariò concedendum minimùm 80. annis Principatum tenuisse, quod nec ipse *Stransky* concedit.

Pulkava c. 10. histor.

Lucensium Principum chronologia emendatur.

Duo Wratislai Lucenses Principes admittendi.

Omnes

Omnes hæ difficultates conciliabuntur, & momento evanescent, si (quod ego sentio) duos *Wratislaos Lucenses Principes* faciamus, ídque admitti oportere sic evinco: imprimis pro certissimo debet haberi: *Vogeni* filium, & *Wnyslai* fratrem *Wratislaum* fuisse, cui Pater Lucensem Regionem moriens reliquerit; id omnes Historici & Scriptores Bohemiæ veteres ac novi (uno *Pulkava* excepto, qui sibi, ùt antè monueram, adversatur) uno ore, ac sententiâ affirmant. *Vogeno* Pragensi Principi successit *Wnyslaus*, qui annis 20. tum *Crzezomyslus*, qui annis 42. deinde *Neklanus*, quem 51. annis imperâsse dicunt, tandem *Hostivitus*, sub quo bellum in Bohemia movit *Ludovicus, Ludovici Imperatoris* filius contra *Slavizam* vel *Slavatam* Lucensium Ducem A. 846. qui *Slavata* fratrem suum *Wratislaum* natu majorem Principatu depulerat, ùt omnes coævi Scriptores (disertè nominato *Wratislao Lucensi Principe*, quem *Ludovicus Slavatâ* ad Moravos ejecto, paterno solió restituit) testantur. Hæc in unum *Wratislaum* cadere non possunt, neque ætas hominum istud credere sinit; igitur duo diversi *Wratislai* Lucensium Duces sunt admittendi, atque in hunc modum *Genealogia Lucensium Principum* ordinanda.

Vogen Bohemiæ Princeps.

- *Wnyslaus* Pragensis Princeps.
  - *Crzezomyslus* Princeps Pragensis.
    - *Neklan* Princeps Bohemiæ.
      - *Borzivojus* Princeps Pragensis.
- *Wratislaus I.* Princeps Lucensis *Wnyslai* frater.
  - *Wratislaus II.* Princeps Lucensis, qui Senior adversus *Neklanum* pugnavit.
    - *Wlastislaus* Princeps Lucensis.
      - *Zbislaus* puer occisus à Pædagogo.
    - *Slaviza* vel *Slavata* frater *Wratislai*. Fundator familiæ Slavatarum.
      - Vivat Posteritas!

Reliqua adferentur suo loco.

Cautissimè Duces militiæ legit &c. Magna in hoc cura Principi adhibenda est, cùm bene dictum sit à *Chabria: Terribiliorem esse Cervorum exercitum Leone Duce, quàm Leonum agmen ducente cervo*, quod ex eventu hujus belli apparuit.

Militiæ Duces magno delectu præficiendi. *Plut. in Apophteg. ad Trajanum.*

Prostislaum de Chlum &c. Hunc *Prostislaum* affirmat *Pessina* ex stirpe *Slavatarum* ortum habuisse, qua in re secum ipse pugnat: nam cùm asserat *Slavatas*, ex *Lucensium* Principum stirpe per *Slavizam* vel *Slavatam Wratislai Principis Lucensis* fratrem descendere, qui in *Moraviam* exul profugerit, ídque factum esse dicat A. 856. & *Prostislaum Neklani* Ducem appellet, *Neklan* verò circa A. C. 800. ùt paulò pòst probabitur decesserit, non potuit ex *Slaviza* Originario *Slavatarum* utpotè longè posteriore, *Prostislaus* descendere, nisi illuc confugiat (quod ego libenter admittam) *Prostislaum* non ex *Slaviza* vel *Slavata*, sed vel à *Wratislao vel Wlastislao* Lucensibus Principibus progenitum.

Prostislaus non fuit ex Slavatis.

Wlastislao res novas molienti &c. Periculosum est nova Regna concupiscere; multi cùm aliena concupiscunt, amiserunt sua; irritantur vicini, subditi enervantur.

Principes ambitiosi debili stomacho cõparantur.

Ejus-

Ejusmodi Reges comparantur stomacho morbo bulimiæ laboranti, qui omnibus cibis inhians nunquam satiatur, imò quò plùs ederit, famet magìs calore nativo, per tot cibos congestos debilitato; unde quolibet pastu vix non suffocatur, & tandem emaciatus, & concoctioni debitæ minùs aptus hominem ad extrema deducit.

Principe occiso periclitatur totus exercitus.

Sstir in victoria gloriosè occumbit &c. Sapienter *Neklanus* militiæ inexpertus & rudis pro se fortissimum Ducem in hostes emisit, &, ùt ait *Terentius*, *ipsus sibi loco cavit*: nam si cecidisset (quid enim aliud expectandum erat, à timido & belli ignaro Principe?) omnis fortuna Pragensis Principatûs cum eo cecidisset; exemplum habemus in *Francisco* primo Galliarum Rege, quo capto *Galli* fugerunt. Cæso *Epaminonda* Thebanorum victoria, licèt clarissima, nihil emolumenti ad summam rei attulit. Ingeniosè *Satyricus Lucianus* fingit apud inferos *Alexandrum Magnum* à Philippo Patre reprehensum acriter (licèt in acie *Alexander* non ceciderit) quòd vitæ prodigus, laudis cupiditate incensus, in medios hostes toties incurrerit, séque & milites suos tam bene de se meritos, & Regna sua omnia in discrimen conjecerit. At *Neklanus* etiam in hoc laudari potest: quòd tantum Ducem *Sstirum* pro se miserit, qui strenui Ducis munia obeundo, hostium Ducem obtruncârit in acie, licèt in victoria vitam amiserit. Ità *Leonidas Spartanus*, qui cum trecentis tantùm militibus in angustijs pugnans contra *Xerxem*, innumerabilem exercitum trahentem (decies centena millia quidam Scriptores fuisse dicunt) in ipsum *Xerxem* vim suam omnem convertit, eíque moriens diadema è capite avulsit. Idem præstitit *Fabius Maximus* cum suis triginta in *Annibalem* pugnans, qui mortuus est in diademate *Annibalis*, ùt monet *Plutarchus*.

Plutarch. in Parallelis.

CAPUT XI.

Hostivitus Bohemiæ Princeps XI.

Aliqui fundant jura sua in armis.



Hostivit alio nomine *Milehost* (quod idem sonat, quasi dicas *Hospitalis* & *Humanus*) placidè, utpotè à Patre relictum assumsit Imperium! erat jam idoneus Regno, & vicesimum octavum agebat annum ætatis, cùm imperare cœpisset. Fratrem habebat *Mstibogium*, vel *Ctibogium Caurzimensis* vel *Zlicensis* Provinciæ Ducem, qui primus pacem publicam turbavit; nimirùm in illa sæculi Barbarie, cùm Evangelij Lux abesset, nihil inconcessum ambitioni suæ cruenti Duces existimabant; jus erat in armis, & Regionum fines, cùm superbia & potentia crescerent, illis decrescere videbantur; sed *Mstibogium* egregiè perdomuit *Hostivitus*. *Sukoslaus* deinde *Bilinensis* Dominus *Tetcæ Craci secundi filiæ* Propronepos renovavit bellum, & *Staviborij Mielnicensis* Comitis (sanctæ *Ludmillæ* Patris)

Patris) ditiones ferro & igni pervastans totam *Regionem Pragensem* in ultionem accendit; prælio victus, cùm se in Arce sua, quam *Sukoslavv* à se nominaverat, clausisset, expugnatus, truncatis manibus & pedibus in flumen *Egram* injicitur, quæ omnia cap. 3. hujus libri, & in *Notis* ad id caput à me narrata recordor. His prosperis successibus, ùt fit, elatus *Hostivitus*, majora moliri cœpit, venítque in spem, quæ olim in *Sorabis Carolus Magnus* armis occupârat, ea se recipere posse. Pax æquavit omnia: nam An. 840. *Francofurtum* ad *Ludovicum Pium* Imperatorem cum *Celedruho* patruele profectus, pacem optimis conditionibus fecit, primus quòd sciam nostrorum Ducum, qui cum Imperatoribus amicitiam coluerit. Pacem sanctè colente *Hostivito Lucensis Provincia* inutili & inconsulto, deinde, ùt malorum consiliorum mali, ùt plurimùm sunt exitus, propemodum exitiali bello flagravit, quod An. 846. inchoatum annis 10. variâ fortunâ acceptis, & redditis cladibus protractum est. An. 850. *Saxones* & *Franci*, qui fidem datam violaverant à *Bohemis Lucensibus* magnâ clade affecti, tantùm non sub jugum sunt missi, ùt narrant *Rudolfus*, *Schaffnaburgensis*, *Calvisius*, *Brunnerus* noster, omnésque rerum Boicarum Scriptores. Porrò *Hostivitus* circa An. C. 849. aut quod postea probabitur 856. vitâ excessit. Septemdecim Imperij annos tantùm ei tribuit *Stransky*, quod in tanta multitudine & varietate actionum vix adducor, ut credam. Conjux *Hostivito* fuit *Miloslava* de *Dworce Hraboslai* filia, quam ex stirpe sua descendisse hodiéque gloriantur Equites *Borinij*; ex hoc conjugio natus est *Borzivojus I. Bohemiæ Princeps Christianus, quod felix faustúmque sit.*

Fœderum violatores puniuntur à Deo.

Boriniorum antiqua Prosapia.

NOTÆ in Caput undecimum.

Hostivitus quasi Hospitalis &c. Nulla virtus divitias commendat magìs, quàm *Hospitalitas*, & in excipiendis Hospitibus magnificentia; ejus rei Symbolum sunt arbores illæ, quæ alienos ramos adoptant sibi, & fovent ac nutriunt ùt suos; talis *Platanus* & *Morus*, in quibus *ficus* libenter hospitatur; ipsa *morus* in castanea fago, & pyro, aliæque innumerabiles, quas noster *Forerus* in *Viridario* refert. Pulcherrimum spectaculum, *cùm ramum ramus adoptat*, ùt canit *Ovidius*, neque hâc ratione arbor vilescit, sed potiùs exornatur velut *Eresione* apud Græcos, de quo eleganti ramo, & varijs iisque pulcherrimis stirpibus constante, vide *Strabonem* lib. 1. & *Suidam*. Adde, quòd etiam in Barbaris, Hospitalitatem magnis præmijs affecerit Deus, referúntque *Annales Polonorum Piastum Crusvicensem* ea sola de causa Imperium *Poloniæ* meruisse, atque ut ejus familia tot sæculis perennaret, quòd hospitalem sese exhiberet omnibus, qua de re vide *Cromerum* in Historia Poloniæ.

Forer. Disp. de Plantis.

Beneficentia populo Principem conciliat.

Fratrem habebat Mstibogium &c. Hunc alij *Ctibogium*, alij *Diepoldum* (quod nomen post multa sæcula primùm notum esse cœpit) appellant. Fractus à fratre *Hostivito*, ùt erat inquies animi, bellum in *Moravos* transferre cupiebat, in ipso belli

Hostiviti humanitas.

apparatu, à Cacodæmone ſtrangulatum in Arce *Ohbi* *Weleslavinus*, alij fulmine ictum perijſſe ſcribunt; multum eâ tempeſtate in homines Deo connivente mali dæmones poterant, ut ſi non ritè aut minùs ſolennibus verbis adorarentur, cultores ſuos interficerent, quod mille exemplis, vel ex *Bohemiæ hiſtoria*, probari poteſt: filium parvulum *Mſtibogÿ* (quem alij *Radislaum*, alij *Drzslaum* idigitant) *Hoſtivitus* ætatis, & fortunæ miſeratione ad ſe recepit, & *Budecÿ* literis excolendum optimis Magiſtris commiſit, eíque adulto poſtea paternam ditionem, & *Principis titulum* reſtituit. Hunc eundem *Radislaum* exiſtimat *Weleslavinus*, quem *Principatui Pragenſi* imminentem & inhiantem, ut Populo parceret, S. *Wenceslaus* ad ſingulare certamen provocârit, quod prorſus inveriſimile eſt: faciamus enim eum cùm ab *Hoſtivito* ad Scholas Budecenſes mitteretur (circa A. C. 840. tunc enim regnavit *Hoſtivitus*) decennem fuiſſe, cùm viciſſim conſtet Divum *Wenceslaum* ante An. 920. non attigiſſe Rempublicam, ùt dicemus poſtea, igitur *Radislaus* cùm provocaretur minimùm 90. annos ætatis numerabat, ridiculum autem fuiſſet capularem ſenem à Divo Wenceslao Juvene in duellum vocari. Sanè de eo Scriptores vitæ S. Wenceslai, ùt de æquali, & juvene non de effæto ſene loquuntur. Exiſtimo igitur alium *Radislaum* eúmque juniorem fuiſſe ſenioris *Radislai* filium aut nepotem, qui S. Wenceslao negotium faceſſiverit, victúſque miraculo vocis cœleſtis, *nè feri*, ducente eum *Pragam* velut in triumpho SS. Duce Chriſti fidem ſit amplexus.

De Radislao

Placide Imperium aſſumſit à Patre relictum &c. Hoc maximè bonum eſt hæreditariorum Regnorum, quòd Imperio incertum ſucceſſorem non relinquant, proinde præſcindatur omnis ſpes inquietis & turbulentis ingenijs res novas moliendi; augeſcit periculum inde, quòd nemo tum ſit, qui clavum Regni teneat, cui ſubditi adhæreſcant, & periculum propulſent. Reipublicæ Romanæ interitui nihil aliud cauſam dedit, quàm quòd Imperatore mortuo *Senatus Romanus* & Legiones diſſentirent, & de Electione novi Imperatoris convenire illi ſententijs, hi armis non poſſent; adeóque factum ut uno propè tempore triginta Imperatores, veriùs Tyranni, cum ſummo Majeſtatis Romanæ & Imperij dedecore numerarentur. Videantur Politici præſtantiores; qui unâ ſententiâ omnes hæreditaria Imperia præferunt Electivis; qua de re prudentiſſimè diſputat in Argenide *Barclayus*.

Hæreditarium Regnum ſecurius, quàm electivum.

Jus erat in armis &c. Si gladio Jus ad Regnum acquiritur, omnis Princeps ad Regnum alienum occupandum jus habebit. Gladio non alligatur juſtitia, ſed juſtitiæ gladius datur in manum, ut juſtè vibretur. Injuſta arma & cum nullo Juris titulo ingeniosè & ridiculè deſcripſit *Abele in Metamorphoſi Telæ judiciariæ* vocátque illud Fauſt-Recht/ in hunc ſenſum Rex neſcio quis moriens dixiſſe fertur, cùm incertum hæredem in Regno relinqueret, multóſque filios haberet, eum fore ſucceſſorem ſibi, qui ex filijs acutiorem enſem haberet; *Julio Cæſari* eâdem ratione gladius velut titulus juſtitiæ fuit, nam ùt narrat *Appianus*: cùm retinere exercitum vellet, vetante *Marcello Conſule* & *Senatu*, *Cæſar* admotâ rd gladij capulum manu reſpondit: *hic impetrabit*. Turcæ hodiéque gladium, & potentiam armorum ſuorum jus habere ad omnia Regna exiſtimant, veteri exemplo *Scytharum* & *Sauromatarum*, qui *enſem in terram defixum* pro Deo colebant, eíque ſacrificabant, innuentes: magnum eſſe *Deum Gladium*, qui Regna alijs daret, alijs eriperet. Unde ingeniosè *Divus Auguſtinus* in libris de Civitate ſcripſit: *Remotâ juſtitiâ quid Regna ſunt, niſi magna latrocinia*? vidêre hoc *Athenienſes*, qui quotannis infeſtis ſolennibus *Enſem* poſt multas accuſationes condemnabant, cúmque cædium Authorem proclamabant, ſignificantes, magnum illum aliquando eſſe injuſtitiæ miniſtrum. O quàm multorum *enſes ab Athenienſibus* hodie accuſari & damnari poſſent!

Gladius ſæpe iujuſtitiæ ſervit.

App. l. 2. de bellis civil.

Ælian. Var. Hiſtor. l. 8.

Proſperis

Proſperis ſucceſſibus elatus &c. Felicitas pleroſque infatuat, ideóque ingeniosè *Horatius fortunâ dulci ebrios* vocavit, quòd proſperis ſucceſſibus homines quodammodo inebrientur. Gravis eſt ſententia *Gobryæ* apud *Xenophontem*, quam exemplis approbare poſſumus: *Difficiliùs reperitur, qui ſecundam, quàm qui adverſam fortunam bene ferant*, & *Tantalum* ait *Pindarus, non potuiſſe concoquere felicitatem ſuam.*

Felicitas multis infelix fuit.

Muretus l. 5. variar. lect. c. 15.

Cum Celedruho Patruele &c. Hæc de *Celedruho* habet *Weleslavinus*; ſed quis ille *Celedruhus* non adjicit; filium nihilominus *Mſtibogÿ Celedruhum* ab aliquibus appellatum poſtea alio in loco tradit, ſed nullâ ratione ſuſtineri hoc poteſt, cùm *Hoſtivitum Francofurtum* veniſſe A. 823. affirmet, quo Anno *Radislaus* ſeu *Celedruhus* natus non erat, ùt Chronologiam examinanti patebit. Quod A. 823. attinet à *Weleslavino* indicatum, quo *Francofurtum Hoſtivitus* acceſſerit, accurati, & ad Chronologiam attenti Scriptores A. 840. *Francofurti* iniviſſe fœdus *Hoſtivitum* cum *Imperatore Ludovico* poſuerunt, idem ſenſit *Stransky*, cùm ait *Ludovicum Pium Imperatorem*, percuſſo cum *Hoſtivito* fœdere, *eóque Socio Imperÿ* appellato paulò pòſt obijſſe, id eſt, ùt habet *Ricciolus* 20. Junij A. 840. ſed neque tum *Celedruhus* comes *Hoſtivito* eſſe potuit, ùt ex dictis, quæ attulimus patet.

De Celedruho.

Peſſina in Marte Morav. l. 2. c. 5 Stransky in Rep. Bojem. c. 8. Ricciol in Chronolog. reform. in Chronico magno.

Lucenſis Provincia exitiali bello &c. Hujus belli ſummam faciam ex antiquiſſimis Scriptoribus, *Rudolpho Fuldenſi*, *& Lamberto Schaffnaburgenſi*, *Sigeberto*, deinde ex cæteris rerum Saxonicarum & Boicarum Scriptoribus, præſertim ex *Brunnero*. A. 846. *Ludovicus*, *Ludovici Imperatoris* filius, ùt *Saxones* tumultuantes compeſceret, cum exercitu inſtructiſſimo in *Saxoniam* contendit; erat ei neceſſarium iter, per aliquam *Bohemiæ* partem, & nominatim per *Lucenſem Provinciam*. *Hoſtivito Pragenſi Duce* (plures enim tunc *Bohemiæ Duces* imperitabant) ob fœdus nuper ictum, nihil ſe commovente, *Wratislaus Lucenſis Dux* (quem *Aventinus* & cæteri Germaniæ Scriptores corruptè, ùt in aliarum gentium nominibus facere ſolent, *Wiztrachum* vocant) ſtolido prorſus conſilio, *Ludovicum* tranſitu *Regionis Lucenſis* prohibere conatus, bellum quod *Saxonibus* inferebatur, in ſe recepit. Protractum eſt bellum in duos aut tres annos cruentiſſimo ſemper, & ancipiti Marte; ſed A. 849. vel ſequenti *Ducum ſuperbiâ ignominioſam cladem*, ùt loquitur noſter *Brunnerus*, *accepêre Germani, ac ferro Bohemorum conciſi, ignominiæq. & vulnerum pleni in caſtra pecorum more acti ſunt, denique pro capite decidere coacti pro magno impetrârunt, uti ſalvis corporibus abire ſibi ex Bohemia liceret.* Annis ſequentibus reparata clades, & poſt iteratos conflictus complures, *Wratislaus Lucenſis* imperata facere, atque obſides dare compulſus eſt. Conquiêrunt deinde bella & *Wratislaus* armorum ſatur, & ſenio gravis relictis adultis filijs duobus vitâ exceſſit Anno Domini 854. Patri ſenior filius *Wlaſtislaus*, more omnibus propè gentibus uſitato, in Principatu ſucceſſit; hoc indignè ferens minor natu filius *Slavata* (*Slavitagus* vel *Slaviza* ab aliquibus appellatur) Optimates Civéſque Lucenſes prece, pretio, ac promiſſis cùm deliniviſſet, ſibíque faventes reddidiſſet, nullo negotio *Wlaſtislaum* fratrem deturbavit è ſolio, ſéque ejus loco *Principem* conſtituit. *Wlaſtislaus* omnis conſilij & auxilij inops primùm ad *Ctiborium Soraborum Ducem* paternum amicum confugit, & in exilio vixit; re ad *Ludovicum Carolomanni* filium delatâ (qui ad ſe bella & paces iſtarum Provinciarum, neſcio quo jure, niſi potentia & vis jus faciant, pertinere putabat) menſe Auguſto anni 856. per *Sorabos* iter faciens, Duce illorum *Ctiborio* unà aſſumto, adverſus *Slavatam* duxit exercitum. *Slavata* juvenis acer, & ad bella natus, qui gloriam & vitam juxta haberet, egregiè tutatus eſt locum (etſi agri omnes *Lucenſes* arderent) & longè antè præparatis commeatibus, viris & armis, *Ludovici* conatus fortiter non minùs, quàm feliciter eluſit. Sequens annus non æquè *Slavatæ* felix illuſit: peroſi impotentem juvenis dominationem Optimates Civéſque, qui ſolâ

Slavatæ ex Lucenſi Principatu dejecti.

Slavatæ in Moraviam se recipiunt.

utilitate fortunam suam metiuntur, legitimum respiciebant *Principem*, quo ille animadverso neque Civibus, neque muris satis fidens, ad *Borzivogium* recentem, & primi anni Principem, cognatum suum primò, deinde cùm fœdera non finerent, ad *Radislaum Moraviæ Regem* se recepit. Interim *Wlastislaus* exul, Imperium recuperavit; frater ejus *Slavata Dux Radislai* constitutus & pacis & belli arbiter inter *Radislaum & Carolomannum* factus, in utramque partem authoritate, consilijs, & manu multùm fortunam *Radislai* adjuvit. Quæ omnia *Brunnerus* noster, *Aventinus*, *Spangenbergius*, aliíque antiquiores Scriptores commemorant. Hinc manifestè patet, quod in Epitome & alibi sæpe diximus, *Illustrissimam Slavatarum gentem à Przemysle* descendere: cùm enim à *Wratislao Principe Lucensi* originem ducant, necessariò conficitur, eos ex Ducum Pragensium sangvine proficisci; quid autem *Slavata* vel *Slaviza* in *Moravia* gesserit, & quâ ratione ejus posteritas in *Bohemiam* redierit, in *Stemmatographia* latiùs diximus.

Brun. Annal. Bojor. p. 2. l. 6. ad A n. 857.
Avent. Annal. Boji. l. 4

Spangen. in Chron. Sax. ad A. 856.

Conjux Hostiviti Miloslava &c. Connubia Principum magno delectu, & consilio iniri debent, quia facillimè familiam Principalem in gravia pericula conjiciunt. Ideò non malè dictum est, *à Proba Falconia* insigni Poëtria, *mulierem esse argumentum ingens*, propter quas, scilicet, tot bella suscipiuntur, tot cædes perpetrantur. Decipit Principes audacia, & libertas fœminea, & novi mores, quibus perditè, cùm odisse debeant, *uxorij Principes* delectantur. In conjugijs Principum maximè spectanda sunt tria illa, quæ in Rhetorum Scholis decantantur: *utile*, *honestum*, *delectabile*. Utilitatem Princeps quærit in consangvinitate & affinitate, quæ amicos parit, in bello & pace armat & exornat. Cùm gloriæ & dignitatis suæ retinentissimos *Principes* esse oporteat, ea familia eligenda est, quæ æqualis, aut non multum inferior statu Principis habeatur. Quod si connubio plures amicitiæ acquirantur, & familia quantumcunque nunc exilis, tamen olim honorata & Imperatoria fuerit, ingens lucrum ex ejus cognatione acquiret Princeps, eámque sibi in obsequijs omnibus (quasi novus fortunæ Conditor) obnoxiam reddet.

Conjugia Principibus magno consilio inunda.

DISSERTATIUNCULA DE ADVENTU CZECHI, ET INITIO CZECHORUM.

MAlè conciliata lis est, & nunquam definita satis de Czechi adventu, súntque in ea re tam discrepantes sententiæ, ut non centum, sed quingentis annis à sese distent, ùt in *Notis ad Caput primum* hujusce libri diximus. Repetam brevissimè quid autores sentiant, & refellam nervosè, tum sententiam meam (quam toties à me, exprimere conati sunt maximi in Historia viri, *Pessina*, *Crugerius*, & amicus meus R. D. *Boleluczki &c.*) aperiam. Ante omnia notandum est, qui de *Czechi* temporibus & adventu scripserint, in tres classes dividi posse; *alij* enim nimis citò & intempestivè eum in *Bohemiam* inducunt, *alij* tardè ejus adventum ponunt, *alij* mediâ quadam viâ incedunt. Duo termini

Duplex sententia Scriptorum.

mini temporum sunt: Annus videlicet 278. alter terminus Annus Christi 814. nam improbabilis nimium & inverisimilis est *Schleinicij* sententia qui *Slavorum* Populos etiam ante Christum natum habitâsse in Bohemia fingit, & *Marcomannos*, *Herulos*, *Quados*, *Vandalos* inter *Slavorum* Populos connumerat, quod ab omni antiquitate, & ab omnibus omnium gentium Historijs refellitur, & nullum invenit subscriptorem. Qui igitur *Czechum* A. 278. venisse scripserunt, *Weleslavinus* & *Codicillus* evidenter refelluntur duobus argumentis: *primò*, quòd nullum pro se testimonium adducere possint; nam postremus, cujus librum *de Origine Czechorum* diu quæsitum nusquam invenire potui, nullas *Weleslavino* probationes suggessit. Alterum, ídque potens argumentum est, quòd usq; ad ea tempora Annum scilicet 278. *Marcomanni* aliíque Germaniæ Populi, *Bohemiam* incoluerint, ùt L. 2. C. 3. probatum à nobis est, neque ulla *Slavici* adventûs mentio in antiquis Scriptoribus reperiatur. Porrò *Weleslavini* Chronologia quàm malè subsistat, Cap: 8. hujus libri probatum est. Qui alterum extremum tenent, sic manifestè rejiciuntur: *Schleinicius* qui Annum 814. posuit, cogitur omnes Bohemiæ Principes Ethnicos ex natura rerum proscribere, nam cùm *Borzivogium* constet certissimò A. 856. *Bohemiæ* gubernationem auspicatum esse, non potuêre ab A. 814. usque ad 856. duodecim *Bohemiæ Principes* intra tam breve tempus spatium gubernationis habere, nisi eos florum & vermiculorum vitam habuisse dicamus, adde quod *Christannus* proximus eorum temporum, & Primus *Bohemiæ Scriptor Boleslai* Sævi filius, de *Libussa Przemysli* loquens disertè asserat, multo interjecto tempore ad *Borzivogium Bohemiæ* Imperium devenisse, & ex *Przemysli Sobole Rectores seu Duces multos in Bohemia regnâsse*, quæ omnia si *Czechus* A. 814. intravit *Bohemiam*, necessariò delebuntur; vide alia argumenta, quæ Lib. 2. Miscell. contra hanc novam, & improbabilem sententiam attulimus. Jam & sententia *Hagecij* sustineri non potest de A. 644. cùm antiquiores memorias *Czechorum in Bohemia* habeamus. *Stransky* Scriptor egregius, & Chronologiæ, quæ fundamentum omnis historiæ censetur, tenacissimus, etsi nunquam Annum *Czechi* nominare voluerit, tamen cùm *Przemyslum* 632. obijsse nonagenario majorem statuat, non difficile erit ejus de adventu *Czechi* sententiam deprehendere; ponit enim *Czechum* annis 27. regnâsse, & cùm longo tempore Principatus vacâsset (annos decem vacâsse Imperium omnes alij affirmant) succesisse in Imperio *Cracum* vel *Crocum* primum seniorem (qui 39. gubernârit annos, ùt ipse *Stransky* disertè affirmat) inde *Cracus* vel *Crocus* junior 50. Principatûs annos explevit, *Libussam* posuit annis 13. solam imperâsse, *Przemyslum*

Schleinicij.

Weleslavini

Christan. in vita S. Ludmillæ.

Hagecius refutatur.

Stransky.

verò annis 41. post *Libussæ* mortem Imperium continuâsse. Ergo subtractis ab A. 632. annis 180. quos annos implevêre regnando *Czechus*, *Croci* duo, *Libussa* usque ad *Przemyslum*, remanent anni 452. quibus *Czechum* advenisse *Stransky* cogetur dicere. Propiùs ad nostram sententiam accessêre duo historiæ lumina, *Cromerus* & *Welserus*, qui circa *Attilæ* tempora *Czechici* Populi in has oras adventum posuerunt, *Attila* verò A. C. 441. & sequentibus, *Hunnorum* exercitus, in Europam cœpit immittere.

Cromeri & Welseri sententia.

Sentio hîc à me expectari, quid ipse probabile existimem, qua in re defectu monimentorum nullam demonstrationem adferre potero, sed probabilem conjecturam, quis enim in illa Barbarie (præsertim cùm nullum fidei lumen has Provincias illustrâsset) bonis literis locus? ex vicinis tantùm *Germaniæ* Scriptoribus, via ad solvendam tam difficilem & intricatam quæstionem invenienda est. *Statuo in primis, certa ab incertis separanda*: Incerta esse omnia existimo, quæcunque de ætatibus Principum nostrorum traduntur, hunc scilicet 39. hunc 50. annis, hunc 19. imperâsse &c. quæ *Welesla-vinus* aut *Stransky* Principibus attribuit. Cùm enim de ipso Cardine rerum, seu de *Czechi* adventu nihil certi statuere possimus, quis hæc tam minuta certò affirmare possit? aut ex quo Scriptore antiquo ista sumuntur? tacet de annis Principum Ethnicorum *Pulka-va*, tacet *Cosmas*, tacet *Christannus*, qui si ista tam minuta habuissent in manu, sinè dubio posteris tradidissent. Neque in hoc reprehendendi sunt *Welesla-vinus* & *Stransky*, neque eorum fides & authoritas elevatur (ùt quidam somniarunt, & objecerunt) quòd annos nostrorum Principum confinxerint, seu potiùs ordinârint: non enim ipsos Principes aut eorum nomina fabulosè nobis obtruserunt, sed accepta à vetustis Scriptoribus nomina, & successionem, verisimiliter per annos diviserunt, quod necessariò illis faciendum erat, cùm hoc præterierint Antiqui: in historia enim cùm deest Scriptorum clara authoritas, etiam conjecturæ valere solent probabilibus argumentis innixæ. Sic videmus feciisse duos historiarum omnis Ævi Principes *Dionysium Petavium*, & *Jo. Baptistam Ricciolum Nostros*, illum in aureis libris *Rationario Temporum*, & *Doctrina Temporum*, hunc verò in *Chronologia Reformata*, ubi cum multorum Regum & Principum in *Europa* & *Asia* nomina haberent, eorúmque successiones, non extarent tamen, & ignorarentur determinati & certi anni Principatûs eorum, ipsi quid verisimiliter dici poterat, quot annis scilicet regnaverint, attulerunt; ob quam diligentiam illis habenda est gratia, & non reprehendendi sunt, sed potiùs laudandi; id etiam fecêre alij Chronologi, ùt Salianus, Panvinus &c. ità nos etiam fecimus in divisione an-

Incertus est Czechi adventus quoad tempus.

Weleslavin. & Stransky excusantur, quod Principum annos probabiliter ordinârint.

ne annorum à *Czecho* usq; ad *Borzi-vojum*. Hæc ad defensionem *Stransky* & *Welesla-vini*. *Secundò*: interstitia vel interregna nunquam à *Welesla-vino* & *Stransky* computantur; an verò satis credibile est uno Principe extincto, statim in articulo sequentis diei alium suffectum esse? aut nullum Procerum, & Populi conventum, quo Dux novus eligeretur, & solennibus cærimonijs inauguraretur, expectatum fuisse? hæc certè interstitia in 12. *Bohemiæ* Principibus necessariò admittenda sunt, neq; nudè transmittenda. *Tertiò*: inter ignota computamus, quando nam priores *Boij*, *Marcomanni*, *Quadi*, & cæteri qui incoluêre *Bohemiam* exacti è *Bohemia* sint, qui *Bohemiam* incolentes, sinè dubio *Czechum* & *Lechum Bohemiam* ingredientes accessu prohibuissent, fatendum est *Marcomannos*, qui *Bojos Bohemiâ* expulerant (ùt probatum est Lib. 2. Miscell.) in *Romanam Danubij* ripam transgressos, alias, aliásque terras occupâsse, tamen cùm in *Bohemia* habitâssent, credibile omninò esse non potest, habitandas abs se terras concessisse *Sla-vis*, eósque in communionem tot bellorum quæ cum Romanis gesserunt, quæ enumerant *Welserus* & *Goldastus* ac cæteri, assumere voluisse; quo semel admisso, *Piasecij* & *Schleinicij* sententia tota corruat necesse est, qui *Sla-vos* ab omni memoria, etiam ante *Bojos* & *Marcomannos Bohemiam* incoluisse nullo argumento probabili adducto affirmant. Quando verò *Marcomanni Bohemiam* reliquerint non constat satis; probabile tamen est circa An. 257. id contigisse. De his Migrationibus *Marcomannorum* videatur *Lazius*, & nos Lib. 2. Miscell. à Cap. 3. His igitur in incerto relictis, quid verisimile existimandum sit, adferemus; cujus sententiæ nostræ jam præjudicium magnum fecimus in *Epitome* nostra, & toto Lib. 2. Miscell. neque Lectorem in nostram sententiam cogemus, sed quod probabile existimaverimus breviter adferemus. Sunt autem, quæ certa esse putamus sequentia. *Primò*: pro certissimo debet haberi: *Borzi-vojum Ducem Bohemiæ* A. C. 864. Christi sacra *Welehradi* in Moravia suscepisse (non ùt *Hagecius*, *Welesla-vinus*, *Stransky*, *Theobaldus*, & cæteri asserunt A. 894.) id evidenter probatur ex Vita *S. Cyrilli* & *Methodij*, quam recitat *Bollandus* noster in actis Sanctorum 9. Martij. Hoc igitur primum punctum habeatur Chronologiæ. *Secundò*, æquè certum est, & illud: longè ante A. 644. Bohemos, Slavos, incoluisse. *Non entia*, ùt ajunt Philosophi, *nullæ sunt actiones*; atqui Slavorum in Bohemia actiones ab Antiquissimis, & omnis historiæ peritissimis Scriptoribus longè ante hunc annum (scilicet 644.) adducuntur; igitur luculenter *Hagecius*, & qui eum secuti sunt, falluntur, qui adventum *Czechi* illo anno posuerunt. Inprimis Boicæ historiæ clarissimus author *Marcus Welserus* (qui priore sæculo

Quid nobis verosimile videatur.

Borzivojus quando baptizatus.

Bohemi Slavi citiùs Bohemiam ingressi.

sæculo historiam Bojorum magno Doctorum applausu conscripsit, & nuper ab *Arnoldo V. C.* secundis curis egregiè adornatus prodijt) disertissimè affirmat: cùm *Boji* & *Marcomanni* utrique Germanorum populi Bohemiâ pulsi cederent, *Czechum* & *Crocum Venedorum Reges* successisse, Bojos verò ad Nariscos abijsse. *Illud*, ait Welserus, *dubitationem non habet, Marcomannos sociósque populos pulsos esse interiore Hercyniâ, à Slavis Sarmaticâ gente, quæ Ducis Czechi nomine privatim dicta, nunc appellationem retinet &c.* & hoc, ait, contigisse sub *Attila*, qui in Imperium Romanum irrupit A. 444. (ùt ex omnibus historicis ostendit *Baronius, Ricciolus*, & alij) idem sensit *Cromerus* historiæ Polonæ præcipuus conditor. Sed evidentiùs probari potest authoritate Veterum & Novorum Scriptorum, qui *Slavos Czechitas*, Slavoniam Provinciam fundâsse tradiderunt: *Bonfinius Slavoniam Ungaricam, Boëmorum Coloniam* appellat. Clariùs id expressit alio loco hisce verbis: *Slavi è Regionibus Transistrianis seu Transdanubianis* (ex nostra videlicet ripa, nobis *Cis*, Bonfinio scribenti *trans Danubium*) *promanârunt, atque Istriam & Dalmatiam occupârunt, eámque de se Slavoniam dixêre. Primas sedes* (notet Lector) *trans Danubium non reliquêre; ex quibus Bohemi, Poloni &c. adhuc permanent.* Huic sententiæ astipulantur *Krantzius Blondus*, & plerique Scriptores Vngarici, ac ferè omnes qui de Slavonia egerunt, ipsíque Slavones ex Majorum traditione ortos se à Bohemis gloriantur. Sed me alióque Chronologiæ studiosos maximopere movet *Bollandi* nostri authoritas, qui quàm firmo pede in historia & Chronologia incedat, sciunt omnes, qui vel unum Tomum ejus legerunt; is ergo Tomo primo Februarij, ad sextum ejus diem *Commentario Prævio §. 9.* apertissimè demonstrat Slavos A. C. 547. transiviisse *Danubium* (ex nostra scilicet ripa) & *inter alias Provincias, Slavoniam, Carinthiam &c. obtinuisse, diúque sinè Rege fuisse;* deinde ab Hunnis servitute oppressos Regem sibi elegisse *Samonem*, cujus industriâ libertatem recuperârint; electum esse *Samonem* Slavorum Regem A. C. 623. regnâsse annis 35. Hisce Slavorum gentibus *S. Amandum Episcopum* Evangelium Christi prædicâsse; idem Bollandus in vita *S. Domitiani Slavorum Ducis & Martyris* ad 5. Febr. docet: *Samonem Regem Slavorum* A. C. 637. *Francos*, qui Slavos invaserant, repulisse. Unde sequitur Slavones (Czechorum Coloniam) longè feliciorem fuisse nobis, quibus tardiùs Evangelij lux affulsit. Hæc omnia *Bollandus Vir* omnis historiæ sacræ ac profanæ scientissimus ex *Procopio* & *Fredegario* antiquissimis Scriptoribus evincit, ut nemo nisi cui ferrea frons sit, obsistere possit. Porrò post A. C. 530. Slavi ex Slavonia, & Dalmatia Boicam armis vexare cœperunt, ità de his bellis *Adelzreiterus*: *hos qui à Thassilone*

Welser. l. 3. rer. Boi.

Bohemi Colonias ducunt in Slavoniam.

Cromer. l. 1. c. 7. 8. 14. 16

Bonfin. Dec. 1. l. 10. init.

Idem Dec. 1. l. 8.

Krantz. in Vanda: Blond. hist. Dec. 1. l. 1.

Quinam Slavi Bojos armis lacessiverint.

Adelzr: hist. Boi. p. 1, l. 6. n. 15.

lone Rege Bojorum A. 595. devicti sunt, Paulus Diaconus Slavos appellat, quos (iterum observet Lector) *trans Danubium ortos* (in nostra scilicet ripa) *in Illyricum, aliásque Romani Imperij Provincias Justiniani Imperatoris ævo irrupisse Procopius, & Jornandes meminerunt.* Justinianus verò A. C. 527, Imperium auspicatus est. *Paulus Diaconus*, qui A. 760. historiam scripsit de hoc bello ità apud *Welserum* loquitur: *A. 595. Thassilo Rex Bojorum* (scilicet primus ejus nominis, Thassilonis secundi Abavus) *Slavos graves perpetuò & infestos vicinos* (nota nomen *vicinos*; id est penes Bavariam habitantes) *bello aggreditur: quorum præter Czechorum nationem* (*quæ aliquando Sarmatiâ effusa Bojohemum tenet*) *alia Quarentanorum Dalmaticis oris progressa, Norici partem Hadriaticum sinum vergentem insidens, Boicam premebat &c.* Scio non in omnibus editionibus *Pauli Diaconi Czechorum* nationem nominari, ùt notavi L. 2. Miscel. c. 18. in Notis. Sed *Welserus* aliam & longè meliorem *Pauli Diaconi* sententiam copiosiùs & latiùs expresserit.

Procop. l. 1. de bell. Goth. Iornand. in reb. Get. Paul. Diac. l. 4. cap. 7. de gest. Longob. Welser. l. 3. rer. Boic.

Satis jam probatum est Slavos ex Bohemia Colonias in Slavoniam deduxisse, idque ante A. 644. Unde errâsse convincitur *Hagecius* cum suis sequacibus; cùm ante A. 547. imò citiùs Slavi Bohemi juxta citatos Authores extiterint. Existimo longè etiam ante A. C. 500. & 400. in Bohemia habitâsse: quâ enim ratione *Czechorum* populus nuper adveniens ex sedibus hisce Transdanubianis in *Slavoniam, Carinthiam, Dalmatiam, & Illyricum* tam numerosos exercitus emittere, & tot colonias deducere potuisset? hoc factum esse oportuit jam Populo impletâ Bohemiâ; non potuit autem tam citò Populo impleri, nisi duobus vel minimùm sæculis Bohemiam inhabitâssent antequam A. 540. & si *Adelzreitero* credimus A. 526. Colonias duxissent, maximè si, ùt plures docent, *Czechus* nonnisi trecentos aut sexcentos secum socios, & commilitones, præter fæminarum turbam adduxerit. Hoc argumento victus *Joannes Matthias à Sudetis* (qui singulari & eruditissimo libro de Czechi adventu disputavit, qui liber inter meas manus est) annum *Czechi* adventûs posuit 407. vel 457. *Tertiò* consentiunt vetustissimi Scriptores, & qui eorum authoritate nituntur, *Hostivitum* Patrem *Borzivoij* Ducis An. C. 856. obijsse, & *Ludovicum II. Slavizam* vel *Slavatam Lucensi* Provinciâ expulisse (ùt antè probatum est) ergò *Borzivojus* post Patrem tunc regnare cœpit. *Quartò*: probabile & ferè certum est: *Marcomirum* (*Pharamundi* Patrem Stirpis Regiæ Gallicæ originarij, quem totâ propè Germaniâ usque in Bohemiam Imperium extendisse perhibent) in conjugio habuisse *Milenkam* Craci I. vel Croci filiam quod apertè satis firmatur ex *Reusnero* & *Henninges*, post *Weleslavinum* &c. qui *Marcomi-*

Hagecij chronologia non subsistit

Borzivojus Principatum auspicatur.

Pessima in Marte Mora. Sectione 1. c. 4. in Notis.

De Marcomiro.

Trithem. in compend. 1. vol. ac orig. Francorum.

rum Bohemis vicinum regnâsse disertè tradiderunt; quod etiam *Trithemius in libris de Origine Francorum docuit* ex *Hunibaldo* vetustissimo Historico, qui *Marcomirus* vixit sub *Valentiniano II.* & *Theodosio* An. C. 379. & ultrà, ùt *Adrianus Jordanus* Societatis Jesu in Gallico libro An. 1683. edito de Regia Stirpe Galliæ ad *Ducem Condæum* ostendit. Quippe filius *Marcomiri Pharamundus* Originarius Regij stemmatis Galliæ in Regem est An. 420. ùt omnes Scriptores consentiunt, assumtus, & Anno 428. decessit.

His igitur præmissis, cùm Annus certus in illa Barbarie sæculorum nominari non possit, satis probabili conjecturâ adducor, ut credam, inter An. 300. & 330. *Czechum* in has oras venisse: jam enim *Marcomanni* (ùt dixi Lib. 2. Miscell.) exacti erant, & in ripam transdanubianam translati, unde vacuas terras, ubi nunc sumus, reliquerunt; Si ergo Craci II. filia *Milenka Marcomiro* nupsit (qui paulò antè An. Christi 400. vixit, ùt est in *Ricciolo*) omnia ordinari bellissimè poterunt, si inter annos 300. & 330. Czechum vixisse dicamus: venerit enim sub *Turskone*, deinde post ejus mortem eidem successerit, & annis 27. regnaverit, tum Regiâ sede annis quindecim vacante *Cracus* vel *Crocus* Pater 50. regnando impleverit annos, *Craco II.* annis 62. (juxta *Stransky* & *Weleslavinum*) Imperium *Bohemiæ* obtinente, facilè ad id tempus perveniemus, quo *Milenka* tradi in conjugium potuerit *Marcomiro*. Hâc nostrâ sententiâ spectatissimi & probatissimi Authores conciliabuntur, & (quod in his tenebris sæculorum nihil curandum est) paucis annis dissidebunt, ùt *Cromerus*, *Welserus* (qui *Attilæ* ævo *Czechi* adventum ponunt) & *Jo. Mathias à Sudetis* qui A. 407. posuit, aliique in nostram sententiam omnes attrahentur, maximè verò *Weleslavinus* & *Codicillus* qui annum 278. adventûs *Czechi* posuerunt; quantulum enim est ad A. 300. vel 330. ab A. 278. sed objectiones prius dissolvendæ sunt, ut nostra firmetur sententia.

Ricciol. Chro. reform.

Conciliatio Scriptorum.

Crom. l. 1. c. 2 usque ad 10.

Observandum hoc loco est: *Cromerum* Nobilem Poloniæ Historicum, in nostram sententiam nullo negotio adduci, & nobiscum conciliari posse; cum enim tradat, brevi post Annum Christi 300. *Henetos*, *Venedos*, uno verbo *Slavos* adverso Danubio in *Pannoniam* cæteràsque vicinas Provincias ascendere cœpisse, quàm facilè fieri potuit, ut per *Moraviam* in *Bohemiam* tunc desertam, & cultoribus vacuam (jam enim *Marcomanni* abierant, ùt in Epitome probatum est) aliqua Slavorum manus & multitudo *Czecho Duce* priùs per *Croatiam* deducta, novas terras exquirens, in *Bohemiam* inter An. 300. & 330. transmisso Danubio, adveniret?

Cromerus facit pro nobis.

Nobis-

Nobiscum etiam faciunt, & longè maturiorem *Czechi* adventum, quàm *Hagecius* collocant, peritissimi duo historiæ Bohemicæ & Moravicæ Scriptores sæculi nostri *Thomas Pessina* Ecclesiæ Pragensis Metropolitanæ Decanus, quem consule in *Marte Moravico*, & *Georgius Crugerius* Societatis nostræ Sacerdos, quo Antiquitatum Bohemicarum peritiorem non habuimus; hîc ergo nobiscum se sentire manifestè ostendit in *Sacris Pulveribus Regni Bohemiæ* (quibus omnes antiquas Bohemiæ memorias complexus est) his verbis: *Hagek ingressum Czechi ponit A. 644. Sed hunc ad-ventum longè acuratiùs annotaverunt Weleslavinus in Prolegomenis sui Kalendarij, & Stransky in Republica. Lege, quæso utrumque; stat penes te, cum quo velis tenere: ego etiam in anteriora tempora inclino.* Hæc Crugerius. Ad objectiones veniamus.

Authoritas Pessinæ & Crugerij.

Crug. in Tulio ad 15. diem.

Objectio prima, cur igitur non assentiris *Weleslavino*, cùm 30. aut 40. annis tantùm posterius *Czechi* adventum ponis? responsio facilis: quia *Czechi* adventus si 278. ponatur, Chronologiæ prorsus adversatur: nam *Aureolus* (quod ipse telum validissimum putat) Anno 262. occisus est, quo tempore *Czechus* ex *Illyrico* fugere non potuit, nam ætas repugnat; deinde non est occisus in *Illyrico*, sed ad *Mediolanum* in Italia ad Pontem, qui hodiéque *Pons Aureoli* dicitur, ùt alibi probatum est. *Weleslavini* igitur sententiam de A. 278. Chronologiâ contradicente sequi non possumus.

Objectiones solvuntur I.

Lib. 2. Misc. cap.

Objectio II. ex Principum annis petitur: nam à *Czechi* adventu juxta nostram sententiam usque ad *Borzivoij* baptismum, & Christi fidem susceptam (quam suscepisse certum est A. 864. ùt ante diximus) id est ab A. 315. (nos enim ponimus indeterminatè *Czechi* adventum inter A. 300. & 330.) usque ad A. 864. decurrerunt anni 549. & regnârunt Principes in Bohemia duodecim cum Borzivoij initio, qui cœpit regnare A. C. 856. Quâ ratione igitur dici potest quinque sæcula regnando impleviss, & tanto tempore regnâsse? in nulla historia fortasse reperietur exemplum, ut duodecim tantùm Principes 549. annis regnârint.

Objectio II.

Difficilis primâ fronte objectio est, *sed ad pauca respicientibus*, quod, ait *Aristoteles*, errori proximum est. oportet enim multa respicere eum, qui bene & prudenter velit judicare.

Inprimis respondeo: Nos nihil certi & evidens de numero & vita Principum nostrorum habere. Quis enim asseverare potest, non plures in Bohemia Ethnica Principes extitisse, quàm qui nominantur? *Wnyslaum*, *Wladibojum* seu *Wlademarium*, Bohemiæ Principes *Hagecius* & plures alij Scriptores nostri nesciverunt, quos tandem ex historijs manuscriptis & Authoribus Germanis, qui propè coævi fuerunt eruimus; plu-

res fortasse eruerentur, si *Annales* Bohemiæ vetusti (quos in tunicis & corticibus arborum scriptos fuisse alicubi testatur *Hagecius*) extarent; *Cosmas* primus fuit, qui Bohemiæ historiam confecit, & A. 1125. vitâ decessit post annos septingentos & amplius quàm à *Czechis Bohemia* populo impleri cœpisset; facilè igitur fuit aliquem ex Principibus præteriri, aut aliquem hiatum temporum admitti, cùm omnes *Cosmæ* narrationes tantùm ex traditionibus, & pauculis veterum Notatis ortum habuerint. Ac profectò (quod repeto) nisi Germanorum Scriptorum, qui tum, aut propè ea tempora vivebant, & ea, quæ viderunt, describebant, authoritate niteremur, magna pars historiæ Bohemicæ nutaret; v. g. si *Jornandem, Procopium, Vitikindum, Hermannum, Sigebertum, Nonnosum, Wipponem, Frodoardum, Reginonem, Ditmarum, Helmoldum*, & cæteros magno numero, non haberemus, nihil de bellis cum *Carolo Magno* ejúsque filijs, & Nepotibus, Abnepotibúsque gestis, nihil de Lucensium Principum cum Francis bellantium historia, nihil de *Celedruh*, nihil de *Lecho* vel *Lechone*, nihil de *Itzo* (quos inter Bohemiæ Duces aliqui Scriptotes nominant) nihil de *Slauicza* vel *Slauata*, nihil de Moravia & Rege *Samone*, nihil de *Rege Rastizize* vel *Rastice*, seu *Radislao &c.* ex nostris Annalibus haberemus.

Historia Bohemiæ nititur Germanorum Scriptorum authoritate.

Secundò respondeo: longam nostrorum Principum vitam fuisse: si vel quatuor Principes nostros *Cracum 2. Przemyslaum 1. Nezamyslum* & *Mnatam* accipias (juxta *Pulkauæ, Stransky, Weleslauini* & aliorum Scriptorum supputationem) ex quatuor horum Principum vita ducentos octodecim annos confeceris: nam *Cracus II.* duos & sexaginta annos, *Przemyslaus* quinquaginta quatuor, *Nezamyslus* quadraginta novem, *Mnata* tres & quinquaginta regnârunt annos; restabunt igitur ferè octo Principes, qui reliquum tempus regnando impleverunt.

Anni Principum Bohemiæ cur nõ sint computandi à vita ad vitã Principis.

Tertiò: malè computari annos à *Czechi* adventu usque ad *Borzivoij* regnantis annum nonum: non enim 565. annis continuis regnârunt 12. *isti Bohemiæ Principes*, sed multa tempora ex ijs annis subtrahenda sunt: subtrahendi enim sunt anni minimùm 10, cùm *Czechus* advenit, & *Turskonem* adjuvit, quibus privatus, & nondum Princeps in Bohemia vixit; Item *Turskone* occiso aliquot anni fluxerunt antequam *Czechus* succederet; deinde anni minimum 10. aut 12. subtrahendi, postquam mortuo Czecho *per longissimum tempus* (ùt *Stransky* loquitur) *Duce caruerunt Bohemi*; Item aliquod tempus, quo *Libussæ* sorores Imperio cesserunt, & hæreditatem parentis divisérunt, & Optimates ac populus *Libussam* pro Duce acceptârunt; Item anni 13. quibus *Libussa* sola regnavit in Bohemia; Item anni minimùm 6. tutelæ *Wratislai Lucensis Principis* cùm parvum

vum filium *Neklanum Crzezomysl* reliquisset; subtrahenda etiam sunt necessaria Interstitia temporum, quæ inter unius Principis mortem & alterius creationem effluxerunt: non enim, ut primùm aliquis Princeps obijt, sequenti die in ejus locum alter succesit: convocabatur enim populus ad certam diem ad Comitia (ùt scripsi Decade 2. Miscell. l. 2. c. de *Creatione Principum*) acceptabatur Princeps ab Ordinibus & præsertim à Nobilitate, postea mitrâ *Przemyslai*, vestibus & calceis ejusdem induebatur, ad fontem *Gezerka*; præstabantur juramenta novo Principi, novus Princeps Magistratus conferebat Nobilitati &c. &c. Subtrahenda item *Legatio in Poloniam Bohemorum* ante electionem *Craci II.* & plura hujusmodi; quid si etiam *Czechus* post A. 315. advenerit, cùm asseruerimus inter 300. & 330. advenisse? qui omnes anni si colligantur, facilè annos quinquaginta vel sexaginta conficient, quibus subtractis pauciores erunt anni Principum nostrorum; subtrahe præterea incisiones, & segmenta annorum & mensium: ut siquis Princeps medio anni mense moreretur; aut alter in anni fine crearetur Princeps, historia nihilominus eis annos integros tribueret. Quod si non observetur, magnas controversias inter Historicos facit; nos autem (ingenuè fateor) non habemus vera puncta mensium, quibus Principes sunt mortui, aut creati. Sed hæc omnia, ùt dixi, multùm detrahunt de annis regnantium Principum; cessabit igitur admiratio, quomodo tot annis regnare potuerint: talia enim exempla passim in historijs, & Chronologijs leguntur, & nominatim in *Riccioli Chronologia Reformata*, & in libris *Dionysij Petauij* Nostri. v. g. sex primi Reges Romanorum annis 218. regnârunt, ùt habet *Ricciolus*, ergo duodecim potuissent regnare annis 436. totidem annis circiter quot nostri Principes regnârunt subtractis subtrahendis, ut non numerentur Romanorum Regum interstitia: *Romulus* enim præter triginta septem annos regnavit menses duos, & dies octodecim, & *Numa* post Interregnum unius fere anni regnare cœpit. Et hæc omnia, ùt dixi, probabilem nostram faciunt sententiam, posúntque in Principibus primis Bohemiæ talia interstitia plura inveniri.

Multi anni subtrahendi ex annis ante & post ætatẽ regnantium Principum.

Chronolog. T. 3. P. 2. Catal. 26.

Quartò. Quorundam Principum nostrorum vitam & Imperia nimis abbreviaurnt nostri Scriptores, ùt apparet in *Vogeno, Crzezomyslo*, in *Neklano*, & *Hostiuito*, quod etiam fecerunt in sequentibus Principibus post *Borziuojum*; plura alia ad defensionem Chronologiæ nostræ possent adduci.

Ut autem *Chronologiæ* nostræ ratio probabilior reddatur, adferam hoc loco divisionem omnium Principum, à *Czecho* usque ad *Borziuojum*, non quòd ità esse existimem (nam defectu monimentorum nihil

certi statui potest) sed ut quid mihi verisimile videatur, legentibus aperiam; cùm enim *Weleslavino*, *Stranskyo*, & cæteris licuerit probabiliter annos *Principibus* nostris apponere, eandem mihi audaciam assumsi, & singulis Principatûs annos adjeci, ídque ùt Lectores intelligent satis probabilibus conjecturis; cæteroquin nihil refert, utrum Lectores meam sententiam sequantur, an non, modò illa admittantur, quæ certa esse in hac ipsa dissertatione posui, & alibi probavi.

Divisio Annorum à Czecho usque ad Borzivojum, juxta probabilem Conjecturam.

Quam diu verosimiliter nostri Principes regnârint à Czecho.

FAciamus *Czechum* venisse A. C. 315. hunc annum pono, quia *Weleslavinus* ait sibi lectum *Czechum* venisse vocatum in auxilium *Turskoni* pro *Licinio Ethnico Imperatore* adversus *Constantinum Magnum Imperatorem* pugnanti, qui hoc ipso anno, ùt habet *Petavius* noster, cum *Licinio* conflixit in *Pannonia* (quanquam *Ricciolus* ponat A. 317.) venerit igitur *Czechus* in auxilium *Turskoni* in *Bohemia* regnanti, A. 315. qui in his prælijs interijt. Neque statim ùt insinuant Authores *Czecho Imperium* oblatum est, sed multo interjecto tempore, & ùt *Weleslavinus* & *Stransky* loquuntur, *jam seni Czecho* ab utroque populo *Slavorum* (antiquo scilicet qui ante *Czechum* in *Bohemiam* advenerat, & novo quem secum *Czechus* adduxerat) delata gubernatio est. Hanc moram inter adventum *Czechi*, & inter *Turskonis* mortem & *Czechi* electionem decem Annos suspicor expleviſſe.

315. *Anno christi.*

10. I. *A. C.* 325.

Czechus ùt disertè tradit *Stransky* 27. annis mitissimè & prorsus paternè imperavit.

27. I. *A. C.* 352.

Post *Czechi* mortem partim dolore amissi Ducis, partim quòd desperaret Populus, parem successorem inveniri posse, maximè quòd *Klen* filius *Czechi*, nullam spem boni Ducis faceret, 10. vel pluribus annis Duce Bohemia caruit (*sat longo tempore*, ait *Stransky*, *sinè Duce vixerunt*) donec inquieti homines pacem publicam perturbarent, sceleráque & rapinæ increscerent; itaque necessario consilio Princeps quæsitus est, & ad *Lechum* fratrem *Czechi* in *Poloniam* missa legatio est (unum annum ultro citróque commeantibus Legatis damus) senex *Lechus* ætatem fractam & effœtam excusans consilium Legatis dedit, ut *Cracum* vel *Crocum Dominum* in *Wladorz* Principem crearent. Erat in flore ætatis *Cracus*, qui Principatum continuis annis 50. prudentissimè & felicissimè gessit. Sub hæc fraterna *Polonorum* gens, quòd Principe careret, missis Legatis *Cracum* oravit, veniret, discordias authoritate Senili componeret, ac reliquum

15. I. *A. C.* 367.

1. I. *A. C.* 368.

50. *A. C.* 418

quum vitæ tempus apud eos exigeret; *Cracus* etsi multùm obniteretur, victus tamen Legatorum precibus, priùs *Czechi* suis imposito filio, *Craco II.* appellato, in *Poloniam* discessit.

Cracus II. juxta *Weleslavinum* & *Stransky* 62. imperavit annos, & relictis tribus filiabus discessit è vita.

62. I. *A. C.* 480.

Tres filiæ *Craci II. Bohemiæ* sibi Imperium divisêre, certis Regionibus cuilibet assignatis: hæc divisio annos 2. insumsit.

2. I. *A. C.* 482

Inde summa rerum *Libussæ* natu minimæ virgini, & *Sibyllæ Bohemiæ* permissa, sorores maritorum & filiorum amoribus implicabantur; ità *Sibylla* sola sinè viro 13. annis populum *Bohemiæ* judicavit.

13. I. *A. C.* 495.

Post hæc initio à *Wrssovecijs* facto (qui conjugium *Libussæ* affectabant) coacta Virgo maritum sibi *Przemyslaum Nobilem* aratorem *Stadicensem Dominum* conjugio copulavit; qui cum *Libussa*, eáque mortua solus usque ad longissimam ætatem *Bohemiam* gubernavit. *Stranskium* Authorem habeo 54. annis imperâsse.

54. I. *A. C.* 549.

Post *Przemyslaum Nezamyslus Przemyslai & Libussæ* filius successit; unanimi Scriptorum nostrorum consensu 49. Annis imperavit. Post hunc *Mnata Nezamysli* filius (*Stranskio* Authore) in Imperio 53. exegit Annos. Notandum est *Weleslavinum*, malè, ùt ità dicam, sibi conscium, quatuor sequentium Principum annos annotare omisisse, nè fortè titubâsse in numeris deprehenderetur.

49. I. *A. C.* 598.

53. I. *A. C.* 651.

Mnatam excepit filius *Vogenus*, cui *Stransky* 28. Imperij annos tribuit, ego ob multitudinem actionum, & diuturna bella cum *Romanis*, cum *Saxonibus* sæpius, & cum *Misnicis*, aliisque hostibus; fundatam & extructam *Veterem Urbem Pragensem &c.* Annos 38. tribuo nullo repugnante, faventibus quibusdam manuscriptis. Idem sentio de *Wnyslao*, quem *Hagecius* in suis *Annalibus* omninò prætermisit; at *Stransky*, & vetera *Ecclesiæ Pragensis* manuscripta *Wnyslaum* in ordine Principum semper nominant, eúmque diutissimè imperâsse significant, annos igitur Imperij ei tribuunt 26. *Crzezomyslum* deinde Principem accepit *Bohemia*, quem 42. annis sceptra tenuisse *Stransky* posuit.

38. I. *A. C.* 689.

26. I. *A. C.* 715.

42. I. *A. C.* 757.

Neklan deinde duodecim annorum puer relictus à patre, sub tutela *Wratislai Lucensis Principis* 6. annos, donec decimum octavum ætatis annum attingeret, perstitit. Pòst suis auspicijs gubernavit Remp. annis 45. timidissimus Principum, & ideò vicinorum armis, & contemtui obnoxius; sed strenuissimos militiæ Duces nactus *Principatum Bohemiæ* repulsis hostibus utcunque defendit.

6. I. *A. C.* 763.

45. I. *A. C.* 809.

Filius Hostivitus vel *Milehost*, bello & pace insignis Princeps (ùt in Capite XI. dictum est) postea belli pertæsus, longam pacem coluit, &

47. in Imperio exactis Annis filio *Borzivojo* primo *Christiano* An. Christi 856. moriens, Principatum reliquit.

Is post annos novem *Welehradij* in Moravia Christi fidem suscepit sacris aquis ablutus. Qui baptismum *Borzivoij* An. Christi 894. posuerunt (ùt *Weleslavinus*, *Stransky*, *Hagek &c.*) irrefragabiliter ex *Baronio*, *Bollando*, & ex vitis *SS. Cyrilli* & *Methodij*, à Coævo authore scriptis, quas recitat *Bollandus*, refelluntur. Chronologicum errorem, qui irrepsit in *Cosmæ* historiam per Scriptoris negligentiam & inscitiam, ostendi in *Epitome* ex *Christanno* antiquissimo, & antiquiore, quàm *Cosmas* fuerit scriptore, quippe *Boleslai* primi seu Sævi filio.

Baron. in Annal. Eccl. Boll. in vitis SS. T. 1. Martij ad 9. diem

Epit. rer. Boh. l. 1. c. 3. Christann. in vita S. Ludmillæ.

Quod si quis in hac mea conjecturali annorum ab adventu *Czechi* ad Baptismum *Borzivoij* Divisione annos sex aut novem desideret, addat ex Interstitijs Principum atque ex ijs, quæ in responsione ad *Objectionem* secundam attulimus, quot annos voluerit, & Chronologiæ satis fiet.



TABU-

TABULA II. Genealogica Przemyslæi sangvinis usque ad Borzivojum, primum Christianum.

Przemyslus Stadicensis villæ Dominus. ψ Libussa Croci II. filia Bohemiæ Princeps.

- Nezamysl Princeps V. ψ I. Hruba de Budovicz. II. Lidomira de Wolan.
  - Mnata VI. Princeps Bohemiæ. ψ Strzezyslava de Hlazow.
    - Smyslibog obijt triennis.
    - Vogen alijs Bogen, VII. Princeps Bohemiæ.
  - Wnyslaus, alijs Uneslaw, vel Unyslaw VIII. Princeps Bohemiæ. ψ N. ignoratur.
    - Wratislaus I. Princeps Lucensis seu Zatecensis, vel potiùs Luzicensis.
      - Crzezomysl IX. Princeps Pragensis. ψ Libusska de Weleslawicz.
        - Neklan Princeps X. Pragensis. ψ Ponislawa de Wolssine.
          - Hostivit seu Milehost Princeps Pragensis XI. ψ Miloslawa de Dworce.
            - Borzivojus XII. Princeps, de quo in sequenti Tabula.
          - Nebyhost. obijt septennis.
        - Wratislaus II. Princeps Lucensis. ψ N.
          - Wlastislaus Princeps Lucensis. ψ Widislawa de Prautku, alijs Wladislawa.
            - Mstibog vel Ctibog Princeps Caurzimensis vel Zlicensis.
              - Radslaus vel Drslaus Princeps Caurzimensis.
            - Zbislaus Princeps Lucensis submersus in Egra fluvio.
          - Slavata Princeps, ex quo descendit familia Slavatarũ.
      - Kazka vel Kraska de Kassina, alijs Walna Przechi filia.
        - Styba uxor Bezdechi.
    - Libka. Pohogka. Slavena.
    - Radobeyl Princeps Lucensis, Teplicensis & Lipensis.
      - Lidomir Princeps Srbiensis in Lusatia & Misnia. *ignoratur Successio.*
    - Bañka de Zwolice.

NOTÆ

Notæ in Tabulam II. Genealogicam Przemyslæi sangvinis.

Prima linea nota est ex Capite IV.

Secunda linea *Nezamysli* nota est ex Cap. 5. Uxores *Nezamysli* descripsi ex *Weleslavino*, cùm alij Authores fileant, idem est de *Nezamysli* fratribus *Radobeylo*, & *Lidomiro*.

Tertia linea *Mnata* &c. in Cap. 6. de eo dixi. *Strzezislava* scribitur fuisse filia *Rahnovÿ*. *Lipka* & duæ aliæ filiæ *Nezamysli*; aliud nihil scitur.

Quarta linea de ea Cap. 7. egimus, reliqua sunt ex *Weleslavino*.

Quinta linea de *Wnyslao* egi Cap. 8. uxorem ejus in Scriptoribus non invenio, uti neque *Wratislai* Principis Lucensis, neque de *Stiba* quidquam reperitur.

Sexta linea *Crzezomysl*, actum est de eo Cap. 9. uxoris *Libussæ* Pater scribitur fuisse *Rodmil*. *Wratislaum II.* posui ob argumenta, quæ attuli in Notis ad C. 10.

Septima linea de *Neklano* diximus Cap. 10. de uxore *Ponislava* nihil habeo dicere. De *Wlastislao*, & fratre ejus *Slavata*, latè egi Cap. 10. & 11.

Octava linea de *Hostivito* egimus Cap. 11. ejus uxorem *Miloslavam* vocat *Weleslavinus*, de *Mstibogio* Principe Caurzimensi hæc habet idem *Weleslavinus*, eum cùm *Hostivito* bellum gessisse, Arcem *Mstibin* construxisse; à dæmone cùm non satis ritè eum coleret, strangulatum esse in Arce *Ohbi*, & reliquisse filium *Radislaum*, de quo egimus Cap. 11. *Zbislaus* puerulus à Præceptore suo natione *Thuringo* in *Egram* conjectus, demersus est; quem Præceptorem *Hostivitus* cepit, & coëgit arborem eligere pro suspendio.

Nona linea de *Borzivojo* XII. *Principe* Bohemiæ agemus in sequentibus; ubi etiam ejus stemma & propagatio adducetur.

Pervenimus ad XII. *Bohemiæ* Principem *Borzivojum*. Hi duodecim *Bohemiæ* Principes ex tribus familijs orti fuerunt, scilicet: ex *Czecho*, *Craco*, & *Przemyslo*. *Czech* præter se nullum ex gente sua Ducem reliquit, etsi *Supan* & *Turescus* fratrésque eorum proximâ cognatione *Czechum* attingerent, & filius *Klen* adstaret, præteriti tamen omnes in *Croci* electione fuerunt. Graves Authores affirmant, ùt antè monui, *Wrssovecios* seu *Ravitas* (quorum gloriosam stirpem totâ *Bohemiâ* & *Poloniâ* diffusam videmus) ab eadem cum *Czecho* origine, aut fortè ejus filio *Kleno* descendere, aut quocunque alio titulo, *Czechum* ad eos pertinuisse videri; quo nomine postea *Bohemiæ* Principatum velut sibi, gentíque suæ debitum repetebant, cúmque id armis non possent, insidijs, & malis artibus tentabant efficere, multósque è *Przemyslæa* gente Principes, exceptos insidijs, ùt narrant historiæ, peremerunt, at nunquam quod cupiebant consecuti, *Przemyslæâ* Principum & Regum stirpe ad An. usque Christi 1305. (quo Anno in *Wenceslao* ultimo *Olomucij* confosso, concidit) in gradu stante & quamvis Interregnis pluribus turbata sit *Przemyslæorum* Principum dominatio interrupta nunquam est, cùm ipsi Interreges ex eadem stirpe, ùt videbimus, postea legerentur. Hujus stirpis Genealogiam claritatis gratiâ totam per partes in sequentibus dabimus; *Croci* verò vel *Craci* jam Tabulâ primâ post Caput 3. dedimus. Porrò quæ hoc loco de familia *Przemysli* concidente & pereunte dixi, de Regnatrice familia intelligenda sunt: nam alioquin tres adhuc stirpes supersunt apud nos, ùt *Paprocius*, *Stransky*, aliíque affirmant, quæ ex sangvine *Przemysli* descendunt, & sorte suâ contenti nullâ unquam ætate Principatum & Regnum affectârunt. Similia exempla adduci possunt ex aliarum gentium historijs, in quibus familiæ illustres quædam probantur à primis Regibus & Principibus descendere, nunc

Pulkava in hist. Bohem. Chronicon. Boleslav. M. S. Theobald. in Chronol. Ducum Boh.

Przemyslæa familia regnatrix quando perijt.

nunc tamen pridem præteriti à Regno, privatim vivunt, & Regna nihil ad se pertinere putant.

Notandum & illud II. hasce Genealogicas Tabulas, & quas confecimus antea, & quas conficiemus deinceps, ad eos potissimum *Bohemiæ* Principes, qui *Pragæ* imperârunt, pertinere; plures autem initio in *Bohemia* Principes imperitasse, certissimum debet haberi; sed quodammodo devorati sunt à Pragensium Principum potentia, & paulatim in unius dominationem redacti, ùt *Bilinenses*, *Teplicenses*, *Lipenses*, *Lucenses*, *Caurzimenses*, & si qui fuerunt alij.

Notandum III. quas attulimus Genealogias *Przemyslæorum* Principum, defectu historiæ exactissimas non esse, an enim satis credibile est, Duces *Bohemiæ* Ethnicos, nunquam plures quàm unum vel duos liberos genuisse? at antiquitas regnantes tantùm recensere solita fratres Principum, patrueles, & filias maximè, nominare omisit, ut pauculæ in Genealogijs adduci possint.

Genealogiæ nostræ & aliorum non sunt absolutissimæ.

Caput XII.

Borzivojus Bohemiæ Princeps XII. & primus Christianus.



Cum lumine Christianæ fidei, lumen etiam *Bohemiæ* historia accepit, quod æquè in omnibus Populorum maximè septentrionalium *Annalibus* accidisse videmus; à *Borzivojo* Duce certiora sunt omnia & suis distincta temporibus. Igitur *Hostivito* Patre tumulato *Borzivojus* 22. ætatis Anno, prærogativâ *Przemyslæi* sangvinis (qui titulus etiam in liberis Regnis plurimum valet sempérque valebit) *Bohemiam* susscepit regendam. Domi charitate Populi, foris fœderum sanctitate, quæ Pater reliquerat, quietus in *Bohemia* sedebat *Borzivojus*, vicinis Provincijs omnibus bello ardentibus: *Radislaus Moraviæ Rex* (quem *Rastiçen Germani* appellant) jam ab annis compluribus turbabat omnia, & maximè cupiebat *Borzivojum*, quò magìs *Ludovico II. Lotharij* filio *Caroli Magni* Pronepoti par esset, in societatem belli pellicere. Ergo Anno 864. mense Junio *Welehradum* ad se invitat, quam opportunitatem *Cyrillus* & *Methodius*, *Swatopluco Regis Radislai* nepote plurimùm annitente, arripuerunt, Fidem Christi *Borzivojo* prædicandi: in pervigilio *S. Joannis Baptistæ* 30. Aulicis, quos omnes aut Proceres *Bohemiæ*, aut Procerum filios fuisse scribunt, solenni cerimoniâ lustralibus aquis expia-

Cur Borzivojus Princeps in Moraviam descenderit.

piatus inter Christianos nomen professus est suum *Borzivojus*. Eam Religionis mutationem cùm accepisset *Bohemiæ* Populus, anilibus superstitionibus adhuc deditus consurrexit, & exauthorato *Borzivojo Stugmirum* (Germanis *Stillfridum*, *Bilinæ* quondam Dominum, ab *Hostivito Borzivoji* Patre ob contumaciam, quòd suo Principi subdi nollet, *Bohemiâ* ejectum) revocavit, Ducémque constituit; at *Stugmir* apud Bojos bohemicè loqui oblitus, & de Religione Christiana Populo suspectus, præsertim factione *Borzivoij* invalescente, decimo quàm imperare cœperat mense, receptis decem argenti, & tribus auri talentis in Boicam redijt; *Borzivojus* ope soceri sui *Slavvibori* Comitis *Melnicensis*, cujus filiam *Ludmillam* in conjugio habebat, recuperavit Imperium. *Stugmiro* ejecto Bohemos in Bavariam irruptionem fecisse, & omnia incendijs, & rapinis fœdâsse, abductis in servitutem multis mortalibus, narrat *Brunnerus* noster (nostri Scriptores hîc altùm silent) at *Borzivojus* utpotè *Christianus* Princeps, & ad justitiam bellorum attentus composuit omnia, & postquam septem annos in paterno Principatu optimè constituendo consumsisset, sanctæ solitudinis amore captus, quietem circumspiciens in loca sola *Tetinum* cum Conjuge Ludmilla commendato priùs Principibus & Populo, natu maximo filiorum *Spitihnæo* secessit.

De Stugmiro seu Stillfrido.

Brun. in Boicis p. 2. l. 6.

Notæ in Caput duodecimum.

Cum Christiana Fide historia illustratur.

Cum lumine Christi historia lumen &c. Nihil verius esse potest, nam Ethnici armis dediti literas oderunt, ùt hodiéque in Turcis & Tartaris videmus, apud quos malè frameæ cum penna scriptoria convenit; sed nimirùm quod *Alphonsus Magnus* dicere solebat: *Penna Scriptorum penetrat loricas bellatorum*, nec enim ulla virtus, militaris præcipuè, sinè auxilio literarum vivit & perennat. Ac permirum illud est omnium propè gentium historias à Viris sacris & Sacerdotibus primitus esse conscriptas; id probari potest inductionibus: apud nos certè in *Bohemia* primarij Scriptores, aut Religiosi, aut Sacerdotes fuerunt: *Christannus*, *Cosmas*, *Franciscus*, *Hagek*, *Dubravius*, *Pontanus*, *Pessina*, *Crugerius &c.* qua in re ridiculum se ostendit *Goldastus*, cùm *Hagecium* erroris insimulans, per *Sarcasmum* excusat, *condonandus*, inquit, *error historicus Sacerdoti*, quasi ignorare potuisset omnium gentium historias, à Sacerdotibus (non à *Causidicis*, qualis erat *Goldastus*) scriptas esse; nimirùm malè habebat *Goldastum*, quòd homines sacri Religionem defenderent, & primam in Republica esse debere docerent. Quis quæso, veritati studet magis, quàm qui *ad aram veritatis* quotidie litant? *veritas enim*, ùt ait *Polybius*, *est oculus historiæ, quem is eruit, qui historiæ veritatem detrahit.* De hoc argumento videatur *Theophilus Raynaudus* noster Tomo 17. Tr. cui Titulus: *Malevoli erga Religiosos Ordines maledicti.* & iterum; *Benevoli erga Religiosos Ordines benedicti*, in quibus manifestè demonstrat, quam operam scientijs dederint & quale auxilium attulerint bonis literis sacri Viri, ac præcipuè Religiosi. Certè *Societas nostra* (absit verbo jactantia) hoc uno sæculo & medio, tot volumina in omni literarum genere vulgavit, quot legendis *Goldasti* ætas nunquam sufficiat. Verbo dicam: Sacerdotes rebus humanis exempti

Sacerdotes apud omnes gentes historiarum Scriptores.

Polyb. in præfat. histor.

exempti plùs habent otij; consilijs rerum adhibentur; paucioribus affectibus ducuntur; ijsdem scientijs sunt exculti, novitates oderunt, securiùs (quia nulli profano ob dignitatem obnoxij) scribunt, & veritatem proferre in lucro reponunt; libris abundant, & *Bibliothecarum* in Ecclesijs vetustis, Capitulis & Collegijs adyta perlustrant, quibus privati homines plerumque destituuntur, temporis parsimoniâ non laborant, quo cæteri negotijs Reipublicæ, re uxoriâ & familiari districti, propemodum carere videntur; denique impedimenta omnia scribendæ historiæ &c. absunt à Sacerdotibus, præsidia & adjumenta adsunt & suppetunt.

Comoditas sacrorũ hominum, historias scribendi.

Borzivojus primus Christianus &c. Idolorum cultores, omnes priores Principes fuêre, Religionem Christianam tamen in *Bohemiam* inductam *Neklano* & *Hostivito* regnantibus, inficiari non possumus, cùm in *Caroli Magni* & filiorum ejus gestis legamus quatuordecim *Bohemiæ* Proceres Christi fidem amplexos, & ab idololatria ablutos esse, sed ea ferè violentè non sponte gesta sunt, Victore Religionem imperante; ùt crepusculum matutinum diem, appellare non possumus, ità confinia ista superstitiosæ Anilitatis & idololatriæ Christiano nomine non dignamur. *SS. Cyrillus & Methodius* primi, publicè & privatim *Borzivojo* Principi, & Bohemiæ universæ cœlum, & diem aperuêre, ùt brevi dicemus.

Fuld. & Schaffnab. ad A. 840. Sigebert.

An ante Borzivojũ Christiana Fides in Bohemia?

Domi caritate Populi, foris fœderum Sanctitate &c. Alterum Principem amabilem, alterum honorabilem facit, dum fœdera sanctè servantur. Ecquod ait S. *Synesius* (in nobili illo tractatu de Regno ad *Arcadium*) *munitius Imperium est, quàm illud quod amore & charitate munitur?* amor enim subditorum est fidissima custodia Principum. Gloriatus est, gloriosissimus quidam Princeps se in sinu cujusque subditi sui securè somnum capere posse. O gloriatio optimo Principe dignissima! *Herodotus* talem nobis Principem depingit in *Xerxe*, cujus navis cùm in mari periclitaretur, & vectores ex multitudine hominum id fieri dicerent, multi ex Aulicis, adorato priùs Rege, se in mare præcipitârunt, ut Rex securiùs navigaret.

Amor subditorum custodia Principum.

L. 8. seu in Vrania.

Religionis mutationem &c. Nullâ re faciliùs turbantur Regna quàm Religionis mutatione, atque utinam hanc curam, quoties nova hæresis orta est, Reges suscepissent, ùt nihil novi in Religione admitterent, nulla hæresis eorum Regna turbâsset! nihil tunc *Arius*, nihil *Lutherus*, nihil *Calvinus*, & cæteri potuissent! novitas ipsa in Religione & Ecclesia, cui Deus se adfuturum usque ad consummationem sæculi continuo & non interrupto auxilio, & assistentiâ promisit (vel ex eo quòd sit novitas) damnatur, sic Religionibus, proh dolor! in quatuor partes divisus est Orbis, sed fiet aliquando unum ovile, & unus Pastor, & quod olim carmine lusimus: *Crux, quæ divisit, jungere sola potest.*

Religionis diversitas turbatio Rei publicæ.

Ludmillam in Conjugio &c. Etli nuper dixeram in conjugijs *Principum* utilitatem & dignitatem & honestatem spectari debere, tamen cùm *Princeps* nec in suo satis securus est, consilium laudabitur, si familiam aliquam in suo Regno gloriosissimam & amabilem subditis, suo conjugio honoret, ad firmandam domi potentiam; quo fine *Borzivojus Ludmillam* accepit in conjugem *Comitis potentissimi Slavibori* filiam; quod nisi fecisset, nunquam Ducatum paternum recepisset; nullus enim in Patria est Nobilis & Illustris Vir, qui parentelâ destituatur, putántque ex ea gente omnes, imò & affines, & longè cognati tali conjugio Principis se honoratos, ideóque rebus Principis impensè favent, & si quid adversus eos struitur, observant & produnt, scientes quòd Principe mutato gratiam, & apud Populum æstimationem & authoritatem, quam nunc habent, sint amissuri.

An Principẽ deceat conjugium cum suis.

Borzivojus Welehradum invitatur &c. Hinc manifestè conjicimus, Bohemiam eo tempore (quod tamen plurimi Scriptores tradiderunt) *Moraviæ Regibus* subjectam non fuisse; id adeò patet ex hac invitatione & fœdere *Hostiviti* (non enim

Bohemia sub Borzivojo Moravis nõ subjecta.

coſdem amicos & hoſtes *Bohemi* & *Moravi* habuerunt, ſed cùm *Moravi* bella gererent, *Bohemi* quieſcebant, ùt apparet ex Scriptoribus) hoſtes *Moravorum* per *Bohemiam* pacatè in *Moraviam* tranſibant, & cùm *Moravos* vincerent, victoriâ modeſtè in *Bohemia* utebantur &c. accidiſſet contrarium ſinè dubio ſi *Moravis Bohemia* paruiſſet.

Multis Principibus grata & utilis ſolitudo.

In loca ſola Borzivojus ſeceſſit &c. Nihil gratiùs Regibus ſapientiſſimis fuit, quàm poſſe illam Majeſtatis plenam perſonam deponere, & cum amicis (quibus maximè egent Principes) confabulari, atque etiam familiariter jocari. De ſole Phaëtontis Patre oſculum filio daturo, canit *Ovidius*: *Circum caput omne micantes depoſuit radios.* Notum eſt etiam peſſimis Principibus & Regnorum Præfectis hoc conſilium, ùt Annibal Scotus obſervat, ejus verba ſunt: *Magnis Viris ſæpe ſeceſſus aguntur quò intentiùs iram, ſimulationem, & ſecretos animi motus exerceant, & in altitudinem ſe condant. Occaſione poſtea oblatâ promunt, quæ in illa ſolitudine concoxerunt*; talem video ſolitudinem fuiſſe *Tiberij Imperatoris in Capreis.* Deteriores illi ſunt, qui ſolitudinem prætextu pietatis ſequuntur, ut inimicos ulciſcantur ſuos, ut eorum promotionem impediant, ut Principem ſibi concilient, & fucum faciant ex pietate &c. ut vias amicos adjuvandi inveniant, &c, &c. nihil horum *boni Principes* in ſolitudine agunt, ſed ſtatum Imperij ſui ſeclusis affectibus examinant; damna accepta perpendunt; quâ ratione fideles ſubditi adjuvari poſſint, & his ſimilia ad populi incolumitatem, felicitatem, ſecuritatem pertinentia provident in futurum, egregiè *Annibal Scotus* politicorum initio hujus ſæculi facilè princeps, quid agere cùm ſoli ſunt Principes debeant, oſtendit: *Principes*, inquit, *ſemper ſuâ manu conſcribant: quantæ ſint opes Publicæ; quantum ſociorum civiúmque in armis; quot claſſes, quot Regna & Provinciæ, earúmque tributa; quot vectigalia, quæ neceſſitates ſingularum, quot largitiones ſuæ &c.* talem libellum reliquit *Tiberio Auguſtus*, & Patrum memoria *Franciſco filio Coſmus Medices, Magnus Dux Hetruriæ.*

Comment. in Tac.

L. 1, in Tacit.

Quid cum ſolus eſt, Principi faciendum.

CAPUT XIII.

Spitihnæus primus ejus nominis, Princeps Bohemiæ XIII. & Wratislaus I. Princeps XIV.





Spiti-

Spitihnæus cedente *Patre Borzivojo*, & ſanctæ ſolitudinis amore *Tetinum* abeunte circa A. C. 904. imperare Bohemiæ cœpit; at cùm ex malorum Politicorum legibus, idololatris ſubditis nimiùrm mollem ſe ac facilem ubiq; præberet, & modicam Chriſtianæ Religionis proferendæ, contra monita Patris & Matris curam ſuſciperet, vix expleto Principatûs biennio nullâ re memorabili geſtâ, divinitus ùt creditur ſublatus è vita, in Teinenſi *B. V. Baſilica* Anno Chriſti 906. tumulatur.

Principis perverſa politia.

Eodem ipſo Anno *Borzivojus* præſenti neceſſitate ex ſolitudine extractus, ut filij juventutem conſilijs ſuſtentaret, alterum filium juniorem *Wratislaum* nomine, ordinibus omnibus Bohemiæ volentibus & plaudentibus, præfecit. Nihil *Wratislao* ad bene regnandum, ſi ætatem excipias, defuit; ipſa juventus & gratia formæ, Populo, ùt ſolet, placebat; conſilia ex abdito ſuggerebat Pater, & quaſi à filio proderent, ut authoritatem ei conciliaret, ſimulabat; id quatuor annis tenuit, dum denique Senio confectus *Borzivojus* fatiſceret anno 910. *Tetini*, expletis 77. aut etiam pluribus annis, ibidémque ſepultus. *Wratislaus* cuſtode remoto, jam inde, quò ardens juventus & *Genius* incitabat, arma & militiam cogitabat, itaque cùm *Hunni Bojos*, & Germaniam infeſtarent, meminiſsétque à Bojis Patrem ſuum de Principatu propè dejectum, injuriæ memor, arma & copias ſuas cum Hunnis conjunxit, & quia exercitum ex Ethnicis majorem partem collectum haberet, multas Arces, caſtella, templa, cœnobia flammis delevit; ſed *Otto* (non ille *Cæſar Magnus* cognomine, ſed ejus *Avus Henrici Aucupis Pater*) collecto in ſubſidium Bojorum exercitu loco anguſto, ubi equitatui pugnandi locus non eſſet, hoſtes nactus, & *Hunnos & Bohemos* fugavit, victoriam tamen non proſecutus; in *Thuringiam* igitur deflectentes & omnia vaſtantes irruerunt, ibíque *Burcardo* Regionis Domino occurrente, & in acie cadente, opima & pretioſa ſpolia retulerunt. *Hunni* domum revertentes, nullo amicorum & hoſtium diſcrimine *Moraviam* pervaſtabant, quibus irritatus *Wratislaus*, præcipuè quòd ejus auxilium *Moravi* implorâſſent, ſubitò cum exercitu accurrit, & *Hunnos* depulit; ità quam antea infamiam ſibi inuſſit ex ſocietate malorum, eandem facinore militari delevit. Habuit uxorem ex *Lucenſi* vel *Zluticenſi* ùt alijs placet, Ethnicorum in Bohemia Provincia, nomine *Drahomiram* (quæ ſe Chriſtianam fore lingvâ promiſerat, mente in exitium omnium *Chriſtianorum* ferebatur, & jurabat quotidie, quod poſtea factis ſceleratis approbavit) *Duos filios Wenceslaum* & *Boleslaum*: alterum *S. Ludmillæ Tetinum* educandum dedit, *Wratislaus*

Juventus Principis placet populo.

Bella Wratislai.

De Drahomira.

Wratislaus alterum minorem apud se retinuit, iisque Principatum, nè quid discordiæ inter fratres oboriretur, divisit, *Wenceslao Pragensem*, *Boleslao Transalbinam* regendas cum Principum titulo Provincias committens. Obijt *Wratislaus* An. C. 916. cujus tumulum apud S. *Georgium* in Arce Pragensi, hodiéque videmus, & legimus cum titulo *Beati*. Plura de his in Borzivojo L. 4. Miscell. & in Epitome diximus.

Notæ in Caput decimum tertium.

Subjecti quâ ratione Principi regendi si inter se moribus dissidiant.

Ididololatris nimiùm tribueret &c. Magnum arcanum politicæ est, cùm *Princeps* subditos habeat, aut lingvâ, aut studijs, aut Religione diversos cuinam se parti adjungere debeat? si jam in mores inductum est, hanc Provinciam his, illam illis legibus regere (maximè si promisit) id omninò tenendum est. *Scipio Ammiratus hæc in politicis* super *Tacitum* diligenter excussit; Religio sola excipitur, quæ Principi scopus esse debet, ad quem omnia referantur, quo in genere peccavit *Spitihnæus*, qui Religionem, & Regionem juxtà habuit, Exempla tot sæculorum ostendunt in Religione maximè peccari à Principibus, cùm omnes Religiones permittunt, quo facto Seminarium rebellionum sibi, & successoribus pariunt, sed excindenda, imò magis effodienda sunt semina, *nè pars sincera trahatur.*

Principes laudabiliter successorem dubium non relinquunt.

Alterum filium juniorem Bohemiæ præfecit &c. Nihil gratiùs bonis *Principibus* esse solet, quàm filios Regnis imponere: nam quod desiderant fieri se mortuis, vident viventes; insuper gratius est regimen, quod ex senectute & juventute componitur: nam aulici senes à Patre, filio commendati non deseruntur, juvenes ætatis similitudine juveni Principi commendati spe eriguntur.

Juventus & forma Wratislai Populo placebat &c. Est quidam Principis vigor in juventa, qui Populo placet, & cùm Aristoteles scribat: *Juvenes beatificari propter spem*, longè verius est in *Principe*, qui etsi ignavissimus futurus sit, tamen nescio, quam indolem præsefert, omnésque ejus gestus, mores & dicta prout ætas fert, mobiles & inconstantes, in argumentum futuræ generositatis trahuntur.

Militia Principum opificium.

Wratislaus arma & militiam cogitabat &c. Militia est opificium Regum, neque aliter sese nobilitare faciliùs, quàm armis possunt, aut pace. Rari sunt Principes, qui olivâ, & lauro triumphârunt; illa utilitatibus Populi, hæc gloriæ Regis maximè subservit, militiæ triumphum non alibi pulchriorem & elegantiorem invenies, quàm in Plutarcho, ubi literarum studia cum armis comparavit. Est enim Regum cibus gloria; ùt enim venatores venatu vivunt, sic Reges victorijs; illud curandum ut justæ victoriæ sint, ut non modò ab hominibus, sed etiam approbentur à Deo.

T. 2. Moralium L. bellóne an pace clariores Athenienses.

De Ottone Henrici aucupis Patre.

Otto Henrici Aucupis Pater &c. Scriptores nostri in hoc *Ottone* falluntur, & *Ottonem Magnum* nominant Nepotem Proavi, ùt *Chronologiam* Imperatorum inspicienti patebit. Ego quoque à *Crugerio*, *Pessina* seductus *Ottonem Magnum Cæsarem* in *Epitome* nominavi, qui tum nascebatur.

Muliebris dolus. *Lipf. Elect. lib. 1. c. 5.*

Drahomira lingvâ promiserat &c. Scilicet, ùt ille ait: *Juravi lingvâ, mentem injuratam gero.* Et illud Nobilis, sed ignoti *Poëtæ:*

Omnis mulier intra pectus celat virus pestilens,
Dulce de labris loquuntur, corde vivunt noxio.

Nescio enim unde illa fraudis origo? *Aristoteles in historia animalium* de avibus loquens, plerosque masculos simplicioris ingenij, contra fœmellas fraudulentiores esse

esse animadverit; quod etsi in omni animalium genere verum non videatur, in genere humano tamen vix non concesserim.

Chronologia Wratislai.

Obijt Wratislaus A. C. 916. &c. Hagek Borzivojum A. C. 874. natum, mortùm 36. ætatis affirmat, ex quo conficitur (ùt patet) *Spitihnæum* tertio decimo ætatis Anno gubernaculis admotum, *Wratislaum* verò nondum expleto quarto decimo ætatis Anno *S. Wenceslaum* procreâsse; quod in Epitome falsum clarè ostendimus Lib. 1. Cap. 4.

Caput XIV.

Sanctus Wenceslaus XV. Bohemiæ Princeps, atque etiam Rex.



S. Wenceslai & Boleslai educatio.

Wratislaus duos impuberes filios moriens sui loco *Bohemiæ* reliquit: de *Boleslao* dicemus postea, *Wenceslaus* natu major, octennis erat dum Patrem amisit, quem Christiani Proceres, ut Matrem *Drahomiram* impotentem fœminam in officio continerent, útque certior ejus dominatio fieret, Populo ostentârunt; illum *Pragâ Tetinum* redeuntem *Ludmilla* avia, sanctissima Matrona, *Budecium* properavit mittere ad studia litterarum, addito Magistro morum spectatissimæ virtutis Sacerdote *Paulo Ketcha*; *Boleslaum* alterum filiorum septennem *Drahomira* sibi educandum sumsit, sed brevì educationis diversitas apparuit. Secuta deinde sunt certamina Principum fæminarum: *Ludmilla*, ùt filij, ità & Regni gubernationem ex suprema voluntate *Wratislai* suscipere debuerat, *Drahomira* intercessit, & fœmineâ rivalitate Proceres muneribus promissis, aliisque artibus eò denique perpulit, ut modestissima *Ludmilla* jure suo decederet, & *Drahomira* Regni tutelam susciperet, Difficilè est explicare, quàm muliebriter & impotenter *Drahomira* regnaverit! multa *Christianorum* millia, in principali Urbe *Praga* potissimùm, ab Ethnicis favente ex occulto *Drahomira*, occisa sunt, tota *Religio Christiana* turbata, ut ultimum exitium *Christiani* nominis timeretur; insuper *Divam Ludmillam* Christianorum Matrem submissis percussoribus interemit. Evigilavêre Christiani Proceres, & agente Podivino *S. Wenceslai* Præfecto, ad constitutam diem *Budecio* adductus *Wenceslaus* est, etsi non am-

Drahomiræ consilia ad opprimendos Christianos.

 pliùs,

Wenceslaus XIV. annorum Matrem de Principatu deturbat.

pliùs, quàm quatuordecim Annos ætatis explêſſet, A. 921. ſolio paterno impoſitus *Drahomiram* Matrem exauthoravit, & magno animo, ſupra ætatem diſertâ oratione Proceribus & Populo audiente, & probante, ad ſuos abire juſſit; *Boleslaum* fratrem ex cujus nomine Pater *Wratislaus* Vrbem abs ſe conditam *Boleslaviam* appellavit, eodem concedere permiſit, ipſe primum ibidem templum DEO conſtruxit. Interea *Henricus Auceps*, qui modeſtiæ causâ Imperator appellari noluit, in *Bohemiam* cum exercitu aſcendit, ſuppetias laturus rei Chriſtianæ apud *Bohemos* laboranti, & ſtativa in *Inſula Muldavæ* propè *Pragam* in *Holeſſovienſibus* & *Bubnenſibus* agris fixit, & confirmato in Principatu *Wenceslao* rem quoque Catholicam confirmavit; mox Henricus *Wenceslaum* ad conventum Imperij Principum *Erfurdum* A. 935. invitatum, Regem appellavit, poſtea *Merspurgum* ſecum deduxit, & *S. Viti* brachium donavit, cujus honori *Wenceslaus* magnificum in *Arce S. Viti* templum exſtruere cœpit. Plura de hujus SS. Ducis & Martyris geſtis adferre ſupervacaneum puto, quòd ubique legantur; præcipua, & lectiora in Epitome noſtra & Lib. 4. Miſcell. leguntur. Tandem *Drahomira*, quæ in auribus filij continenter jacebat, & ipsâ ambitione *Boleslaum* inſtigante, *Wenceslaus per* ſpeciem convivij extractus *Boleslaviam*, dum nocte mediâ pro more DEUM precaturus ad Eccleſiam ſe conferret, in ipſo aditu templi *Princeps* innocentiſſimus, fraterno parricidio ſublatus eſt è vita Anno ætatis 30. Domini 938. pridiè feſti *S. Michaëlis Archangeli*, *Boleslaviæ* primùm tumulatus, poſtea *Pragam* ad *Eccleſiam S. Viti* devectus, innumeris utrobique claruit miraculis; Hæres *Bohemiæ* dictus, quem *Bohemos* in tutelam accepiſſe ipſemet ſæpenumero ſuper exercitus noſtros in aëre medio apparens, aut etiam milites equo candidiſſimo vectus cum fulguranti haſta, aliiſque cœleſtibus armis ducens, hoſtes proterens, & configens, oſtendit.

S. Wenceslaus Rex Bohemiæ.

S. Wenceslt Martyr.

Notæ in Caput XIV.

Pueri Principes miſericordiam provocant ſubditorum. *Lib. 26. Hiſt.*

Octennis erat, dum Patrem amiſit &c. Innocentia ætatis ſæpe filios Principum à vi & inſidijs defendit, nam & genus, & proavi, & parentes pro pueris perorant, atque ipſa imbecillitas & lacrymæ ſecuros præſtant. Narrat *Ammianus: Macedones* cum Illyrijs dimicaturos *Regem* infantem in cunis locâſſe, & infantis lacrymis commotos victoriam accelerâſſe. Simile exemplum in Lovanio ſuo narrat *Lipſius*. Multò magis octennis puerulus *Wenceslaus* Populo placere potuit, quia nihil habuit, quò offenderet, multa quæ *Principem* bonum promitterent; comparatione fœminarum regentium, pueri & filij *Principum* longè præponderant.

Ad ſtudia litterarum Wenceslaus mittitur &c. Probatiſſimum conſilium *Sanctæ Ludmillæ* fuit, in illa ſæculi Barbarie; ſapientérque *Alphonſus Magnus* dicebat: *Rex illiteratus eſt aſinus coronatus.* Nollem tamen *Principem*, qui regnandi curis occupabitur, literarum ſtudijs (niſi illa ad regimen Populorum faciant) occupari, ut v. g. *Poëta* ſit *Virgilio* & *Homero* par; lingvas exoticas, Arabicam, Indicam, &c. calleat; ut *Aſtronomiæ* deditus inſomnes ducat noctes; ut ſtellam aliquam novam inveniat &c. Scitum eſt illud *Marci Antonij Imperatoris* in vita ſua, gratias Dijs agentis, quòd ſe neque magnum Poëtam, neque diſertum Oratorem &c. eſſe voluerint, futurum enim fuiſſe, ut inutilibus ad regendum ſtudijs immerſus, boni Imperatoris munus non poſſet explere.

Nimis docti Principes paucis laudati.

Educationis diverſitas in fratribus apparuit &c. Educatio eſt altera natura; adeò etiam natura ipſa educatione corrigitur. Ut hoc oſtenderet *Lycurgus* duos canes ſuis Civibus propoſuit, quos cùm ſolviſſet, alter ad lancem offâ plenam, alter venationi aſſvetus poſt leporem cucurrit, ùt refert *Plutarchus*; idque maximè in educatione parvorum Principum experimur, magno damno Regnorum. Ferina *Drahomiræ* educatio ferum *Boleslaum*, *Ludmillæ ſanctæ Wenceslaum ſanctum* fecit; ille feritatis & crudelitatis ſuæ armis inſtructus, omnia ſe vincere poſſe putabat, *Wenceslaus* ob ſanctimoniam ſuam in Angelorum præſidio ſecurus nullum recuſabat pro Religione periculum, & Deo pro ſe pugnante ſinè metu vincebat.

Diverſitas educationis diverſos facit Principes *Plutarch. de puer. educ.*

Certamina Principum fœminarum &c. Drahomira non magìs ſe fœminam probavit, quàm amore regnandi: duo quippe affectus illas in rabiem agunt, *ambitionis & amoris*, quibus perſæpe vindicta adjungitur; ingeniosè *Juvenalis*:

- - - - - minuti
Semper & infirmi eſt animi exiguique voluptas
Ultio. Continuò ſic collige, quòd vindictâ
Nemo magìs gaudet, quàm fœmina.

Fœminarum lites aulas perturbant.

Iuvenal. l. 5 ſat. 13.

Id mille exemplis approbari poteſt, quæ obvia ſunt, & nota omnibus; nec ceſſatur, donec ſtirpitus æmulas everterint, ùt hìc in *D. Ludmillæ* nece per ſummum ſcelus illata apparuit; ideò cavendum eſt Principi, nè duas æquali potentiâ mulieres in Aula ſua creſcentes habeat (quales olim *Pulcheria*, & *Eudoxia &c.*) quæ ſi committantur nunquam bonâ fide pacem colent, & Aulam totam factionibus, & diſcordiis divident.

Non amplius quàm quatuordecim annos &c. Magnanimitas hæc Adoleſcentis Principis, heroica habenda eſt, qui & ſupra ætatem ſapuit matre conculcatâ ob Religionem cujus ſe defenſorem & amatorem zelantiſſimum oſtendit; ſed hæc omnia, ùt in M. S. Codicibus invenio, *Podivino* Authore geſta ſunt, quem inter Proceres fidei Chriſtianæ propagandæ ardentiſſimum invenio, vidè ejus mortem in *Chriſtanno*, quam edidimus in *Epitome*, longè diverſam ab ea, quæ in vulgaribus Scriptoribus legitur.

B. Podivini merita in rē Chriſtianam

Regem appellavit &c. Moraviam novo Rei *Wenceslao* adjectam conſentiunt Authores. *Witikindus* coævus Scriptor, & comes itinerum, ac militiæ *Ottonis Magni*, ait, mira quædam de *S. Wenceslao* quem viderat, narrari; ſinè dubio intelligit Angelorum comitatum, qui eum ad Imperatorem accedentem comitati ſunt, & eum in omnibus periculis tutati, ùt in duello *Radislai* apparuit.

Witik L. 1. Ann. Sax.

Drahomira in auribus filij &c. Fœminarum & maximè *Matrum* preces plùs quàm armatæ ſunt, ſi continenter admoveantur, omnia vincunt; quod enim impetu non conficitur, morâ & temporis tractu facilè ſuperatur. Januam ſi claudere velis, non id faciendum eſt impetu, ſed tractu; eandem uno impetu non perfregeris, perfringes terebello ſvaviter adhibito & intorto; ſic fit in gratijs, & beneficijs quærendis, quod enim per vim non obtinueris, id morâ & precariò facilè obtinebis.

Fœminarum potentia apud filios.

Drahomira &c. De *Drahomirâ* infelici interitu tacuit Christannus in *Vita S. Ludmillæ*, nonnihil maternâ pietate perstrictus, sed certissimum est, eam à terra absorptam, quod hodiéque columna eo in loco posita testatur. Tot scelera commisit, ut opus esset curru ad ea in stygem devehenda.

CAPUT XV.

Boleslaus I. ejus nominis, Bohemiæ Princeps XVI.

Boleslaus varius Princeps.



Boleslaum & mala & bona nobilitârunt: inter mala primũ obtinet locum *fratris* cædes, Christianorũ oppressio tentata; bona: pœnitentia *Ratisbonæ* peracta, matris abjectio, *Religionis Christianæ* propagatio, *Daumbrawcæ* filiæ suæ *Polono Regi* cum pacto *Christianæ Religionis* amplectendæ enuptio, deniq; mors felix; media inter hæc fuerunt XII. annorum bellum cum *Ottone Magno* gestum, & non sinè gloria *Boleslai* finitum, tum etiam in *Hunnos* gesta prælia, quibus eos *Bohemiâ* inhonorè & ignominiosè expulit, cùm jam sibi Urbes in ea condidissent; narrata sunt hæc à nobis in Epitome, authoritate *Witikindi*, qui ipsum se *Boleslaum* vidisse terribilem aspectu, & militari corporis statu in historia sua testatur. Ob has militares virtutes, & animum Principe maximo dignum, *Otto Imperator* secum *Ratisbonam* eum duxit, & post peractam parricidij absolutionem publicè pœnitentiam agentem, *Dapiferi Imperialis* dignitate exornavit, cujus insigne est *Ahenum*, quod *Hagecius* malè in contemptum interpretatus est. Interfuit etiam prælio contra *Hunnos* ad *Lycum fluvium* gesto, & non leve ad victoriam momentum attulit. Obijt ætatis an. 58. administravit Rempublicam annis 37. Anno Christi 967.

NOTÆ in Caput XV.

Fratrũ discordia maxima discordia.

Fratris cædes &c. Qui sibi maximè conjuncti esse debent, si odium admittant, maximi evadunt inimici, in hunc sensum, vetus est paræmia: *Amicus læsus hostis maximus:* idque ex multis capitibus: tum quia occurrante memoriâ amici, quem jam odisti, odium occurrat? tum quia apertum latus (quia antea fuit amicus) amici novit, eámque ob causam faciliùs nociturus est; tum quia separât ab amico, quos intimos sibi habuit, quod gravissimum est: *Amicum*

cum enim amittere, est thesaurum amittere. Fratrum odiâ non facilè cicurantur, & viventium *fratrum concordia rara*, etiam ad usque mortem protrahitur: *Etheoclis* & *Polinices* rogus flammis sese divisit, cùm odia fratrum illum priùs divisissent. Legendus est Plutarchi aureus liber, *de fraterno amore*, ubi inter cætera sapientissimè adducta, ideò *Naturam* in corpore humano, multa *duplicia*, & propè omnia fecisse; ait, ut fraternum amorem naturæ convenientissimum esse ostenderet, hinc binæ aures, oculi, manus, pedes &c. ùt uno deficiente, alterum auxilio esset. Illustre hujus rei exemplum habet *Polydorus Vergilius*: *Godvinus Cancianorum Comes* mortuo Canuto tertio, *Alfredum* filium Regis, revocantibus ad Regnum Anglis, in itinere necavit, & author fuit, ut ejus frater *Eduardus* tertius Rex eligeretur. Electus est, & *Godvino* omnia condonavit, accidit tandem ut *Haraldus Godvini* filius, cùm Regium poculum *Eduardo* Regi porrigere vellet, offenderet pede, non tamen vinum effunderet; tum *Pater*, qui cum Rege sedebat, *nunc*, ait, *fratrem frater juvit* (scilicet quòd alter pes alteri pedi succurrisset) ad hanc vocem etsi per jocum emissam, *Rex Eduardus Alfredi* fratris recordatus, ad *Godvinum* conversus, *Sic*, ait, *me frater meus juvisset, si per te licuisset.* Tum homo sceleratus *Godvinus*, cœpit se excusare, addiditque, si ego causa sum necis, hoc bolo stranguler, cúmque panem sumeret, primo bolo suffocatus est. *Tom. 2. Lib. 8.*

Bona & mala in Boleslao &c. Maxima ingenia quæ bonis dotibus commendantur, malis admixtis vituperantur. De *Annibale Florus* loquens, postquam ejus virtutes militares recensuisset, subdit: *Sed has virtutes non minora vitia æquabant*, idem habet *Plutarchus* in vita *Demetrij Poliorcetæ*; de *Alexandro Magno* ea in *Curtio* leguntur, quæ eum laudatissimum Principem, & contrà vituperio dignissimum efficiunt. Licere sibi omnia Viri magni putant, & licentiâ abutuntur; difficilè est in magna fortuna modum tenere, nec facilè invenias, magnum virtutibus & potestate Principem, qui in re aliqua modum non excesserit.

Dat natura indicium bonorũ & malorum.

Militari corporis statu terribilem aspectu Boleslaum &c. Natura de genere humano solicita, latentia bona & mala signaturis quibusdam, & incisuris demonstrat, ut vel caveamus, vel si bona sunt, bonis uti sciamus. Videatur *Baptista à Porta*, qui in floribus & herbis ad oculum id demonstravit, nam si oculis medeantur, ocellos præferunt, si pulmonibus pulmones &c. repræsentant. Sic homines animi ferini, & qui belluinos affectus habent, etiam aspectu, ùt ità dicam horrificantur, estque permirum, homines fraudulentos, & subdolos tenui voce plerumque, & vultu in quidvis repræsentandum parato, vulpium modum referre; iracundos contrà, & morosos ursinam quandam ferociam vultu ostentare, magnanimos Leoninam faciem gerere, eos vicissim qui alienas actiones dextrè exprimere & imitari sciunt (quod ipse ego non semel cum voluptate adverti) similitudinem aliquam simiarum in vultu, oculis, ore, atque etiam manibus habere.

Boleslao I. honores decernuntur.

Quæ hîc de *Boleslao I.* historicè referuntur, ea omnia in Epitome nostrâ probaba sunt, ut bellum ejus quatuor decennale; matris desertio, quam Religionis amore à se abjecit, & res suas habere jussit; hæc in melius commutatio *S. Wenceslao* fratri imputari potest, qui ei se aspectabilem præbuit è cœlo, fodinas auri *Gilovij* patefecit; ob quod beneficium *Boleslaus* auream monetam fratris effigie expressâ cùdi curavit; qui mos usque ad nostram ætatem in aureis Bohemicis servatus est, hodie nescio cujus negligentiâ exolevit; nos ipsi vidimus, & in manibus habuimus aureos nummos *Mathiæ Cæsaris* tempore procusos, qui *Divi Wenceslai* effigiem præferebant. *Ahenum* olim *Dapiferi* dignitatem in clypeo designâsse in Epitome itidem docuimus, & insignia vetustissima *Dapiferorum* apud *Birgen* in *Speculo Honoris Augustæ Domûs Austriacæ* demonstrant; fabulantur, qui *Hagekum* in *Aheno* sequuntur, quasi is

Nummi aurei cum S. Wenceslai effigie.

Gold. in L. de Iuribus Reg. Boh.

ignominiæ causâ, in ejus clypeum sit insertus, cùm id nota fuerit maximæ dignitatis, vide *Goldastum.* Imminebat quoque *Boleslaus* fundando Episcopatui in Bohemia, sed hoc consilium mors intercepit.

CAPUT XVI.

Boleslaus II. ejus nominis, Bohemiæ Princeps XVII.

Boleslaus II. Religionis Christianæ in Boh. fundator.



Boleslaus Pius post impium Patrem imperare Bohemiæ cœpit, cum eo imperante *Bohemia*, quæ adhuc Ethnicos timebat, respirare & Christianam Religionem securiùs colere instituit: duobus vel tribus prælijs Ethnicos nova molientes, *Boleslaus Princeps* fregit, & extremos furiosorum conatus in Christianos sagacissimè antevertit, & cùm nihilominus erupissent, magno ictu prostravit; idem ille plures vicenis Ecclesias construxit, ut honorata Religio Christiana ipsis suis honoribus ad se Ethnicos invitaret; *Pragensem Episcopatum* sororis Mariæ auxilio fundavit, & bonis locupletavit; quod idem præstitit in *Cœnobio Insulano*, nec minimam partem contulit ad Fundationem *Brzeunoviensis Cœnobij*, cujus Fundatio potissimùm *S. Adalberto* tribuitur, quam ob causam *Libicium S. Adalberti* patrimonialis ditio diu ad *Monasterium Brzeunoviense* spectavit. Cùm Ethnicos decretorio prælio vicisset, in prælij loco *Urbem*, & juxta castrum in monte *Hrobka* arcendis ex ea parte hostibus An. 973. condidit, Urbem verò de suo nomine *Novam Boleslaviam* appellavit. Sed & alia bella prospere gessit, cum Polonis præcipuè graviss̃imè ab ijs læsus, quorum *Urbem Principem Cracoviam*, quam ignaviâ sequentium Ducum Bohemi amiserunt, cepit. Nescias an fortior an magìs pius dici possit: *Ottonem II.* Imperatorem Bohemiâ armis exegit, qui exercitum immiserat. Postquam tres Antistites Pragenses piissimus *Princeps Bohemiæ* imposuisset, & duos & triginta regnâsset annos, 7. Februarij An. 999. excessit ex vita, memorabili vaticinio (in quo *Hagekus* pro Ludovico Pio, posuit nomen Philippi) priùs edito, quod posteri legentes verum agnoscunt; alia ejus gesta in Epitome L. 2. & in vita ejus L. 4. Miscell. retulimus.

NOTÆ

NOTÆ in Caput XVI.

Patres illaudati sæpè habent filios laudatissimos. *Lib. 4. quæst. 9.*

Boleslaus Pius post impium Patrem &c. Nescio quî fiat, ùt parentes sævissimos, qualis fuit *Boleslaus I.* lenissimi filij & successores sequantur, ùt ex historijs omnium gentium probari nullo negotio potest, quasi omne venenum in se consumente Patre, & filijs dulcedinem pietatis relinquente. Curiosè quærit *Plutarchus Lib. 1. Convivialium Disputationum*, cur ficus in cortice, & in trunco amarissimi sit saporis, dulcissimum verò fructum producat? Et rationem pulcherrimam assignat, ideò quia omnem suavitatem & dulcedinem, quæ est in succo, donat fructui, ideò ipsa arbor remanet amarissima. Porrò quàm fuerit felix *Boleslaus I.* in filijs, notavi in Epitome.

Desperatio venenata. *Lib. 2. c. 15.*

Religionem securiùs colere &c. Nihil magis Religionem Christianam Populo plausibilem reddere solet, quàm *Principis Exemplum*, & exinde nascitura securitas: timore vulgus absterretur; quod Principem fecisse vident, sibi quoque licere existimant; Regum & Principum exemplo pleraque Regna ad Religionem Christianam adducta sunt; *Constantino Magno* Christianam Religionem aut fovente, aut amplectente statim Romanus Orbis Christianum se esse miratus est, & Idolomannia & Deorum cultus intepuit, donec omninò nullus Idolis honor esset.

Extremos furiosorum conatus &c. Morientium ferarum morsus virulentos esse docent Philosophi, & quotidiana exempla confirmant. Vidiego, cum felis moriens, digitum cujusdam dentibus, parvo in speciem vulnere læsisset, hominem, nisi abscisso digito non potuisse curari, *Flori* dictum est: *Quàm maximè mortiferi esse solent morsus morientium bestiarum; sic plùs negotij fuit cum semiusta Carthagine, quàm cum integra.*

Fœminæ Christianam Religionem maximè promoverunt.

Sororis Mariæ auxilio &c. Pulcherrima in eam rem exempla suppeditant historiæ, in quibus fœminæ multorum bonorum, maximèque Religionis Christianæ Regibus & Regnis amplectendæ causa fuerunt, ùt in nostro exemplo *Daubrauka Boleslai I.* filia *Miecislaum* primum *Poloniæ* Ducem, & cum eo universam *Poloniam* Christo adjunxit. ità *Clotildis Burgundi* Ducis filia, *Clodovæum* maritum; *Chiesuntis* filia *Regis Angliæ, Offam Regem Saxonum* Occidentalium; *Theodolinda Agilulphum Lombardiæ Regem*; *Gisela* soror *Henrici I.* Imperatoris *Vngarorum* Populum christianè credere, & fidem amplecti docuerunt. Omitto alia innumera exempla, quæ passim in historijs temporum leguntur.

Quis Fundator Cœnobij Brzevnov.

Fundatio Brzevnovienſis &c. Omnes ante me Scriptores novi *Boleslaum II. Fundatorem* hujus Cœnobij fuisse scripserunt, diversum ex vetustis Scriptoribus colligere est, ùt olim si DEUS vitam concesserit probabo. Ex ea causa conventus ille sacer, *rosam S. Adalberti* gestat in sigillis; utraque sententia conciliari potest, ut *S. Adalbertus* Cœnobium & templum ædificaret, aliquâ parte patrimonij sui adjectâ, *Dux* verò *Boleslaus* supremâ manu ditiones, quæ in literis fundationis apud *Paprocium* leguntur adiderit.

CAPUT

CAPUT XVII.

Boleslaus III. Bohemiæ Dux XVIII. Wladibojus vel Wlademarius Bohemiæ Dux XIX. Jaromirus Bohemiæ Dux XX.



Boleslai III. ignavia.

Boleslao II. ſucceſſit ejuſdem nominis filius *Boleslaus III.* quem *Stransky* rufum, avarum, & poſtea cæcum vocat; hic, quæ in *Miſnia Poloniáque* occupaverat Pater, ignaviâ ſuâ amiſit: neq; enim militibus obſeſſis ſupplementa mittebat, nec ipſe auxilio veniebat, nec numerabat ſtipendia; itaque omnium Scriptorum noſtrorum calamis velut ignavus confoditur. Eum *Boleslaus* Polonus per ſpeciem amicitiæ *Cracoviam* ad ſe invitatum excæcavit, fraude in Principibus Viris execrabili; at Divina Juſtitia, crimen, quod in fratres admiſerat, ulciſcebatur; nam eviraverat *Jaromirum*; *Udalricum* debilitatum vulneribus, & ſemivivum Bohemia expulerat. *Weleslavinus*, qui filios *Boleslai III. Jaromirum* & *Udalricum* poſuit, Scriptorum eâ ætate viventium teſtimonio erraſſe convincitur, ùt in libro, cui titulum feci *Rationarium temporum* demonſtrabitur. *Boleslao III.* ipsâ ùt ſic dicam, inutilitate, & cæcitatis injuriâ Principatu depulſo, Bohemia regenda committitur *Wladibojo*, ſeu, ùt Germani Scriptores appellant, *Wlademario*; non enim in hoc Duce aſſentiri poſſum *Crugerio*, cùm *Adelboldum Epiſcopum Trajectenſem Henrici* Imperatoris Conſiliarium, & Comitem bellorum, & *Ditmarum* Epiſcopum *Merſeburgenſem*, qui ambos illos fratres de facie noverant, in manibus habea-

Wladibojus Princeps.

habeamus, qui *Wlademarium* poſt *Boleslaum III. Bohemiæ* imperitâſſe affirmant, eúmque Ducem appellant; quid præcipuè memoriâ dignum geſſerit *Wlademarius*, aut *Wladibojus* in ſilentio omnium antiquorum nihil propè invenio. *Crugerius* ei uxorem appoſuit *Wladibogkam*, quâ authoritate neſcio, ſuſpicor hoc nomen ex *Wladibojo* marito fictum eſſe. *Wladibojo* brevì extincto, *Jaromiro* Principis nomen ac dignitatem *Sanctus Henricus Imperator* contulit, ùt *Ditmarus* ſcribit An. 1005. cujus vitam appetiêre *Wrſſovicenſes*, periculum evaſit miraculo *S. Joannis Baptiſtæ*, quod alibi toties deſcripſi. Injuriam quoque paſſus eſt, unde minimè debuerat, à fratre *Udalrico*, qui fratrem *Evnuchum* & *Semivirum* Principatu dejecit, & ſeſe *Bohemiæ* Principem conſtituit. Occiſus eſt *Jaromirus* circa An. C. 1040.

Jaromirus Princeps.

Lib. 7.

NOTÆ in Caput XVII.

De tribus his Principibus.

TRium iſtorum Bohemiæ Principum Imperium (*Boleslai III. Wladiboij*, & *Jaromiri*) magnas in Chronologia patitur difficultates: *Wladibojum* noſtri Scriptores nec nominant quidem, *Boleslaum III.* excæcatum à Polonis, & ſolio deturbatum, vixiſſe tamen multis poſt hæc annis ex narrationibus *Ditmari* & *Fabricij* conſtat, qui eum A. 1010. *Hermanno* genero ſuo *Marchioni Miſnenſi* Præfecturam Arcis *Miſnenſis* contuliſſe ſcripſerunt. *Jaromirum Semivirum* fuiſſe nemo ex Scriptoribus noſtris tradidit, quod diſertè *Adelboldus* affirmat. Ego exiſtimo *Bohemiæ* Principatu depulſum *Boleslaum III. Wladibojo* ceſſiſſe, in *Miſnia* tamen aliqua loca, (quæ alioqui tunc ad Bohemiæ Principes ſpectabant) retinuiſſe; at *Wladibojo* properè extincto *Jaromirum* ſucceſſiſſe; hunc quoque à juniore fratre *Udalrico* dejectum; ſic *Udalricum* tribus fratribus dejectis ſolum *Bohemiæ* Imperium occupâſſe.

Fabric. l. 3. Orig. Sax.

Adebold. in vita S. Henrici Imp.

Bohemiæ Principes Miſnam tenuêre.

Quod hoc loco de *Miſna* dixi, aſſerens aliqua loca *Boleslaum III.* in *Miſnia* retinuiſſe, mirabatur amicus quidam meus, *Miſnios* id permiſiſſe: hæc noſtri ſæculi admiratio eſt: alia nunc ſunt, alia olim fuêre tempora; graviter hallucinabitur, qui ex hodiernis temporibus de præteritis conjecturam facere velit. Sed *Miſniæ* partem, & ipſam ejus Metropolim *Miſnam* pluréſque ejus Arces ab A. 978. & poſtea aliquot annis centenis *Bohemos* tenuiſſe probavi in Epitome.

Epit. l. 2. c. 11.

Boleslaus III. rufus, avarus, & poſtea cæcus &c. Hæc naturæ, ſeu corporis & animi vitia nihil boni promittere potuerunt in *Boleſlao III.* quid de rufis Orbis ſentiat, ex jocoſerijs quæ in rufos jactantur proverbijs, facilè intelligimus, ego nihil addo. Regnare cæco difficillimum eſt, avaro bene adminiſtrare Rempublicam prorſus impoſſibile, cùm è Diametro Regijs virtutibus avaritia adverſetur.

Ignavus Scriptorum calamis confoditur &c. Cùm *Boleslaus* ignaviam etiam conjunctam habuerit, quid de tali Principe potuit ſperari? *Craſtinus* quidam *Rex* appellatus eſt, ob perpetuam in graviſſimis negotijs cunctationem, & in craſtinum dilationem, quidſi nec in craſtinum, ſed in perpetuum curas Regnorum diſtuliſſet? talem ignaviam *mare mortuum Seneca* in Epiſtolis appellat.

Drexel. in Prodromo c. 1 §. 37.

9. Epiſt. 68.

Fraude in Principibus non ferenda &c. Si ullum mortalium fraus dedecet, tum Regem & Principes: pugnant enim è diametro cum virtute Regum præcipua magnanimitate; *Leo* enim eſt Princeps, non vulpes, quæ duo etiam in fabulis *Æſopi* ſibi

Fraus in Principibus non ferenda

adversantur. Fraus in Rege manifesta est professio imbecillitatis Regiæ: nam id quod armis desperat se posse efficere, fraude tentat; hujusmodi Reges etsi res suas augeant, minuunt famam etiam apud posteros, nec nisi à fraudulentis laudabuntur, apud probos æternam nominis sui maculam inurent.

Divina Justitia ulciscebatur &c. Nullus in Orbe ex Principibus est, qui toties pœnam *Talionis* exigit, quàm DEUS, quod infinitis patet exemplis: qui de honoris gradu alios dejecerunt, quàm sæpe ipsi dejiciuntur! nostra sæcula feracia sunt ejusmodi exemplorum! sed justissima est ultio, ut quod in altero exemplum statuisti, in simili crimine luas, quod recusare, nisi injustè non possis.

Cæcitatis miseriæ graves.

Cæcitatis injuria &c. Etsi plurimi eruditissimi Viri cæcitatis laudes scripserint, existimo tamen eam laudationem ad quandam eloquentiæ ostentationem pertinuisse. An enim plùs cæcitas addere poterit, quàm subtrahat? fateor magnos quosdam *Duces* militiæ *cæcos* fuisse, sed ij quod egerunt cæci, hoc per oculos antè sunt consecuti, ut non dubitem longè majora & illustriora facturos fuisse, si vidissent. Pauci Principes cæci suam authoritatem tueri potuerunt, nisi priùs facta præcessissent, quæ oculati gesserunt, ùt de *Joanne Rege Bohemiæ*, de *Ziska* apud nos constat. Ridiculum est, quod etsi huc directè non spectat, tamen joci gratiâ commemoro: cùm Rex *Poloniæ Loktekus, Joannem Regem Bohemiæ*, cæcum ad singulare certamen provocâsset, ingeniosè cum risu respondisse: *Joannem omninò se paratum in certamen descendere, sed ut Rex Poloniæ priùs se excæcari curet, & tum in quocunque conclavi, & paribus armis concursuros.*

Carol. IV. Im. in vita sua.

Jaromiri Principis infelicitas.

Jaromiro Principis dignitatem &c. Etsi *Boleslaus III.* oculis orbatus sit, non tamen vitâ, vixit enim longissimè exul in *Misnia*, & multa adversus fratres movit; *Jaromirus* etsi in Principatu nondum confirmatus, *Bohemiam* regendam suscepit; sed cùm se *Boleslao Polono* imparem videret, *ad Henricum Cæsarem in Saxoniam* profugit. *Henricus Cæsar*, qui *Boleslaum Polonum* oderat, cum toto Imperij sui exercitu A. 1005. in Bohemiam venit, & expulso *Polono*, Pragam recepit (nam *Wissehradum* nunquam *Poloni* capere potuerunt) & *Bohemiæ Jaromirum Principem* imposuit; nihil celebriùs ad gloriam *Jaromirus* præstitit, quàm quòd *Jaromiriam Civitatem* condiderit.

Caput XVIII.

Udalricus ejus nominis primus, Dux Bohemiæ XXI.



Ditm. l. 6.

Fabric. l. 1. Annal. & l. 2. Orig. Sax. Fabric. l. 2. Orig. Sax.

Dress. Millen. 6. p. 1.

Udalricus Duci vix ullum aut paucos pares *Bohemia* genuit: *Thuringos*, *Misnios*, & cæteros ad *Oceanum Marchiones* stipendiarios habuit, ùt queritur *Ditmarus*. *Geronem Lusatiæ* Marchionem in prælio occidit; *Mesiconem Poloniæ* Ducis filium in prælio cepit, Saxones ingenti clade affecit, primus ipse in acie milites ducens. Sed (ùt antè dixi de Boleslao I.) militares hasce virtutes

tes penè vitia majora obruerunt: frarrem excæcavit, solio deturbavit, & in Arcis Lissæ custodiam intrusit. Multa paucis dixi, successêre virtutes iterum Principe dignæ: pestilentia An. 1016. ità Europam afflixit, ut vix decima pars hominum remanserit, miro artificio dissipata est ab Udalrico, cùm observato vento omnes silvas Bohemiæ accendit, aëremq; purgavit; idem Udalricus Pragam auxit; Henricum Imperatorem conciliavit sibi; & denique seu bello seu pace clarissimus Princeps, satur victoriarum, A. 1037. 25. Imperij expletis Annis decessit Novembri Mense, quo ipso anno frater *Boleslaus III.* obierat. Uxorem duxit rustici *Domarodi* filiam honestissimam & pulchritudine ac moribus Principe fœminâ dignis præstantissimam nomine *Blazenam* aut *Bozenam*; quod inæquale conjugium cùm Nobilitas & Proceres vituperarent, respondit: *Nescire Bohemos, & suo malo experturos aliquando, quid sit ex aliena gente Principem Bohemum conjugem habere; & quæ hodie rustica videatur, cras Principem fore, cùm uxores fulgeant radijs Maritorum.*

Udalrici Principis magnæ virtutes magna vitia.

Notæ in Caput XVIII.

Geronem in prælio occidit &c. Merebatur hoc Gero, qui triginta aliquot *Slavorum Duces* ad convivium invitatos inter hospitalia sacra proditoriè per summum scelus obtruncaverat; qua de re videatur nostra *Epitome*.

Prima magnam laudẽ continent.

Primus ipse &c. Prima in quoquè ordine Principatum obtinent, nam etsi secundi & tertij idem præstent, non possunt diffiteri, exemplum habuisse, quod primus non habuit. Unde ingeniosè *Seneca in libris de beneficijs* observat, qui beneficium accepit, etiamsi gratum se exhibeat, non tamen eum, qui beneficia primus contulit, æquare posse, semper enim primus qui beneficium contulit, omnes alios exsuperat, quia non præcedente ullo beneficium contulit.

Quæ virtutes in Principe maximè laudentur.

Principe dignæ &c. Principes propter Populum sunt, non Populus propter Principem. *Salus Populi suprema lex est*, juxta omnium politicorum axioma. Principum virtutes propriæ censentur illæ, quæ ad salutem, incolumitatem ac felicitatem Populi spectant, & quò magis Populi securitatem, opes, commoda &c. spectat Princeps, eò laudabilior habetur, eóque glorioſior evadit.

Improbitas eorum qui amicos dividunt.

Jaromirum solio deturbavit &c. Id consilio *Wrssovicensium* gestum esse *Stransky* ostendit: Consilia inimicorum in Regia familia oppugnanda, nunquam sequenda sunt; vix enim tam conjuncti esse possunt regnantibus inimici, quam illi qui sangvinis cognatione junguntur; unde necessariò aliquid in arcano sibi propositum habent; quare cavendi sunt, qui nos ad consangvineos persequendos impellunt.

Jaromirus irruente in se An. 1012. *Udalrico* (quem *Stransky* majorem natu falsò fuisse scribit) Pragâ excessit die Paschatis, & *Walthredo Archi-Episcopo Magdeburgensi* intercedente, gratiam apud *Henricum Imperatorem* impetravit; sed regendis Bohemis inutilis est judicatus, cúmque reditum in Bohemiam pararet, *Jaromirum* fratrem in custodiam *Ulricus* conjecit, qui *Merseburgi* in vinculis diu permansit.

Ce Conjugio inæquali.

Domarodi rustici filiam &c. Macula est in Principe, inæqualem conjugem accepisse; vituperatur enim à Procerum uxoribus, & contemnitur, qui contemtus in

Epist. ad Moysen de Valentia.

Principem redundat, Notum est illud: *Si quà voles aptè nubere, nube pari.* Vide sapientissima connubiorum præcepta in aureis Epistolis *Antonij de Guevarra.*

Non multa tribuenda Principi ad preces uxorum. *Num.* 117. *& seq. Tiraquel. lib. de Nobilitate cap.* 18.

Nescire Bohemos &c. Experti sunt id plurimi Principes nostri, qui cùm essent uxorij, à conjugibus persvasi, & tribunalia, & templa, & aulas hominibus ineptis, & insufficientibus impleverunt contra ordinem distributivæ justitiæ, & humanæ prudentiæ. *Jacobus Typotius* in aureolis libris Hierographiæ pauciſſimis verbis complexus est, quod alij multis tradiderunt; quæ præcepta sua hisce verbis concluſit: *Nimirùm latum est ex concordi occinum volatu augurium.* Ænigma esse videtur, sed sapientibus veritas eluceſcit. Quod dixi, *uxores sentire maritorum fulgorem*, ex jure acceptum est, quod doctiſſimus *Juris Consultus Andreas Tiraquellus* adducit.

CAPUT XIX.

Genealogiæ & Chronologiæ ratio à Borzivojo primo Christiano apud nos Duce, usque ad Brzetislaum I.

PRædixeram initio hujus tractationis me non omnia Principum nostrorum gesta (hoc enim foret *Historiam* non *Miscellaneam* scribere) sed ea tantùm, quæ ad Principum liberos, vel ad rationem temporum, vel ad succeſſionem Principum spectant allaturum; itaque sub aspectum Lectoris quinque generationes colloco, & eum ex *Lectore* volo fieri *Spectatorem.*



TABU-

TABULA III. Genealogica Principum Bohemiæ, à Borzivojo usque ad Brzetislaum.

NOTÆ

a. *Borzivojus XII.* Princeps Bohemiæ cœpit imperare circa Annum 856. ætatis 23. baptizatus Welehradi cum triginta Proceribus. obiit 910.

- b. *S. Ludmilla* Comes de Mielnik, Martyr Anno 920.
  - c. *Boleslaus* baptizatus à S. Methodio. obiit infans.
  - d. *Spitihnevs XIII.* Princeps Bohem. obiit sinè prole.
  - e. *Wratislaus XIV.* Princeps Boh. Fundator Ecclesiæ S. Georgij. obiit 916.
    - f. *Drahomira de Lutici* Brzetislai filia, quam vivam terra absorbuit.
    - g. *S. Wenceslaus* primus ejus nominis, Boh. Princeps XV. Fund. Ecclesiæ S. Viti, Vit. & M. occisus A. 938.
      - h. *Boleslaus I.* Bohemiæ Princeps XVI. cognomine *Seuus*, fratris occisor, obiit An. 967.
        - i. *Brzena* vel *Bozena* filia Crayslai de Stochow.
        - k. *B. Przibislava* soror S. Wenceslai. Vidua appellatur à Christanno.
        - l. *Dubravka* vel *Dobravka* uxor Miecislai I. Poloniæ Ducis, quæ Poloniam adduxit ad Christum. Mater fuit Boleslai Chobry primi Regis Poloniæ. obiit An. 977.
          - m. *B. Milada* seu *Maria*, prima Antistita ad S. Georgium Pragæ.
          - n. *Boleslaus II.* Dux Boh. XVII. cognomine *Pius.* Fundator Episcopatus Pragensis, & Confundator Cœnobij Brzewniow. obiit An. 999.
            - o. *Hemma* Dux Saxoniæ, Matrona piissima. obiit 1006.
            - p. *Christianus* de *Skala*, Monachus Brzewniowiæ. Hunc ego suspicor ante dictũ Strachi quas, in cujus baptismo occisus est S. Wenceslaus.
            - q. *Strzezislava* uxor Comitis Slavnici, vel Slavonici, qui fuit nepos *Hemrici I.* ex Sorore.
              - r. *Wenceslaus.* obiit puer.
              - s. *Boleslaus III.* cognomento Lenis, Dux Boh. XVIII. excæcatus à Polonis. obiit 1037.
              - t. *Czemislava* vel *Czemina*; juxta *Welesla-vinum.*
              - u. *Bladibojus*, vel *Wladibojus*, Dux Bohem. XIX.
              - x. *Miesico* & y. *Favomirus* Dux Bohemiæ XX. à fratre excæcatus & apud Ducem Poloniæ evitatus. obiit 1037.
              - z. *Udalricus I.* Dux Bohemiæ XXI. cognom. *Exterminator.* obiit 1037.
              - aa. *Bozena*, vel *Blazena* filia *Domaradi*, ex villa Pecz. O. 1052.
              - bb. S. *Adalbertus* & ſ. ejus fratres *Veterini* Comites de stirpe Rosarũ.

cc. *Brzetislaus I.* cognomine *Bellicosus*, Dux Bohemiæ XXII. de quo vide in seq.

Notæ in Genealogiam Capitis XIX.

Chronologiæ ratio.

Epit. histor. l. 1. c. 3.

Bolland. in vit. SS. ad 9. Martij.

a. *Borzivojum* circa An. C. 864. fidem Christianam amplexum (etsi *Hagecius* aliíque Scriptores usque ad An. 894. conversionem *Borzivoÿ* differant) Chronologia, & ratio temporum evidenter ostendit: certissimum enim est, corpus *S. Clementis* Romam à Sanctis Apostolis nostræ gentis *Cyrillo* & *Methodio* circa An. C. 868. (jam Evangelio *Moravis* & *Bohemis* prædicato) delatum, ùt demonstrat *Bollandus*; certum item *S. Cyrillum* Romæ sub *Adriano II.* qui An. 868. sedere cœpit, & An. 872. decessit, esse defunctum. Quo Anno *S. Methodius* obierit adhuc ad liquidum non constat; at minimè credibile est, quod *Hagecius* docet: primùm A. C. 894. in *Bohemiam* venisse: cùm enim jam adulti, & Sacerdotes An. C. 848. ad prædicandum *Bulgaris* Christum *Constantinopoli* exierint, ut maximè *Methodium* juvenem faciamus, eique tantùm Annos, cùm ex Urbe Constantinopolitana exijt, viginti quatuor tribuamus, tamen An. C. 894. septuaginta duos annos expleviśse comperiemus, ut mittamus reliqua tempora, quibus eum in *Bohemia* vixisse narrat *Hagecius*; at istud de septuagenario facilè quis concesserit, verùm alia quæ in *Epitome* attuli, evincunt longè maturiùs *Borzivojum* Christo nomen dedisse; addę quòd *Borzivojum*, cùm sacris ablutus est aquis *Christannus Borzivoÿ* pronepos *juvenem* appellet, quem ætatis suæ 77. A. C. 910. obijsse omnes nostri Scriptores affirmant. Igitur si A. C. 894. baptismum suscepit juvenis esse non potuit, egisset enim Annum ætatis 63. qua etiam ratione evidenter refellitur *Weleslavinus*.

b. *S. Ludmilla* (de qua & *Borzivojo* plura Lib. 4. Miscell. diximus) sangvinem pro Christo, & vitam cum sangvine profudit, A. C. 920. genuit tres *Borzivojo* conjugi filios, totidémque filias, ùt habet *vetus Pragense Breviarium*, quarum nomina ignorantur.

c. *Boleslaum à S. Methodio* baptizatum nescio unde acceperit *Weleslavinus*.

d. *Spitihnæus* brevis Princeps, de quo plura non habentur.

e. *Wratislaus* fratri *Spitihnæo* eodem anno sufficitur. Fundavit in Castro Pragensi (quod *S. Wenceslai* hodiéque dicitur) Ecclesiam *S. Georgij*, & divisâ inter filios duos *Bohemiâ* (*Cisalbina Wenceslao, Transalbina Boleslao*) obijt, in eadem Ecclesia cum *Beati Titulo* conditus, quod hodiéque legimus.

f. *Drahomira*. hanc Virginem formosissimam omnium, quas *Bohemiâ* unâ illâ ætate protulit, nobilissimo genere prognatam, cum spe Religionis Christianæ, & promisso, *Wratislaus* duxit; illa donec uterum ferret, maritum elusit, ac edito partu, etsi ea de re obtunderetur, nunquam audire sustinuit. *S. Ludmillam* Christianorum in *Bohemia* Matrem per Satellites occidit, eosdémque perfida mulier, ut innocens videretur, in exilium misit; & quo scelere scelerata mulier se ipsam superavit, filio *Boleslao* Author fuit, ut fratrem perimeret, existimans cum *S. Wenceslao* Religionem Christianam extinctum iri. Parricidium A. C. 938. aut etiam anno seriùs patratum est, *Vetero-Boleslaviæ* in aditu Ecclesiæ, dum in ea à Sacerdotibus & Canonicis (unde constat Collegiatam illam Ecclesiam primam in *Bohemia* fuisse) Divinum Officium nocturnum caneretur, ùt *Christannus S. Wenceslai* nepos scribit. *Pulkava* vetus Scriptor tradit: antequam *S. Wenceslaus* noctu se conferret ad templum moriturus, Sacerdoti vocato peccata confessum ex ejus manibus *SS. Eucharistiam* sumsisse. At *Drahomira* pœnas parricidij dedit, vivens & spirans ad tartara dejecta, ante S. Mathiæ templum, cujus rei index hodiéque columna spectatur; idem *Pulkava* asserit adhuc suo tempore teram eo in loco ruptam, & hiantem notari.

S. Wencesl. comparat se ad mortem.

Vide Epitom. nostram.

g. *S. Wen-*

g. *Sancti Wenceslai* vitam plurimi Scriptores ediderunt, ut mihi scribendi nullus relinguatur locus.

h. *Boleslaus I.* Bohemiæ Princeps fratricida nascitur A. 909. gentilium more à Matre *Drahomira* educatus, nihil nisi sangvinem, & cædes, & tyrannidem principiò spirabat; frugi postea redditus (maximè quòd aspectabilis, è cœlo descendens *Wenceslaus* ad sanam mentem eum reduxerit, præcepta regnandi tradiderit, auri fodinas indicârit) parricidio *Ratisbonæ* expiato, Matrem Religionis amore procul à se abjecit, & res suas habere *Luticÿ* jussit. Ab *Ottone Magno* post bellum multum amatus, & summi *Dapiferi* titulo, & clypeo honestatus cùm maximè fundando in Bohemia Episcopatui immineret, post cæsos multis præliis & Bohemiâ pulsos Hunnos obiit A. C. 967. ætatis 58. Regni 37. felicissimus fuit in prole, ùt Tabulam Genealogicam inspicienti patebit.

S. Wencesl: apparens fratrem frugi reddit.

i. Quæ de *Brzena* dixi, ex *Weleslavino* descripta sunt.

k. *B. Brzibislava*. Hanc amantissimam fratris *S. Wenceslai* fuisse ex ejus morte & miraculo auriculæ colligitur. Viduam non Virginem appellat *Christannus* coævus Author, qui *Amitam* suam sinè dubio noverit, plúsque illi credendum quàm Scriptoribus temporum nostrorum. ob *Sanctimoniam vitæ* & fraternum amorem cum *B. Podivino* in eodem sepulchro non procul à *S. Wenceslao* fratre condita est.

De B. Przibislava. *Christannus in vita Sanctæ Ludmillæ.*

l. *Daubrauka, Dombrauka*, vel *Dobrouka* Apostolica mulier, *Poloniam*, & quæ tum Poloniæ nomine includebatur, *Silesiam* suo conjugio ad Christum adduxit. De ea alio in loco; vide Epitomen nostram, & Polonos Scriptores maximè vetustos. *Daubraukâ* mortuâ *Miesco* vel *Miecislaus Juditham Jassæ* vel *Geisæ*, Ungarorum Principis filiam in conjugem accepit; at *Cromerus* ait hanc *Boleslao* filio datam esse uxorem.

Gnageinus in Miescone. Cromerus l. 3

m. De *B. Milada* seu *Maria* vide Bohemiam sanctam, seu L. 4. Miscell.

n. *Boleslaus II.* fuit pauperum pupillorum & viduarum defensor maximus; nihil de eo præter ea, quæ antè dixi, & L. 4. Miscell.

Fabric. l. 3. Otig. Saxon.

o. *Hemma* uxor *Boleslai* Matrona omnibus virtutibus insignis, de qua egi Lib. 4. Miscell.

p. *Christannus de Skala* Boleslai Sævi filius, *Monachus Brzevnoviæ*. In cujus repotijs occisum esse S. Wenceslaum mihi probabile est, eundémque *Strachiqvas* dictum: hoc nomen ultimum ei in Baptismo impositum non est: peractis enim repotiis, & baptismi solennitatibus *S. Martyr* fraternâ manu interemptus est. Dicant igitur, qui adversantur, quódnam aliud nomen *Strachiqvas* gessit? in eadem mecum sententia fuit vir in Patria historia versatissimus *R. P. Georgius Crugerius S. I.* idque mihi sæpius confirmavit, addens: se pro fabella habere illam à cacodæmone strangulati *Strachiqvatis* narrationem; quod ipsum ego in Epitome Historica suspicari me scripseram, sat claris argumentis adductus. Quæri hoc loco à curiosis possit: quid ità *Christannus* cognomentum *de Skala* vel *Scala* assumserit? (ità enim in Privilegio antiquissimo Brzevnovienśis Cœnobij legimus. *Christannus de Skala, Boleslai Ducis fratrer*) éstne hoc familiæ nomen, an castri alicujus vel loci? erraret, meâ quidem sententiâ insigniter, si quis hanc vocem *Skala* latinam esse suspicaretur, quæ pura puta vox Bohemica est, *rupem* vel *saxum* significans. Respondere interrogantibus ex fundamento non possum, cùm solo puro, & saxo cui insistam non habeam; at hîc arcanum aliquod historiæ Patriæ latêre, nullus dubito; ac fortasse, ex aliqua simili causa *Svihovij Proceres*, ab hac ipsa *Przemyslai* & Principum nostrorum stirpe descendentes non aliud primò nomen usurpârunt, quàm *Dominorum de Skala*, ùt in eorum familiæ *Genealogia* pridem demonstravi.

De Christanno, quem fuisse Strachiquassum suspicemur.

Proceres de Scala cur ità dicti.

q. *Strzezislaum* alij Genealogistæ omiserunt; hanc ego adjeci authoritate *Chri-*

Christanni, qui vitam *S. Ludmillæ* (quam nuper edidimus) dedicans S. Adalberto, eum nepotem suum, ex sorore scilicet, appellat. *Slavnicum* verò vel *Slavonikum* nepotem *Henrici Aucupis* vita *S. Adalberti* vetus (quæ est in *Archivo Metropolitanæ Ecclesiæ*) disertissimis verbis affirmat fuisse.

r. De *Wenceslao* puero scribit *Weleslavinus*, eum febre extinctum ætate puerili.

Boleslai III. tres conjugês.

s. Præter ea, quæ nuper attuli, nihil restat scribendum, eum tamen quantumvis *cæcum* multa movisse adversus Cæsarem in *Epitome* ex fide illius temporis Scriptorum probavi. *Weleslavinus* filios *Boleslai* III. *Jaromirum* & *Vdalricum* posuit, sed errâsse convincitur authoritate Scriptorum eâ ætate viventium.

Fabric. l. 2. Orig. Sax.

t. *Czemislavæ* nomen ex solo *Weleslavino* habemus, illa quæ de tribus conjugibus *Fabricius* attulit, de *Boleslao* III. intelligi volo: *Boleslaut*, inquit, *tres uxores habuit: primam Misnensem Hemmildim, Ridachi Comitis Merspurgij filiam, quam repudiavit, & ex hac fuit altera Hemmildis, uxor Hermanni Marchionis Saxoniæ; secundam uxorem habuit Vngaram, quam etiam deservit; tertiam Dobremiri filiam, ex qua Miseconem & Dobremirum filios, & tres filias suscepit*, teste *Ditmaro*; cui authoritati, cùm nihil æquale opponere possim, fateor me necessariò succumbere, forsitan hæc de Boleslao Polono intelligenda sunt,

u. *Bladibojus Boleslao* III. ob cæcitatis injuriam Principatu depulso, *Bohemiam* regendam à Cæsare commissam esse tradunt vetusti Scriptores, nemo tamen quis ille *Bladibojus* fuerit explicuit.

x. Idem est de fratribus duobus *Miescone* & *Mistovio* de quibus vide Epitomen.

Boleslaus III Udalricus, Jaromirus fratres fuêre

y. *Wladibojo Jaromirus* successit, quem junior frater *Vdalricus* excæcavit, cujus vitam S. *Joanni Baptistæ* curæ fuisse miraculo comprobatum est, cùm ipse Sanctus hirsutâ suâ veste omnia tela *Wrssoveciorum* in *Jaromirum* directa excepit. Nostri Scriptores omnes *Jaromirum* & *Vdalricum Boleslai* III. filium fecerunt, at externi Scriptores (quos in Epitome citavi) ac nominatim *Adelboldus Trajectensis* Episcopus, qui *Vdalricum* Ducem noverat, & eum suum hospitem fuisse narrat, hos duos fratres Boleslai III. fuisse scribit, cui sinè dubio major habenda est fides, quàm ijs, qui hoc sæculo historiam architectantur.

Fratres conciliantur.

z. *Vdalricus* inclytus & admiratione digniſſimus Princeps Polonos Pragâ ejecit, qui eam biennio tenuerant (etsi *Wissehradum* nunquam capere potuerint) cum *Conrado* Cæsare bellum gessit; nam quæ filius *Brzetislaus Marchio* tunc *Moraviæ* gessit, ea omnia Patri adhuc superstiti ab Historicis tribuuntur, de quibus agemus Capite sequenti. Illud exempli optimi *Vdalricus* fecit, quòd *Jaromirum* colloquium suum postulantem admisit, & *Helicardi* Episcopi interventione placatum amplexu fraterno & osculo dignatus est, deprecans injurias fratri factas; & utroque fratre flente, conciliata est concordia. Paulò pòst moriente Udalrico frater Jaromirus optimus Princeps sic pœnitentiâ fratris captus est, ut multis proceribus Principatum Bohemiæ offerentibus, ipse Udalrici filio Brzetislao cesserit, & Principatui renunciârit. Porrò Vdalricus est miraculosè à S. Udalrico impetratus, cui S. Procopius sitienti aquam in vinum convertit.

Bozenæ rusticæ laus.

Miechovius lib. 2. Hist. fol. 6. 11.

aa. *Bozena Domarodi* rustici in pago *Opuczna* (*Perucz* postea dicto) filia, obiit An. 1052. Matrona pia, formosa, comis, subditis omnibus cara, Principis solio digna, *Vetero-Boleslaviæ* tumulata, diu marito Udalrico superstes, qui An. C. 1037. sepultus, & in Ecclesia Pragensi conditus requiescit. *Injurius* multùm est *Miechovius* tum *Vdalrico*, tum *Brzetislao Ducibus*, tum ipsi *Bozenæ*, qui eam *Concubinam* sinè omni veterum authoritate vocavit; alia omnia *Cosmas*, & vetusti Scriptores tradunt,

dunt, qui eam summis laudibus efferunt, & satis ex illo Udalrici dicto ad Proceres contrarium elicitur, cùm eam sibi jungeret: *quæ*, inquit, *hodie rustica dicitur, cras Princeps appellabitur.*

bb. *S. Adalberti* Natales & vitam in Miscellaneorum libris narravi, maximè L. 6. & in Epitome L. 1. & 2. & 3.

cc. De hoc invicto Principe dicetur capite sequenti.

CAPUT XX.

Brzetislaus I. ejus nominis, Bohemiæ Princeps XXII.



Bretislaus rapit conjugem sibi ex Cœnobio.

Brzetislaus vivente Patre, Moraviæ dominationem accepit; adhuc juvenis in Virginem Regiæ stirpis, *Palatini Rheni* filiam, quæ in Cœnobio Virgineo ad *Ratisbonam Svveinfurt* dicto educabatur, exarsit; promisso conjugio conciliatis Virginibus cæteris, volentem & libentem rapuit, & equo impositam in Patriam adduxit; oppositæ catenam ferream Cœnobij Satellites, sed amor juvenem Principem non ingeniosum modò, sed etiam in promissis magnificum, & fortem manu reddidit, ut ferrum obstans divideret, quod in argumentum fortitudinis adhuc sub *Carolo IV.* in Cœnobio ostentabatur, oculato teste *Pulkava*, *Fabricius* egregiè lapsus est, qui *Juditham* Sacerdotem, & *Antistitam* Cœnobij vocat, ejúsque raptum *Ulrico* Duci attribuit, Patri videlicet non filio, sed *Fabricium* Chronologia refellit. Inde *Conradus II. Cæsar* (nam eum quoquo modo Virginis raptus attinebat) in Bohemiam exercitum duxit, quem in silva *Hercynia* (quæ Bavariam à nobis dividit) *Brzetislaus* nactus cecîdit, sed altero anno majoribus copiis comparatis Imperator Bohemiam ingressus Tetinam usque pervenit, jámque in eo erat, ut acies confligerent, sed *Judith* inter acies progressa duas uterum, & infantem, quem ex *Brzetislao* susceperat, ostentans, bellum diremit; secuta exercituum consalutatio, *Conradus Imperator* summus Bohemiæ amicus, etiam tributum Principi remisit, quem abeuntem honoris gratiâ, ultra Bohemiæ limites *Brzetislaus* comitatus est; hæc bella non *Bretislao*, sed Patri *Udalrico* adscribunt nonnulli. Ut primùm sese adversùs Regni

L. 2. Orig. Sax.

Judith rapta pacem facit stans inter duas acies.

æmulos & invidos quosdam, domi firmavit *Brzetislaus*, jam mortuo Patre, cùm exercitum florentissimum duceret, malos vicinos, qui nuper Bohemiam in discrimen adduxerant, ulcisci & vicem illis reddere constituit: bis Ungariam ingressus pervastavit, qua ultione peractâ A. 1038. in Poloniam instructissimo exercitu irruit, & incredibili celeritate & felicitate, unâ, eadémque æstate quatuor Urbes maximas *Wratislaviam*, *Cracoviam*, *Gnesnam*, & *Posnaniam* (quamquam aliquæ istarum Urbium timore Bohemorum propè desertæ stabant) occupavit; *Cromerus* hæc fieri unâ æstate potuisse negat, sed eum omnes veteres Scriptores, & coævus *Cosmas Decanus* convincunt; *silent inter arma leges*, ùt ait noster *Tullius*, itaque non modò profana in captis Urbibus, sed etiam sacra Ecclesiarum cimelia exercitus Bohemicus diripuit; *S. Severus Pragensis Episcopus* de volunte *S. Adalberti*, qui id ei per quietem significârat, S. Præsulis corpus, & *S. Gaudentij* & quinque Fratrum corpora in Bohemiam devexit; alij etiam Ecclesiarum campanas, & ornamenta omnia (inter quæ Crucifixi Domini aurea tabula fuit trecentarum auri librarum) abstulerunt. Triumphum *Brzetislai* vix non parem antiquis gloriosè describit *Cosmas Pragensis Decanus*, & nos ex eo in Epitome; ubi etiam videbis, qua ratione accusatio Polonorum adversùs Bohemos elusa sit. At gratissimus Princeps *Brzetislaus* in præliorum locis, & post singulas victorias statuit aliquod pietatis suæ trophæum ac monimentum: Ungariâ pervastatâ insigne & opulentum Cœnobium ad *Olomucium Hradisstiense* fundavit, ad *Hercyniam* silvam, ubi *Conradi II.* filium *Henricum* postea *Imperatorem III.* in fugam egit, Cœnobium *Pivonkanum* seu *Stokense* pro Eremitis Guielmitanis, & *Ecclesiam S. Mauricij* in *Wissehrad* cum *Nosocomio* divite fundavit; ex Polonicis manubiis *Collegiatam Ecclesiam Vetero-Boleslaviæ*, quæ jam olim sed tenuiter in paucis Canonicis consistebat, amplissimè locupletavit. Obiit militaris, & quod caput est, virtutibus divinis & humanis spectatissimus Princeps An. C. 1055. ad *S. Vitum* in Cathedrali tumulatus verè *Achilles Bohemiæ*, ùt eum vocat *Pius secundus* Romanus Pontifex.

Brzetislaus spoliat Poloniam.

Corpus S. Adalberti in Boh. refert.

Cosmas l. 1. hist. Boh. Epis. l. 3. c. 3.

Brzetislai sacræ fundationes.

Æneas Silvius in histor. Boh.

Notæ in Caput XX.

Filijs Principum adultis aliqua Provincia prudenter committitur regenda.

Vivente Patre Moraviæ dominationem accepit &c. Prudens & laudatum consilium est eorum Principum, qui filios adultos, aliquâ parte Imperij dignantur; leguntur jam in historijs exempla filiorum, qui in Patres insurrexerunt, quòd ab ijs in hæreditate quodammodo destituerentur: *Cui dedisti conjugem, cur denegas hæreditatem? saltem partem aliquam Regni titulo Regionis addito tribue!* Sapienter *Carolus IV.* etsi tot haberet liberos omnibus tamen hæreditatis portionem attribuit, ùt hic *Marchio Brandeburgensis*, ille *Marchio Olomucensis*, alius *Brunen-*

Brunensis, alius *Znoymensis* diceretur. At contrà sentiunt, qui ad firmandum potentiam familiæ uni tantùm filiorum omnia Regna committunt. Fateor firmari Regiæ familiæ potentiam, at familiam periculo interitûs exponi. Porrò non relinquitur *Successor dubius*, ubi ex familia vel unus supereſt: *Carolus IV.* cùm tot haberet proles, & omnibus ijs de Principatibus, imò & de conjugibus ferè providisset, tamen pronepotem nullum habuit. Ut de nostra Bohemia loquamur: ex quo tempore *Rosenses à Carolo* IV. jus primogenituræ, & *Majoratum*, ùt hodie vocant, acceperunt, ab eo tempore familia periclitari cœpit, donec in *Petro Wok* initio hujus sæculi desineret.

In Cœnobio Virgineo educabatur &c. Certissimum est raritatem pretium rebus addere: quod cum cura & conatu magno acquiritur, id sinè dubio cum amore (si amoris res capax est) retinetur; semper enim res illa visa, periculi nos admonet, quod in ejus comparatione adivimus. Perversus tamen illorum amor censetur, qui quod legibus divinis & humanis vetitum est (maximè in conjugijs) concupiscunt, & tunc summam votorum se assecutos putant, si vel consobrinis, vel alijs consangvineis nuribus potiantur; sic *aurum per lapidem Philosophicum*, ùt vocant, acquisitum (si tamen vera est fabula) pluris æstimant, quàm illud quod Sol perfectissimum excoxit, próque incerto illo, ac fortasse spurio metallo aurum certissimum & probatissimum profundunt ultrò; sic ferina caro, etsi olentissima, & verminans, quibusdam præ recenti, & suavissima carne sapit.

Amor pretium acquirit ex periculis.

Amor juvenem Principem ingeniosum & fortem reddidit &c. Amorem *ingeniosum* omnes vocant. At quænam hujus ingenij causa? arbitror ego eam esse potissimam, quòd ex omnibus affectibus violentissimis componatur; ubi amor ibi ira, & ex hac crudelitas, vindicta, etiam rabies exsurgit, & innumeri alii, quos otiosis hominibus, enumerandos relinquo; quod de *vino Ovidius* dixit:

Et carmina vino
Ingenium faciente canunt,

Amor ingeniosus & fortis.

Longè verius *de amore* dici posse puto. Pulchre id expressit prudentissimus *Dux Alcibiades*, qui scutum suum ex auro & ebore fabrefactum Amoris effigie incîdi jussit, qui manibus fulmen frangebat, significans potentiam amoris; hoc enim affectu laborantes omnes corporis & animi vires in unum illud, quod designârunt, impendunt.

Ioach. Camer. in quæst. Decur 10. Problem. 7.

Conradus II. Cæsar &c. quomodo *Judith* ad *Conradum II. Cæsarem* pertinuerit, non conveniunt Authores. Vide Epitomen nostram: *Stransky Juditham Ottonis Albi* filiam (quem ego *Palatini* ad Rhenum filium suspicor fuisse) in *Monasterio Svinibrodano* apud *Ratisbonam* degentem, ut in eo castè & piè educaretur, raptam affirmat. Etsi in hoc Capite bella duo tantùm posuerim, tamen probatiores Historici tria & hoc quidem ordine commemorant. primò. *Juditha* ex Cœnobio *Svinbrodiensi* A. 1026. rapitur, & eodem Anno legitimo conjugio *Bretislao* copulaur. *Conradum* II. coronatio, quo minus bellum moveret, remorata est, quâ peractâ in Bohemiam cum exercitu venit, injuriam per *Judithæ* raptum ulturus; sed *Juditha* progressa in medium, *Cæsarem* pacavit, qui *Pragam* usque progressus, *Boleslaviæ Brzetislao* Investituram, ùt vocant, contulit; ostenditur hodiéque locus, & solium illud in quo *Cæsar* sedit ante annos trecentos *Boleslaviæ* ostendebatur. Post abitum Cæsaris *Brzetislao* in Moravia cum Polonis res fuit, quos inde post varios belli casus ejecit. A. 1038. Poloniam aggressus est, & quatuor Urbes cepit, & de victis Polonis triumphum egit. Per hæc tempora A. 1039. *Conradus* II. *Salicus* decessit, ejúsque loco filius *Henricus* III. jam antè electus successit, qui ingentem pecuniæ summam à

De Judithæ cujus stirpis fuerit.

Imperator cæsus à Brzetislao.

Brzetislao in Polonia raptam audiebat, eámque petebat, cauſſatus Poloniam vectigalem Imperio eſſe, ſcriptóque exercitu Bohemiam conabatur intrare; cæſus eſt cum ſuis, ùt narrant Germani Scriptores, nominatis qui ceciderant Imperij Principibus. Anno ſequenti *Henricus* III. Imperator ingentibus copijs Bohemiam intravit, & *Brzetislaum* Ducem omnia ſua Cæſari permittentem in gratiam recepit. An. 1041. *Brzetislaus* conciliato Cæſare *Henrico* pro eo adverſus Ungaros pugnavit, & inpoſterum ſemper Amico & benevolo Cæſare uſus eſt.

Fæminæ tã bonorum quàm malorum cauſa.

Judith inter acies progreſſa &c. Hîc mihi in mentem venit Epigrammatis illius Græci, quod in Anthologia legiſſe memini, ubi Poëta ingenioſus argumentum Homericæ Poëſios fæminam fuiſſe probat, ſcilicet *Iliadis Helenam*, *Odyſſææ Penelopen*. Venuſtum eſt carmen, quod ad manum non habeo: etiam maximis Heroibus pudori non fuit bella pro fæminis geſſiſſe; exempla adducere Statui meo inconveniens duco.

Si bellũ foris gerendũ, domi ſit pax

Ut primùm ſeſe domi firmavit Brzetislaus, foris bellum &c. Turpe in prudentiam peccatum haberetur, ſi rebus domi non compoſitis, bella foris quærantur: fruſtra ſunt foris arma, nî ſit conſilium domi, optimèque *Procopius Raſus Magnus* belli Dux, ſed malarum partium, dicere ſolitus eſt: *Plùs ex domeſticis centum hoſtes, quàm ex alienis & extraneis decem millia nocere.* Ideò cavent experti militiæ Duces, nè quid à tergo hoſtile relinquant, præcipuè in Patria militari. Videant igitur, & caveant, qui bella in altero Orbe gerunt, nè domi ſua amittant, & in eos quadret proverbium: *Lynx foris, talpa domi;* exiſtimo enim optimum fore, ſi & domi & foris *lynces & talpæ* ſint, id eſt: conſilia pro Patriæ ſalute perſpicacia ſuſcipiant, Patriam verò ſuam velut talpæ permuniant; quod laudabiliter præſtant, *Luſitani*, *Hiſpani*, *Batavi &c.* qui in altero Orbe Colonias duxerunt.

Celeritas in bello valet plurimum.

Incredibili celeritate & felicitate quatuor Urbes maximas occupavit &c. Celeritas peſſimorum conſiliorum mater dicitur, ego ità rem diſtingvo: ut conſilia, quàm maturrimè & minimè tumultuariè ſuſcipiantur, ſuſcepta verò, quàm celerrimè ad exitum perducantur, id ſignificâſſe videtur illud *Auguſti* Symbolum: *feſtina lentè*, quod *Delphino Anchoræ* implexo exprimebat. Magni & toto Orbe circumlatis victorijs celebratiſſimi Imperatores à celeritate conſiliorum, & geſtorum commendantur in hiſtorijs; *Alexander Macedo* interrogatus, quâ ratione tot Regna & Provincias obtinuiſſet, brevibus reſpondit: *nihil differendo.* Idem *Genius Julij Cæſaris* Romanæ Monarchiæ Conditoris fuit (quem *Cicero fulmen* ob celeritatem appellat) qui cum quatuor legionibus armatis intra 24. horas quinquaginta millia paſſuum confecit, ùt ex Lib. 7. belli gallici ad oculum demonſtrat *Petrus Ramus.* Quam ſententiam ex *Lucano* inter ſua Symbola habuit *Albertus I. Cæſar* Auſtriacus Dux militaris & heroicus, qui brachium haſtâ miſſili obarmatum pingebat, cum Lemmate: *Tolle moras.* Veriſſimum enim eſt, quod ſequitur, *ſemper nocuit differre paratis*, cujus rei manifeſta cauſſa eſt: ſi enim quod bene conſultum eſt, differas, alia, aliáque impedimenta intercurrent, aliæ aliæque remoræ, & adjuncta alia loci, temporis, modi, &c. efficient, quò minùs ad ſcopum pertendere poſſis; ſæpe periculum eſt prodi; proditioni autem maximè obſtat *celeritas.*

Ram lib. de uſu lit. Caij Julij Caſ.

Belli calamitas neceſſaria.

Plutarch T. 2 Morali. lib. de Roman: Apoph: g.

Non modò profana, ſed etiam ſacra exercitus diripuit &c. Multa indigna bello fiunt, quæ averti nullo modo poſſunt, maximè ſi victor ſit exercitus; huc quadrare poteſt illud: *venter præcepta non audit*, victoria enim inſolens eſt, neque retineri poteſt miles, qui vitam aut ſanguinem expoſuit, & hoc pretio emiſſe ſe putat, quidquid apud hoſtes invenerit; neque facilè à Ducibus retineri, cùm litui circumſonant, & (quod Magnus Dux apud *Plutarchum* dixit) *præ ſtrepitu armorum Leges non poſſunt exaudiri.*

In

In præliorum locis ſtatuit Trophæum &c. Trophæum ſtatuere victoriæ glorioſum eſt, & DEO & hominibus (maximè ſi gratitudinis ergô ſtatuatur) honorificum: admonentur poſteri, ut grati DEO ob victoriam eſſe velint; tum ij, qui vicerunt, victoriam ſe beneficio DEI conſecutos in omnem poſteritatem profitentur; ſi templum ſit, utraque pars pro occiſis in miſericordiam DEI recipiendis ſupplicat; trophæa hæc victoris mitem animum, & in victoria moderatum oſtendunt, deniq; alia præterea eſſe poſſunt, quæ ſupra & infra cadavera mortuorum templa extrui Majoribus noſtris perſvaſerunt; habemus in Bohemia plurimas ejuſmodi Eccleſias in loco præliorum extructas, ùt in *Albo Monte*, poſt *Tragam Veterem* (nunc in Urbe Nova) Eccleſia *S. Joannis* na Bogiſſti dicta, ad *Horzicium S. Gothardum* alibíque, quod etiam meliores Ethnici obſervârunt; ſed plerumque vanitatis cauſsâ, ùt ex cranijs & calvarijs erecta trophæa, de quibus *Herodotus* & *S. Syneſius*, & ex Græcorum capitibus, quod ſtatuit *Dionyſius Pannonum Dux*, de quo *Cauſſinus*, & quod An. 1577. *Muſtaffa Turcarum Dux* ex capitibus *Perſarum* propugnaculum ſtatuit, & in campis *Marathonijs Pilarum* nomina (ubi quotnoctibus equorum hinnitus, & pugnantium vociferationes audiebantur) quódque atrociſſimum eſt ex triginta millibus hominum ſacrorum, erexit *Tamerlaneus Scytha*, ùt narrat oculatus teſtis *Schildberger.*

Trophæa crudelitatis vituperantur.

Herodotus in Thalia ſe L. 3 S. Syneſius in Encom. Calvitij. Cauſſ. l. 8. de eloq. c. 24. Abens To. 2. apot. 65. Pauſan. lib. 1 Græciæ. In vita Bajazeti.

CAPUT XXI.

Spitihnæus II. cognomento Juſtus, Bohemiæ Princeps XXIII.



BRzetislaus quinque mares filios ex *Juditha* ſuſcepit, quorum ex jure Primigeniorum maximus *Spitihnæus* Principatum Bohemiæ obtinuit; non poteſt ſatis deſcribi Principis juvenis feritas; primi Germani, quos, ob matrem *Juditham* & Imperatorem *Henricum III.* aliáſque cauſſas plurimos alebat Bohemia (nam quædam ingenia Patriam habent, ubicunque bene eſt) in odium Principis incurrerunt, hos perniciali prorſus odio proſequebatur; in exilium mittebat, quicunque Bohemicam non callerent, aut diſcere dedignarentur; quo titulo *Antiſtitam S. Georgij* & Matrem ipſam *Juditham*, cùm nationem contemnerent, in exilium miſit; illud *ferinum*, fratres ſuos, quibus Pater legitimam hæreditatis portionem dederat (*Wratislao Olomucenſem*, *Conrado Brunenſem*, *Ottoni Znoymenſem*) ſuis Patrimonialibus ſpoliavit, uxorem fratris *Wratislai Arabonam* in vinculis habuit, & cætera

Spitihnæus S. Viti monitu mores ferinos exuit

indigna memoratu perpetravit, eáque crudelitas ſat diu tenuit, quo fratres omnes exilium Patriæ prætulerunt, nulla erat frugis melioris ſpes; ſed *S. Vitus Adoleſcens* Cœlo delapſus, correxit Principem, & execrabile Imperium crudelitatis oſtendit, docuítque homines humanè regi oportere. Itaq; *Spitihnæus* cùm aliquo tempore belluam quamcunq; (Leonem, aut Urſum &c.) expreſſiſſet, deſubito laudatiſſimus Princeps unâ nocte evaſit, meruítque, ut inter *pios & juſtos Principes* numeretur, cujus vitam inter optimos Principes Lib. 4. Miſcellaneorum deſcripſimus. Illud ſingulare *Spitihnæus* habuit: quòd quotidie, manè & veſperì conclave ingreſſus Crucifixi ſimulacrum uno minimum quadrante horæ intueretur cum lacrymis, & divinis affectibus, qui naſcebantur ex tempore, ſalutaret. Obiit ſanctiſſimè fratribus hæreditate longè antè reſtitutâ, *Litomericenſi Eccleſiâ collegiatâ fundatâ, Baſilicâ S. Viti* ædificationibus amplificatâ, eo conſilio, ut *S. Vitus, S. Wenceslaus*, & *S. Adalbertus*, uno fornice Eccleſiæ tegerentur; An. 1061. 28. Januarij.

Notæ in Caput XXI.

Fæcunditas Principis populi ſolatiũ.

Quinque mares &c. Optanda Regibus, imò & ipſis ſubditis fœcunditas proli um eſt, ut Regia Familia conſervetur, ut Regna ſucceſſores dubios non habeant, ſempérque timeant, in omne ævum futuros ultores rebellionum. *Aquilæ* dicuntur proles ſuas, ſi multæ ſint, exhæreditare; ſed id propter difficultatem educationis contingit, quæ ceſſat in Regibus, quos etiam Marchionatu vel Ducatu, vel Comitatu contentos cum expectatione rerum futurarum, in hiſtorijs legimus.

Fera mens rarò in totũ exuitur.

Principis juvenis feritas &c. Si verum eſt, quod naturæ deſcriptores tradunt: humanas mentes aliquo tempore, ſive in juventa, ſive in ſenio exerrare; magna *Spitihnæi* felicitas fuit priùs exerrâſſe, poſtea ſapuiſſe, nam ſapuiſſe priùs, poſtea delirâſſe, ſummum eſt dedecus. Ità *Nero* Imperij ſui initio optimus Princeps, deterrimus evaſit: de quo Seneca adulatoriè ſcripſit, *magnam adibat aleam Populus Romanus, cùm incertum eſſet, quo ſe ſtatim Nobilis indoles daret, jam vota publica in tuto ſunt, nec enim periculum eſt, nè te tui ſubita capiat oblivio.* Ubi Lipſius in Notis: *O quàm falsè dictum! primùm enim quinquennium Neronis ità laudabile, ut Trajani celebre dictum fuerit: procul diſtare cunctos Principes à Neronis quinquennio; ſed media & finis præcipitârunt.* Felicior Spitihnæus noſter, cujus priora geſta ſimilia *Neronis*, poſtrema *Titi* aut *Trajani* fuerunt.

L. 1. de clementia.

Patrij homines exteris præferendi in Patria.

Primi Germani in odium Principis incurrerunt &c. Exorbitans prorſus affectus eſt, quem vocant *Nationalitatis*, qui præter nationem ſuam, odit omnes; *Cives mundi* naſcimur omnes, & ſi *quæ præclara reperta*, ut Lucretianè loquar, in uno inveniantur, in totius humani generis utilitatem converti debent; at ſimul videndum eſt, exterorum & patriorum hominum diſcrimen, & (ſi ordo juſtitiæ diſtributivæ ſervandus eſt) exteris, Patriæ homines præferendi, ut nullâ ratione dictum videatur, quod audivi non ſemel: *In Regnis Nationalitatem admittendam non eſſe*, & exteros domeſticis (ùt in Religioſorum familiis ſervari ſolet) præferendos eſſe. Quidquid ſit de Religioſorum familiis, in Republica locum non habet; quia repugnat naturæ, & ordi-

ordinatæ charitati, quæ nos majorem rationem docet habere Civium, quàm exterorum; pugnat cum legibus patrijs, quæ in omnibus Regnis primam curam patriorum hominum eſſe jubent, & ab aliquibus munijs Regnorum exteros omnino excludunt; adverſatur rationi, cùm credibile ſit patrios homines Patriam amare, de exteris id ſæpe non conſtet, quorum *charitas*, ùt ait *P. Cauſinus, manus habet aduncas*, id eſt in Patria non ſua, aut piſcatum (clariùs dicere nolo) aut venatum, aut mercatum exercent, & ubi ad ſummum pervenerint, homines patrios excludunt. Ridicula eſt Æſopi fabula, in qua *Erinaceum* inducit, *lepuſculi* cavernulam ſubeuntem, & ob hyemis inclementiam nocturnum cubile poſtulantem; aſſenſus eſt ſimplex *lepuſculus*, & hoſpitem ſpinoſum in nidum admiſit; alterâ nocte *Erinaceus* medium nidulum occupavit, & uno alteróve ictu veterem incolam læſit, illo multum gemente & querente: tertiâ nocte *Erinaceus* jam violentior multis primùm ictibus concubitorem ſuum vulneravit, & tandem extremo verbere miſerum graviter perfodit; exiliit & exclamavit miſer, & ſe de nido proripuit, queſtúſque injuriam, hoc pro reſponſo accepit: *Hanc eſſe ſibi conſuetudinem, proinde alium nidum quæreret, & abiret.*

Precariò admiſſus ſæpe imperioſus evadit.

Quædam ingenia Patriam habent ubique &c. Vetus eſt verbum, quod *Heliodorus in ſua Chariclea* (ex quo in Argenidem ſuam multa trantsulit *Barclayus*) recitat: *Patria cordato eſt Urbs quævis viro*; quod tamen Orator præſtantiſſimus *Lyſias* potentiſſimis rationibus apud *Muretum* expugnare conatur, ajens eſſe ſententiam hominis ſua commoda amantis, inepti ad Rempublicam, qui non laboret, quid Parriæ ſuæ fiat, unde primum ſpiritum duxit; denique Cives bonos, niſi Civitati bene ſit, nè ſibi quidem bene eſſe putare.

L. 3. Æthiopicorum.

An ubique homini ſit Patria. *Muretus in varijs lectionibus lib. 2. cap. 3.*

Homines humanè regi &c. Ferè ab hominibus crudelitate homines, à feris humanitate diſtingvuntur. Legimus in fabulis, olim fuiſſe Regna ferarum, ut *vulpes* v. g. alio ſæculo *Urſi*, alio *Leones &c.* dominarentur; omne illud Regnum feritatis erat, neque jam timendum eſt, ut redeant belluarum Regna; contingit tamen, ut belluinis moribus homines regantur, ut Regnum belluarum aliquando rediiſſe videatur. *Harpyiarum* ſimiles avaros præfectos comparat *Juvenalis*, cùm canit:

Homo homini lupus.

\- - - *cuncta per oppida curvis*
Unguibus ire parat, nummos raptura Celæno;

Imò ultra progreſſus eſt *S. Syneſius*, qui *Andronicum Libyæ Præfectum Martium dæmonem* appellat, qui plurimos Cives, tanquam *convivio lacrymis excepit*, & omnium belluarum feritatem ſuperavit.

In Epiſt. 57.

Crucifixum intueretur &c. Nihil ad pietatem promovendam magis eſſe poteſt, quàm Crucifixi DEI aſpectus; ſenſêre id viri ſanctiſſimi, neque ingenioſis, pijs, & maximè DEO charis hominibus deeſſe poteſt, quod illo affectu, & aſpectu meditentur. *Imperatores Conſtantinopolitani* cubiculum quoddam paraverant ſibi, in quo *Imperatrices* parerent, puerperij tempus conſumerent, & Imperatorios pueros educarent; cubile illud Purpura dicebatur, & Imperatores ſe *in Purpura genitos* gloriabantur; at quàm ſæpe illorum Purpura in lacernam mutata eſt! Crucifixi cubile Regium *Spitihnæum* cœli purpuratum conſtituit, cujus orantis lachrymæ quotidianæ Chriſti ſangvine dilutæ æternam illi in cœlo coronam meruerunt.

Purpura Imperatorum cubile.

CAPUT

CAPUT XXII.

Wratislaus II. Bohemiæ Princeps XXIV. tandem etiam primus Bohemiæ Rex.



Wratislai conjugia.

Wratislaus II. Dux Bohemiæ, Patre ſic ultimâ voluntate ſtatuente, *Princeps Olomucenſis à Spitihnæo* fratre pulſus in Ungariam ſe recepit, ductâ ibi filiâ *Regis Adletâ* (nam prior conjux *Arabona* jam gravida poſt maritum properans in itinere perierat) ex *Adleta* hac, vel *Adelheide* duos filios & filias ſuſcepit (ùt in Tabula Genealogica videbitur) quâ extinctâ A. 1062. 26. Januarij, tertia conjux Swatawa, Polonis *Svvientochna Caſimiri Poloniæ Regis* (olim Monachi) filia, *Wratislao* venit in manum, eíque quatuor genuit filios, ùt poſtea patebit in Tabula. Ergò *Wratislaus Spitihnæo* fratre extincto, revocatus in Bohemiam cùm *Henricum IV.* bellicis obſequijs totum ſibi devinxiſſet, poſt annos quindecim (A. C. 1086.) ab eodem titulum & Coronam Regiam accepit, primúſque *Bohemiæ Rex* ſalutatus eſt; coronante *Jaromiro* fratre Epiſcopo Pragenſi, Trevirenſi Archi-Præſule, & *Bennone* Epiſcopo Miſnenſi adſtantibus. Quod tamen perſonæ *Wratislai* datum, non Regno, aut ejus poſteritati fatemur; nam alij Principes Bohemiæ eâ ſe dignitate onerari credebant, quòd Bohemiam honoribus iſtis, Imperio paulatim ſubjici ſuſpicabantur. Sileſiam (quæ tum Poloniæ nomine cenſebatur) novo Regi adjectam memorant Germani Scriptores; de cenſu Polonico controverſiam in Epitome diſſolvimus. *Leopoldum Auſtriæ Marchionem Moraviam* vaſtantem profligavit An. 1086. Ab Imperatore *Henrico IV.* Luſatiam accepit An. 1075. in prælio quo *Rudolphus* ab *Henrico* Imperij competitore victus eſt, heroico facinore haſtam *Rudolphi* manu extorſit, quam celebrioribus per Annum diebus Bohemi veteres in templo Populo monſtrabant. *Opatovicium Cœnobium S. Benedicti*, quo non ditius ullum, ſub *Cunaci* monte, fundavit, *Pragæ* item *Eccleſiam Wiſſehradenſem* magnificè exſtruxit, & *Collegialem Eccleſiam* Regijs ſumtibus ſtabilivit, ejúſque Collegii Præpoſitum *Principem* & *Cancellarium* Regni in per-

Prœmia fortitudinis.

M. S. Calendar. Eccleſ. Prag.

Wratislai D. fundationes

perpetuum eſſe juſſit, ob hæc illuſtriora facinora *Mitram Epiſcopalem* à Pontificibus meruit, ut eam ubicunque libêret, jeſtaret. Obiit An. C. 1095. (*Stransky* per errorem An. 1093. poſuit) 14. Januarij, ſepultus in *Eccleſia S. Petri Wiſſehradenſi*; quidam tradunt eum in venatione repente apoplexiâ tactum, equo decidiſſe mortuum. Laudatiſſimus Princeps, qui *Bohemiæ Coronam* appoſuit, & inter tot Slavici nominis hoſtes, aut ſaltèm invidos, majorum & latiorum Regionum Dominos, Bohemiam anguſtam ſatis Regionem, virtute, & factis militaribus Regiâ dignitate primus ornavit.

NOTÆ in Caput XXII.

Wratislaus &c. Multa in nominibus antiquorum ſuperſtitio fuit, ut glorioſa nomina imponerentur ijs, quos glorioſos & felices eſſe cupiebant, proceſsítque in Legiones Romanas, Coloniarum fundationes, aliáque publica Opera hæc ſuperſtitio, ut *Valentes*, *Firmi*, *Salutares*, aliíſque felicibus nominibus appellarentur. Notiſſimum eſt *Machiavelli* monitum, ut filij Principum, *Alexandri*, *Julij Cæſares*, *Pompeji &c.* appellentur. Sed nomina ſæpè diſcrepant à rebus, & noverunt prudentes nullam eſſe nominum cum rebus geſtis neceſſariam, imò neque probabilem connexionem. In Principum tamen Nomenclatura exiſtimo magnum eſſe nominum delectum habendum, ut Avorum, ut eorum in quorum gratiam ſic nominantur &c. memoria conſervetur. Sic *Wratislaus* (quod *gloriam reducentem* ſignificat) nomen accepit.

In nominibus nō ſemper eſt ſuperflua cura.

In Ungariam ſe recepit &c. Maximum auxilium eſt ab inimicis, *& ſalus* ſæpenumero; *Wratislaus* ad *Ungariæ Regem Bohemis* inimicum confugit, ibi nactus auxilium & gratiam, quam frater negabat: Odia Principum miſcentur amoribus, eóque pertinaciùs amant, quò magìs in odijs ſecum communicant; ad hoſtem fugere certiſſima gratia, cùm tibi priùs hoſtem communem feceris; *amor* diſſimilis eſt *odio*, nam ille tertium non admittit, *odium* tibi cum alio commune conciliat amorem, & paratam defenſionem; non enim hoſtis cauſſam examinat, ſed odium communis hoſtis approbat.

Amici inter ſe fiunt, qui tertium oderunt.

Fratre extincto revocatus &c. Revocatus eſt à moriente fratre, qui odia omnia in Chriſti cruce ſepelivit; ſed quamvis hæc abeſſent, *Principum voluntates ambulatoriæ ſunt*, & odia ex tempore ſuſcipiunt, aut deponunt, ac ſæpe deponere vellent, niſi pertinacia & autoritas obſtarent, & quòd errâſſe videri non volunt; at perverſa hæc opinio eſt, ſiquidem factis Regijs addit *Majeſtas* authoritatem, ut prudenter & ratione factum eſſe credatur, quod Princeps mutavit.

Non dedecet Principē ponere odia

Bellicis obſequijs Cæſarem devinxit &c. Nulla fideliora obſequia reputari poſſunt, quàm ea, quæ per militiam comprobantur. Ibi de vita periclitamur, quam tamen Imperatori uſque ad ultimam ſangvinis guttam conſecramus, optiméque dixit alicubi vetus Scriptor, *quid ſit circa cor, clariſſimè prælium oſtendit*; nam etſi naturali quodam genio in hoſtes generoſi milites ferantur, tamen mori velle pro Principe ſumma amoris probatio eſt, neque ſcio an major eſſe poſſit. Ex quo Capite *S. Syneſius* conficit: in Principe ſummum militum amorem & æſtimationem eſſe oportere, illorum curam gerere, commoda procurare, ſtipendia juſtè perſolvere, bene meritos præmijs afficere, & ſi fieri poſſit, omnes nôſſe, qui toties pro Principe mori

Militia eſt fidelitatis ſumma probatio.

Corona pretiosa suspensa super tumulum Principis.

Primúsque Bohemiæ Rex &c. Hoc merito postea super *Wratislai* hujus tumulum, in *Ecclesia S. Petri Wissehradensi* filius *Coronam* insignis magnitudinis ex auro & argento affabre confectam, & gemmis clarissimis lucentem suspendit, quæ toti *Bohemiæ* admirationi fuit. Et merebatur hæc *Wratislai* virtus, qui & pietate, & justitiâ, & in bellis fortitudine omnium Principum Imperij sententiâ inter ævi sui Duces emineret.

Epit. l. 3. cap. 8.

Silesiam adjectam memorant Germani Scriptores &c. Id certissimum esse probavi in Epitome; unde in ejus coronatione in Ecclesia *S. Viti Cosmas Pragensis Decanus*, qui aderat acclamatum esse ait: *Wratislao Regi tam Bohemico, quàm Polonico, magnifico, & pacifico, à DEO coronato, Vita, Salus, & Victoria!* Poloniæ nomine Silesiam intelligi oportere ibidem diximus. De tributo, quod Poloni pendebant, dubitari nullo modo potest, authoritate non tantùm nostrorum, sed Germanorum omnium Scriptorum authoritate, qui insuper narrant *Brzetislaum II. Boleslao* Poloniæ Duci munus *Marescalli* in Aula sua contulisse, próque eo munere gesto stipendium numerâsse illud ipsum tributum, quod quot annis ex Polonia pendere debuerat.

Tributum ex Silesia.

Episcopalem Mitram &c. Eam in rem literas *Gregorij Papæ VII.* recitabo in fundamentis Regni Bohemiæ, parte 1. initio.

CAPUT XXIII.

Conradus Princeps Bohemiæ XXV. & Brzetislaus II. ejus nominis, Princeps Bohemiæ XXVI.





Conradi & Brzetislai gesta.

Conradum I. Marchionem Moraviæ sibi conciliatum *Wratislaus II.* frater tanto amore dilexit, ùt præ filijs suis Proceribus commendârit, & ad Principatum promoverit, sed hic honor *Conradò* in titulum sepulchri tantùm concessus videtur, cùm nonnisi septem Menses, & septemdecim dies nullâ re memorabili ob brevitatem Principatûs gestâ decesserit,

rit, duobus filijs *Leopoldo* & *Ulrico* relictis, priori *Znoymensem*, alteri *Brunensem*, Principatum attribuens. *Brzetislaus II. Wratislai Regis* primogenitus Princeps Bohemiæ An. 1093. ab exilio Ungarico reversus post *Conradum* patruum (non post patrem) salutatur. Erat hoc in Germania more quodam receptum, ùt alibi diximus, ut non filij Patribus, sed fratres, si superstites essent, succederent. *Brzetislaus* nobilitate Bohemicâ quàm maximo numero ad se Pragam evocatâ, humanissimè triduo convivijs, ludis, aliisque humanitatis significationibus tractatâ, amorem sibi omnium facili negotio lucratus est; tum Religionis studio initio Principatûs omnes è vestigio sortilegos, veneficos, sagas, & hujusmodi artium vetitarum Magistros Bohemiâ expulit; mox cùm ei tributum Poloni pendere recusarent, scripto exercitu Poloniam ingressus ferro, & igni populatus, *Wladislaum* Poloniæ Principem, eò denique multis cladibus illatis adegit, ut tributum (erant sexaginta auri & mille argenti marcæ, quas olim *Brzetislao* I. Poloni numeraturos se in annos singulos promiserant) statim penderet, idémque successoribus suis numeraturum se promitteret. Sed in medio tantorum operum, ac potiùs principio (si hujus Principis virtus, & fortuna spectentur) per insidias in venatu occisus est, non procul à villa *Stebnensi*, à *Loreko Wrssovecio* Anno 1100. sepultus ad *S. Vitum Pragæ, in Capella S. Thomæ Apostoli. Lucretiam Palatini Rheni* filiam, quam viduam acceperat, viduam reliquit, cum filijs duobus, de quibus in Tabula IV.

Tributum Polonicum ferro exigitur.

NOTÆ in Caput XXIII.

Cur rara sit fratrum cõcordia.

Fratrem sibi conciliatum &c. Quid causæ sit, quòd *fratrum* tam rara sit *concordia*, disputent Politici; mihi videtur dignitatis conservandæ ratio in Principibus suspicionem movere; fratrem enim nostrum suspicamur (si Populo non placeat Princeps) moliri multa posse; habere Jus quoddam ad Principatum, id quod nos habemus; ausurum multa, & si fortuna faveat, ascensurum ad Principatum, ideóque hanc illi eripere facultatem regnantes conantur; quod manifestum est, in Imperatoribus *Barbaræ gentis Turcarum*, qui cùm Regnum obtinuerint, omnes fratres sinè exceptione occidunt; in gentibus humanis, & ad humanitatem genitis alia ratio est, qui fratres suos inprimis amant, sed aliquando odisse, propter causas, quas suprà attulimus, incipiunt; grave autem odium esse oportet, quod amorem fraternum prorsus extingvat, & fratrem omninò velit perire.

Vita brevis pulcherrima cogitata evertit.

Ob brevitatem Principatûs nulla re memorabili gesta &c. Quàm multi egregij Principes exempla posteritati absolutæ & perfectæ gubernationis daturi, brevitate vitæ sublati sunt, & nihil præter nomen in historijs reliquêre! de hac brevitate vitæ omnibus libris suis queritur *M. Antoninus* doctissimus Imperatorum in vita sua, inter alia aurea dicta Lib. 6. *in hoc flumine temporis, qui res æstimat, is perinde agit, ac si quis unum de prætervolantibus passerculis diligere incipiat, atque is jam è conspectu avolaverit*; quod de vita Regentium imò & hominum omnium dici potest.

Nobilitatē boni Principes amant

Nobilitatem humanissimè tractavit Brzetislaus &c. Multa ex hac humanitate *Brzetislaus* consecutus est bona: nam Nobilitatem demereri, est Regnum universum demereri, cùm ista sit caput consiliorum, & manus agendorum. *Princeps*, qui *Nobilitatem* tollit, ignobilis erit, & solis rusticis imperabit inglorius; atque utinam licet seriùs, non sentiat extremos morsus pereuntis *Nobilitatis*! mulùm etiam prodest *Principi Nobilitatis* convocatio: vident enim multitudinem *Nobilitatis* Principi faventem, & in ejus defensione hoc aspectu plurium confirmantur; adde humanitatem Principis, quâ capiuntur præcipuè *Nobiles*, totósque se Principi obsequio dedunt & mancipant.

Principatûs initia Populo probari debent.

Omnes artium vetitarum Magistros expulit &c. Initio Principatûs aliquid magnum, & quod Populis subjectis placeat aggrediendum est, ut spes magnæ de futura *Principis* gubernatione concipiantur, à DEO & rebus divinis sumendum esse principium svadent Politici, deinde ad commoda Populi respiciendum: parva sæpe initio Regni pauperis Populi sublevatio obnoxios Principi reddet omnes; quod consilium dederunt senes *Roboamo Salomonis* filio; non tamen id nisi pedetentim faciendum, nè multa populus à Principe desideret, quæ si non impetret, Principem odisse incipiat. Ob quam caussam *Annibal Scotus* prudentissimus Scriptor monet: nè à Principe novo, & recèns creato multa petantur.

Scot. Comm. in Tacit.

In medio operum occisus est &c. Mirabile illud quod observant eruditi Scriptores, & exemplis probari potest, maximos Principes in consilijs & operibus præclarissimis morte sublatos, opera imperfecta reliquisse; id apparet in Isthmo perfodiendo, quem laborem multis Principibus fatalem fuisse observat *Justus Lipsius Commentarijs in Tacitum.*

Caput XXIV.

Gubernatio Bohemiæ ob multitudinem competitorum ex Regio Sangvine Principum mirè conturbata.

Certamina Principum Bohemiæ noxia populo.

RAtio iniri *Principum Bohemiæ* non potest hoc tempore, cùm enim excrevissent numero, omnes ad *Principatum Bohemiæ* Jus habere se credebant (cujus rei exemplum nuper *Wratislaus* dederat præterito filio, & fratre substituto, idémque postea *Brzetislaus II.* præstitit) itaque post *Brzetislaum II.* cùm *Borzivojus* frater itidem II. successisset, & *Germanorum* auxilio subnixus, *Ordinibus Bohemiæ* inconsultis An. 1100. ùt priore Capite dixeram, Ducis honorem & titulos assumsisset, statim alij Principes Regij sangvinis per favorem *Optimatum* & Populi *Borzivojum* excutere, & de solio deturbare tentârunt; primúsque *Udalricus* A. 1101. Princeps *Brunensis Conradi* I. filius, deinde & *Svvatoplucus Princeps Olomucensis Ottonis* I. filius An. 1104. & 1105. rem aggressi sunt; ac primùm quidem res non procedebat ex voto, tamen cùm *Wladislaus Borzivoij* frater,

frater, fratrem deseruisset, de communi Bohemiæ Ordinum consensu *Wladislao* ipsi delatum Imperium est, qui modestissimus Princeps, cùm implicari ambitione nollet, *Svvatopluco* egregio juveni & ad magnas spes & res genito prærogativam Principatûs concessit; at *Henricus IV.* Imperator in primis *Borzivojum II.* restituere in integrum voluit, *Svvatopluco* verò ingentem pecuniæ vim promittente Principatum contulit. Interim *Sobeslaus Wladislai* frater minor Principatum affectabat, auxilio Polonorum, quorum exercitum usque *Trutnovium* adduxit; quibus attentatis (maximè quòd *Svvatoplucus à Tista-Wrssovecio* proditoriè jam occisus erat) *Henricus* Imperator offensus, modestum & inter omnes Regij Sangvinis Principes moderatissimum *Wladislaum* rursus Bohemiæ Principem dixit. Mirabuntur forsitan Lectores mei hæc tam perturbatè & confusè à me narrari, non potest ambitio exerrans in ordinem redigi, eóque tempore viginti facilè *Bohemiæ Principes ex Przemislæo* sangvine vixerunt, quorum singuli In suo capite *Coronam* sedere, & in manibus Sceptrum crescere optabant; unus *Borzivojus* ter *Bohemiæ Princeps* fuit, semper dejectus, ac tandem in exilio diu pòst decessit. Idem est de aliorum Principum conatibus; quod de quadam barbara Gente, idem tum in Bohemia accidisse puto, ut qui alterum viribus fretus, de sella regia deturbaret Rex esset; sic nostri Principes mutuò sese impellebant ad casum, nec ipsi tamen stabile solum, cui insistere possent, habebant; donec *Wladislaus I.* (ùt dixi, dicámque Capite sequenti) eóque ultrò favente & annuente *Sobeslaus I.* optimis artibus usi Bohemiæ Principatum sibi, & suo generi constabilissent. vide Epitomen. Hos Principatûs captatores (quales fuêre *Brzetislai, Borzivoij, Ulrici, Svvatopluci, Interreges, Crato, Crugerius, Solimanus*, aliíque appellant, quòd inter duos Reges *Wratislaum II.* & *Wladislaum II.* intercesserint) nos eos *Interregum* nomine non dignamur, principalis tamen sangvinis reverentiâ Principes, sed sinè ordine, cùm nihil ordinatum in ambitione esse possit, appellamus. *Wladislaus* igitur *Wratislai Regis* filius Bohemiæ XXIX. Principes esto.

De Novogardia id dicitur vide Silvium Comment. in vit. Alphonsi L. 2. Num. 6.

Notæ in Caput XXIV.

Principum animi ad spes novas erecti ægrè continentur in officio.

Cum Principes excrevissent numero &c. Nescio quid cum ipso sangvine inustum habeat *Nobilitas*, ut ad alta omnia aspiret; laudabilis *Genius*, si modò intra rectæ rationis & justitiæ terminos contineatur: non enim omnia omnibus debentur, nec omnes idonei sunt Regno, qui Regnum affectant. Illud observatione dignum, quòd cùm plerique homines nunquam artem, quam non didicerint, profiteantur, omnes tamen, quicunque vel minimum ingenio valent, Populis regendis aptissimos se existiment, cùm imperare ars artium sit, neque feliciter nisi à prudentissimis tractetur. Jam quas non turbas dederunt, de quibus dixi *Bohemiæ Principes*, qui & sibi deberi *Coronam*, & se aptos, alios præ alijs

crediderunt, maximè cùm juventus temeraria faces ambitioni ſubjiceret? unus ſæpe inexpertus juvenis admotus Principatui, mirabiles excitare turbas poteſt, quanto id magis, ſi ambitioſorum juvenum omnia pro gloria audentium numerus augeatur? & fuêre Principes ſangvinis illâ ætate plures vicenis, quod *Coſmas* vetus Scriptor antiquo carmine expreſſit: *Jam ſunt viceni, nisi fallor ego domiceni.* Harum diſcordiarum *Wratislaus II.* & poſtea *Conradus I.* ſemina ſparſerunt, qui præteritis propriis filiis, fratres, patrueles, eorúmque filios ſuâ authoritate poſt ſe regnaturos denominârunt, & hâc ratione *dubios ſucceſſores reliquerunt*, certóſque hoſtes regnantibus excitârunt, cùm dubitari non poſſet, filios (qui parentes Principes habuerunt) omnia moturos, & omne tempus captaturos, ut paternum Regnum recuperare poſſent, quibus ſeſe facilè addunt, qui præſentem ſtatum oderunt: nunquam enim deſunt in Regnis, qui res novas exoptent, & rerum mutationem, ſi adſit occaſio, moliantur, aut expectent.

Exterorum conſilia ſæpe Patriæ noxia.

Germanorum auxilio, Bohemis inconſultis &c. Semper ſuſpecta eſſe ſolet patriis hominibus Exterorum potentia, aut etiam multitudo: exempla omnium Regnorum Scriptores ſuppeditant. Prudenter *Lipſius*, & oraculo quàm humanæ voci propiùs: *Sicut domicilij parietes crepantes, ruinam inſtare docent; ſic copia frequentiáque Exterorum in Republica, certum mutationis indicium præſeferunt.*

Vide Miniſter. Card. Richelij l. 3. c. 19.

Moderatio Principem conſtituit.

Wladislaus modeſtiſſimus Princeps &c. *Wladislaum* neque oblatum aurum, neque indigna adulatio, aut cognatorum oppreſſio, aliæque hujuſmodi cauſſæ, Principem fecêre, ſed propriæ virtutes, & ſumma animi moderatio; bis recuſavit Principatum accipere, tertiò non ſinè Procerum precibus accepit, & iterum repudiavit, verúmque eſſe oſtendit, quod olim de *Fabio* triumphum recuſante ſcripſit *Livius: adeò ſpreta in tempore gloria, interdum cumulatior redit*, & quod idem *Fabius* dicere ſolebat: *Gloriam qui ſpreverit, veram habebit.* In eundem ſenſum *Claudius Ptolemæus* maris & terræ, inſuper & aſtrorum *Menſor* accuratiſſimus dictitabat: *qui inter ſapientes humilior, vel animo moderatior eſt, is etiam ſapientior eſt*; quod ejus dictum quia frequenter habebat in ore, ſub ejus effigie ſubſcribi ſæpe vidi; magnum enim argumentum prudentiæ habetur, cum ſumma ſapientia animi moderationem conjungere, & quò ea major & ſincerior fuerit, eò magis animi motus componit.

Liv. Dec. 1. lib. 2. Idem lib. 22.

Pecuniæ obediunt omnia.

Svatoplucus ingentem pecuniæ vim &c. *Pecunia eſt alter ſangvis*, dicunt Juris-Conſulti, igitur carò venditur, quod pecuniâ emitur; at hodie nihil eſt leviùs, quàm pecuniam dare. Omnia venduntur & emuntur; ubi nummi ſonitus auditus fuerit, omnia expugnantur. Uncia auri unica plùs ponderat, quàm centenarius juſtitiæ; multis pecunia carior eſt animâ: hoc miriùs eſt, Principes & Reges pecuniæ cupiditate ad iniquas promotiones adductos aliquando fuiſſe, & juſtitiæ pecuniam prætuliſſe, quod omnibus Regijs virtutibus adverſatur; cùm fortuna à Principe in ſubditos debeat derivari, qui miſſilia jacit; quod pulcherrimè *Seneca* deſcribit, ubi *Neronem* inducit loquentem: *quid cuique mortalium fortuna datum velit, meo ore pronuntiat; ex noſtro reſponſo lætitiæ cauſſas Populi Urbéſque concipiunt; nulla pars unquam, niſi volente propitióque me floret &c.* Sed Reges rarò in hoc peccant, Regum Miniſtri ſæpiſſimè.

L. 2. de clem. c. 1.

Parricidium Principis cædes.

Svatoplucus proditorie occiſus &c. Maximum crimen eſt læſæ Majeſtatis, ità docent Juris Conſulti. Græcus Scriptor perſapienter ajebat: *Etiamſi ex Principe bellua fieret, tamen tolerandum, multò minùs occidendum eſſe*, multa tamen Tragœdiarum argumenta (proh dolor!) cædes Regum dedêre, & plerique innoxiè ceciderunt! *Syneſij* verba recito: *Vides, ô Imperator, quàm multa ex Regibus copia Tragœdiarum ſcenis ſuppeditetur! quippe mediocris domus magnitudinem calamitatis non capit, neque infortuniorum gravitati, mendicorum vita obnoxia eſt &c.*

In Tit. ad Leg. Iul. Majeſt. per totum. Syneſ de Regno ad Arcad. Imp.

Ambi-

Ambitio exerrans in ordinem redigi non poteſt &c. Nullus facilè in hominibus affectus invenitur, qui eripiat conſilium, quàm *amor & ambitio*; cæteri affectus ſtultitiâ excuſantur, ambitio cum ſapientiæ ſignificatione delirat, & ridetur; imò rideri ſe non ſentit, ſed aliorum riſus, & penè irriſiones in argumentum excellentiæ ſuæ trahit; ingeniosè Seneca: *Facit avidos nimia felicitas: nec tam temperatæ cupiditates ſunt unquam, ut in eo, quod contingit dari, quieſcant: gradus à magnis ad majora fit, & ſpes improbiſſimas complectuntur, inſperata aſſecuti.*

Duo maximè affectus rationem pervertunt.

L. 1. de clementia.

CAPUT XXV.

Wladislaus I. ejus nominis, Bohemiæ Dux XXVIIII. Item Sobieslaus I. ejus frater, Wratislai II. Bohemiæ Regis filius, Bohemiæ Princeps XXX.



Wladislaus I. non deſiderando Regnum, Regnum meruit & invenit; *Bolesla-vienſis Princeps* in hiſtoria vocatur, à diuturna eo in loco habitatione; quâ ſuâ moderatione, omnes competitores ſuperavit, maximè annitente *Henrico V. Cæſare.* Fundavit ampliſſimè *Cœnobium Cladrubiense*; cùm ad colloquium *Stephani Ungariæ* Regis veniſſet, fraude cujuſdam *Nobilis Ungari* loco pacis prælium eſt initum, in quo *Wladislaus* vicit. *Sobieslaum*, utì & *Borzi-vojum* fratres, & *Ottonem* patruelem recepit in gratiam; *Borzi-vojo II.* fratri ex gratia mediam partem Bohemiæ regendam conceſſit; at quia neſciebat fortunâ uti, rurſus abſtulit, iſque in Ungaria tædio vitæ deceſſit; in *Borzi-voji* locum moriens, *S. Ottone Bambergenſi Epiſcopo* agente, *Sobieslaum I.* etiam proprio filio præterito Proceri-

Wladislaus laudatiſſimus Princeps.

ceribus commendavit, & poſt ſe Principem nominavit. Obiit 2. Aprilis An. 1125. Cladrubium devectus ad tumulum.

Sobieslai mira felicitas & fortitudo

Sobieslaus I. inde, ùt dixi, à *Wladislao* commendatus Proceribus, Solium Principale conſcendit. Huic Principi paucos pares Bohemia vidit; ſed initia tamen nihil læti promittebant, nam *Otto II. Niger* cognomine Ottonis primi filius *Princeps Olomucenſis* promiſſis in ſuas partes attracto *Lothario Cæſare*, primus in *Sobieslaum* duxit: commiſſum eſt prælium ad *Chlumecium* ad *Cydlinam*, in quo *Otto* occiſus, *Lotharius Imperator* captus, cum plurimis Imperij Principibus (quos inter *Albertus Urſus Brandeburgi Marchio* fuit) diſſipatus univerſus Saxonum exercitus, & in fuga cæſus. *Sobieslaus* humaniſſimè Cæſarem habuit, & reverentiâ Majeſtatis dimiſit; quo effectum eſt, ut *Lotharius Sobieslaum* ob virtutes unum præ omnibus miraretur, foveret, & in omni vita chariſſimum haberet, hæc acta 1126. 2. Martij. Poſt hæc *Sobieslaus* in Poloniam exercitum duxit, eámque ter omnino pervaſtavit, ut *Belam II. Ungariæ Regem* (cujus ſororem *Adletam* in conjugio habebat) ulciſceretur, quem Polonus bello vexabat. Pòſt domi & munitam & florentem Bohemiam magnorum Regum exemplo efficere aggreſſus, primùm omnium *Pragam Majorem*, quæ ligneis tantùm domibus conſtabat, Italico more deſignatis priùs plateis omnibus exſtruere cœpit, ac plurimis Privilegijs ornavit, Populóque implevit; deinde *Görlicium* condidit, quæ primitus *Horzelecz* dicta eſt, in Bohemia verò *Przimdam* ſeu *Frimberg*, & *Glacium*, & *Tachoviam Civitatem* reconcinnavit, *Miſam Civitatem* fundavit. Nec contentus humanis & terrenis auxilijs Patriam permunire, cœleſtia auxilia magnificè quæſivit: *S. Georgij* templum in monte *Zrit* totâ ferè Bohemiâ ſpectabile denuò excitavit; *Cœnobio Siloënſi* initium aliquod dedit, ùt *Pulkava* ſcribit, *Wiſſehradenſem Eccleſiam* (Patris *Wratislai II.* opus) ornatiſſimis ædificationibus, & domibus Canonicorum, & Fundationibus novis ità auxit, ut Patrem ſuſperârit. Illud non pietate tantùm, quàm ingenio commendatum: ſuper tumulum *Wratislai Regis* Patris ſui *Coronam* octoginta talenta argenti, duodecim talenta auri continentem, gemmis diſtinctam clariſſimis ſuſpendit. Cùm *Pragam* orationis cauſsâ (qui titulus olim Principibus, & Præſulibus uſitatus fuit) adiiſſet, nudis pedibus, & lacernâ indutus *inſtar Regis Ninivitarum* (ùt loquitur *Jaroslaus* ejus temporis Author) tumulos Sanctorum Patronorum honoravit, multis precibus DEO ſeſe per eorum merita commendans. Quàm verò Patriam diligeret, ſatìs oſtendit illud, quòd nullâ ratione propriorum liberorum habitâ, *Conrado Cæſari* (quem quia in bello Saxonico, & Bavarico præclarè adjuverat, amiciſſimum habebat)

Sobieslai præclara opera.

Corona Wiſſehradenſis.

bebat) *Wladislaum* ex fratre nepotem ità conciliavit, ut Cæſar promitteret, nullum ſe poſt *Sobieslai* mortem alium adjuturum, & confirmaturum, quod & fecit. Erat hic *Wladislaus* ad Principatum prorſus factus, qui poſtea Bohemiæ Rex ſalutatus eſt, ùt ſuo loco dicetur; quâ electione *Sobieslaus* plurimùm ad Bohemiæ gloriam contulit. Obiit inclytus Princeps DEO, Cæſari, vicinis Principibus, maximè S. Leopoldo Auſtriæ Marchioni (qui *Wladislao* juveni filiam ſuam *Gertrudem* deſpondit, cum viciſſim filiam ſuam *Mariam Leopoldo V. S: Leopoldi* filio *Sobieslaus* deſpondiſſet) ſubditis etiam Populis, omni denique hominum generi chariſſimus An. 1140. *Pragam* ex *Cujavia* Poloniæ Provincia, quam ditione tenebat, devectus, & in *Wiſſehradenſi Eccleſia* apud patrem *Regem Wratislaum* tumulatus.

S. Leopoldus Principibus noſtris peramicus.

1140.

Notæ in Caput XXV.

Lis de numero Principum.

Wladislaus Dux XXIX. & Sobieslaus XXX. Quòd hoſce duos Principes, alterum XXIX. alterum XXX. (cùm priores aliquot omiſerim) numerârim, cauſa eſt: quod hi ſoli firmiter ſteterint in gradu, cæteri non item; illorúmque Imperium ſæpius fuerit interruptum, at hi ad extremum duraverint; nam etſi *Wladislaus*, ùt dixi, bis ſolio dejectus ſit, recuperavit nihilominus virtute locum, ejúſque beneficio *Sobieslaus* aliquoties Bohemiâ rejectus, tandem feliciſſimè regnavit. Porrò in hoc capite ob rerum geſtarum multitudinem indiculum potiùs quendam, quàm narrationem, aut hiſtoriam ſcripſi, ut Lectores animadvertent.

Inventio imaginis Boleslavienſis.

Wladislaus Boleslavienſis Princeps &c. Sub hoc fortunatiſſimo, & fortiſſimo Principe, reperta eſt ſtatua *B. Virginis Boleslavienſis*, ùt in hiſtoria illius Divæ narravi, (quidam ejus imaginis inventionem ad tempora *Wladislai Regis* hujus *Wladislai* filij referunt, quod probabiliùs puto) ſuſpicor eam ob cauſſam pium Principem *Boleslaviæ* habitâſſe captum amore B. *Virginis*, & ab illius ara, ad Principis dignitatem aſcendiſſe. Hoc etiam velut bene ominoſum Scriptores in Imperatoribus obſervârunt, qui potiùs *ab altari, vel inter altaria* occupati, quàm *ab aratro* vocati, felicitatem Imperij cœlitus videbantur accepiſſe; ùt à veteribus Panegyriſtis obſervatum legimus. Magna inter DEUM & Principem connexio eſſe debet, ſiquidem hîc Vicarius illius eſt, & ea agere illum oportet, quæ omnium Domino non diſpliceant, bene enim Horatius: *Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipſos arbitrium eſt Jovis*; unde obſervant ſacrarum literarum *Interpretes*, *Regum Juda* lectulum, & altare Domini uno tantùm pariete diviſa fuiſſe, ut unicum refugium *Reges* haberent ad DEUM, illiúſque Majeſtatem ſibi, & populo ſubjecto aſſiduè redderent propitiam.

Principes DEO ſe ſe conjungant.

2. *Reg. c. 9.*

Fundavit Cœnobium Cladrubienſe &c. Nihil memoriam viventium conſervat magìs, quàm Fundationes ſacræ; quoties de familiæ antiquitate, pietate, gloria, diſceptatur, ad *Eccleſias* & *Cœnobia* confugitur, ubi *Nobilitatis* plurimæ ſolent extare memoriæ; at opera cætera, licèt ſumtuoſis ſubſtructionibus clara, Authoris nomen rarò conſervant, niſi in publicam utilitatem dirigantur.

In Aulis odiorum ſeminatores vitandi.

Fraude cujuſdam nobilis Ungari &c. In Aulis Principum levis eſt annona eorum hominum, qui diſcordias excitant, & unicè odiis aliorum lætantur; id faciunt mul-

tis de cauſis: faciliùs, quò moliuntur, perveniunt, cùm iſti vel illi, ſibi mutuo odio obſtant; gratioſiores ſe futuros ſperant, ſi alij gratiâ excidant; ab ipſis quos in mutua odia concitârunt, gratiam ſe iniviſſe putant, quaſi ex amicitia alterius odia prodidiſſent; denique, ut alia omittantur, multorum Genius eſt in turbido piſcari. Quàm ſint odio habendi Regibus ejuſmodi homines, *Plutarchus aureo libro de adulatione* demonſtrat. Et libro *de fraterno amore* docet: antiquos ſummâ Religione, vel potiùs ſuperſtitione obſervâſſe, nè duo ſimul euntes dividerentur, & neque canem, neque aliud animal inter ſeſe pati ſolitos, *quantò minùs*, inquit, *tolerare oportet eos, qui amicitias dividunt?*

Ira fugienda

Fratres recepit in gratiam &c. Summa irarum acerbitas diuturnitate temporis evadit; nulla in animum inducenda eſt iracundia, quæ omne vitæ tempus complectatur, maximè cum ijs, qui in eodem utero ſunt geniti. Pulcherrima eſt *Salluſtij* oratio ex perſona *Micipſæ*, quam *Imperator Severus* liberis legendam moriens miſit, jam tum prævidens inter fratres futuras diſcordias. Quibus exemplis filios magni Principes ab odijs dehortati ſint, habes apud *Typotium*.

Typ. tom. 2. Symb. in Cardinalibus.

Felicitas excæcat.

Borzivojus II. neſciebat fortunâ uti &c. Plures ſunt, qui adverſam fortunam fortiter ferunt, felicem immoderatè, quia felicitate excæcantur; quædam illis vertigo oboritur, cùm ſtant in culmine dignitatum; & hunc maximè morbum acquirunt, qui indigni à fortuna elevantur: non enim ſe capiunt, & aliunde, quia indigni, facilè in præceps aguntur. Solebat *Cleon* dicere: *Facilius propè eſſe propulſare adverſa, quàm tutari ſecunda*, quia, ùt *Tacitus: Secundæ res acrioribus ſtimulis animum explorant: miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.* Talis fuit *Borzivojus II.* quem adverſa non fregerunt, felicitas enervavit, quod ſinè turpitudine eſſe non potuit; ità olim ſenſit *C. Memmius: majus dedecus*, ajebat, *eſt parta amittere, quàm omnino non paraviſſe.*

Thucydides l. 3.

Tacitus l. 1. hiſtor. Memmius apud Salluſt. in Iugurtha.

Sobieslai initia nihil læti promittebant &c. Principatûs initia accommodata ſunt plerumque novis rebus tentandis, cùm adhuc Princeps in throno firmiter non ſedet, neque adhuc populo, nec militi, nec Nobilitati placere potuit. Ideóque novo Principi omnia auxilia comparanda ſunt, ad præſidium conſervandæ novæ dignitatis, diſſimulandæ priores inimicitiæ, ſpes omnes oſtentandæ, amicitiæ vicinorum Principum quærendæ &c. Donec firmetur in Regno, nam poſtea utilitate ſuâ, gloriâ, & dignitate, omnia metietur; equum generoſum & nonnihil contumacem, ſi conſcendere paras, priùs blandiſſimè demulce, atque etiam poppyſmis ſaluta, cùm jam conſcenderis, age, quod lubet, facilè frænatum in officio continebis. Vidi ego fabri cujuſdam duodennem puerulum grandi malleo cum Patre ferrum cudentem, quem tamen malleum puer præ gravitate elevare non poterat, ſed ubi primùm patris auxilio elevavit, malleo ab incude reſiliente, exiguo adhibito conatu patris labores adjuvare poterat; ità fit in rerum initijs, adjuvari debemus ab aliis, continuare bene cœpta nobis relinquitur, quod difficile ampliùs non erit.

In initiis Principatûs quid agendum.

Munitam, & florentem Patriam &c. Hoc Principibus omnibus propoſitum eſſe debet, cùm Principale objectum virtutis, quam vocant *politicen*, & bonæ gubernationis apex apud omnes ſapientes habeatur: *Patriam ſecuram, divitem, ſanam, Populo florentem, & permunitam efficere*; hoc cœleſti paſſu, omnes qui à gubernatione laudantur Principes proceſsêre. Qui Patriam vacuam, pauperem, omnibus hoſtibus patentem, ſinè Populo &c. reddit, is alterutrum ex duobus neceſſe eſt, habeat: *aut neſcit regnare, aut Patriæ non poteſt fidere.* Ut verò fidat, artes omnes bonas placendi Patriæ adhibeat, eámque ſui amantem efficiat; aliis autem viis, & modis, *ùt timore, & duris Imperijs*, nunquam ſubditorum amorem conſequetur. Inſpiciantur *Regum* bonorum exempla.

Principis boni ſignũ Patriæ felicitas

Pragam Sobieslaus ædificat &c. Reges boni maximi ædificatores fuêre, quod etiam

etiam hodie videmus in privatis domibus, domus ruinoſa, perſtillantia tecta, feneſtræ fractæ, & januæ &c. Segnem *Patremfamilias* oſtendunt; gloriatur hodiéque *Wratislavia*, quòd delineationem *Caroli IV.* manu factam conſervet, quam Senatui miſit, cùm eorum Urbs incendio conflagrâſſet; talis fuit *Przemislaus Ottocarus II.* ejus nominis, qui novum *Budvicium* deſcripſit, & fundavit; item omnes ad *Moravam Arces* & Civitates permunivit, ùt *Olomucium*, *Hradiſſtium*, *Straznicium*, *Hodoninam*, & cæteras, quæ Regno, & ornamento, & præſidio diu fuêre.

Siloë &c. Hæc timidè ſcripſi ſolius *Pulkavæ* authoritate adductus, nam *Chronologia* fundationi huic à *Sobieslao* factæ repugnare videtur, de qua re in *Cœnobijs*.

Orationis cauſsâ Pragam venit &c. Antiquorum Scriptorum hæc phraſis eſt: *Orationis cauſsâ Hieroſolymam* proficiſci, *orationis cauſsâ Romam* pergere &c. quod *ad limina Apoſtolorum* etiam dicebatur; vide *Annales Baronij*, & miraberis Majorum noſtrorum pietatem.

Sobieslaus S. Leopoldo cariſſimus &c. Dedit *Sanctus Marchio* in conjugem filiam ſuam *Gertrudem Sobieslai* nepoti, per quod conjugium ſangvis *Divi Leopoldi in Domum Habſpurgico-Auſtriacam* derivatus eſt, quam demonſtrationem *Genealogicam Auguſtiſſimo Cæſari Leopoldo* (quem DEUS ſervet!) ante aliquot annos obtuli die *Natali*; quæ eò gratiùs ab humaniſſimo *Cæſare* accepta eſt, quòd *Genealogiſtæ* cæterà peritiſſimi negaverant *Sancti Leopoldi* ſangvinem *Babenburgicum* in *Domum Auſtriacam* deduci poſſe.

CAPUT XXVI.

Wladislaus II. Bohemiæ Princeps XXXI. poſtea etiam Rex.



Wladislai Pater quiſnam fuerit?

Wladislaus II. Rex Bohemiæ glorioſiſſimus & bello inclytus *Princeps*, de quo in Notis ad ultimam Tabulam ſtirpis *Przemyslææ* nonnulla dicentur, gubernacula Bohemiæ obtinuit. Hunc *Wladislaum* non fuiſſe *Wladislai I.* filium, ſed *Sobieslai I.* diſertè (adversùs omnium Scriptorum ſententiam) affirmant duo egregii Scriptores; *Jaroslaus Strahovienſis* Religioſus coævus, & *Pulkava* ſub *Carolo IV.* ſcribens, ut quid tenendum ſit, neſciamus. Regnare in Bohemia titulo *Principis Wladislaus* incepit An. 1140. omnes propè reliqui Regii ſangvinis Principes in eum inſurrexiſſe ſcribuntur, quorum Caput *Conradus Princeps Znoimenſis* fuerit, cæſuſque eſt ad *Pragam Wladislaus*, *Pragâ* tamen in fide perſtante; at denique *Conrado Cæſare* affine ſuo cum exercitu

Wladislai Principis fundationes ſacræ.

ad opem ferendam veniente, rejecti ſunt omnes, & in fugam acti, quos ad ſecuritatem Imperij *Wladislaus* pace factâ, omnes ſibi conciliavit; pacis beneficio bene uſus *Wladislaus* An. 1143. *Cœnobium Strahovienſe*, tum etiam *Plaſſenſe*, *Gertrudis* verò conjux Virginibus *Sancti Benedicti Parthenonem Teplicenſem*, & *Doxanenſem* Virginibus *Præmonſtratenſis* inſtituti fundavit; An. 1147. cum *Conrado Cæſare* affine ſuo in *Palæſtinam* armatus cum ſuis profectus eſt, multiſque egregijs editis facinoribus reverſus; interea domi res turbabat *Sobieslaus II.* quem (ùt aliqui tradunt) *Theobaldus* minimus *Wladislai* frater in prælio manu ſuâ cepit, & in carcerem retruſit. Bellum etiam *Wladislao* fuit cum *Manuele Conſtantinopolitano Imperatore* in Ungaria, quò exercitum duxerat in auxilium Ungarorum, ſed brevi compoſitâ pace etiam Neptem ſuam *Helenam Friderici* filiam *Petro Imperatoris* nepoti elocavit. Mortuâ *Gertrude* conjuge An. 1151. 25. Junij, Anno poſt altero *Juditham Ludovici Landgravij Thuringiæ* filiam duxit. Sub hæc *Conrado Cæſare* mortuo *Fridericus I. Ahenobarbus* ſucceſſit, quem in bella ſecutus *Wladislaus*, cum Bohemorum ſpectatiſſimo exercitu, præcipuè ad *Mediolanum*, ſuam, ac ſuorum virtutem probavit, cum admiratione omnium Germaniæ Principum, quorum interventu, genti Bohemæ album *Leonem* coronatum & bicaudatum in ſangvineo campo, multis Illuſtribus familiis *Equitum* auratorum titulos, & novos Nobilitatis clypeos, Regibus, ac Regno complura Privilegia à *Cæſare* obtinuit. Cùm verò *Fridericus Cæſar*, Romanam Sedem oppugnaret, ac premeret, Diriſque devotus eſſet, *Wladislaus* reverentiâ *Sedis Apoſtolicæ*, & filij ſui *Alberti Archiepiſcopi Salisburgenſis* hortatibus, paulatim à *Friderico* ſeſe abalienare cœpit; qui re animadverſâ, contemtum & dolorem ſuum ultus, *Wladislai* filium *Fridericum* Bohemiæ Ducem à Patre deſignatum è ſolio dejecit, *Sobieslao II.* ex carcere ad Principatum evocato, ùt mox dicemus. Ob eam cauſſam *Wladislaus*, cui fortuna poſt tot felicitates extremum hunc morſum infixit, exul in *Luſatia* in Arce *Meer* mœrore contabuit An. 1174. poſtquam 35. in Bohemia imperâſſet Annos.

Facinora militaria Bohemorum ad Mediolanũ.

Vide Notas in hoc Cap.

Notæ in Caput XXVI.

Invidia Virtutis comes.

Omnes propè Regij Sangvinis Principes in Wladislaum inſurrexiſſe &c. Cùm longè alios Principes excelleret, neceſsè fuit, ut invidos & hoſtes pateretur; excellentia enim quoſdam commendat, quoſdam urit, præcipuè eos, qui ſe pares exiſtimant, ideo ægrè ferunt alios elevari, ſe præteriri, & deſpici. In quadam Urbe Græciæ, in porta Urbis ſcriptum lego fuiſſe: *Nemo inter nos excellat*; hoc quibuſdam portis hodiéque deberet inſcribi; ſunt, qui non ſinunt ullum in aliquo laudis genere excellere, & eminere. Simile quiddam habebant *Athenæ*, ubi præſtantiſſimi Civium Urbe pellebantur, ídque *Oſtraciſmo* fieri dicebatur. Natura hæc invida, omnis virtutis inimica, utinam è cœtu hominum ipſa proſcriberetur, quàm virtutes proſcriberet! ejuſmodi homines, furaciſſimæ, & invidæ avi Corvo comparari mihi poſſe videntur, qui, quidquid ante eum humi infixeris, id omne pati non poteſt, & extractum ad terram dare omni vi laborat.

Pragæ urbis fidelitas.

Pragâ in fide perſtante &c. Maxima hæc laus debet haberi, quòd toties *Praga* ſuam fidem dominantibus approbaverit, ſemper niſi cogeretur meliores partes ſecuta; exempla adferemus cùm de *Civitatibus* agemus. *Athenæus* in hunc modum Civitates olim laudavit; *aurea Alexandrinorum Civitas, pulchra Antiochia, ornatiſſima Nicomedia, Athenæ ſplendidiſſimæ, Roma terræ compendium*, ego hæc omnia ſuperârim unâ voce *Praga fideliſſima*. Itaque ingeniosè *Julius Cæſar Scaliger* ad Pragam ſcripſit:

Lib. 1. Dipnoſ. c. 15.

Lib. de Vrbibus.

Linque alijs Populis (ô Praga) *tantæ munimina Sedis,*
Quæ nequeant armis jura tenere loci;
Námque tuum eſt, non præſidio turgere locorum,
Sed loca præſidijs, fidere poſſe tuis!

Cujus dicti veritatem nupera à Septemtrione bella comprobârunt.

Securitas Populi propoſita ſit Principi.

Ad ſecuritatem Imperij &c. Nihil magìs propoſitum imperantibus eſſe debet, quàm ſecuritatem ſibi & populo parare; ſinè ſecuritate nec beatitudo eſſe poteſt. Maxima pars beatitudinis etiam æternæ, ſecuritate conſtat. Hoc viderunt Imperatores Romani, qui in *Nummis* nihil frequentiùs inſcribere ſunt ſoliti, quàm *ſecuritatem publicam*, quam exprimebant ſedentem ante ignem, quòd ſcilicet diu noctúque oculis intentis, ne quid flamma periculi afferret, ſollicitè obſervaret; nulla tamen tanta in Regnis, & in omni felicitate ſecuritas invenitur, quam malitia hominum evertere non poſſit; dolum adhibent, ubi vim non poſſunt; hìc mihi venit in mentem *Marci Antonij*, cui omnia metuenti initio *belli Actiaci*, & ob ſecuritatem nullos niſi præguſtatos cibos ſumenti, *Cleopatra* egregiè illuſit: Nam procedente hilaritate, invitavit *Antonium*, ut coronas biberent, velut ſolebant amantes, cúmque is decerptam de capite *Reginæ Coronam* haurire vellet, *Regina* oppoſitâ manu prohibuit. Tum illa, *ego ſum*, inquit, *Antoni, quam tu caves & times. Adeò mihi, ſi ſinè te poſſem vivere, aut ratio, aut occaſio, aut ingenium deeſt!* & mox reum è cuſtodia juſſit educi, qui epoto, quod Antonius bibere parabat poculo, in quo *Corona Reginæ* natabat, momento in illo veſtigio exſpiravit, ùt commemorat *Plinius*. Ità cincti periculis vivimus, ut omnis ſecuritas intercipi poſſit nobis nihil ſcientibus.

Plutarchus in Antonio.

Juvenes Principes plerũque feliciores.

Minimus frater &c. Juvenes feliciores plerumque ſenibus fuiſſe notant Scriptores, unde memorabile *Caroli V.* dictum: *Fortuna juvenum amica.* Porrò *Sobieslaum* non captum à *Theobaldo*, ſed à *Wladislao Olomucij* oppreſſum, & iterum in carcerem conjectum, vetera manuſcripta fidem faciunt.

Leo Bohemis ob virtutem à Cæſare datur in clypeo.

Ad Mediolanum &c. Non vacat hoc loco bellum duplex Mediolanenſe deſcribere; habes illud deſcriptum in Epitome. In *Leone* bicaudato ridiculum aliquid accidiſſe memorant veteres: cùm enim *Fridericus Cæſar* vexillum cum coronato *Leone* daret in manum *Bohemo Vexillifero* (hæreditario jure vexillum Regni in bello præferre ſolebant *Proceres Berkianæ* ſtirpis) ac *Leonem* malus pictor brevi caudâ, & humiliter in terram dejectâ pinxiſſet, *Bohemi milites* unâ voce omnes accipere ſe id prœmiũ nolle clamârunt, quòd Leo ſimiæ ſimilis caudam etiam abjectam, & brevẽ haberet; riſit Imperator, & bono pictore adhibito, *Leonem coronatum* pulcherrimum & caudis duabus altè elatis inſignem exprimi juſſit, & priorem errorem correxit. Laudanda Majorum noſtrorum provida virtus! cùm multæ gentes militaria ſigna

ex arbitrio suo sibi delegerint, vel Principes contulerint, Bohemi in præmium fortitudinis militaris, & argumentum virtutis *Leonem* animalium Regem obtinuêre, illóque Cæsar universam gentem nobilitavit, honoravítque.

Fortunæ viri magni etiam subjecti

Ex carcere evocato &c. Tales sibi fortuna ludos facit, ac sicut aliquando ex pastoribus, & Ludimagistris Imperatores &c. ità vicissim ex *Principibus*, aratores, & pastores facit. Exempla innumera à Scriptoribus adferuntur. *Luculentum* exemplum Fortuna in *Albano Duce* ostendit, cujus etiam dictum celebratur, qui cùm in carcerem & vincula conjectus, deinde à *Philippo II. Rege* ex carcere liberatus esset, ut *Lusitanos* compesceret, ei nuncio Regio, qui eum ab exilio Regis nomine evocabat ex carcere, dixit: *Admirari se quòd ad Regnum Lusitaniæ subigendum opus Regi fuerit Duce catenato.*

Strada Dec. 1. L. 7.

Caput XXVII.

Mira, eáque cruentissima Principum Regij sangvinis certamina: Sobieslaus II. Princeps Bohemiæ trigesimus secundus dejicitur; assumitur Fridericus Princeps trigesimus tertius; tum Conradus III. Princeps trigesimus quartus; mox Wenceslaus, Sobieslai minor natu filius, Princeps trigesimus quintus, eo quoque ab Alberto Lusatiæ Marchione intercepto, & in vincula conjecto, Brzetislaus Henricus Princeps trigesimus sextus, Episcopus Pragensis constituitur.

Sobieslai animus inquies.

Friderico per iram *Friderici Cæsaris* dejecto, *Sobieslaus II.* ex carcere ab eodem *Cæsare* evocatur ad solium. Princeps erat animi inquies, qui illud superbum apud se statuerat, *aut Rex, aut nihil.* Ob id octo annos continuos *Przimdæ* sedit à *Wladislao Rege*, quòd omnium cæterorum *Principum* quietem solicitaret, conjectus. Nominabatur primùm à *Cæsare Ulricus* major *Sobieslai* frater, sed is insigni moderatione fratri cessit.

cessit. *Sobieslaus* igitur ut primùm An. 1175. dignitatem consecutus est, collecto milite *Ducem Austriæ Henricum* nihil ab eo læsus armis invadit, *Retzium* in *Austria* capit, omnia insolentissimè pervastat, deinde cùm *Henricus* prælium obtulisset, victoriam cruentissimam obtinet; neque alienos tantùm appetijt *Sobieslaus*, sed domesticos quoque vexare aggressus, *Conradum III. Moraviæ Marchionem* invadit, sed is fortiter & feliciter vim, vi repulit; & *Znoimensem Provinciam*, quam tenebat, præclarè tutatus, *Sobieslaum* usque in Bohemiam rejecit. *Sobieslai* impotente animo offensi Proceres & Populus Bohemiæ consurgunt, eíque abrogant Principis dignitatem evocato ab exilio *Friderico*; nihil eâ re territus *Sobieslaus*, qui omnem spem in armis repositam habebat, *Fridericum Regni* Principatûs rivalem, qui Germanorum & Procerum Bohemorum auxiliis fretus, *Pragam* veniebat, semel iterúmque profligavit, & novo exemplo cataphractum Tribunum ex Germanis, velut trophæum quoddam, totius exercitûs sui manibus terrâ aggestâ obruit, ut collis justus assurgeret, in quo hodie ædicula sacra cernitur, honori *SS. Adalberti & Georgij Martyrum*, excitata. Hucusque *Sobieslaum* adjuvit fortuna; at ubi in auxilium *Friderico Conradus Znoimensis*, & *Otto Brunensis* cum Moravorum copiis advenerunt, commisso ad ipsa Pragæ mœnia prælio, victus *Sobieslaus* est, quem *Fridericus* fugientem persecutus ense etiam perstrinxit, qui pernicitate equi ablatus, vix periculum effugit, sed ignominiam non ferens, brevi contabuit An. 1180. *Fridericus* igitur Principatum suscepit, Cæsare & Proceribus volentibus; at ea in *Fridericum* Populi benevolentia diuturna non fuit: nam cùm nimiùm exteris uteretur, & *Germano Nobili* (quod grave piaculum eo tempore censebatur) publicum quoddam, & præcipuum Bohemiæ munus demandâsset, offensi Proceres, *Conradum Znoimensem* ad sceptra invitant, qui ex improviso *Wissehradum* occupans, Pragam post unius & medij mensis obsidionem capit. Jam *Conradus* in principali solio sedebat, cùm Imperator, *Friderici* misericordiâ, & *Wladislai* Regis Patris meritis, *Fridericum* adjuvandum sumsit, & Bavariæ Duce *Palatino* Ottone *Witelspachio Pragam* misso cum mandatis, *Conradum* jussit decedere. Paruit ille ad tempus, sed ùt postea patuit, aptius tempus occupandi Principatûs expectandum esse duxit; interea nihil omisit diligentiæ, quò sibi amicos reddere Principes Regii sangvinis *Ulricum* & *Wenceslaum*, & reliquos posset; tum adversus *Fridericum* bellum movit, comitantibus ijsdem Principibus, qui semel cæsi & fugati, etiam *Conradum* inferiorem *Friderico* effecerunt. Collectis tamen denuo copiis, quas ex Austria & Ungaria magno pretio conscripserat, adjuvantibus præcipuè *Wladimiro* & *Brzetislao Olomucensibus*

Prælium ad mœnia Pragæ.

Conradi conatus ad Principatū.

ſibus Principibus, & *Wenceslao* & *Udalrico*, bellum renovavit: commiſſum eſt cruentiſſimum prælium ad pagum *Ludomirienſem* An. 1185. victoriâ diu nutante, donec *Ratiborius Comes Wrſſovicenſis* ſuis ſegregatis; circuitu facto in *Conradi* aciem tranſverſim incurrit, ordinéſque turbavit; quibus turbatis hoſtes jam fugam ſpectantes facilè victoriam Przemyslao (qui *Friderici* fratris loco exercitum ductabat) conceſſerunt. *Conradus* deſperatis rebus, cùm aliud ſupereſſet nihil, nuncij habitu ſimulato, ad *Fridericum* venit, & culpam humiliter deprecatus, à *Friderico* humaniſſimo Principe veniam factorum, & cum ea ditiones omnes recepit. Porrò quàm humana omnia incerta ſint, *Friderici* mors non ità diu pòſt conſecuta An. 1190. oſtendit, cui ſucceſſorem non diu quæſiverunt Proceres, cùm *Conradum* haberent in oculis, qui nuper cum *Bohemicis & Moravicis* copiis numero ſexcentis, gloriâ plenus, ex *Terra ſancta* redierat; huic ergò certatim quaſi unâ manu detulêre Principalem Coronam, ſed neque hoc Imperium diuturnum fuit: nam rogatu *Henrici VI. Cæſaris in Italiam* cum copiis profectus, poſtquam ſui loco fratrem *Brzetislaum Henricum Epiſcopum Pragenſem* pro Rege conſtituiſſet, in obſidione *Neapolis* ex lue quadam inter milites exorta, cum multis aliis *Bohemiæ & Moraviæ Principibus* deceſſit, Princeps fortunâ meliore dignus, in quo omnes Regiæ Virtutes relucerent, cui nihil præter fortunam defuiſſe ad omnem gloriam videbatur.

Mortes Principum inexſpectatæ.

NOTÆ in Caput XXVII.

Ad iracundiam tardè Principes moveantur. *Seneca lib. 2° de ira, c. 14.*

Per iram Friderici Cæſaris &c. Nihil rectè geritur, ubi ira in conſilium admittitur; adeò videmus homines irâ occupari, ut ea ſola in actionibus dominetur, abjectâ quodammodo prudentiâ; eleganter, & ingeniosè id omnibus libris *de ira & de clementia Seneca Philoſophus* docuit, quem ſvadeo aliquando in manus ſumi, nihil enim ad iram domandam accommodatiùs adferri poteſt. Oſtendit cæteras nationes à *Romanis* victas eam ferè ob cauſſam, quòd *Barbari*, ùt belluæ pugnent, *Romani* ſedatè. *Athletæ non, cùm ira ſvadet, feriunt, ſed cùm occaſio. Pyrrhum maximum Præceptorem certaminis gymnici ſolitum ajunt, his quos exercebat præcipere, nè iraſcerentur, ira enim perturbat artem*, imò omne humanum regimen evertit; ideóque turpe imperantibus ex ira aliquid ſtatuere, cùm etiam privati homines à prudentia celebrati, in ira nihil agendum eſſe præcipiant. *Plutarchus* ſapientiſſimus *Trajani Præceptor* diſputans, cur *Prætores Romani*, cæteríque majoris notæ *Magiſtratus*, ſecures bacillis involutas, & multis funibus conſtrictas, & ejuſmodi faſces ante ſe geſtari à ſervis publicis in more haberent? reſpondet id fieri ideò, ut ſi in quem animadvertere vellet *Magiſtratus*, animadverſio illa diu traheretur, & dum faſces ſolvuntur, & ſecures expediuntur, interea *Prætoris* ira reſideret.

Plutarchus in quæſt. Ro. quæſt. 82.

Ambitioſi in ſe ipſos tormenta ferunt.

Aut Rex, aut nihil &c. Maximum ſuperbis hominibus tormentum eſt ambitio, præcipuè, ſi quis in animum inducat, nihil, nè unum quidem pulviſculum, vel atomum, qui in veſtem noſtram fortè impegerit pati, & aliunde maximos quoſque honores

honores ſibi deberi exiſtimet, is profectò quemcunque ſibi obſtare viderit, pro hoſte habet, dum ad alta per fas & nefas contendit; ſed plerumq; (ùt hîc *Sobieslao II.*) contingit ijs, quod Pantheris contingere tradunt rerum naturæ Scriptores: nam manipulum Aconiti, quo fera mirificè oblectatur, in alta pertica ſuſpendunt; ut ſaltu eum apprehenderè non poſſit; at illa ex aſpectu aconiti tantâ cupiditate potiundi inflammatur, ut continuatis in multas horas aſſultibus, tandem expiret, aut venatoribus ſupervenientibus reſiſtere non poſſit, qui eam captam & vinctam in caveam conjiciunt; pari ratione fortuna ambitioſo victoriam, aut præmium aliquod majus viribus proponit, quod is infinito deſiderio conatur adipiſci, utſuccumbat, & in imaginatione gloriæ ignominioſè rumpatur, inimicis & æmulis ridentibus; quod ſupplicium quàm grave ſit, (paſcere videlicet felicitate ſuâ inimicorum oculos) quiſque prudens intelligit.

Fraterni amoris documentum.

Ulricus fratri ceſſit &c. Fraternâ concordiâ nihil eſſe pulchrius poteſt, ſed illa admirabilis, cùm minores eſſe volumus, ut fratres majores, & altiores eſſe poſſint. Hanc charitatem fraternam conſecrârunt Veteres, & in cœlo expreſſam ſtellis obtulerunt mundo, in fabula *Caſtoris*, & *Pollucis*, quorum alter in cœlo locum habere noluit, niſi unà frater admitteretur in cœlum.

Non omnes ſimul hoſtes aggrediendi

Omnes aggreditur Sobieslaus &c. Maximus hîc error eſt, nec ſatis ſcio, an imprudentem *Principem* cadat. Cùm hoſtem unum aggreditur *Princeps*, cum cæteris pacem colat oportet: hoc etiam barbara gens Turcarum hodiéque ſervat, & cùm v. g. *Venetos* oppugnat, *Moſchos*, *Polonos* &c. quietos eſſe ſinit, & placidè ſpebus demulcet; at ubi à *Venetis*, quæ voluit, & deſideravit, obtinuit, pace cum ijs factâ, tum primum alterum hoſtem oppugnandum aſſumit. Adde, quòd oppugnare omnes violentiſſimum eſt, & *Principem* violentiâ uti demonſtrat; *at nihil violentum perpetuum*, non modò in natura, ſed neque in moribus eſſe poteſt, & exoſum *Principem* populis facit, qui omnium quietem ſollicitat, & fruſtra ſubditos bellis fatigat.

Caſpar ab Ens To. 2. Apot. 65. Lib. de Tamerlane.

Trophæum quoddam Tribuno ex Germanis terræ obruto &c. Novum genus *Trophæi* invenit *Sobieslaus*: nam alij ex cæſorum capitibus, & oſſibus ſatis barbarè Trophæa ſtruxerunt, Tamerlanes captâ urbe *Hiſpahá*, in ejus medio ex Civium oſſibus turrim excitavit, ùt narrat oculatus teſtis *Schildperger Monacenſis Tamerlanis ſatelles*. Ejuſmodi exempla jam alibi Cap. 20. in Notis.

Inſania ex affectibus nimijs naſcitur.

Victus contabuit &c. Omnes nimij affectus, ſi ad ſummum animos occupaverint, lædunt; quoſdam etiam ad inſaniam, & ad mortem adducunt; nullibi hoc ingenioſiùs deductum, & exemplis probatum legi, quàm in *Joſepho Quercetano Henrici Magni Galliæ Regis Medico*, qui in libello aureo, cui titulum fecit *Dieteticum Polyhiſtoricum*, demonſtrat; quomodo amor, ambitio, triſtitia, aliique affectus ad inſaniam deducant; neque noſtræ ætati exempla deſunt, accendunt potiſſimùm hos affectus in homine vigiliæ, & noctes inſomnes conſumptæ in *affectu* aliquo vehementi, & ùt Rhetorum Magiſtri vocant *Dæmoniaco*, quod ipſe ego notavi, in ijs, qui ob affectus alicujus impotentiam ratione exciderunt; unde peritiores *Medici* ſomno profundo eos mergunt, qui eo malo laborare incipiunt, & quod à Doctiſſimo & Clariſſimo viro *Marco Marci* didici, laudatur etiam in Medico, ſi morbum facere noverit, ut major ille alter & ſonticus morbus expellatur. Victoriam amiſiſſe, vitam amiſiſſe ſe credidit *Sobieslaus*, qui gloriam & Principatum immoderatè concupierat; talis erat *Genij Amilcar Carthaginenſium Dux*, qui cæſus cum exercitu, nuſquam comparuit, neque eum vivum, aut mortuum ullus agnovit, etſi penè toto orbe terrarum quæreretur à ſuis.

Tempus obſervat ſapiens.

Tempus expectandum eſſe duxit &c. Sicut veriſſimum eſt illud: *ſemper nocuit differre paratis*, ità & illud: *non paratis nocet aggredi*. Qui tempus habet, vitam habet,

Ferdinand. I.

cùm sæpe *accidat in puncto, quod non speratur in anno*, ùt dicebat sapientissimus Imperator; insignis versiculus clarissimi viri circumfertur *Raphaëlis Mnissovsky*, quid ejus effigiei subscribitur: *tempus tempore temperaveritis.*

Conradus desperatis rebus culpam deprecatur &c. Prudens consilium! cùm vincere viribus non possis, hostem humilitate devincire. *Sigismundus* cùm armis *Bohemos* superare non posset, humilitate feliciter superavit, & ab eo tempore habebat in ore illud: *Si sepem saltu superare non datur, inclinato capite subìto;* quo dicto silentium ijs imposuit, qui eum culpabant, quòd non armis, sed promissis *Regnum Patrium* recuperâsset.

Felicitas Ducibus militiæ uti & Medicis summè necessaria.

Conradus fortunâ meliore dignus &c. Etsi bene dictum sit, *quisque suæ fortunæ faber est*, tamen (nisi recurramus ad DEUM omnia à fine usque ad finem svaviter disponentem & regentem) difficile multis videtur explicare: *quid sit felicitas, & unde ea contingat:* Sunt enim quibus omnia feliciter cadunt, alijs contrà etsi prudentissimè omnia disponant, infortunatè & infeliciter succedunt. Maximè in duplici hominum genere quæritur, & invenitur felicitas, *in militiæ Imperatore*, & in *Medico*: nam quanquam scientia utrosque adjuvet, tamen à fortuna desertos magnos *Duces* sæpe legimus & vidimus, & *Medicos* satis imperitos paria doctissimis fecisse in curatione morborum. Hujus nodi dissolutionem, & enodationem invenies in doctissimo Patre *Stengelio*, qui singularem librum de *Fortuna & sortibus* conscripsit.

CAPUT XXVIII.

Brzetislaus Henricus Episcopus Pragensis, Bohemiæ Princeps XXXVI.



Conradum II. in *Italia* extinctũ *Wenceslaus Sobieslai I.* minimus natu filius in Principatu secutus est, Civésque Pragenses singulari humanitate & benevolentiâ sibi obnoxios reddens, omnes reliquos ordines *Bohemiæ* suos fecit, & *Principis* XXXV. titulum acquisivit. Trimestris tantùm honor ille fuit: namque *Przemyslaus* seu *Hostivitus* postea dictus *Ottogarus*, *Friderici Ducis* frater collectâ apud *Misnios*, eorúmque *Ducem Ottonem*, cujus filiam in conjugio habebat, non contemnendâ militum manu *Pragam* subitò clausit; evasit *Wladislaus*, & *Bambergam* ad *Henricum VI.* profugus, promissâ ingenti pecuniâ, eò denique *Cæsarem* perpulit, ut sibi Principatum confirmaret. Res acta est in *Comitijs Wormatiensibus*, ubi etiam *Albertus Comes de Bogen*, & socius ejus *Przemyslaus* ob

ob vastatam *Bavariam* accusati, & turbatæ publicæ pacis damnati sunt. *Wenceslaum* ad solium *Bohemiæ* properantem infelicitas assecuta, Principatum cui inhiabat, prorsus intercepit, *Alberto Misnio* in itinere insidias struente, in quas infelix *Wenceslaus* incidit, & in *Lusatiam* captivus abductus, in carcere extinctus est; dejecto itaque & *Wenceslao & Przemyslo Henricus Episcopus* velut *Primas Regni Proceribus Comitia* indixit, atque in disertâ oratione *Spitihnæum Wenceslai* captivi filium indolis spectatissimæ adolescentem Ordinibus commendavit, sed ipsus se Authorem commendabilem omnibus reddidit, ut unâ omnium voce *Bohemiæ Dux* salutaretur; tædebat jam *Bohemos* cruenta illa consangvineorum *Principum* certamina spectare, quæ non tantùm ipsos, sed etiam Proceres, qui partes sequebantur, absumebant, & totam in discrimen adducebant Rempublicam, itaque in sacro vertice collocatam *Principum Coronam* quietè sessuram, & ex sacris manibus sceptrum non facilè eripi posse sperabant. Approbavit factum *Cæsar Henricus*, quem falsò *Stransky* corruptum pecuniâ ab *Henrico Episcopo* significat, nam hæc fæda nundinatio innocentissimæ, & incorruptæ *Henrici sancti Principis* vitæ, modestiæque plurimum adversatur. Adiit igitur Principatum *Henricus Brzetislaus XXXVI. Bohemiæ Princeps*, cujus mira fertur in regendis populis dexteritas, fortitudo & felicitas: breve quidem Imperium (nam tertium Principatûs annum non explevit) sed ab omnibus laudatum, in quo si ejus facta spectentur ætatem ultra superâsse existimes. Tria præcipuè ejus opera laudantur: *primùm*, quòd *Moravos* secessionem à *Bohemia* (cui multis Imperatorum decretis adjuncta erat) meditantes, compescuit, & Arcibus perduellium captis, earum Dominos vel cedere, vel veniam precari coëgit: *alterum* quòd cum eâ tempestate *Bohemiam* gravis fames premeret *Episcopus Princeps Populi* pereuntis misericordiâ, ingentem frumenti numerum de suo emit, & locis idoneis deposuit, illóque in egentes diviso, multa hominum millia in vita servavit; *ultimum* illud, quòd ut securitati suorum consuleret, semper instructum aleret exercitum, ut nihil ab hostibus, vel æmulis timeri posset, maximè à *Przemyslao*, qui & nuper *Moravos* adversus *Henricum* concitârat, & latrocinando publicam *Germaniæ* quietem sollicitabat. Ejus etiam opus à veteribus laudatur, *Ecclesia sancti Petri in Wissehrad* magnificè exornata, tum *Domus Episcopalis* in minore *Praga* ad ripam fluminis *Muldavæ* regium in morem condita, quam postea *Hussitæ* odio Religionis diruêre, cum horto pulcherrimo, & peregrinis arboribus & stirpibus consito, quod ipsi *Scriptores Hussitici* ùt inhumanum & barbarum facinus detestantur. Sed *Henricus* invaletudine correptus, dum remedium ab aquis *Egræ* quæreret

Brzetislaus dum alium ad Principatum commendat Princeps efficitur.

Stransky in Rep. Boh.

Brzetislai bona in Patriam merita.

Anno 1196. fatis conceſſit, & *Doxanam* devectus penes matrem *Agnetem* tumulatus eſt.

Notæ in Caput XXVIII.

Primaria Provinciæ Civitas reliquas ferè poſt ſe trahit.

Civésque Pragenſes obnoxios reddidit &c. Qui ſubjectis populis placere volunt, & ordinem Civium ſibi demereri, præcipuam Provinciæ, aut Regni Civitatem impendiò amare ſe oſtendant, nec tamen cæteras contemnere; prærogativam & amorem Civium, totiúſque Ordinis, quaſi filiæ minores Civitates ſequentur; primaria Civitas Regni & *Metropolis* propè media pars Regni cenſetur, & periculoſum eſt eam irritâſſe; *Sobieslaus I.* hâc prærogativâ *Urbem Pragenſem antiquam* exornavit, ut in Ducum electione hujus Urbis arbitrio ſtaretur, ùt in *Sobieslai* vetuſtis legibus hodiéque legimus.

Vitæ noſtræ brevitas, cui omnia inædificantur. *Durant. in Ritibus.*

Trimeſtris honor ille fuit &c. Cùm vita noſtra fundamentum ſit, cui honores inædificantur, & vita brevis, neceſſe eſt ipſos honores breves eſſe; legi aliquando in libro *Pontificalium Rituum* recèns creato *Pontifici* ſtupam accenſam oſtendi, cum dicto: *Beatiſſime Pater! ſic tranſit gloria mundi!* Terram habitabilem, & inhabitabilem, ad cœlum cujuſdam puncti, aut ſi illud ſecari & dividi poteſt, puncti centeſimam, milleſimam, & ſi quid minus dari poteſt, habere *Mathematicorum* ſagacitas oſtendit, tractavítque hoc argumentum ingeniosè *L. Seneca:* Mihi ità videtur, omne vitæ noſtræ tempus, nec punctum æternitatis habere, cùm æternitas, quæ aut bona aut mala ſubſequetur, infinitum tempus includat, finiti autem ad infinitum nulla ſit propoſtio; ac proinde omnes honores æternitati comparati, momentum temporis obtinent: & tamen quàm ſollicitè hæc vita brevis præ illa, & honores, præ illis nunquam deſituris quæruntur! quanquam licèt nulla comparatio inſtituatur, brevia ſint omnia, quæ mundus offert: *Sardanapalus* etſi propè aliud nihil; quàm memoriam ſui fœdam, & maculoſam reliquerit, illud unum ſapienter cùm ſepulchro ſuo mutam quandam vocem juſſit incîdi: erant digiti duo, qui colliſi inter ſe crepitum edere conabantur, ſignantes Regna omnia mundi, *nec tanti eſſe*, quanti crepitum digitorum.

Pecunia labile ſolium.

Promiſsâ ingenti pecuniâ emit Principatum &c. Sæpiſſimè *Nummus agit virtutis opus*, & pecunia poſſeſſores ſuos ſapientes, formoſos, eloquentes, & gratioſos omnibus facit, quod ab orbis initio hodiéque perſeverat. Sed quàm ſæpe ſpes illa decollat! vidi ingenioſam imaginem, in qua *ſpei ſtatua* in altiſſimo pecuniæ ſacco collocabatur, non tamen ità firmiter ſtare poterat in hoc pecunioſo ſolio, quin adſtantes caſum timerent, protentis manibus ſpem cadentem excepturi; ità accidere videmus, cùm ſpes in pecunia collocatur, quæ pecunia lubrica eſt, ſibi malè cohærens, & ſi ſaccus vel minimo pedis ictu offendatur, univerſa labitur in præceps. Sed actum eſt, ſurdis fabula canitur, qui eum in modum pecuniâ infatuantur, ut eam velut Deam adorent. Novi illuſtrem virum pecunioſiſſimum, qui elatus magnitudine pecuniæ, quotidie ſaccos eâ repletos adibat (ut triſtitiam quemadmodum ajebat excuteret) & quaſi viventes ſalutabat: *Avete meæ ſpes, & vitæ meæ præſidium & dulce decus? ùt valetis? vivitis? bene ùt video. Ergo vivite & valete.* Hanc ſalutationem, & manu & pede cum ſignificatione reverentiæ claudebat, abibátque. Ego iſtud quondam in juvenilibus meis Epigrammatis expreſſi, cùm Phaleucium clauſi his duobus verſiculis: *Nummus maximus Orbis Imperator, vultus oráque geſtat imperantûm;* non enim aliud Principis coronata effigies oſtendit, quàm Nummum Orbi imperare, & eſſe Imperatorem.

In Meliſtis A. 1655. editis.

Tædebat Bohemos ſpectare cruenta Ducum certamina &c. Pauperem populum faciunt

faciunt bella *Principum*, & Provincias enervant. Unius ob noxam & furias, & pecunia, & ſangvis profunditur, Scitum eſt veterum *Bohemorum* noſtrorum dictum: *Cùm pugnant & ludunt Domini, crines illis vellendos concedunt ſubditi*; quò ſpectet hoc proverbium quiſque ſapiens intelligit, cùm currus belli, ùt ait *Græcus Poëta*, aureis rotis inſiſtat, pecunia autem à ſubditis petatur. *Athenienſes*, ùt narrat *Herodotus*, cùm egerent pecuniâ *Themiſtoclem* ad *Andrios* ſubjectos misêre, ut confeſtim pecuniam numerarent, & ſubmitterent; habuítque hanc Orationem *Themiſtocles*: *Se Deabus magnis comitatum venire, quæ juberent Athenienſibus mitti pecunias; has Deas eſſe Svadelam, & Neceſſitatem*; reſponderunt ingeniosè *Andrij*: meritò *Athenas*, Urbem potentiſſimam & opulentam tales Deas apud ſe habere; at *Andrios* terram inopem colere, & duas viciſſim *Deas* nunquam illorum Urbem deſerere, has eſſe *Paupertatem*, & *Impoſſibilitatem*, quæ Deæ, cùm in illorum *Inſula* habitent, pecuniam dare non poſſe; nunquam enim *Andriorum Impoſſibilitate* validiorem fore *Athenienſium potentiam.*

Bello exhaurit ſe ſubiqs Princeps. *In Antholo-gia. L. 8. ſeu in Vrania.*

Sacri homines ferè moderatiores.

Henricus Epiſcopus Princeps &c. Non errâſſe Proceres Bohemiæ in conferendo Principatu *Epiſcopo Henrico* eventus felix oſtendit, cujus merita in Regnum ab omnibus noſtris Scriptoribus mirificè celebrantur. Antiquiſſimarum gentium hoc modo renovatum exemplum eſt, apud quos primogeniti *Sacerdotes*, & capita familiæ habebantur, ùt *Divus Ambroſius* multis locis oſtendit, & docent ſacrarum literarum *Interpretes*; ipſe quoque *Tacitus* de Judæis loquens: *Apud Judæos*, inquit, *honor Sacerdotij firmamentum potentiæ aſſumitur*; & Romanorum Imperatores ob eandem cauſam *Tribunitiam Poteſtatem*, quæ ſacroſancta erat aſſumſerunt; unde quoties Tribunitia Poteſtas ſub annis Imperatorum magnorum invenitur, tot anni Imperij numerantur.

L. 5. Hiſt.

Factis illuſtribus vita brevis compenſatur.

Breve quidem Imperium, ſed laudatum &c. Poſſunt viri Principes vitæ brevitatem redimere, vel publicis operibus ad utilitatem Regnorum exſtructis, vel lege aliquâ novâ in commodum & utilitatem Regni conſtitutâ, vel laudabili aliquâ conſvetudine inductâ, vel ſecuritate Regni in poſterum quoque tempus partâ, vel alijs denique modis, quibus immortalem ſui memoriam relinquant; hoc illud eſt, quod *Virgilius* laudat: *virtutem extendere factis*; omnes tamen, non modò Principes, omni ope conari oportet, *nè vitam ſilentio tranſigant*, ùt ait Saluſtius, *ut pecora, quæ ventri obedientia, natura finxit*, hoc omnibus libris & Epiſtolis inculcat *Philoſophiæ moralis Princeps Seneca*, utì & junior *Plinius: effinge aliquid ait, & excude, quòd ſit perpetuò tuum: nam reliquæ rerum tuarum poſt te, alium atque alium Dominum ſortientur; hoc nunquam tuum deſinet eſſe, ſi ſemel cœperit.* Alibi: *quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quò nos vixiſſe teſtemur.* Sapientiſſimam *Philoſtratus* fabulam de *Achille* commentus eſt, de quo recèns nato *Thetis Mater Parcas* conſuluit, quæ reſponderunt in fatis eſſe ut *Achilles, aut ingloriè ſed diu viveret, aut inſignis gloriâ celerrimè vitam finiret*, quod poſtremum prudentiſſimè Dea Mater pro filio elegit. Inter Veteres agitata multùm controverſia eſt, cui cauſam dedit dictum *Apollonij Thianæi latenter vivas, aut latenter moriaris*, quod *Plutarchus* inſigni libello refutavit, & generi humano pernicioſum oſtendit, contrà verò in luce vivendum & moriendum acutiſſimis rationibus demonſtravit.

In Conjurat. Catil. init.

L. 1. Epiſt. 3. L. 3. Epiſt. 7.

Philoſt. jun. Achilles in Scyro.

Tomo 2. Moral.

Bellum non omnia permittit omnibus.

Inhumanum & barbarum facinus &c. Bellandum eſt non ferarum ritu, ſed hominum; feræ enim quidquid in ira apprehenderint, dilacerant, & canes etiam lapides mordent; at qui ſe in bello homines meminerunt, in adverſarios ſolos impetum faciunt, reliqua, quæ ijs nec nocuerunt, nec nocere potuerunt, ſervant. Generi humano nocent, qui ea, quæ ſunt hoſtium, ſtultè corrumpunt: Sic *Romani* laudantur, qui bella in Regionibus tam pacatè gerebant, ut agricolæ, cæteríque innocentes,

bellum vix ſentirent; hanc etiam belli formam in *Belgio* olim ſervatam ſcimus, cùm agreſtes vel per media militum caſtra innoxiè tranſirent, & ſponſas deveherent, ùt inſigni exemplo oſtendit *Famianus Strada*; at hodierna militia nullum hoſtium & amicorum facit diſcrimen, proinde timendum eſt illis effatum *Flavij Vegetij*, quod memini in ejus libris de Militia me aliquando legiſſe: *Prædator amicorum exercitus ipſe præda fit hoſtium*; congruenter ſacris literis licèt Ethnicus Scriptor, quæ militibus minantur: *Væ qui prædaris, quia & ipſe prædaberis*! Deſcribit hancce militum ſceleratam licentiam eleganter *S. Syneſius*, & ejuſmodi milites *Martios Dæmones* appellat.

Fam. de bello Belgico.

In libris de militia.

S. Syn. in Epiſt.

Doxanam devectus &c. Quæſivi ſacrum hunc *Henrici Epiſcopi & Ducis* tumulum *Doxanæ*, ſed nullum ejus veſtigium invêni, quòd ſcilicet ſuperfluo munditiæ ſtudio, neſcio quis *Præpoſitorum* omnes ſepulchrales lapides, laterculis pavimento conſtrato contexiſſet. Fateor me in fermento fuiſſe, ubi tot Beatorum & Beatarum memoriam omnem abolitam viderem: tantáne eſſe poteſt alicujus inconſiderantia (ignoſci mihi cupio, juſtus dolor hæc verba expreſſit) ut credat laterculis magìs, quàm Beatorum corporibus templa poſſe ornari? inſpiciat, obſecro, Lector quartum meorum *Miſcell.* librum, ibíque reperiet, quot Reginæ, quot Reginarum filiæ, quot ſanctitatis decora, quot Beatorum & Beatarum corpora in *Eccleſia Doxanenſi* compoſita, & tumulata ſint! ſimilem admiſſam incogitantiam (nam mitiùs appellare non poſſum) in æde *S. Wenceslai Vetero-Boleslaviæ*, ubi ante quadraginta & ampliùs annos, quidam loci *Decanus* ingenti foſsâ in *cæmitorio* præparata omnes ſepulchrales in templo lapides elevavit, & in illam foſſam extra templum conjecit, ſimúlque foſſam obruit; neque eò contentus, ipſum *S. Wenceslai* ſangvinem in templi parietibus cum miraculo lucentem, & à tot ſæculis honoratum, & oſculis peregrinorum piè ſalutatum eraſit (cujus rei oculatus ſum teſtis) ac deinde cum pertinacia ſua omnem illam memoriam ſacri cruoris extingvere vellet, etiam calce ter, vel quater ſuperinductâ delere omnino conatus eſt; & deleviſſet, niſi Deus, qui Sanctis ſuis glorificatur, mirabiliter per calcem ipſam roſeũ *S. Wenceslai* ſangvinem, ut nulla fraus ſubeſſet, poſt annos ferè viginti apparere voluiſſet, ùt hodiéque videmus. Sapientiores, & antiquitatis ſuæ diligentiores fuêre *Athenienſes*, qui cùm navim *Theſei* apud ſe haberent, quâ ille in *Cretam* contra *Minotaurum* navigavit, & ſalvus redijt, uſque ad ultima tempora ſervaverunt, corruptíſque & putrefactis quibuſdam in ea tabulis novas ſemper ſuffecerunt, quod *Philoſophis* ait *Plutarchus*, *in diſputatione de ijs quæ augentur, dubium præbuit, alijs dicentibus eandem navim manere, alijs negantibus.* Simile exemplum diligentiæ (ſi ſacris licet profana componere) ſummi *Eccleſiæ* Paſtores *Romani Pontifices* reliquêre, ex quibus *Sixtus V.* cùm *Ædis Vaticanæ* prothyreum aliquâ parte diruereturˌ ut pulchrius ſubſtitueretur, juſſit ut navicula piſcatoria *S. Petri* opere muſivo antiquitus elaborata acutiſſimis quibuſdam inſtrumentis ſummâ arte parietibus excinderetur, & ligneis tabulatis incluſa ſinè omni vitio, alium in locum transferretur, ibíque in alio muro dexterrimè poneretur, quod ſe præſente factum narrat *Juſtus Ricquius*, citátque ex *Plinio* ſimile exemplum. Hinc diſcere licet ſolertiam, & in antiquitate conſervanda diligens ſummorum hominum ſtudium.

Perverſum in templis munditiæ ſtudiũ, cùm abolentur antiquitates.

Plutarch. in Theſeo.

Ricq. Centuriâ novâ Epiſtol. 52. Plin. l. 36. cap. 4.

TABU-

TABULA IV. Genealogica succeſſionis & poſteritatis Przemyslææ à Brzetislao I. ejus nominis Principe Bohemiæ, uſque ad Przemyslum Ottogarum I. Regem Bohemiæ.

a. Brzetislaus I. cognomine Bellicoſus, dictus *Achilles Bohemiæ*, Princeps XXII. Fundator Eccleſiæ collegiatæ Boleslavienſis, & Cœnobij Pivonkani, item Sazavenſis & Reyhradenſis. obijt An. 1055. ♆ b. Judith filia Ottonis Albi Comitis de Schweinfurt, vel de Rheno, fundavit Cœnobium Lucenſe ad Znoymam. obijt Anno 1058.

c. Spitihnæus II. cogn: Juſtus, Princeps Bohemiæ XXIII. Dilatator Eccleſiæ Pragenſis. obijt An. 1061. 18. Jan.

d. Onoslava.

e. Wratislaus II. Princ: Boh: XXIV. tandem I. Rex Bohem: 1086. Fund: Eccleſiæ Wiſſehradenſis. obijt 1093. ♆ 1. f. Arabona. 2. Adleta filia Andreæ Regis Ungariæ. 3. Swatawa filia Caſimiri R. Pol: ſororBoleslai R. Pol: ob: 1125. æt. 75.

g. Conradus Marchio Znoymenſis, poſtea Princ: Boh: XXV. obijt 1093. æt. 63. ♆ h. Walpurgis.

i. Otto I. Princeps Znoimenſ: poſtea Olomucenſis. ob: 1086. 9. Junij.

♆ k. Euphemia filia Belæ I. Ungariæ Regis.

l. Jaromirus Epiſcopus Pragenſis, aliàs Gebardus dictus. obijt Anno 1090. ætatis 52.

m. Brzetislaus II. Princeps Boh: XXVI. occiſus An. 1100. ætatis 42.

n. Lucretia Alberi Palatini Rheni filia.

o. Ludmilla uxor Viperti Comitis Groicenſis Marchionis Luſatiæ.

p. Wratislaus obijt puer Anno 1062.

q. Boleslaus III. Princeps Bohemiæ. natus 1065. obijt Anno 1091.

r. Borzivojus II. Princeps Bohemiæ XXVII. obijt Anno 1124.

s. Helbirga filia Leopoldi Marchionis Auſtriæ. ob: 1141. 13. Julij. ♆

t. Wladislaus I. Princeps Bohemiæ XXIX. Fundator Cœnobij Cladrubienſis. obijt 1125.

u. Amabilia Ducissa Wochburgenſis. ♆

x. Sobieslaus I. Princ: Boh: XXX. obijt An. 1140. ætatis 79.

y. Adleta Belæ II. Regis Ungariæ filia, ſoror Almuſi. ♆

z. Judith uxor Wladislai Principis Poloniæ.

aa. Leopoldus Princ: Znoimenſis, obijt 1115. 26. Nov. *Fundato naſterij, resTrebucenſ. Mo ibidem ſepulti.* ♆

bb. Lucia filia Leopoldi Marchionis Auſtriæ.

cc. Ulricus II. Princ: Brunenſis, ob: An. 1112. 15. Martij. ♆

dd. Swatopluc I. Princ: Olomucenſis, Princeps Bohemiæ XXVIII. occiſus An. 1109. ♆

ee. Hidda filia Dietherici II. Marchionis Miſnenſis. ♆

ff. Henricus I. Epiſcopus Olomucenſis.

gg. Otto II. Princeps Olomucenſis, cogn: Niger, occiſus An. 1126.

hh. N. ſoror uxoris Wladislai I. ♆

ii. Brzetislaus ſenior hunc aliqui faciunt Conradi I. filium, excæcatus obijt An. 1148.

kk. N. Princeps Boh: XXVI. occiſus An. 1100. ætatis 42.

ll. N.

m m. Brzetislaus Princeps Brunenſis, obijt 1151. ♆

nn. Brzetislaus Litomiſlij Dom. fund: Cœn: Præmonſtr: ibid: cũ fratre.

oo. Sobieslaus cum Brzetislao fratre. ob: 1136. in Italia

pp. Otto Adjutor fratris, aliud neſcitur.

qq. Henricus II. Princeps Znoimenſis fact: 1150.

rr. Agnes Duciſſa Carinth: conſobrina Gertrudis uxoris Wladislai II.

ss. Conradus ſeu Henricus, obijt finè prole Anno 1166.

tt. Sibylla vel Sidonia ex Bavariæ Ducibus.

uu. Swatava uxor Friderici Ducis Bavariæ.

xx. S. Amabilia Monialis.

yy. B. Eliſabeth Monial.

zz. Spitihnæus III. n. 1114.

aaa. Wladislaus Princeps Bohemiæ, ob: infans.

bbb. Sobieslaus II. Princ: Boh: 32. objit 1180.

ccc. Eliſabeth fil: R. Pol.

ddd. Ulricus III. Dom: in Hradek ſupra Sazavam.

eee. Luciana March: Miſ:

fff. Wenceslaus II. Princ: Boh: 35. capt: in Luſatia.

ggg. Maria uxor Leopoldi Marchionis Auſtriæ.

hhh. Conradus II. Princ: Znoimenſ: ob: 1150. ſepult: Trebicij 13. Dec.

iii. Otto Adjutor fratris, aliud neſcitur.

kkk. Wratislaus Princeps Brun: ob: 1156. 16. Aug.

lll. Conradus Princeps Dom. fund: Cœn: Præmonſtr: ibid: cũ fratre.

mmm. Brzetislaus Litomiſlij

nnn. Dietherici II. Marchionis Miſnenſis.

ooo. Sobieslaus cum Brzetislao fratre. ob: 1136. in Italia

ppp. Wenceslaus magnæ ſpei juvenis. obijt Anno 1130. alijs Henricus appellatus.

qqq. Wenceslaus Fundator Eccleſiæ Cathedralis Olomucenſis, Princ: Olom: obijt 1130.

rrr. Otto III. Princeps Olomuc: obijt 1160. qui introduxit Præmonſt: in monaſt: Hrad.

sss. Conradus Princeps Lucenſis, natus 1095.

ttt. Friderici Princeps Bohemiæ XXXIII. de quo in Tabula V.

uuu. Eliſabeth fil: Geiſæ Regis Ungariæ.

vvv. Przemyslaus Ottogarus I. Rex Bohe: de quo in Tabula ſequenti. obijt 1230.

www. Wladislaus III. Princ: Boh: XXXVII. ceſſit fratri; poſt Princ: Olomuc: obijt 1221.

xxx. Theobaldus ob: in Terra S. 1180.

yyy. Swatopluk III. ob: 1211. fuit Princ: Brun: de ejus uxore & filia vide Cap: ſeq.

zzz. Wladislaus Princeps Boh: 32. objit 1180.

aaaa. Przemyslaus Ottogarus I. Rex Bohe: de quo in Tabula ſequenti. obijt 1230.

bbbb. Henricus III. Princ: Bohemiæ, originarius Czerminiorum, Merklini ſepultus.

cccc. Conradus III. Princ: Znoim: Pri: Boh: 34. ob: ad Neapolim.

dddd. Maria Witelsbachia Ottonis (poſt Bavariæ Ducis) filia. ♆

eeee. Brzetislaus ſeu Henricus IV. junior Epiſc: Pragenſis, Princ: Boh: XXXVI. ob: 1196.

ffff. Agnetem unicam filiá Ottoni III. tribuit Crugerius, quæ Friderico II. Cæſ: nupſerit; ſed ob impotentiam Maritt aut ſuam ſe ab illo ſegregârit.

gggg. Theobaldus II. de Skala Pri: Brun: objit Brunæ 1223.

hhhh. Adelheida fil: Boleslai Pr: Wratislav.

iiii. Brzetislaus V. cogn: Magnus, ob: 1230. de quo in Not. fuit enim originar: Sſwihovior.

kkkk. Maria uxor Philippi Reg: Galliæ, ita Natalis volum: 2. Gener: 20.

llll. Theobaldus III. Canonicus Magdeburgenſis.

mmmm. Maria Henrici IV. Imp: filia, Friderici II. Imp. ſoror.

nnnn. Wladislaus Princeps Bruneñſis.

oooo. Margaretha uxor Waldemari Regis Daniæ, ob venuſtatẽ Daghmar appellata.

pppp. Otto Princeps Brunenſis.

qqqq. Judith ♆ Stephani filij Geiſæ II. R. Ung.

rrrr. Wladimirus, Pr: Olom: poſt tantùm Pr: Przedslav: aliqui faciũt Ott: III. filium, Wladimiri fratrem Brzetislaum.

ssss. Bzretislaus, ſeu Wratislaus Pr: Olom: poſtea Przedslav: ob: 1148. finè lib: Olom: abſolvit ædificiũ Eccl: Cathed: Hunc aliqui faciunt Ottonis III. filiũ, fortè duo fuerunt Brzetislai.

tttt. Henricus Princeps Brunenſis, obijt eodem An. 1197.

uuuu. Wladislaus Princeps Moraviæ, ob: 1247. 16. Februarij.

vvvv. Przemyslaus Ottogarus II. Rex Bohemiæ, Marchio Moraviæ, Dux Cracoviæ, Sandomiriæ, Lanciciæ, Pomeraniæ, Gedanenſis, Princeps Rugiæ, Dominus Sclavoniæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Carinthiæ, Comes Tyrolis, Dominus Portus Naonis, Dux Auſtriæ & Styriæ, Marchio Auſtriæ & Styriæ, Dominus Carniolæ, Dux Cracoviæ, Sandomiriæ, Lanciciæ, Pomeraniæ, Gedanenſis, Princeps Rugiæ, Dominus Sclavoniæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Carinthiæ, Comes Tyrolis, Dominus Portus Naonis, Dux Auſtriæ & Styriæ, Marchio Auſtriæ & Styriæ, Dominus Carniolæ, Rex Bohemiæ, de quo in Tabula ſequenti. obijt 1278. 26. Augusti.

wwww. Wenceslaus II. Princeps Boh: XXXVIII. Rex Bohem: de quo in Tabula ſequenti. obijt 1305. 21. Junij.

xxxx. Wenceslaus I. Rex Bohemiæ, de quo in Tabula ſequenti.

yyyy. Czermin ſeu Henricus III.

zzzz. Brzetislaus IV.

aaaaa. Drslaus.

bbbbb. Boleslaus.

ccccc. Criſtannus, fratres, de quibus alibi.

ddddd. Otto V. Princeps Olomucenſis.

eeeee. Bruno obijt finè liberis.

fffff. Borzivojus occiſus in Polonia, An. 1237.

ggggg. Boleslaus dictus Pulonis Szepiolka, cæſus ad Lignicium à Tartaris 1241.

hhhhh. Henricus Princeps Brunenſ: ob: Brunæ 1248.

iiiii. Cunegundis vel Agnes filia Henrici Ducis Auſtriæ.

kkkkk. Maria uxor Philippi Reg: Galliæ, ita Natalis volum: 2. Gener: 20.

lllll. Theobaldus III. Canonicus Magdeburgenſis.

mmmmm. Maria Henrici IV. Imp: filia, Friderici II. Imp. ſoror.

nnnnn. Wladislaus Princeps Bruneñſis.

ooooo. Margaretha uxor Waldemari Regis Daniæ, ob venuſtatẽ Daghmar appellata.

ppppp. Leopoldus, Princeps Brunenſis.

qqqqq. Otto, Princeps Przedslavienſis obierunt finè prole.

Czerminiorum poſteritas, Vide Stemmatographiam.

Filia unica Eliſabeth uxor Przemyslai Majoris Poloniæ Ducis.

Notæ Hiſtoricæ in Tabulam IV. Genealogiæ Principum & Regum Bohemiæ, ex Sangvine Przemyslæo.

a. *Brzetislaus* ob virtutem militarem *Achilles Bohemiæ* dictus eſt; de ejus Regijs virtutibus jam diximus: unâ æſtate *Wratislaviam*, *Cracoviam*, *Poſnaniam*, & *Gneſnam*, quatuor Urbes maximas cepit, quidquid agat *Cromerus*, quem negantem veteres Scriptores, & penè coævus *Coſmas* convincunt; ejus triumphum cum Sanctorum corporibus, & plurimis aureis tabulis, & campanis, & pretioſis templorum Cimelijs, idem *Coſmas* deſcribit; transtulit etiam magnam *Polonorum* multitudinem, quos in *Provincia Plznenſi*, & alibi collocavit. De Fundatione *Pivonkana*, ſeu *Stokenſi* pro *Eremitis Gulielmitis* (ubi Eccleſia in prælij loco condita eſt, & altare ſuper eum truncum ſtat, in quo ſedit Imperator) dicam de *Cœnobijs*, obijt A. C. 1055. ad *S. Vitum* ſepultus.

Poloni in Bohemiam translati.

b. *Fabricius* egregiè lapſus eſt, cùm *Juditham*, ait, Sacerdotem ſeu *Antiſtitam* Cœnobij fuiſſe, eúmque raptum *Ulrico Duci* attribuit, Patri videlicet, non filio, ſed *Chronologia* eum ſatis refellit. Porrò non invita, ſed volens & lubens rapta eſt, ùt in Chronologicis Indicibus dicemus, valétque Ovidianum illud: *Quæ toties* (dicam ego, quæ ex Cœnobio tam clauſo) *rapta eſt*, *præbuit ipſa rapi*: eadem *Judith*, quæ pro marito inter acies duas ſtans more *Sabinarum* peroravit, eíque gratiam à *Cæſare* impetravit, poſtea à proprio filio *Spitihnæo*, *Miſogermano Principe Bohemiâ* expulſa, & ipſa ſecundum conjugem exulem accepit Petrum *Regem Ungariæ*.

L. 2. Orig. Sax.

c. Nihil præter ea, quæ ſuprà attuli, habeo dicere, ad extremum *Princeps* bonæ frugi eſt redditus. Regnavit annis ſex, uxorem non duxit, obiit A. C. 1061. fundavit Collegiatam Eccleſiam Litomericenſem.

d. *Onoslava* cui in manum venerit, nuſquam legi. *Polemir* de *Budcze Wrſſovecius* eam petebat ſibi dari conjugem, ſed repulſam tulit.

e. *Wratislaus Heroicus Princeps*, plura leges de eo Capite XXII. de anno ejus mortis non conſtat inter Scriptores, *Peſſina* A. 1092. alij 1091. *Stransky* 1093. ponunt, in die 14. Januarij conveniunt omnes. Quidam tradunt eum in venatione extinctum equo decidiſſe. Fuit Fundator Eccleſiæ Wiſſehradenſis, & Cœnobij Oppovicenſis.

f. *Swabonam Principem fœminam.* Sed ex quo genere natam, nemo tradit, perijt gravida, cùm poſt maritum in Ungariam fugientem properat. Ex *Adleta* vel *Adelheide* duos filios, & duas filias ſuſcepit, hæc obiit A. 1062. 26. Januarij. *Svatava* fuit *Caſimiri Poloniæ Regis* olim Monachi filia, quatuor ei genuit filios.

g. *Conradus* nihil memorabile geſſit, præterquam quòd Eccleſiam Collegiatam S. Petri Brunæ in Monte fundârit magnificè. Obiit A. 1093. poſtquam imperâſſet ſeptem menſibus, & ſeptendecim diebus.

h. *Walpurgis* vel *Wirtpurg* illuſtris fœmina, quæ marito gratiam apud *Wratislaum* fratrem eloquentiâ ſuâ conciliavit. Alij tradunt *Conrado* Conjugem fuiſſe *Mariam* filiam *Henrici VI.*

i. Hîc *Princeps Otto* benigniſſimis moribus deſcribitur, fuítque primus Fundator Cœnobii Hradiſtienſis, obiit 1086. in Julio.

k. Nihil aliud, quàm quod allatum eſt, ſcitur.

Peſſ. in Prodromo lib. 2. cap. 1.

l. In Ordinatione Epiſcopali *Gebhardus* dictus, magnas cum fratre *Wratislao Rege* ſimultates geſſit; Joannem *Epiſcopum Olomucenſem* verberibus accepit, Romam

mam citatus cauſſam dixit, ùt habet *Baronius*. Poſtea mores correxit, & vitam egit Præſulibus invidendam, quam Lib. 4. Miſcell. deſcripſi.

m. *Brzetislaus II. Princeps Bohemiæ* A. 1093. ſalutatus poſt *Conradum* patruum, de eo in Capite XXIII.

n. Hoc ſinè controverſia ab omnibus Scriptoribus traditur. Hanc duxit A. 1094. obiit 1141.

o. Hanc *Ludmillam Deo devotam famulam Coſmas* appellat, unicè amavit *Brzetislaum* fratrem, pro cujus anima fundavit in *Capella S. Thomæ in Eccleſia Pragenſi* quotidianam Miſſam pro defunctis, & porticum ſeu fornicem (quo aliæ Capellæ carebant) in eo Sacrario extruxit. Obiit 1109. aliis 1124. quidam eam *Juditham* appellant, vide *Dreſſerum* & *Fabricium*. Genuit conjugi ſuo *Wiprehto Wenceslaum & Henricum Comites Sorabi*.

p. Aliud neſcitur.

q. Hunc contra omnes alios Scriptores poſt *Brzetislaum II.* fratrem, *Ducem Bohemiæ* fuiſſe *Silvius* ſcribit. Obiit Olomucij.

r. *Borzivojus II.* quatuor annis regnavit: poſtea pulſus in *Poloniam* à *Svatopluko I.* patruele A. 1105. iterum poſt ejus mortem A. 1109. cùm in Bohemiam rediiſſet, à fratre ſuo *Wladislao* ejectus, denique poſt varios caſus in Ungaria vitam clauſit, A. 1124. vectus *Pragam ad S. Viti* ſepultus, cujus Eccleſiæ maximus Patronus & amplificator fuit: ejus fortunam deplorat verſibus *Coſmas*, aut ejus Continuator.

s. In hoc omnes Scriptores conſentiunt. Helbirga obiit 1141. 13. Julij, vocatur etiam Herburgis.

t. *Wladislaus I.* quintus Regis *Wratislai* filius, poſt *Svatopluci* mortem A. 1109. *Borzivojum II.* ejecit, ùt dixi, *Regem Ungariæ Stephanum*, in Moravia prælio commiſſo vicit, & cætera, quæ attuli C. 25. Cladrubii tumulatus.

u. *Amabilia. Peſſina* docet eam fuiſſe *Belæ I. Regis Ungariæ* filiam, ſed in *Sſvihoviorum* antiquis memoriis mihi ab Illuſtriſſimo Domino *Jaroslao Sſvihovsky* communicatis, diſertè legitur, *Amabilia Wochburgenſis Duciſſa*; *Crugerius* nullam nominat, ſed ait fuiſſe *Henrici IV. Cæſaris* filiam *Henrici V.* ſororem.

x. *Sobieslaus I.* natu minimus *Wratislai* Regis filius, regnavit annis 15. cujus illuſtria facta habes C. 25. poſtquam *Lotharium* vicit, Divo *Wenceslao* coronam auri duodecim, argenti octoginta pondo in ſepulchro impoſuit. Obiit 1140. de loco mortis diſputatur: *Peſſina* ponit *Cujaviam*, alij *Arnoviam*, ſeu *Hoſtinnam*, ubi Arcem exſtruebat adverſus *Polonos* parte illâ ſæpius in Bohemiam irrumpentes.

y. *Adleta Belæ II. Ungariæ Regis* ſoror, poſt *Sobieslaum* maritum octavo Menſe mœrore animi extincta, & in ejus ſepulchro in *Wiſſehrad* tumulata.

Miechov. l. 3 hiſt. Pol. c. 1.

z. *Judith Wratislai* Regis filia ex *Adleta*, conjux *Wladislai Hermanni Poloniæ Principis*, eique genuit *Boleslaum* Diſtortum. Obiit 1085. aliis 1082. mirè eam commendat à virtutibus *Elogiaſtes Polonus Kochovsky* narrat eâ agente *Krobie* Comitatum *Eccleſiæ Cracovienſi* additum; gravibus exactionibus exemiſſe populum; fuiſſe matrem pauperum: decennio ſterilem fuiſſe, poſtea à *S. Ægidio* voto facto prolem impetrâſſe.

Kochov. in Hypomnemat. Regiarum Pol.

Aa *Leopoldus Znoimenſis* Principatu dejectus à *Brzetislao II. in Auſtriam* ſeſe recepit. Obiit 1115. 26. Septembris, ſepultus in Monaſt. Trebic. quod cum fratre *Ulrico* fundavit. *Hagek* ponit utrumque fratrem mortuum ſinè hæredibus, ſed Dubravius diſertè Conradum Leopoldi filium fuiſſe affirmat, fol. 166. & 171.

bb. *Lucia*, aſſerunt manuſcripta hanc fuiſſe ſororem *Helbirgæ* uxoris *Borzivoij II.* hinc conjicimus, filiam fuiſſe *Leopoldi Auſtriæ Ducis*.

cc. *Ulricus Brunenſis Princeps*, novas res moliens ab eodem *Brzetislao* captus *Glacij* ſedit; poſtea à *Borzivojo II.* circa A. 1101. dimiſſus eſt, uxoris nomen ignoratur. Obiit A. 1112. 15. Martij ſepultus in Monaſterio Trebicenſi, quod cum fratre fundavit.

dd. *Svatoplucus I.* (qui alijs *Conradus* quoque dicitur, ùt habet *Weleslavinus* & *Cromerus*) ex *Principe Olomucenſi Princeps Bohemiæ* factus A. 1107. cùm *Borzivojum II.* expuliſſet, in *Vngariam* exercitum ducens, nocte in ſilvis ab arboris ramo oculum amiſit, brevi tamen curatus uſque *Nitriam* populando pervenit; in obſidione *Glogoviæ à Joanne Tiſta Wrſſovecio* transfoſſus A. 1109. occubuit. *Weleslavinus* eum affirmat fundâſſe *Cœnobium Cladrubienſe*, quod alijs examinandum relinquo: potuit initium aliquod dediſſe, at *Wladislaus Rex* poſtea manum ſupremam appoſuit.

Crom. L. 5. hiſt. Pol.

ee. *Hidda Diterici II. Marchionis Miſniæ* filia, ùt habet *Fabricius*, ex *Mechtilde Eccardi Marchionis Miſniæ, Thuringiæ, & Saxoniæ* filia.

Fabric. L. 5. Orig. Saxon.

ff. *Henricus Zdik Epiſcopus Olomucenſis*, juxta *Weleslavinum Ottonis I.* filius, juxta *Paprocium & Peſſinam Wladislai Regis* frater (mihi certum eſt *Ottonis I.* filium fuiſſe) *Antiſtes* rariſſimæ ſanctimoniæ, auxit fundationem *Litomiſlenſis Cœnobij* pro *Præmonſtratenſibus*, quod *Montis Oliveti* dicebatur. Obiit 1150. *Paprocius* mortis annum poſuit 1157.

Weleslav. in Genealog. Paproc. in Epiſc Olom. c. 8 Peſſina in Prodromo l. 3. c. 4.

gg. *Otto II.* vel *Otik* cognomine *Niger*, *Princeps Olomucenſis* cecidit in prælio, cùm *Lotharium Imperatorem* contra *Bohemos* adduxiſſet A. 1126. huic *Wenceslaum* & *Ottonem* filios tribuunt. Fatendum eſt hoc tempore ob multitudinem Regij ſanguinis *Principum* à *Brzetislao* inchoando uſque ad *Przemyslum Ottogarum II.* tantum eſſe chaos, & *Genealogiæ* perturbationem, ut nihil ad liquidum adduci poſſit, quod etiam apertè *Weleslavinus* ſignificat, præclarus alioqui *Genealogiſtes Bohemicus*.

hh. Neſcitur nomen; fuit ùt reor *Wohburgenſis Duciſſa*.

ii. Magna de hoc controverſia eſt, quam expedire non poſſum, ſunt etiam qui *Svatopluci I.* filium faciunt. Obiit in exilio.

kk. *Wladislaus*, de ejus poſteritate nihil conſtat; cum trecentis *Equitibus Bohemis* in comitatu *Henrici IV. Imperatoris Romam* acceſſiſſe legimus A. 1111. aliud nihil habemus.

ll. Idem quod de *Wladislao* dicendum de hoc *Principe*.

mm. Hic invenitur nominatus apud *Peſſinam* aliud nihil habemus.

nn. *Jaromirus*, hic etiam cum trecentis *Equitibus à Sobieslao I.* miſſus *Romam* cum *Cæſare Lothario* acceſſit A. C. 1132. aliud nihil habetur præter mortem, quam ſubiit 1138. 15. Martij, donavit villam Girzin Monaſterio Trebicenſi.

oo. *Wladislaus II.* inter præſtantiores *Principes Bohemiæ* numerandus. Fundavit *Strahovienſe Cœnobium Præmonſtratenſibus*, & in monte *Petrzin* ad *Pragam Plaſenſe Ciſtercienſibus*. Obiit 1174. 17. Januarij, ùt habet *Mortuarium Doxanenſe* ſcriptum A. 1370. Strahovienſe erectum eſt ex pecunia multatitia Procerum, qui in eum conjuraverant.

pp. *Gertrudis* prima *Wladislai* conjux, fuit *S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ* filia ex *Agnete Henrici IV. Imperatoris* filia, eademque matre *Conradi* III. *Imperatoris*, genuit *Wladislao* complures filios, ùt vides in Tabula, ſed filias pluſculas, quas enumerabo in Tabula ſequenti. Judith ſecunda uxor Wladislai, aliis etiam vocatur *Cæcilia Ludovici* III. *Landgravij Thuringiæ & Haſſiæ* filia, cujus mater fuit *Hedvigis Cæſaris Lotharij* filia, quam A. 1153. uxorem duxit. Pontem Pragenſem ligneum partim, partim lapideum condidit Judith. A. 1171.

qq. *Henricus* II. *Agnetis* Maritus, quæ *Agnes Gertrudis S. Leopoldi* filiæ & *Wladislai* II. *Regis* uxoris conſobrina fuit; utraque enim habebat matres *Henrici IV. Imperatoris* filias, illa *Bertam Marquardi Carinthiæ Ducis* uxorem, hæc *Agnetem S. Leopoldi*

Czerniniorũ familia cognata Principibus.

conjugem. Ab hujus *Henrici* filio, qui *Merklinæ* ſepultus jacet prodiêre filij: *Henricus* IV. cognomine *Czerninus* vel *Czyrninus, Brzetislaus, Drslaus, Boleslaus, & Chriſtannus*, ùt jam ſuperiùs dixi, qui titulo Comitum tantùm ſunt uſi, quos Rex *Przemyslus* 1212. omnibus ditionibus exuit, & Regno expulit, cùm omnes potentiores *Bohemiæ* familias opprimere ſtatuiſſet, ut ſibi & poſteris ſuis ſecuritatem pararet. Porrò *Henricus* militavit cum fratre *Wladislao in Terra ſanctâ* A. 1146. juvit etiam fratrem adverſus *Conradum* III. *Principem Znoimenſem* copiis in *Luſatia* collectis. Eſſe originarium *Conradum* III. *Principem Znoimenſem* copiis in *Luſatia* collectis. Eſſe originarium *Czerniniorum*, & *Peſſina* & *Crugerius* affirmant, & pridem ſignificavit *Paprocius*, quod ipſe clypeus *Sſvihovijs* ſimillimus & colore tantùm linearum differens, tum etiam memoriæ vetuſtiſſimæ in *Eccleſia Chudenicenſi*, ac tandem perpetua in Nobilitate traditio, ſatìs oſtendunt, nóſque alio in loco probabimus. Colligitur ex antiquis Memoriis fundâſſe Cœnobium Ciſtercienſium ad Zelenam Horam.

rr. Vide, quæ paulò antè in *Henrico* II. diximus, quod etiam affirmant vetuſtæ calamo exaratæ memoriæ Procerum *Sſvihoviorum*.

Ità Hiſtor. M.S. Clatovienſis Abbatis Radmili.

ss. *Theobaldus* I. *Prorex Bohemiæ*, cui frater *Rex* donavit Regionem *Prachenſem* & *Clatovienſem* (quæ poſtea *Plſnenſis* dicta eſt) cum ipſâ *Clatovia*; ibidem fundavit *Theobaldus Cœnobium duplex Benedictinis* Viris & Virginibus ad *Eccleſiam S. Laurentij*, quam voverat in bello Italico, in qua etiam eſt humatus. *Hic Theobaldus* (verba *Weleslavini* recito) *reliquit filium itidem Theobaldum, à quibus deſcendit familia Dominorum Theobaldiciorum, ſeu Sſvihoviorum, qui de Rizmberg & Skala nominantur.* Hæc *Weleslavinus* ſub *Rudolfo* II. *Imperatore* ſcribens; rem veram ſcripſit, ſed in Genealogia erravit, ùt paulò pòſt oſtendam.

tt. *Sibylla* vel *Sidonia Ottonis Witlsbachij Bavariæ Ducum* familiâ geniti filia, ùt habent memoriæ *Sſvihovianæ; Crugerius* loco *Sibyllæ* ponit *Mechtildem Wochburgenſem Voitlandiæ Principiſſam.*

uu. *Weleslavinus* ait uxorem fuiſſe *Friderici Ducis Bavariæ*, at *Hagek* eam facit conjugem *Friderici de Chauſtnik Comitis Bohemici* ex familia *Storohuv*, quæ cum *Czecho* huc advenit. Conciliatur hoc, quia priùs fuit uxor Friderici, poſtea Ducis Bav.

xx. Dixi de ea in *Bohemia ſanctâ* lib. 4.

yy. *Doxanæ Prioriſſa* fuit, quam poſui authoritate *Martyrologij Doxanenſis*, etſi antiqui omnes ſileant; de ea egimus in *Bohemia ſanctâ.*

zz. *Spitihnæus*, nihil de eo habetur.

Aaa. *Wladislaus Sobieslai I.* filius (quem alii *Udalricum* appellant) poſt amotionem *Wladislai Regis Cæſaris* favore deſignabatur *Princeps Bohemiæ*, ſed is hanc prærogativam fratri *Sobieslao* conceſſit.

bbb. *Sobieslaus* II. *Rex Bohemiæ* diu in Arce *Przimda* ſeu *Fraunberg* captivus ſedit, ſed *Friderici I. Cæſaris Imperio* dimiſſus, Principatum tenuit A. 1174. fuit *Princeps* varius, à quibuſdam virtutibus laudatiſſimus; ab juſtitia commendatur, ab inquieto & irritabili animo vituperatur, ad extremum à *Friderico Wladislai* II. *Regis* filio A. 1177. Principatu dejectus, in exilio vitam finivit.

Fabric. l. 5. Orig. Sax.

ccc. Fuit *Eliſabeth Mieczislai Regis Poloniæ* filia, qui eodem fato Principatu Poloniæ deturbatus, exul deceſſit. *Eliſabeth* ad ſecunda vota tranſiit, nupta *Conrado Comiti Rochlicenſi.*

ddd. *Ulricus Sobieslai* I. filius, ſecundus frater, infelix bellator, qui milites *Bohemos in Italiam* ducens pro *Friderico* I. *Cæſare*, cùm neſciret eos in officio continere, omnibus propè amiſſis ipſe cum octo Equitibus domum reverſus eſt. Tenuit ditione *Hradek* ſuper fluvium *Sazavam*, quem accepit à *Wladislao* I. A. 1154. ſed altero mox anno, cum omnibus ſuis in Poloniam cedere coactus eſt.

eee. *Luciana* vel *Lucia*, vel *Sophia* filia *Ottonis Divitis Marchionis Luſatiæ* (ſoror *Adelæ*,

Adelæ, quam repudiavit *Przemyslaus I. Ottogarus Rex*) ex *Hedvige Alberti Electoris Brandeburgici* filia; ex qua genuit *Agnetem Antiſtitam Parthenonis Gerbſtetenſis*; *Sophia* vel *Luciana* poſt *Vlrici* mortem nupſit ſecundò *Burgravio Ratisbonenſi.* Fabr. l. cit. in Ottone.

fff. *Wenceslaus Sobieslai* I. filius *Wladislaum* II. timens, ad *Belam Vngariæ Regem* Matris ſuæ fratrem ſeſe recepit. A. 1191. poſt *Conradi* III. mortem *Principatum Bohemiæ* affectavit, & à Cæſare obtinuit, Sed captus ab *Alberto Marchione Luſatiæ*, qui *Przemyslao* favebat, in carcere mortuus eſt.

ggg. *Maria Sobieslai* I. filia conjugem accepit *Leopoldum V. Marchionem Auſtriæ* cognomento *Liberalem* filium S. *Leopoldi*, cum dote quingentarum marcarum argenti. Nuptiæ celebratæ *Olomucij* A. 1138. hæc poſt mortem *Leopoldi* A. 1142. nupſit *Hermanno Principi Carinthiæ.*

hhh. *Conradus* II. *Princeps Znoimenſis* ob *Wratislaum* patruelem turbas commovens à *Sobieslao* I. captus ſedit in *Wiſſehrad*; inquietus Princeps. Obiit A. 1150. 13. Decembris, Trebicij ſepultus. Habuit uxorem, ſi fides eſt Dubravio, Belæ Regis Ungariæ ſororem, fol. 101.

iii. *Otto* alter *Leopoldi* filius, *Princeps Olomucenſis*, fratrem in conſilijs omnibus adjuvit.

kkk. *Wratislaus Princeps Brunenſis* captus à *Sobieslao* I. A. 1127. ſedit in Arce *Donin*, poſtea *Jaromirij*; reconciliatus ei *Sobieslaus* reſtituit Principatum. obiit 1156. 16. Auguſti. *Dubravius* eum vocat *Ducem*, fol. 98. *Hagek* Anno 1128. fratrem Sobieslai.

lll. *Baſilia* vel *Waſilka, Jaropolci Kioviæ Principis* filia, matrona formoſiſſima.

mmm. *Spitihnæus*, aliud nihil de eo invenio, quàm quod attuli. obiit A. 1151-26. Martij, Trebicij ſepultus.

nnn. Hunc *Fundatorem Cœnobij Litomiſlenſis* fuiſſe cognoſcimus ex literis *Henrici Epiſcopi Olomucenſis*, qui eam fundationem auxit. Ipſas literas fundationis in *Marte Moravico Peſſina* recitavit.

ooo. Præter ea, quæ attuli nihil habeo.

ppp. Hujus indolem commendant manuſcripta, quem ideò *magnæ ſpei juvenem* appellavi.

qqq. *Wenceslaus* ex caſtro ſuo extruxit *Eccleſiam Epiſcopalem* ſub Titulo S. *Wenceslai*, & ſedem *Epiſcopo*, qui aliàs ad *Eccleſiam* SS. *Petri & Pauli* in eodem ſuburbio habitabat in antiquis memoriis appellatur *Pater Clericorum.*

rrr. De *Ottone* III. multis agit *Peſſina* in *Marte Moravico*; hic in *Cœnobium Hradiſſienſe Præmonſtratenſes* induxit, loco *Benedictinorum*, ibidem humatus. A. 1160.

sss. Hunc *Henricum* ex *Peſſina* deſcripſi. In memoriis Trebicenſibus vocatur *Conradus.*

ttt. *Fridericus* primogenitus *Wladislai* II. filius Patre adhuc vivente *Bohemiam* regendam titulo Ducis accepit; à *Cæſare Friderico* (quòd Patri *Wladislao* ob *Sedis Apoſtolicæ* ſtudium Cæſar offenſus eſſet) ſolio dejectus, *Sobieslao* II. cedere coactus eſt. Receptus in Cæſaris gratiam A. 1176. pulſo iterum *Sobieslao* Principatum recepit. Fuit etiam *Friderico* negotium, cum *Conrado* II. *Znoimenſi Duce*, cum quo poſtea pacem fecit. Plura de eo ſuperiùs dixi, reparavit Eccleſiam Wiſſehradenſem.

uuu. *Eliſabeth* uxor *Friderici*, filia *Geiſæ Vngariæ Regis*, ſoror *Hulichæ* conjugis *Svatopluci II.*

xxx. Quæ de hoc *Theobaldo* ſcribi poſſunt, propè nulla invenio, excepto quòd in Terra ſanctâ ſit mortuus cum *Conrado* III. & nè putes *Theobaldi* filium fuiſſe, diſertè *Friderici* Ducis minor natu frater appellatur.

yyy. *Svatoplucus Dux Bohemiæ* conjugem duxit *Hulicham Stephani Regis Vngariæ* sororem, atque ità duo fratres, *Fridericus & Svatoplucus* duas sorores in conjugio habuêre.

zzz. *Wladislaus* III. de eo capite sequenti.

Aaaa. Vide Tabulam sequentem, seu quintam.

bbbb. Vide literas uuuu. & xxxx.

cccc. *Conradus* bello strenuus Dux, sed subdi *Principibus* non ferens, multa in *Wladislaum* III. aliósque Principes molitus; à *Wladislao* denique subjugatus, Procerum consensu post *Fridericum* Princeps declaratur, bellum quæsivit in *Italia*, ubi ad *Neapolim* decessit A. 1190.

Pulkava ad A. 1182.

dddd. Mariam *Conradi* conjugem fuisse testatur *Pulkava*, *Ottonis Witelsbachij* filiam.

eeee. Hunc *Henrico-Brzetislaum* uno nomine veteres appellant: fuit *Henrici* II. filius, non ùt *Weleslavinus* docuit *Henrici* III. Post mortem *Conradi Henrico VI.* Imperatore volente Princeps Bohemiæ factus A. 1191. quinque annis laudatissimè gubernavit Bohemiam, jam ante decennium *Episcopus Pragensis*, obiit *Egræ* in cura Acidularum, vectus ad sepulchrum *Doxanam* A. 1196. cujus vitam L. 4. Miscellaneorum scripsimus.

Fabric. l. 5. Orig. Sax.

ffff. *Hedvigis* soror *Theobaldi* II. nupta *Friderico Marchioni Missniæ*, ùt habet *Fabricius*, qui disertè eam filiam *Dipoldi* (id est Theobaldi) *Bohemiæ Ducis* appellat. *Memoriæ Svihovianæ* veteres (quas mihi exhibuit *Illustrissimus Dominus Jaroslaus Svihovsky*) *Fridericum* non ajunt fuisse *Marchionem*, sed *Brenæ Comitem*, & *Marchionum Missniæ* cognatum. Obiit *Hedvigis* A. 1210. fundavit *Parthenonem Brenensem Ordinis Cisterciensis.*

Svihoviana stirps à Principibus Przemyslæis descendit.

gggg. *Theobaldus* II. *Dominus Clatoviensis & Prachensis Provinciæ*, deinde post patrem Princeps Znoimensis. Obiit 1212. in Syria, ab hoc aliqui deducunt *Familiam Svihovskianam*, sed erroneè deduci autem debet à *Theobaldo* IV. ùt probatum est à me in Genealogia, quam eidem *Illustrissimo Domino Jaroslao Floriano* confeci, cujus hìc initium dabo, reliquum inveniet Lector in Stemmatographia.

NB. *Hic lege Genealogiam sequentem.*

hhhh. Hanc in memorijs Svihovienſibus, & in omnibus aliis Scriptoribus invenio *Theobaldi* II. conjugem fuisse.

iiii. Paulò antè ab eo *Familiam Svihovianam* deduxi Lit. priori.

kkkk. Fuit *Missniæ Marchionissa.*

llll. *Conradus*, ùt affirmat *Pessina* post mortem *Leopoldi & Ottonis Przedslaviensis Princeps.* Obiit 1227. nullo hærede relicto.

Pess. l. 3. c. 5.

mmmm. Id quoque affirmat Pessina, & aliud nihil invenio.

nnnn. Hunc *Spitihneum* conabatur solio imponere, post *Conradum Brzetislaus* seu *Henricus Episcopus Pragensis*, sed actum egit, quem deinde *Przemyslus* prætextu quòd novas res moliretur, oculorum usu privavit, ùt idem narrat.

Pess. l. 3. c. 5. Martis Mora.

oooo. *Judith.* Id etiam ex Pessina.

pppp. Hic ad *Neapolim* in *Italia*, cùm turmam *Moravorum* armis, & alio apparatu egregiè instructam, in auxilium *Henrici VI. Cæsaris* adduxisset, extinctus est, ità Dubravius lib. 14. & alij.

qqqq. rrrr. Duo hi fratres *Ottonis* III. filij, exuti paterno *Olomucensi Principatu*, ejus loco *Przedslaviam* acceperunt, quorum prior caruit liberis; alter (scilicet *Wladimirus*) duos genuit filios *Przedslavienses Principes Leopoldum & Ottonem*, qui tamen improles obierunt. *Brzetislaus* aliquibus *Otto Brzetislaus* dicitur; Dubravius eum *Wratislaum* vocat.

Pess. l. 3. c. 5.

Genea-

Genealogia Initialis Familiæ Sfwihovskianæ.

Wlaislaus I Princeps Bohemiæ, Wratislai Regis filius, obiit 1125. ♄ Amabilia Wohburgensis Ducissa.

- Wladislaus II. Rex Bohemiæ. obiit A. 1174. ♄ 2. Judith. Henricus II. Princ. Boh. ♄ Agnes Ducissa Carinthiæ.
  - Przemysl Ottogarus I. Rex Bohem. ùt in seq. — Henricus Princ. Boh. à quo familia Czernimiana. — Henricus Episcop. Pragens. — Theobaldus ♄ Adelheida Ducissa II. Dominus Clatoviæ, pòst Princ. Znoimens. obiit 1212.
    - Brunno obiit sinè liberis. — Theobaldus III. Canonicus Magdeburgẽsis. — Borzivoius in bellicoso Duce, adversùs Polonos exstruxit arcem Rizemberg. — Boleslaus ad Lignitzium à Tartaris cæciditur. — Maria, Conjux Philippi Reg. Gallorum Nauclerij. — Adelheida Monialis Trebnicij.
    - Theobaldus IV. Dux Bohemiæ. — Borzivoius in bellicoso Duce, adversùs Polonos exstruxit arcem Rizemberg. — Boleslaus ad Lignitzium à Tartaris cæciditur. — Maria, Conjux Philippi Reg. Gallorum Nauclerij. — Adelheida Monialis Trebnicij.
      - ♄ N. Filia Henrici Silesiæ Ducis & S. Hedwigis. — Brzetislaus IV. Russiæ Princeps. — ♄ Maria Ducissa Russiæ. — Euphemia uxor Zdislai de Sternberg supr: Camerarij Regni Bohemiæ. — Helicardis uxor Baronis de Waldeck Hazumburgij.
      - ♄ Helicardis Marchionissa. — Protiva Episcopus Segnien. — Hedwigis uxor Friderici Brenæ Comitis.
      - ♄ Sibylla Wittelspachia. — B. Amabilia Ordinis S. Benedicti.
    - Brzetislaus aliis Sobieslaus I. Magnus. obiit An. 1230.
  - Henricus Princ. Epiſcop. Pragens. — Theobaldus Magnus. nat. 1107. obiit 1167.
- Wladislaus II. Rex Bohemiæ. obiit A. 1174. ♄ 2. Judith. Henricus II. Princ. Boh. ♄ Agnes Ducissa Carinthiæ. — Theobaldus I. cogn. Wittelspachia.

Ab hoc procedunt *Sfwihovij* semper virili, & decorodescensu. Reliqua in Stemmatographia. Vide Tabulam V. de *Henrico Principe Brunensi*, & ejus ultima filia *Elisabeth.* ibid.

ssss. Nihil aliud, quàm quod scripsi, attulerunt Authores.

tttt. Huic *Henrico Marchioni Moraviæ Imperator Fridericus* II. donavit A. 1212. *Mocram* & *Mokny* (de qua re est *Bulla aurea*, quam recitabo in *Fundamentis Regni*) qui paulò pòst est mortuus.

uuuu. De eo in Tabula sequenti. utì etiam de xxxx.

yyyy. zzzz. Aaaaa. bbbbb. ccccc. Hæc patent ex *Genealogia Czerniniorum*, quam confeci, & cujus hìc initium dabo.

Brzetislaus Achilles Bohemiæ.
Wratislaus I. Rex.
Wladislaus I. Princeps Boh. XXIX.
Henricus II. Dux.
Henricus III. Merklinæ sepultus.

Henricus IV. cognomine *Czerninus* vel *Czirninus*; fratres ejus *Brzetislaus*, *Drslaus*, *Boleslaus*, *& Christannus Comites*, expulsi ex Bohemia, à *Trzemyslo Rege Ottogaro* An. 1212. Porrò *Wladislaum* quendam *Henrici Episcopi* fratrem, *Henrici Ducis* filium, invenio in literis *Henrici Episcopi* fratris *Henrici* II. quibus confirmat *Testamentum Beati Hrosnatæ*; de quo tamen nemo Scriptorum unquam fecit mentionem, neque in Genealogijs ejus nomen invenitur.

ddddd. Aliud nihil de eo invenitur. Certum est sinè prole obiisse.

eeeee. fffff. ggggg. hhhhh. iiiii. kkkkk. lllll. Hæc quæ attuli, partim ex Pessina in *Marte Morav.* partim ex Weleslavino, sed maximè ex MM. SS. Familiæ Sswihovianæ descripsi.

hhhhh. iiiii. De hoc Henrico Principe Brunensi & ejus conjuge agit Pessina in Marte Moravico; residebat Brunæ, éstque A. 1148. 16. Februarij mortuus. Reliquit ex Uxore Cunegunda unicam filiam Elisabeth. Uxorem Przemyslai Ducis majoris Poloniæ, ùt habet Weleslavinus, & alij.

mmmmm. nnnnn. Facit horum fratrum mentionem Pessina, quorum nulla proles invenitur.

ooooo. Hæc, quæ de *Margareta* attuli, ex historia *Danica* sumsi, quæ ad An. 1205. & 1112. de ea adferuntur.

ppppp. qqqqq. De ijs vide litteram rrrr. quædam dilucidiùs explicabuntur tabula sequenti post Caput XXXIV.

CAPUT XXIX.

Wladislaus Princeps Bohemiæ XXXVII. qui raro modestiæ exemplo fratri Principatum cessit; igitur Przemyslaus Ottogarus primùm Princeps Boh: XXXVIII. mox etiam Rex cum omnibus Principibus Bohemiæ Successoribus salutatur.

Prze-





Przemyslaum inquietum *Principem*, qui sibi fortunam fabricare, atque ùt *Seneca* loquitur *manufacere* vellet, eadem fortuna sæpe ad alta hiantem destituit, sæpe etiam abjectum extulit ad summum; res sic gesta est: *Henrico* seu *Brzetislao Episcopo*, ùt vixerat sanctissimè, perinde sanctissimè mortuo, *Wladislaus* quartò genitus *Wladislai II. Regis* filius, *Bohemiæ* Rempublicam Proceribus offerentibus tractandam suscepit, ex carceribus, in quibus propter fratris latrocinia conjectus erat, ad Imperium vocatus. Menses quinque, non ampliùs imperavit; is námque cùm videret fratris *Przemyslai* ingenium, quietem præeligens, seu timore fratris, qui cum exercitu in *Bohemiam* venire ferebatur, illustri fraterni amoris documento, fratri dignitatem, & titulum, & ipsam *Bohemiam* tradidit, *Moraviam* sibi regendam uni servavit; *Przemyslaus* ubi se insperatè, & sinè certamine Principem vidit, in media populi concione mox *Wladislao Moraviam* confirmavit, id factum die *S. Nicolai* A. 1199. Porrò *Wladislaus* ad mortem usque concordiam cum fratre inviolatam tenuit, charissimus subjectis *Moravis*, qui eum A. 1222. mortuum in *Cœnobio Welehradensi* (quod in honorem *Dei Matris* opulentissimè fundaverat) cum luctu ingenti & lacrymis condiderunt. *Wladislaus Marchio* ejus filius post patrem biennio superstes Augusto Anni 1224. mortuus, ad corpus patris tumulatur. Interea *Przemyslaus Ottogarus* sinè rivali, & sinè adversario quietè satis regnâsset, nisi timidâ ambitione, omnes regij sangvinis Principes ultrò oppugnandos, & ex *Bohemia* exterminandos suæ securitatis gratiâ suscepisset; primus omnium *Spitihnæus Wenceslai* filius, quem *Henricus Episcopus Przemyslao* inquieto semper infestus imponere *Bohemiæ* tentaverat, injuriam sensit, oculisque privatus est; cæteri maturè subduxêre sese, & mortem, &, quod morte fortasse crudelius, cæcitatem evaserunt. *Czerninios* omnes è *Bohemia* expulit,

Fratri frater cedit Principatu.

Ottogari rivalitas.

pulit, denique ea gessit, quæ ij solent, qui ex humili vita Imperium adipiscuntur; quippè *Przemyslaus ab Henrico Episcopo* olim pulsus latrocinando & *Provincias*, *Bavariam* præcipuè, & *Sueviam* vastando cum *Alberto Comite* de *Bogen* vitam inhonoratam diu agitaverat, ultimóque eò inopiæ redactus est, ut cùm *Ratisbonæ* templum ædificatur, operam suam cum Mercenarijs locaret; ajunt in humili illo labore versantem auditâ *Henrici Episcopi* morte, ultimos tres aureos in flumen jecisse, animo jam ad spes novas erecto. *Imperatricis* deinde intercessione, quæ per eos dies A. 1196. infantem genuerat (qui postea *Fridericus II. Cæsar* fuit) ab *Henrico Cæsare* receptus in gratiam, in *Bavariam* concessit. Varium *Ottogari* Imperium fuit, multa in hoc Principe laudanda, multa vituperanda inveniuntur. *Saxones*, & eorum *Ducem Ottonem*, qui se pro Imperatore ferebat, bis cecidit, & *Bohemiâ* ejecit; *Protivvam Theobaldicium*, quem *Imperator Philippus* æmulum illi oppositerat, cum copiis Germanorum advenientem fugavit; denique medius inter *Imperatores* duos *Ottonem IV.* & *Philippum*, utrique parti diversis temporibus magnas clades intulit, alio tempore magnum ad victorias attulit momentũ, & cùm pro *Ottone* staret, *Ottonianus* totus (hoc enim *Ottogari* germanica vox significat) appellatus est. Ab A. 1206. *Philippo Cæsari* adhæsit, ejúsque filiam *Cunegundam* filio suo *Wenceslao* infantem infanti despondit. Occiso per summum scelus *Philippo*, & *Ottone IV.* ope *Sedis Apostolicæ* ab *Imperio* dejecto *Friderico II. Henrici VI. Cæsaris* filio totum sese dedidit, ac militaribus obsequiis effecit, ut *Bohemia* Regni titulo, & *Rex* ejúsque posteri in omne futurum tempus *Regiâ Coronâ* ornarentur; recitabo *Friderici II.* literas in *Fundamentis Regni Libris Miscellaneorum*, aliámque auream Bullam, in qua *Fridericus II.* plurimas ditiones, & Arces *Regi Bohemiæ* donat, eásq; Regno conjungit, quæ immortalia beneficia & Privilegia *Ottogaro I.* debet *Bohemia*; Cœnobia duo *S. Jacobi*, & *S. Clementis* Pragæ, illud pro *Minoribus*, hoc pro *Prædicatoribus* magnificè construxit, & filio absolvenda reliquit. Sed jam ad indigna memoratu convertor: præter vexatos & injuriosè, vel *Bohemiâ* exactos, vel Principatu deturbatos Regij sangvinis *Principes*, ùt *Theobaldicios* & *Henricos*, *Clerum* omnem vexandum sibi sumsit *Ottogarus*, tributis contra immunitatem *Ecclesiasticam* gravans, & operibus, & labore servili sic occupans, ut mœnia Civitatum ædificarent, valla extruerent, nullo inter sacra & profana facto discrimine, inter alia scholares ex atramento & pennis, Sacerdotes ex rasis in Coronæ modum crinibus certos nummos dependere cogebat. Erat tum fortitudine animi insignis Præsul ex Stemmate *Guttensteiniano Andreas* nomine, qui Ecclesiasticâ libertate sæpius monitum *Regem* cùm nihil

Cur dictus Ottogarus?

Ottogarus coronam sibi & posteris obtinet.

Ottogari in Ecclesiasticos violentia.

hil proficeret anathemate perculit, & *Bohemiam* posuit sub interdicto; septem annis *Bohemia* caruit sacris unius ob noxam Regis *Ottogari*, qui serò resipuit, & novis decretis editis, priora facta rescidit; literas *Regis Ottogari* ad frugem redeuntis recitavi *Lib. 6. Miscell.* Illud etiam nescio an satis laudabile *Ottogari* factum censeri debeat, quod filium *Wenceslaum* adhuc infantem in cunis à *Siffrido Moguntino* coronari jusserit, exempla in promtu sunt, *Wenceslai Pigri*, & *Ludovici Regis*, aliorúmque quibus ostenditur ejusmodi immaturas, & infantiles coronationes, plurimis Regnis insignes calamitates, & ipsam quodammodo infelicitatem attulisse. Sed eam coronationem in infante *Wenceslao* peractam affirmat *Crugerius*, & aliquid *Stransky* insinuat, equidem non admitto, cùm de ea temporis illius *Scriptores* sileant, quos diligenter inspexi. An. tandem 1230. Regni ferè 32. octogenario proximus, aut major *Przemyslaus* omniũ suorũ hostium, etiam aliquando *Cæsarum* victor, *aureus & victoriosus* ab aliis cognominatus, cessit è vita. Cupiebat hic *Rex* pulcherrimo beneficio exornare *Bohemiam*, *Metropolitaná* sede Pragæ erectâ, eâque de re ad *Innocentium III.* literas dederat, at is nescio quibus de caussis cunctabatur, *DEO & sanctis Bohemiæ Patronis* hanc gloriam *Carolo IV. Patriæ Patri* servantibus; si *Ottogari* gesta bona & mala in duas lances tribuantur, nescias, quæ pars præponderabit; ultima tamen (quæ DEI misericordia approbat) meliora & majora fuisse videntur. Uxores duas habuit (de quibus in *Notis* ad *Tabulam V.*) quidam etiam tertiam addunt, *Margaretam Brandeburgicam*, quod, ùt apertè dicam, vix fieri potuit in silentio Scriptorum illius ævi, quorum manuscriptos habemus *Annales*.

Corrigit se in vitæ fine Ottogarus.

Notæ in Caput XXIX.

Fortunam fabricare & manufacere &c. Propriè hoc *Ottogaro* convenit, qui manuali & servili labore occupatus durum laborem mercenariorum subire coactus est; felicior in Aula Cæsaris vixit: Aula enim est officina & fabrile fortunæ; quæ ab Aula Missilia sua jacit. Eleganter *L. Seneca* fortunæ imaginem depingit, potiùs quàm describit: *Hanc*, inquit, *imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cœtum honores, divitias, gratiam excutere &c. æstuamus miseri, & multas cupimus manus habere, modò in illam respicimus, nimis tardè nobis mitti videntur &c.* Hæc in *Aulis Principum* contingunt, ad quas plerique velut ad aras fortunæ, seu illa *Obsequens*, seu *Aversans*, seu *Invisçata*, seu *Primigenia*, seu *Revertens*, aut quocunque alio nomine appelletur, accurrunt. Hunc modum & fortunæ suæ viam in *Aula Imperatoris Henrici* quæsivit, & invenit *Ottogarus*.

Fortuna extollit Regem Ottogarum.

L. Seneca Epist. 79.

Plut. in Rom. qq. 74. & L. de fortuna Rom.

Charissimus subjectis Moravis &c. Benevolentia Civium est optima Principis custodia; cordibus muniri est plùs quàm æreis aut adamantinis mœnibus custodiri. *Guilielmum de Rosis Procerum* nostrorum principem Patrum memoriâ gloriari solitum accepimus: *Se ità esse subditis carum, ut in sinu singulorum quiescere & somnum capere possit*; eam securitatem ut aliis Proceribus probaret, quid egerit narravi *Lib. 3. Miscell.*

Clementia optima Principum custodia.

admirabile est exemplum, quod ibi legitur. Hoc *Guilielmus* noster in re parva, *Reges* magni faciunt in re magna: *Alexandri* sapiens oratio est ad milites, quam refert *Curtius: non est diuturna possessio, in quam gladio inducimur; beneficiorum gratia sempiterna est. Si habere Asiam non transire volumus, cum his communicanda est nostra clementia: horum fides stabile & æternum facit Imperium.* Et hæc vera est inter Tyrannum, & Principem naturalem differentia, quòd ille invitis, iste volentibus & amantibus imperat; talem nobis describit *Osiridem Synesius*, cùm ait imperante *Osiride Ægyptijs* nihil lacrymarum, præter nomen relictum esse.

Curt. l. 8.

Synes. lib. de providentia Sect. 1.

Oculísque privatus &c. Nescio quod in vita supplicium tristius esse possit cæcitate: est quædam quasi possessio res videre. Omne ex possessione gaudium cæcitate perit; meritò *Divus Ambrosius* oculum laudans, eum *carneam mentem* appellavit. Cæcitatis miserias eleganter omninò in Declamationibus suis describit, quisquis ille Author est, sub nomine *Quintiliani*; at verò solatia cæcitatis Vir doctissimus *Puteanus* in aureolo libello de *cæcitate.*

Grande supplicium cæcitatis.

In declamat. 1.

Ex humili Imperium adipiscuntur &c. Nescio quid asperitatis plerumque adhæreat Principibus ex humili fortuna elevatis, & oraculo verius est illud *Claudiani*:

Principes nati ferè melius Principantur.

Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum.
Cuncta ferit, dum cuncta timet - -

Ego solitus sum de hujusmodi temporariis principibus illum *Poëtæ* versiculum usurpare: *fænum habet in cornu, longè fuge!* quod etsi aliorsum dictum à Poëta sit, huc bellissimè quadrat. Poëtæ carmine & ænigmaticè hanc *Notulam* finio:

Quondam cornicines, & municipalis avenæ
Perpetui comites, notæque per oppida Buccæ, (id est Tibicines)
Munera nunc edunt, & verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter; inde reversi
Conducunt foricas, & cur non omnia? cùm sint
Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari.

Juven. sat. 3.

Varius Princeps quis sit?

Varium Ottogari Imperium fuit &c. Talem Principem jam antè memini me descripsisse in superioribus Capitibus. Omne quod est varium ferè maculosum est, neque frustra maculavit natura: quid ferius panthetis, quid maculosius venenatis? eò magis fugienda sunt, quæ sic adornantur, & præferunt cultum, ùt viperæ aliáque his cognata; at in homine animus varius & instabilis semper timorem prudentibus facit, cùm exiguo interjecto tempore modò amicus, modò capitalis hostis inveniatur, itaque *fide, sed cui, vide.*

Persecutio Ecclesiasticorum noxia Principi.

Insignis animi fortitudine Præsul Andreas &c. Hujus *beati Præsulis* vitam compendio retuli Lib. 4. Miscell. Malè suis rebus consulunt Principes, qui sibi Ecclesiasticos viros vexandos proponunt: nullum, multò minùs glorioſum successum habet talis vexatio. Alienat propè omnes subditos, qui reverentiâ illius statûs, qui cognationibus ipsorum, qui authoritate & consiliis, qui sanctimoniæ exemplis, qui sacrorum administratione tenentur: itaque DEUS, cœlum, homines, his injuriis sacrorum hominum offenduntur, & sociam operam improbi præstant dæmonibus, qui hunc ordinem sacrum capitali odio prosequuntur, neque ego memini in historiis legisse me unquam, Principes, qui hunc ordinem proculcare voluerunt, lætos exitus habuisse.

Si Ottogari gesta in duas lances componantur &c. Notissimum est veteres sapientissimè

tissimè *libræ* imagine *Considerationem* expressisse, ut enim in libra pondera usque ad minutissimos scrupulos examinamus, sic qui prudenter eligere volunt, omnes rerum circumstantias, antequam quod melius est eligant, consilio, & examine perpendunt. Nota est illa præstantis Philosophi *Critolai* libra apud *Tullium*, qui in alteram libræ lancem *Animi bona*, in alteram *corporis & fortunæ dona* imponebat, ajebátque tantùm propendere & præponderare illam *Boni lancem*, ut terras & maria deprimat. Vidi imaginem *B. Aloysij* nostri, qui in lancem alteram mundum, coronas, sceptra &c. in altera cœlum & circulum æternitatis conferebat, cui imagini sapiens Inventor sententiam subscripsit: *momentaneum, & leve æternum gloriæ pondus operatur.* Ad hoc exemplum humanissima lex Persarum constituta est, ùt narrat *Muretus*: non enim supplicio afficiebant reum si probare potuit, magno aliquo beneficio se Patriam affecisse, & si majus illud beneficium, quàm in suo genere maleficium deprehendebatur à Judicibus, mortem evadebat, & ùt *Muretus* loquitur: *diligentissimè in ejus vitam inquirebatur, & ratio inibatur, pluráne turpiter & flagitiosè, quam bene & laudabiliter gessisset; sin præponderabantur honesta turpibus, damnabantur, si turpibus honesta, absolvebantur.* Idem de vita hujus Regis sentiendum, multò enim plura laudabilia, quàm vituperanda gessit; & quanquam mala superarent, tamen extrema ejus gesta laudatissima fuerunt: quod etiam DEUS clementissimè respicit, & non qui fuerimus antea, sed qui simus in morte perpendit.

Duæ lances bonorum & malorũ sæpe examinandæ prudentibus. *Cic. in Tusc. qq. l. 5.*

Mar. Ant. Muretus L. 8 var. lect. c. 25.

CAPUT XXX.

Wenceslaus I. ejus nominis, Rex Bohemiæ quartus, Przemyslai Ottogari I. filius.



MAgna inter Scriptores in Regũ nostrorum numero & ordine diversitas invenitur, in re tamen omnes conveniunt: quidam *Bohemiæ Principes*, qui Regium titulum pro se solis, & non pro successoribus adepti sunt, inter Reges numerant; quod si sequamur, *Wenceslaus Rex Bohemiæ* quartus censebitur, post *Wratislaum*, *Wladislaum*, & *Przemyslaum Ottogarum* Majores suos; quidam eos tantùm *Reges*, qui sibi ac posteris *Regnum* paraverunt à *Przemyslao Ottogaro* numerant, & hâc ratione *Wenceslaus Rex* secundus computabitur; quidam à nomine *Wenceslai Reges* inchoant, & sic primus ejus nominis *Rex* erit Wenceslaus, nam *S. Wenceslaus Martyr*, etsi ab *Henrico*, vel *Ottone I.* titulo regio in Comitiis Imperij insignitus fuerit, nunquam tamen sanctissimus Princeps (quæ ejus modestia, &, ut Christianè loquar, humilitas fuit) Regium decus admisit, aut *Regem* se appellari passus est. Has igitur controversias Scriptorum

Ordo Regũ nostrorum.

rum facilè dissolvet, qui hæc memoriâ tenuerit. Mihi quod usitatissimum Scriptoribus video *Wratislaus* I. *Rex*, *Wladislaus* ejus nepos II. *Przemyslaus Ottogarus III. Wenceslaus* cujus Regnum nunc aggredimur *quartus* erit *Regum*, sed ejus nominis secundus. Hic adhuc Patre vivente cum *Cunegunda* conjuge *Philippi Imperatoris* filia A. 1228. Pragæ coronatus est. Sunt insignes Scriptores, qui eum ter coronatum affirment, *Stransky in Rep. Boh. c. 8. n. 25. Crug. in manuscripto.* ídque per ambages innuunt, *Stransky* & *Crugerius*, cùm in cunis coronatum, postea A. 1228. aut 29. tandem 1250 nescio quâ Religione tactum coronationem repetiisse solennissimo ritu tradiderunt, de quo veteres Scriptores altùm silent. De vita quoque ejusdem *Regis* magnæ excitantur controversiæ, cùm ea, quæ capite superiore illaudata, & indigna diximus, huic *Wenceslao* à quibusdam imputentur, utì illud: voluptatibus deditum fuisse, & loca sola, & sinè arbitris, ut ageret, quod luberet, quæsivisse, & alia hujusmodi; ego meam pennam veritati, non suspicioni consecravi, & contestata, & in luce publica gesta adducam. Ubi primùm A. 1228. *Wenceslaus* coronatus est, adversus *Austrios*, qui nuper *Moraviam* vastaverant, exercitum duxit, & vicem *Austrijs* reddidit; bellum protractum est ad A. 1231. Patre *Przemyslao Ottogaro* superiore Anno mortuo, *Friderico II. Imperatore* non modò incitante, sed & jubente, *Viennam* in hoc bello occupavit, nec nisì vicenis aureorum millibus, à *Friderico Austriæ Duce* acceptis dimisit, pace propè *Znoimam* ad *Lucense Cœnobium* A. 1235. conclusâ. Eodem Anno 1. *Novembris Augustam* ad conventum Imperij Principum advenit, magnâ omnium veneratione exceptus, ibíque decem millia marcarum argenti dotem uxoris suæ *Cunegundis* pro ea *Sveviæ* parte quæ jure hæreditario ad eam fuerat devoluta, accepit. Nullum sæculum Bohemiæ sanctius illuxisse puto, quàm hoc *Wenceslao* regnante: omnia plena exemplis sanctitatis, imò etiam, quæ comitari sanctitatem solent, miraculis fuêre. A. 1226. sanctissimus Ordo Prædicatorum ad *S. Clementis Ecclesiam* (quam illis magnifico opere *Przemyslaus* Pater extruere cœperat) anno deinde 1232. *Minores S. Francisci ad Ecclesiam S. Jacobi* (quam Ecclesiam deamabat *Rex Wenceslaus*) magnâ celebritate inducti sunt. Memorabile illud est, quòd dum utraque Ecclesia construeretur; *Optimates*, *Proceres*, & quicunque pecuniâ abundarent ultrò, & clàm (ut pietas sinè teste tutior esset) in altaria grandes pecuniarum acervos componerent, ut esset quo mercenariis solveretur: pauperes verò & egestate pressi operariis se admiscerent, & cùm manupretium divideretur, diffugerent, divinam gloriam pro omni pretio sibi esse existimantes: vidisses etiam maximos *Bohemiæ Proceres*, quoties templa adirent, sacro aliquo habitu assumto indutos, cum *Canonicis* aut *Religiosis* viris

Wenceslai Regis bella.

Lideralitas Nobilitatis Bohemicæ in sacra.

viris alternatim DEI laudes concinentes, & ea omnia summâ divini *Numinis* & *Majestatis* reverentiâ peragentes, quæ sacris ritibus præcipiuntur. *Cœnobia*, centum viginti nonnunquam etiam quadraginta Sacerdotes numerabant, ùt de *S. Clementis* Cœnobio suo loco dicemus. Sed hæc ad Regem *Wenceslaum* pertinere minimè videbuntur ignaris, magna tamen *Regum* felicitas censetur, si iis regnantibus virtus & pietas efflorescant; adde quòd *Rex Wenceslaus* subditorum virtutes suas fecit, qui etsi ipse forsitan tam Religiosâ pietate non usquequaque teneretur, omnibus tamen viis sancta promovere & stabilire conabatur, annitente præsertim sanctissimâ Virgine *Agnete* sorore suâ, quæ per id tempus fratris auxilio A. 1238. *Hospitalem* domum ad pedem pontis *Pragensis* in honorem S. *Spiritus* ditissimè fundatam *Crucigeris cum rubea Stella* donavit, atque à Pontifice impetravit, ut ea domus in perpetuum sedes esset totius Ordinis Magistri. Ecce autem ingens toti *Europæ* periculum à Septemtrione nascitur! *Tartarorum* innumera multitudo (quidam decies centena millia superâsse tradunt) finibus suis egressa, vicinis Regionibus pervastatis pars *Poloniam* & *Silesiam*, pars *Ungariam* ingreditur; neque cæsos exercitus *Christianorum*, neque alias *Principum Christianorum* Clades recensebo: jam pridem hæc à me in *Diva Wartensi* & Typo expressa, & æri incisa obtuli Lectoribus; denique nè longum faciam A. 1241. ad Olomucium nocturno prælio ab *Jaroslao* de *Sternberg* cum æterna *Sternbergici* nominis gloria cæsi sunt, ipséque *Peta Tartarorum Imperator* manu *Jaroslai* obtruncatus; cui ob rem præclarè & cum virtute gestam *Rex Wenceslaus* & locum prælii, & perpetuam *Moraviæ* præfecturam donavit, & attribuit, cum *Ducis* insignibus, *pileóque Ducali*, utì saxô expressus apud *S. Agnetem* hodiéque visitur. *Regi Wenceslao* cum *Austriacis* post hæc iterum negotium fuit, quorum *Marchio Fridericus* cùm *Moraviam* deprædari cœpisset A. 1242. *Wenceslaus* exercitum scripsit, *quo Moraviam intrante*, verba sunt manuscripti Codicis, ejus temporis, *Fridericus ex Moravia magno cum damno & confusus exivit.* Sed periculum majus *Wenceslao* filius Patri contumax (*Przemyslaus Ottogarus* ejus nominis II.) concivit, qui clam, *Proceribus Regni* juramento adstrictis, in Patrem exercitum duxit; at Pater ingeniô & prudentiâ circumscriptum filium, priùs acie per Duces militiæ expertos & senes victum cœpit, deinde in Arce *Teirzow* inclusit. Quæ omnia jam pridem in Epitome narravi. Hæc gesta sunt 1249. & sequenti, sed brevi in gratiam recepto filio *Moraviam* dedit. Decessit *Wenceslaus Rex* A. 1253. 22. Septembris ætatis An. 47. huic Regi fatalis venatio, quâ tamen maximè oblectabatur, fuit: in qua primò alterum oculum amisit (ideò *Luscus* à Scriptoribus appellatur) &

Tartarorum in hasce terras ingressus

Iaroslaus in manuscripto.

Patris & filij cruentæ dissensiones.

& iterum dum intempestivè venaretur, morbum ultimum contraxit. cujus mors dum *Przemyslaus II.* è *Moravia* adveniret, multos dies magnâ diligentiâ occultata fuit, ùt in Epitome narratum memini. Fuit Rex liberalissimus, & frequenter illud habebat in ore: *Liberali Principi nihil unquam deesse.*

Notæ in Caput XXX.

Inter Historicos frequentes controversiæ.

Controversiæ de Regum numero & Ordine &c. Nihil mirùm est ijs, qui historias legerunt, hujusmodi controversias moveri. Ità in Imperatorum catalogo alij *Henricum*, v. g. tertium alij quartum appellant; idem est de *Fridericis*, multi *Fridericum Pulchrum* nec in numero *Cæsarum* reponunt, quem tamen ex *Ludovici Bavari Diplomate*, *Ludovico* conregnâsse, & simul cum eo imperâsse clarè demonstrat *Petrus Lambecius V. Cl. Cæsareus Bibliothecarius* Amicus meus non ità pridem fato suo functus; unde sequitur *Fridericum Cæsarem Maximiliani I.* Patrem, quartum hujus nominis appellari oportere, quod tamen à nemine servari video. Eadem controversia est de *Ottonibus*, & de aliis pluribus *Regibus* & *Principibus*. *Pontifices* quoque multi incerto numero collocantur, ùt videre est in vitis *Pontificum Romanorum*, *Felices*, *Bonifacij*, *Victores*, aliique plures nominantur.

Reges in infantia coronati ferè semper infelices.

Sunt, qui Wenceslaum in cunis coronatum tradiderunt &c. Superiore Capite tria commemoravi exempla coronatorum in cunis Regiorum puerorum, quibus infeliciter commissa fuerint Imperia: *Regem* esse non est tantùm hominem esse; est dignitas quæ dari à natura, & à fortuna tolli potest. Cùm *Carolus IV. Wenceslaum* puerum A. 1361. *Norimbergæ* natum, postea Pigri cognomen adeptum coronare in *Bohemiæ Regem* disposuisset, & Ordines omnes unâ sententiâ consensissent, unus *Arnestus Archiepiscopus Pragensis Præsul* sanctissimus diu restitit, & consilio Cæsaris adversatus est, cujus orationem in *Vita Arnesti* retuli. Inter alia ait: Regnum non nudam aliquam dignitatem esse, sed onus maximum, cui tota Civium salus incumberet; mala publica omnia, privatáque *Regibus* imputari; à *Regibus Regi Regum DEO*, rationes Imperij esse reddendas, ideóque ùt *Pontificiam* & *Episcopalem* dignitatem nõ infantibus, sed qui officium scire possint, Coronas offerendas. Sed nimirum suum cuique pulchrum, & filij *Regum* parentibus blandientes & balbutientes, omnia læta in infantia & pueritia promittunt: ipsa poma quæ manibus parvulis in nutricum palliis involuti sustinent, & eripi sibi non patiuntur, in argumentum nunquam eripiendi Imperij trahunt; ipsas lacrymas & fletum generosum animum, nec malis cessurum interpretantur &c. Sed quàm parentum judicia corruptissima spes fallant, experti nostri majores fuerunt.

L. 3. de vita Am. c. 10.

Solitudo aliquando necessaria Principi.

Loca sola, & sinè arbitris quæsiviſſe Regem &c. Principibus viris sæpe solitudo svadetur, ob quos fines sæpius dixi. Etiam à familiaribus suis sejungi commendatur: cùm enim ùt ait *Tacitus Majestati major è longinquo veneratio sit*, videtur quodammodo Princeps alius fieri, & à suis procul discedere (*longè fugit, qui suos fugit*, vetus est dictum) cúmque revertitur quasi novus & cum novis sensibus redire. Vitanda tamen est *Tiberij Cæsaris* solitudo, nam illæ Capreæ sangvinem expresserunt.

Sæcula suis vitiis & virtutibus notantur.

Nullum sæculum sanctius &c. Qui sæculorum Annales diligenter pervolutârit, facilè animadvertet sæcula quædam virtutibus, quædam vitiis commendari aut damnari; nullum me nominare sæculum decet. Circulus quidam est rerum humanarum, quæ modò in summum, modò in imum deprimuntur. Observandus politicis est sæculi Genius: alia aliis temporibus placent; quædam sæcula Lusorum fuerunt (atque

(atque utinam hodie non sint) alia *Virorum Martialium*, alia *Doctorum*; observatúmque est, ùt in *Verisimilibus* scripseram, studia literarum paulatim progredi ad summum, deinde paulatim deficere, & ad paucitatem Doctorum redigi, inde rursus incrementum capere &c. Utinam brevi illa sanctitatis tempora aurea & argentea (luteâ & ferreâ, audeo etiam dicere: plumbeâ ætate proscriptâ) nos aliquando respiciant, & revisant!

Virtutes fictæ non sunt virtutes.

Pietas sinè teste tutior &c. Qui DEI oculum omnia videntem aspicit, oculos hominum contemnit. Qui oculos humanos quærit, suæ virtutis testes, hominibus placere cupit, non DEO, qui testibus non eget, quia intima cordis scrutatur. Videbis ejus farinæ homines frequentiam in templis quærere, magno ambitu precum, sæpe etiam lacrymis intermixtis DEUM adorare, per Urbem eleemosynas dispensare, in quos illam Servator noster sententiam vibrat: *receperunt mercedem suam.* Congruenter magnitudini ingenij sui *Albertus Magnus* scribit: *Sicut falsis denarijs nihil emitur boni, sic nec Regnum cælorum falsis comparatur virtutibus.*

Alb. Mag. in prolog. ad Parad. animæ.

Potest fieri ùt Princeps bonus, in regédo sit malus & contra.

Hæc ad Regem pertinere ignaris minimè videbuntur &c. Imò pertinent maximè, cùm Regis auxilio & providentia omnia peragantur in Regno. Audeo dicere: plùs adferre boni Regnis, si Princeps suorum subditorum curam suscipiat, ut justè gubernentur, ut sanctè vivant, ut miseri & pauperes recreentur, aliáq; ejusmodi, quæ Princeps præstare debet, quàm si assiduè templa frequentet, suâ se virtute involvens; pulchrè id ostendit *Antonius Guevarra*, cùm probat: Regem in sua persona bonum esse aliquando posse, malum in Imperio; & vicissim bonum Imperio, malum sibi. Talium Principum Regna fortunat DEUS; observatum est ipsas metallorum fodinas feliciùs affluere sub Principibus, qui terras suas ament, contrà intercipi, & siccari venas sub iis, quibus Patria cordi non sit; probatum id à me pridem est exemplis, cùm ostendi tempora præstantissimorum Principum, qui majorem de populis subjectis, quàm de se curam habuerunt, simili plerumque aliquâ felicitate signari; denique perinde ùt infelicitas Regnorum adscribitur Principi, æquè felicitas imputatur.

In Orat. de eligendis Conjiliarijs.

In vita Arnest. I.

Pericula à domesticis majora.

Sed periculum majus Wenceslao filius &c. Quo propius & vicinius nobis periculum est, eò majus habetur: filij latus parentis cingunt, quod ijs pater præbet apertum; hostis ex remoto ferire non potest, potest qui adstat. Si domestici in te consurgant, quem alienum fidum inveneris? Licet, peristi! si pietatis imago filium à scelerato consilio non deterret, quæ ratio deterrebit? at hodie *plurimi filiorum patrios inquirunt in annos*, lepidulúmque exemplum memini me audisse: puerum octennem cum Patre in eodem equo sedentem quæsîsse: *nunquid mi pater, quando vos moriemini, solus ego huic equo insidebo?* sed vicissim stulta est Parentum erga filios, ut ità dicam, avaritia, qui cùm decrepiti sint, & filiis adultioribus conjuges dederint, in manum nihil suppeditant, quo familiam alere, conjugem mundo muliebri instruere, amicos sibi comparare possint; itaque coguntur ex vultu parentum in horas pendere, quotidie à sene & avaro plerumque patre, odiosè subsidia petere, quæ preces defloccato, ut ità dicam, seni pro omni supplicio sunt. Prudentiùs in re magna *Rex Wenceslaus*, qui id advertens in filio, *Moraviam* eidem cessit, & cupiditatem ejus cum summo alioqui scelere & ingratitudine in Patrem erupturam, hoc pacto compescuit.

Senes militiæ Duces prævalent junioribus.

Per expertos & senes Duces &c. Mirum est quantopere differat per lectionem librorum aut ingeniosam cogitationem, aut contrà experiendo prudentẽ fieri, quod ultimum ætate consequimur. Nescio quid habeat prudentia ætate & observantiâ parta, quod non acquiritur nudâ lectione; hæc rem tantùm ipsam præcipit, experientia omnia rerum adjuncta perpendit; non enim omnia in libris in particulari docentur, *applicare regulam ad regulatum*, ùt loquuntur, hic labor, hoc opus est; sapientissimè

tissimè monebat *Guevarra* in Epistolis: *Non omnis*, inquit, *Jurisconsultus aptus ad regendum est: judicia Jurisconsultis committantur, gubernatio prudentibus; Cavete Provincias illis committere, qui nuper primùm Salmanticâ* (Academia est Hispaniæ celeberrima) *exierunt.* Et post pauca: *ex multis intelligi potest, quàm sæpe doctrina ab experientia vincatur.* In vita *Cornelij Taciti* Scriptoris si quis unquam fuit prudentissimi, sed ùt apparet in rebus agendis minùs versati, legimus: eum, qui tanta & tam divina regnandi & gubernandi præcepta dederat, admotum gubernationi *Africæ*, si rectè memini (nam me morbus & senectus locum quærere non sinunt) nihil ei profuisse tot aurea dicta, quæ Romæ in otio scripserat, nihílque aliud, quàm turbas & seditiones, quas componere non potuerit, excitâsse. Ob eam caussam magni politices Magistri, nimiùm ingeniosos à consiliis Principum removent, senes & expertos commendant, ùt facit *Gaspar ab Ens* in suo *Principe Consiliario* multis in locis, maximè dum tertium *Machiavelli* axioma refutat, adducítque *Thucydidem* L. 3. histor. *hebetiores, quàm acutiores ut plurimùm meliùs Rempublicam administrant: nam velocia & ignea ingenia* (qualia juvenum, & inexpertorum sunt) *novandis rebus, quàm gerendis aptiora habentur, in multiplici inventione nutant, nec reperiunt, cui insistant &c.* Unde *Julius Frontinus Trajano Imperatori* monita militiæ scribens, svadet Duces militum omnes *senes constitui*, quod noster *Cicero* sagaciter observat: *Agamemnon* apud *Trojam Dux* ille *Græciæ* nunquam optat, ut *Ajacis* decem similes habeat, sed ut *Nestoris* (quem *Homerus* ter centum annis vixisse fingit) quod si evenerit, non dubitat, quin *Troja* brevì sit peritura. Optimè igitur *Wenceslaus Rex* de quo hactenus locuti sumus, sibi consuluit, qui adversus filium juvenem, & exercitum Ducibus ferè juvenibus constantem, senes Duces militiæ præfecit, qui felicissimè exercitum filij ceciderunt, & ipsummet rebellem filium captivàrunt in acie.

Tacitus prudentissimus scriptor, malus Rector.

Lib. stratagem.

Cic. in Cat. majore seu de senect.

Fatalis venatio Wenceslao fuit &c. Innumeris exemplis patet, certa quædam hominibus esse fatalia: quibusdam dies ipsi semper infelices ac fatales fuerunt. Exempla in promtu habes in *Piccarto*. *Bohemis* fatalis dies *S. Rufi* semper fuit, scilicet 27. Augusti, occiso Rege *Ottogaro*, *Joanne* Rege Patre *Caroli IV.* item *Ludovico*; aliis calamitatibus hic signatus dies invenitur, quod quanquam in alias aliásque causssas referri possit, tamen admirationem vulgo movere potest, plurima mala in hunc diem à DEO collata esse.

Quædam hominibus fatalia.

Picc. in histo-rico-politicis decade 5. c. 6.

Liberali Principi nihil unquam deesse &c. Hoc velut oraculum haberi debet; sed cur beneficentia DEI in dantes & liberales provocatur? an quia Pater misericordiarum DEUS est, & ex ejus beneficentissima natura benefacere didicimus, qui liberalitate, velut propriâ suâ virtute oblectatur? an quia omnes pro benefico homine DEUM exorare solent, ut ipsis vicissim benefaciat DEUS? an quia beneficentia innumeros sibi parit amicos, quorum favore, gratiâ, auxiliis, ejus fortuna, & fortunæ nitantur? quidquid horum sit, fidenter *D. Ambrosius* dixit de Sacerdotibus (sed idẽ est de cæteris) scribens: *Scio plerosque Sacerdotes, quò plùs contulerunt, plùs abundâsse.* Mox converso ad omnes Christianos sermone: *Cave nè intra loculos tuos includas salutem inopum, & tanquã in tumulo sepelias vitam pauperum.* Dignam æternitate, & omni præconio protulit sententiam *Plutarchus*, licèt gentilis quâ nihil ego illustriùs in ejus libris (quorum me Lectorem profiteri & gloriari soleo) legi: disputans enim in *Quæstionibus Naturalibus*, cur Veteribus Romanis mos fuerit, nunquam omninò inanem mensam post cœnam relinquere, neque lucernam extingvere, nisi ipsa deficiat; respondet id fieri ob beneficentiam, ut alij, si velint, câ utantur; tum subjicit Christianam prorsus & divinam sententiam: *quippe, si fieri posset, etiam visum atque auditum, imò prudentiam quoque & fortitudinem alijs utendam dare & concedere deberemus, quando sumus dormituri, aut quieturi.* Nihil humaniùs dici potuit. Orare verò & vota facere

Liberalitas in alios liberalem facit Deum.

S. Ambr. l. 2. de offic. c. 16.

Plut. l. 7. qq. moral. q. 4.

Aurea Plutarchi sententia.

facere pro liberalibus etiam Ethnicis usitatissimum fuisse invenio: de *Gallia* liberalissimo homine *Syracusis*, hæc habet *Valerius*, ait eum ipsius *liberalitatis præcordia habuisse*? quid multa? *non mortalem aliquem, sed propitiæ fortunæ benignum fuisse sinum. Ergò quod Gallias possidebat omnium quasi commune patrimonium erat, pro cujus salute & incrementis tum Agrigentina Civitas, tum etiam vicinæ Regiones votis excubabant.* Ego crediderim *Deum* naturali huic & humanæ virtuti, naturalia quoque & humana præmia affatim tribuisse, & tribuere.

Val. Max. de dict. & fact. memorab. l. 4. c. ult.

CAPUT XXXI.

Przemyslaus Ottogarus ejus nominis secundus, quintus Bohemiæ Rex, Victoriosus cognomento.



Przemyslaus Ottogarus ejus nominis II. *Bohemiæ Rex*, *Marchio Moraviæ*, *Austriæ*, *Carinthiæ*, & *Styriæ Princeps*, Dominus in *Cran*, & *Portu Naonis*, & *Egra*. Regnare cœpit A. 1253. altero mox anno adversus *Prutenos* Idololatras cruce assumtâ exercitum duxit; sanctum hoc bellum fuit, & *Ottogarus Prussorum Apostoli* nomen obtinuisset, si armis & victoriis Apostolatus obtineretur: *Prutenos* devictos in duas partes divisos, hos à se *Przemyslaos*, alteram partem à *Marchione Brandeburgico*, *Comite* hujus belli *Sororio suo Ottones*, dum sacris aquis abluerentur, dici voluit; multas ibi Urbes & Arces condidit, ac munivit; quarum dignitate primâ *Regiomontum* seu *Kralovecz*; ad Regis exemplum *Bohemi Proceres*, à suis nominibus egregias Urbes & Castra ædificârunt, & *Barbaris*, qui hactenus ùt pecora oberrabant, impleverunt, ùt *Brunspergam Bruno Episcopus Olomucensis*; *Rosenbergam Rosenses*; *Risumburgum Comites de Ossek*, *Wartenbergam*, *Lembergam*, *Michalovíam*, *Wartenbergici*, *Lembergij*, & *Michalovicij*; *Sebergam Sebergij*, *Clingenburgam Clingenbergij*; *Bercæ de Fridland Fridlandiam* extruxerunt, & nominârunt; sed Regis major gloriâ, qui *Sambiensem Episcopatum* fundavit, & *Warmiæ* magnificam *S. Wenceslao Bohemiæ* Duci & *Martyri Basilicam* ex fundamentis excitavit. A. 1257. juvenum consilio malè usus *Rex*, cum exercitu *Austriacorum* & *Bohemorum Bavariam* ingressus est, cujus expeditionis non fuit is, quem *Rex* sperabat, exitus, *Egram* tamen Duci *Bavariæ*, jam

Regis Ottogari bellacitas.

 pridem

pridem *Bohemiæ* adjunctam eripuit. Melioribus aliàs consiliis *Belam* IV. *Ungariæ Regem* cum ducentis armatorum millibus venientem, iteratò profligavit tantâ cæde, ut per cadavera hostium in *Morava* flumine submersorum, velut per pontes, *Bohemorum* & *Moravorum* exercitus transirent; descripsi cœlestem hanc victoriam in Epitome (cœlestem appello, quòd *S. Wenceslaus, S. Adalbertus,* & quinque ejus fratres, tum *S. Procopius Abbas* super aciem *Bohemorum* aspectabiles victoriam non favore modò, sed etiam manu, ùt de *S. Wenceslao* cœlite constat, adjuverint) & Lib. 6. Miscell. ipsam *Ottogari* ad *Alexandrum Pontificem Maximum Epistolam* recitavi. Post victoriam *Rex* gratissimus magnis opibus *Monasterium Cistercien sibus Regiæ Coronæ* fundavit, aliud item *Cœnobium* ejusdem *Ordinis Ossecense* locupletavit, tum ptimùm *Pragæ* magnâ pompâ coronatus, ut non tantùm generi & sangvini sed virtuti corona deferretur. Neminem facilè *Principum* nostrorum invenias, quem aut virtus elevârit magìs, aut in extremo fortuna tam tragicè destituerit. Quo jure Styriam, Austriam, & cæteras Provincias tenuerit, habes apud *Pessinam*; brevissimè autem, sed nervosissimè apud *Stranskium*, certum est ex Archivo Regio Carlsteinensi, à *Richardo Romanorum Imperatore* Electo investituram super eas Provincias accepisse; unde non vanè in longum prospiciens *Carolus IV. Imperator*, *Richardi* ipsas literas confecto novo Cæsareo diplomate confirmavit. Recitat idem *Pessina* ex *Originali Ulrici Ducis Carinthiæ & Carnioliæ &c.* instrumentum publicum, quo suas omnes Provincias *Ottogaro* donavit. Huic malo obviare *Ottogarus Rex* facilè potuisset, si oblatum ab Electoribus *Imperium Romanum* non rejecisset; sed ab eventu de consiliis malè judicatur: denique adversus *Rudolphum I. Austriacæ* gentis conditorem fortissimè pugnans, proditione suorum, ac præcipuè *Milotæ* de *Diedicz* (quem ex *Rosensi* familia ortum disertè tradit vetus historia *Styriæ*, & *Speculum gloriæ Austriacæ* nuper editum) in acie cecidit A. 1278. 7. Cal. Septembris, sepultus primùm in *Lucensi Cœnobio*, postea *Pragæ ad S. Franciscum* filio Rege transferente, tandem in *S. Viti Metropolitana Ecclesia* in tumulo compositus. *Siffridus* narrat *Ottogarum* solennes nuncios ad *Gregorium V. Pontif.* misisse, qui ab eo coronam Imperij peterent, quos *Pontifex* rejecerit; at hæc narratio omnibus aliis Scriptoribus adversatur, nisi Regem mutâsse, serò nimis, dicamus. Raynaldus insignis post *Baronium Ecclesiasticorum Annalium Scriptor*, multis in locis *Ottogarum* mirè commendat (idémque facit eorum temporum Scriptor *Henricus Stero*) ejúsque heroica facinora recenset; quæ in hac brevitate mea locum non habent. Is erat *Ottogarus Rex* (ait quodam loco Raynaldus) *magnis decoratus virtutibus Princeps*, quem *Cle-*

Pess. Lib. 3. Mart. Mora. cap. 7.

Ottogari tragica mors.

Siff. in Epit. lib. 2.

Odoric. Tomo 14. Annal. max ad An. 1268. H. Stero in Annal.

Clemens IV. (animi indolè nobilis Pontifex) *sæpius extulisse literis reperitur, cui subjugandas infidelium terras donavit*; literas *Clementis* retuli Lib. 6. Miscellaneorum. De ejus Conjugibus & prolibus *Tabula Genealogica*, quam postea subjiciam cum *Notis* consulatur.

Notæ in Caput XXXI.

Przemyslaus Rex, Marchio, Princeps &c. Congessi hoc loco titulos *Ottogari*, deest tamen adhuc maximus titulus *Apostoli Prussiæ*; nam hunc titulum ei tribuere meritò possem, (ùt dixi capitis initio) qui *Prutenos Ethnicos* ad Christi notitiam, & cultum armis victos adduxerit, hoc unico discrimine, quòd SS. Apostoli lingvâ & prædicatione, *Ottogarus* ense & terrore admoto (quod aliquando necessarium est) Religionem Christianam propagârit. Congruenter certè Majorum suorum factis, & gloriæ; ex quibus *Wratislaus Rex Bohemiæ* pro Corona Regia à Pontificibus (dum adhuc solum Ducis titulum gereret) *Mitram Episcopalem* ferendam accepit. Ad *Ottogarum* redeamus, qui cœlum *Prutenis* aperuit, & cùm illud violenti tantùm rapiant, Populos devictos violentè compulit ad cœlum; mirari sinè dubio cœlites potuerunt tot *Ottogaros* (nam suo, & *Ottonis* nomine omnes appellari in baptismo jussit) ad cœlum venire, quos ille præmisit, ut locum sibi pararent; meritis enim bonis bonus paratur in cœlo Regibus locus. Sed neque in cœlo tantùm *Ottogari* meritum præconio celebratum est, sed etiam in terris immortali hoc facto, & fidei Christianæ incremento & propagatione felici gloriam apud homines invênit; testantur id Epistolæ Pontificum, quas superioribus libris recitavi. Profectò nemo Regum nostrorum justiùs gloriari poterat (ùt observat in Chronico suo *Franciscus Pragensis*) quàm *Ottogarus*: *quòd dominaretur à mari usque ad mare*, à mari scilicet Adriatico usque ad mare quod *Prussiam* alluit, sed *Przemyslaus* eâdem magnanimitate, quâ bellum gessit, bello acquisitas Provincias Sacro Ordini *Crucigerorum* in *Prussia* donavit, sed priùs excultas Urbibus, & arcibus permunitas, & omni genere bonorum instructas.

Ottogarus Prussos ad Christum convertit.

Ottogari Imperium à mari ad mare.

Multas ibi Urbes condidit &c. Perpetua hæc est optimorum Principum nota: cùm nimirum æternitatem nominis laudabiliter quærant, vident eam in Orbe se assequi non facilè posse, nisi ea, quæ cum Populorum utilitate conjuncta sunt, & quæ in longissimum tempus duratura sunt, aggrediantur & perficiant. Peculiariter *Prussia* tum Barbara, Urbibus & locis munitissimis opportunis locis excitatis egebat, sive ut humanitatem Christianam in Urbibus disceret, sive ut si quid novi moliretur, contineretur in officio. Quare non satìs providè eos Principes agere existimant Polemici Scriptores, qui Regna suis denudant præsidiis: fortuna enim *campi Domina* dicitur, & qui ejus favore campo dominatur, primus immunitam Provinciam occupabit, cum totius Provinciæ opibus, Annonâ, ipsóque adeò populo, cujus accessu vires augebit suas, nec nisi campo depulsus, desinet dominari. Hic mihi *Procopij* veteris Historici pulcherrimus locus Lib. 3. de bello *Persico* occurrit, verba ipsa recitabo: *Gensericus* (quem ille semper *Gizericum* vocat) *Vandalorum Rex, occupatâ Africâ omnes Civitates præter Carthaginem mœnibus nudavit, ut neque ipsi Afri haberent, quò se reciperent* (præter Carthaginem) *neque Romani si ab Imperatore in Africam contra Vandalos mitterentur, quidquam præsidij in Civitatibus, & munitis locis relinquerent, & negotium Vandalis facerent; quod licèt ab initio bene succederet, procedente tamen tempore Belisarius loca sic distincta, & immunita, parvo negotio cepit: ex quo Gensericus ridi-*

Muniri debet Patria.

culus eſt viſus, qui conſilium quod optimum ei videbatur in damnum ſuum, ſtultiſſimum fuiſſe vidit. Quibus ego, quod addam, non habeo.

Victoriâ cælitus acceptâ honorandus Deus.

Poſt victoriam Monaſterium Regiæ Coronæ ædificavit &c. Antiquis Regibus uſitatiſſimum fuit memoriam aliquam in loco victoriæ relinquere; noſtrorum *Regum* innumera habemus exempla: in *Albo Monte* felicis illius victoriæ monimentum olim ſtetit, nunc in alios uſus converſum; præcipuè laudatur, ſi DEO victoriarum Authori Eccleſiæ ſtatuantur, multóque magìs Cœnobia, in quibus DEI laudes canantur aſſiduè.

Liber de Regimine Principum laudatur.

Tum primùm Pragæ Ottogarus coronari voluit &c. Optimè virtus probata coronatur, & debitam gloriam refert; præcipuè in *Regibus*, quibus omnia militum facinora meritò imputantur. Sunt autem aliæ Regum, aliæ privatorum hominum virtutes, & quod in privato homine vitium foret, in Rege virtutis nomen meretur, & contrà. De Regiis virtutibus multi egregij Scriptores: *D. Thomas Sol Theologorum* Libro de *Regimine Principum*, & eodem titulo *Ægidius Romanus*; ſed qui aptiùs ad tempora noſtra de *Regimine Principum* ſcripſerit, nullum eſſe puto, quàm ex *SS. Carthuſianorum* familia *Priorem Pragenſis Monaſterij (Horti Mariæ) Michaëlem*, quem ego in *vetere Bibliotheca* inter manuſcriptos Codices repertum deſcribi feci, & Notis marginalibus illuſtratum *Diſſertatione hiſtoricâ* de Authore, & Cœnobiis ejus Ordinis in Bohemia præfixâ, ſic, ut ad editionem bellè adornatus videatur, *Celſiſſimo & Reverendiſſimo Principi Io: Friderico Archiepiſcopo Pragenſi* obtuli. Laudatiſſimus & eruditiſſimus eſt liber, qui utinam, quàm primùm Typi auxilio lucem aſpiciat! *Cardinales* quatuor Regum virtutes explicat pulcherrimè, ad eum librum Lectores meos remitto. Porrò vetus eſt SS. *Patrum*, ac præcipuè *D. Ambroſij*, quatuor *Virtutum Cardinalium* in Regibus commendatio. Vide librum ejus de *Paradiſo*, toto Capite tertio, ubi *quatuor flumina Paradiſi*, cum his quatuor Regiis virtutibus comparavit, poſtea ætatibus quatuor mundi ſingulis diſtribuens oſtendit, tempus à *creatione hominis ad diluvium* fuiſſe *Prudentiæ*, *Patriarcharum* tempore regnâſſe *Temperantiam*; *Judicum* & *Prophetarum* temporibus *Fortitudinem*, *Chriſtianorum* temporibus Regnum eſſe *Juſtitiæ*, quam S. *Doctor*, utinam in noſtro ſæculo florentem & regnantem inveniat!

Ex eventu non ſemper de conſilio judicandum

Seneca L. 4. de beneficijs n. 38.

Ab eventu de conſilijs malè judicatur &c. Incertæ ſunt providentiæ noſtræ, & ſæpe quod noceat, etiam poſt iterata conſilia malè eligitur, boni ſpecie, & umbratili felicitate occurſante; unde conſilia etiam optima, *Tempus, Hoſtis, Fortuna, Imprudentia*, tum denique *Affectus* evertunt. *Sapientis eſt proinde mutare conſilium*, vel ex ſententia rigidiſſimi *Stoici Senecæ*: *non eſt*, inquit, *turpè cum re mutare conſilium.* Caſus ſæpe agit virtutis opus, & quod bene conſultum putavimus, evertit; unde ſapienter dictum eſſe exiſtimo: *eventus ſtultorum Magiſter*, quòd ſcilicet malè de conſilio ex eventu ſtulti judicant, vel quòd ab eventu, prudentiora conſilia in futurum ſuſcipere doceantur.

Caput XXXII.

Wenceslaus II. ejus nominis, cognomento Bonus, Rex Bohemiæ VI.

Inter



INter exempla Regum Sanctorum ab omnibus Scriptoribus ponitur *Wenceslaus*, qui octennis patrem *Ottogarum* amiſit in acie, traditus tutelæ *Ottonis Marchionis Brandeburgici*, qui patris ſororem in conjugio habebat *Beatricem* aut *Bozenam* nomine, ſed *Otto* avariſſimus *Princeps*, qui ad pecuniam referebat omnia, & Regium puerum, & *Cunegundam matrem Reginam* velut captivos tractabat, & *ſatellitibus* ſuis armatis cinctos, arcibus claudebat, magnum ſe inde ſperans lucrum facturum. Regina ingenioſa mulier facilè captivitatem fugâ evaſit, & ad fratrem *Nicolaum Ducem Oppavienſem* receptum habuit; puer Regius imbellis adhuc prorſus in *Brandeburgiam* deportatus eſt, ibi quàm gravia & perpeſſu aſpera tulerit, eorum temporum Scriptor *Franciſcus Canonicus Pragenſis* commemorat. Eâdem propè crudelitate, violentiâ, & cruentâ avaritiâ, quâ Regem circumſcripſerat *Otto*, & Regnum regebat: quæ omnia odio tyrannidis percenſere nolo, & jam antè narrata ſunt in Epitome. Redemptus multo auri pondere *Wenceslaus*, cùm priùs ipſe etiam puer ingentem pecuniam (quinque millia marcarum) numeraturum ſe ſcripto promittere adactus eſſet (quam pactionem violentam ſuo & omnium Electorum nomine irritam pronunciavit Cæſar *Rudolfus*) tandem duodecimo ætatis Anno 24. Maij ſuis *Bohemis* reſtitutus eſt. *Rudolfus Imperator* imploratus, non tutorem, ſed benignum patrem ſe *Wenceslao* exhibuit, ac primùm Juditham filiam ſuam conjugem *Wenceslao* deſpondit, quæ 1286. *Pragam* allata eſt; poſt hæc non ceſſavit Imperator generum ſuum omnibus bonis, & honorum titulis augere: *Electoris dignitatem*, *Vicariatum Imperij in Miſnia*, *ipsámque Miſnam Urbem*; *Egram*; *in Bavaria ditiones non paucas*; *Archipincernæ in Imperio munus*; *Wratislaviæ Principatum*; *Luſatiam quoque aut confirmavit, aut contulit.* Coronas addidit cœlum, & S. *Principis Regnum* omni & cœleſtium & terreſtrium bonorum genere fortunatiſſimum & florentiſſimum effecit. *Griffina* matris ſoror, *Regi Cracovienſem* & *Sandomirienſem Provincias* donavit, quas, quia Poloni tradere recuſabant, Rex ſeſe armis in earum poſſeſſionem induxit, & *Craco viam*, *Visliciam*, & *Oblecum* expugnavit. Sed hæc poſteriùs & diverſis temporibus geſta. Initia Regni periculoſa & dubia *Wenceslao* fuerunt: *Henricus Wratislaviæ Dux* Regem veneno tollere conſtituerat; *Wladislaus* III. *Ungariæ Rex*

Wenceslaus II. Rex circumſcribitur.

Epit. l. 3. c. 15. in Notis.

A Deo & hominibus defenditur.

vim & arma parabat; *Zawissius Rosensis* nescio quid sibi juris in Regem arrogabat, fortè quòd *Reginam* matrem suscepto ex ea filio, amore deceperat; nonnulli *Bohemiæ Proceres*, sed maximè *Moravi*, qui nuper patrem in acie deseruerant, malè conscij tumultuabantur; hæc omnia gravissima pericula postquam voto solenni *Dei Matrem* honorâsset, & ejus honori dives *Cœnobium* fundaturum se promisisset, feliciter *Wenceslaus* vitavit, ac ferè in Authores, quæ *Regi* inferre moliebantur reciderunt: *Henricus* veneno sublatus, *Wladislaus* à Proceribus suis confossus, *Zawissij* Regnum carcer fuit, ex quo nonnisi superbo capite minutus ad tumulum elatus est; Proceres omnes superati ad officium redierunt. Ad ordinandam deinde *Rempublicam Rex* conversus, primùm omnium *Monetam*, quam pro meliori deteriorem substituerat *Brandeburgicus*, correxit; fodinas auri & argenti & cæterorum metallorum jam propè obcæcatas aperuit, & *Jura montium* certis capitibus comprehensa, conscripsit; Arces oppignoratas à Proceribus redemit; fines Regni adauxit; *Pirnam Urbem ab Episcopo Misnensi Bernardo* emit, tumultuantes Polonos, cum copiis *Siradiâ* scalis captâ compescuit, & *Przemyslao Rege Calissiensi* à suis trucidato, vocatus à Proceribus, *Rex Poloniæ*, salutatus est; *Universitatem* studiorum advocatis magno pretio ex omnibus *Europæ Universitatibus* præstantissimis, clarissimis, & peritissimis viris Pragæ instituit; sed hoc opus statim initio Proceres, qui aliquid authoritatis & utilitatis de messe sua in tribunalibus suis nummariis decessurum timebant (*Episcopo Pragensi Tobiâ*, qui negotium hoc apud Papam & alibi promovebat, mortuo) everterunt. Post hæc tam illustria opera An. 1297. in *Bohemiæ Regem*, tum primò cum conjuge sua *Juditha* se voluit coronari. Vix aliquid illustriùs, ex quo condita est nostra natio Praga vidit: centum nonaginta millia equorum hospites adduxerant, quibus omnibus pabulum dabatur à *Rege*: aderant *Archiepiscopi* duo, *Episcopi* octodecim, *Abbates* & *Prælati* cum infulis centum, *Principes* & *Duces* septem, *Comites* & *Barones* trecenti, præter *Equestrem Nobilitatem* innumerabilem, ut illos Praga non caperet, oportueritque novam ex tempore Urbem ligneam sub *Petrino* monte ad *Muldavæ* ripas *Aulam Regiam* versus exstruere; descripsi hanc glorioſissimam coronationem multis in locis. Absolutâ coronatione, ut ea prosperè eveniret, mirâ in DEUM liberalitate primum lapidem altero die pro *Cœnobio Aulæ Regiensi* maximâ celebritate in fundamenta jecit, & ipsi *Cœnobio Ecclesiastica* munera advexit: *crucem auream* cum gemmis, mille & quadringentis marcis argenti (quarum quælibet 9. hodiernos imperiales æquabat) æstimatam; item *multas monstrantias* ex auro & argento cum reliquiis Sanctorum; *vestes* sacrificantium pretio-

Glorioſa coronatio Regis.

In Appen. I. ad histor. S. Montis & in Epit. &c.

pretioſissimas; multos argenteos *calices*; ducentas argenti marcas *pro libris &c.* quæ repetere narrando operæ pretium non est. Anno sequenti Polonos suos revisens, nè tantùm *Bohemiam* suam amare & augere videretur, *Cracoviam* ex integro mœnibus cinxit, castrúmque illius Urbis altis turribus, & arcuatis mœnibus permunivit; cúmque antè Poloni pelliculis capitum, & argento nigro mercaturam facerent, argentum purissimum signavit; atque ut firmiùs Polonos sibi adjungeret, *Elizabetham* seu *Richsam Przemyslai* nuper occisi filiam (jam enim *Juditha* sex pro libus relictis post septemdecim à coronatione dies Pragæ An. 1297. obierat) unicam Regni hæredem accepit uxorem, cujus jure ad *Reges Bohemos* maxima Poloniæ pars pertinuit, ídque Jus pro Silesia dimissum est postea, ut cæteris diligentiùs explicuit *Carolus IV. Imperator* in Vita sua. Jam & *Ungari* gloriâ *Wenceslai*, & opibus permoti suam ei coronam obtulêre; ille pro se commendavit filium, & vix tredecennem in *Alba Regali* coronari permisit, brevi tamen levitate quorundam Procerum animadversâ *Ungariam* cum exercitu ingressus filium *Wenceslaum* periculo exemit, & cum corona sacra *Ungarorum* (quam postea *Ottoni Bavariæ* Duci tradidit) secum in *Bohemiam* adduxit. Bella quoque feliciter gessit, & *Albertum Cæsarem*, qui cum multis millibus armatorum fodinas *Cuttnenses* nuper sub hoc sancto Rege repertas, suas esse (sed nullo jure) & ad se spectare obtendebat, cùm exercitûs ejus clade è *Bohemia* ejecit. Eodem tempore *Sandecz* in *Polonia Civitatëm* novam sub monte *Carpatho* contra *Ungariæ* fines ad defendendam, si periculum ab *Vngaris* ingrueret, *Poloniam* condidit. Denique postquam unum ac viginti regnâsset annos tabe phthisicâ vel ex propinato ab *Albertinis* hominibus veneno, ætatis quinto & trigesimo Christi 1305. evolavit ad superos. Sanctissima hujus Regis exempla, atque etiam consecuta miracula lib. 4. Miscell. recensui, ut jam nihil supersit, quàm *Wenceslaum* inter cœlites (quod unius Ecclesiæ aurhoritate concedi potest) venerari, nam ibi quartam eámque æternam Regi *Coronam Divinitas* imposuit.

De hac inventione V. Epitomen.

Crapak.

Notæ in Caput XXXII.

Otto ad pecuniam referebat omnia &c. Nihil æquè Regiis & Principum virtutibus adversatur, quàm amare pecuniam: *Justitia* Principum virtus propria venditur; *Prudentia* imagine & fulgore metallorum & gemmarum perstricta caligat; sinè utilitate, & pecunia quid præclarum avarus aggredietur? *Fortitudo* igitur locum non habet; ipse pecuniæ in *Principe* amor Intemperantia est. Quàm multa æternùm duratura Imperia pecuniis eversa legimus, & quod omen absit, posteri nostri legent! locus illustris est apud *Tullium* probantis & rationibus firmantis *Apollinis Pythij* oraculum: *Spartam* nullâ aliâ re nisi avaritiâ perituram, inspiciatur *Tullius*; sapientissimè id demonstrans. Legi aliquando in *Herodoto*;

Nimius pecuniæ amor magnum Principis vitium est.

L. 2. de Offic.

Herodotus l. 3. n. 89.

rodoto: reperiri in *Æthiopia* grandes *formicas* vulpium magnitudine, quæ aurum in cubilia sua importent; ejusmodi formicas aurilegas in Aulis Principum esse dixerim, qui quæstui habent Rempublicam, & adorant pecuniam. Ingeniosè istud expressit *Drogo Ostiensis*, perpendens, cur *Judas* in templo projecerit pecuniam? *vide quàm magni nummos ponderabat! non projecit eos in sterquilinio, sed in templo; nimirum talibus semper Dijs templum suum devoverat; avaritia enim simulacrorum servitus est, & excæcat oculos sapientum. Ecce qualiter excæcatus est! denarios templo, se ipsum laqueo addixit &c.* Pulcherrima, quibus probat avaros loco DEI adorare pecuniam.

Drogo de Sacramento Dominicæ Pass.

Felicis Principis Typus.

Omnibus bonis & honorum titulis auxit &c. Wenceslao DEUS & homines certatim humanas felicitates omnes congesserunt, & quasi in unum rete coactas dederunt in manum; referebat *Rex Wenceslaus Timothei Cononis* filij imaginem, cujus ut felicitatem ostenderent *Athenienses*, pingebant *Fortunam* per Provincias rete trahentem, & Vrbes plurimas capientem, captásque & reti inclusas *Timotheo* tradentem; pari ratione *Wenceslao Regi Genij Regnorum* & Provinciarum coronas, & Regna, honores, & titulos, aliáque conferebant. Tanti est pietatem & sanctitatem colere, quæ, ùt habent sacræ literæ, *ad omnia utilis est*, & maximè Reges bonos exaltat! præcipuè si præcesserit calamitas, & tristitia fortunæ, qualem in Parentis tragica morte, & captivitate sua expertus est *Wenceslaus*.

Veneno Principes sublati; exempla.

Ricciol. in Chronico. Naucler. in Chron. Cuspin. in Cæsar. Ctesias in Persicis n. 8.

Regem veneno tollere &c. Venenis grassari ignobilis vindicta censeri debet. Timidi, & suæ virtuti diffidentis animi est amicitiam simulare, & cogitare venenum, animosæ gentes (etsi utrumque cœlo vetante damnatur) inimicitias profiteri audent, & multo tempore secum circumferunt, quales aperto pectore *Germani*; sed in *Reges* admissum veneno scelus, propè *parricidium* dixerim: sic sublatos egregios *Principes* sæcula doluerunt: *Henricus VII. Imperator* (proh immane sacrilegium!) in *Eucharistia* venenum sumsit; ùt quidam tradidere. Sic scimus *Parysatem* matrem, quæ *Glorem* suam *Statiram* veneno necavit, à quo malo sibi unicè cavebat: nam unam partem cultelli veneno illinivit, alterâ parte intactâ. Tum aviculam parvam in duas partes secuit, sic ut ipsa *Parysates* dimidiam partem quæ veneno carebat, comederet; at Statira veneno infectam accipiens, necaretur; idem prorsus repetitum est cum *Ladislao* pomo aureo eâdem arte illito, & *Regi* porrecto. Vilius venenum *Alexandro Magno* porrectum, quem *aquâ Stygis* sustulerunt inimici in ipso flore virilis ætatis. Est autem *aqua Stygis* fons in *Arcadia*, guttatim stillans apud *Nonacrim*, quæ nullo metallo contineri potest, nisi ungulis in poculi modum efformatis, ut latè describit *Pausanias*. Mirabile est, quòd natura plerumque nos venenorum admoneat, vel innato nobis horrore, ùt in serpentibus, aliísque venenatis insectis, vel etiam fædâ earum animantium imagine, vel in herbis & floribus notis quibusdam appictis: vidi ego, quem *Pharmacopola* in horto nostro severat, *Napellum* (venenatissimum plantæ genus) crescentem, in cujus floribus capitis humani mortui effigiem mihi ab eo ostensam spectavi, quo natura significat hanc plantam esse lethiferam; propè crescebat Antora, quæ *Napelli* venenatas vires enervat, aut omnino consumit. Qua de re videatur *Mathiolus, & Cardanus.*

Natura venenis apponit remedia.

Pausan. l. 8. seu in Arcadicis, fol. 215. Græcæ edit.

Mathiol. in Herbar. Cardanus l. 8 de subtil. Forer. in Viridar. Disp. de plantis.

Improbi cur facilè tumultuentur.

Male conscij tumultuabantur &c. In promtu causa est: timent enim, nè eorum facta impia efferantur in lucem; ergò omnia permisceri optant, ut in illa perturbatione Reipublicæ, evadant periculum: sic sepia (piscis genus) cùm à piscatore periculum est, suum illud atramentum effundit, nè videri & teneri possit, & elabitur, unde *atramentum scriptorium sepiam* appellant Eruditi. Est autem & alia cur improbi tumultuentur ratio: quòd scilicet eorum mens perturbata sit, & assiduè ex mala conscientia vulneretur, & ùt *Tullius* alicubi loquitur, *furiarum tædis ardentibus verberetur*; quod supplicium cum bene agendo vitare, & factis melioribus emendare nolint,

nolint, aut vix etiam possint, malè agendo, & novas res moliendo effugere se sperant; stultissimè tormenta malæ conscientiæ novis sceleribus adaugentes. Ideò Veteres finxêre cum sceleribus admissis, quasdam maculas animis hominum imprimi, quæ illos perpetuò torqueant; eleganter floridus *Poëta Claudianus:*

Quid demens manifesta negas? en pectus inustæ
Deformant maculæ - - - -

Claud. l. 2. in Ruff. Lucian. in Tyranno. S. Basil. homil. in Ps. 6.

plura in hanc sententiam *Lucianus*, imò & sancti Patres apud Brodæum. Optimè magnus dicendi *Magister Quintilianus: nihil est tam occupatum, tam multiforme tot ac tam varijs affectibus concisum atque laceratum, quàm mala mens &c.*

B.V. Regnorum Patrona.

Cant. 4. S. Thomas opusc. 4. Francisc. Arias. Spinellus.

Voto solenni DEI Matrem honorásset &c. Hæc maxima post DEUM Regnorum, & Regum Patrona, & tutelaris habetur: *mille clypei pendent ex ea*, quia, ùt ait *S. Thomas*, *mille remedia ex B. Virgine contra pericula pendent: & comparatur Platano*, cujus folia omnia formam habent clypeorum. Quoties illa *Imperium Constantinopolitanum* adversus *Barbaros* servârit, leges apud *Baronium*, videantur, qui hæc cœlestia ex professo tractanda sumserunt.

Bona moneta boni Principis signũ.

Martinius in Atlante Sinico.

Probam monetam Wenceslaus &c. Immortalem proba moneta Principem facit, & toti Orbi commendat; ità hodiéque nummi aurei Veterum *ex auro fulvo nimis* (cum Sacra Scriptura loquor) & optimo pondere, post tot sæcula laudantur *Romanorum*, *Græcorum*, *Alexandri Macedonis*, *Lysimachi*, & aliorum; disertè *Herodotus Darium* ait immortalitatis & longæ memoriæ causâ probam monetam cudisse, hâc enim dote boni Principes in orbe quodammodo consecrantur. Vide, quæ diximus in *Vita Arnesti.* Aurum & argentum apud *Sinas* erui vetatur ob noxias exhalationes, cùm vita hominis omni auro pretiosior esse Regibus debeat; *aurum ex solis fluminibus colligunt*, ait *Martinius.* DEUS immortalis! si hæc una ratio *Sinarum Reges* continet, nè in auro effodiendo subditi laborent, quanto id potentiùs svadebitur, cùm illas noxias exhalationes, quæ ab auro & argento in animos hominum expirant cogitemus? *Italorum* est proverbium: *pecuniâ manum, si non animum, inficí & maculari.* Sed frustra hæc scribuntur; occupatis avaritiâ animis quibus *pecunia Deus, pecunia dæmon;* quæ vox est eorum, quibus vilescunt & sordent æterna, placent terrena.

Prudens Princeps bonas literas amat.

Universitatem studiorum everterunt &c. Nullum ego existimo *Regnum* prospere gubernari, quod Doctorum præsidio non nitatur. *Multitudo sapientum est sanitas orbis terrarum*; at multi ignari *Vniversitatem* vel *Academiam*, cùm nominari audiunt *Villam* esse putant (qualis olim erat *Platonis*) & nihil plùs conferre Reipub: quàm rusticanam aliquam arationem, ideóque quantum fieri potest, subjectam sibi plebem à studiis removent, velut in aliud dominium transituros; at Abavi nostri quanti studia literarum facerent, satis in frequentissimis Comitiis omnium Ordinum A. 1531. sub *Ferdinando I.* ostenderunt, in quibus unanimi omnium consensu, in *Artium Liberalium* honorem statuerunt ac decreverunt, ut nemo Dominorum in *Bohemia* subditos suos, quicunque sese studiis literarum addixerint, à studiis avellat, abstrahat, aut in ijs impediat; *eâque in re omnes Ordines Bohemiæ suo ac posterorum suorum nomine libentes, & liberâ mente suo se jure cedere profitentur.* ità legimus in articulis Comitiorum 1531. 11. Junij. Accusant multi, quòd inutiliter quidam his studiis occupentur, qui scilicet nunquam profecturi sint, & proinde nihil Reipublicæ profuturi; facilis responsio: nondum tam certa probatio inventa est ingeniorum, ut statim puero, aut adolescente viso, hunc ingeniosum, hunc hebetem, pronunciare possimus; neque de equorum hinnulis, deque eorum futura aptitudine & virtute prædicere, nedum de adolescentum ingeniis conjicere licet: quàm sæpe vidimus

Nota.

parvulos ſtudiorum alumnos pro ingenioſiſſimis habitos, ſpes magnas de ſe concitâſſe, qui adultiore ætate obtuſi, quaſi expirante ingenio, ſunt reperti! contrà tardiores & deſperatione à Magiſtris neglectos ad ſummum gloriæ, & doctrinæ evectos! huic mecum ſententiæ ſubſcribent, qui pluribus annis juventutem docuerunt, qualem ego me profiteor, qui literarum ſtudiis juventuti tradendis conſenui. Nulli, aut perpauci ſunt, quos nullâ dote natura ornârit, ſi modò qua in re excellere poſſint ipſimet, aut ſapiens Præceptor animadvertat. Hujus rei cauſſam cùm Veteres reddere non poſſent, finxêre *animas* antequam uniantur corpori bibere ex quodam magno ingenij cratere, pleno liquore cœleſti, ſubmiſsúmque cœleſtem *Genium* magnâ voce clamare: *age anima, inclina te, & bibe ex hoc cratere quantum potes!* tunc animæ in craterem irruentes ex illo hauriunt, aliæ plùs, aliæ minùs, quædam nihil. Unde illa admiranda ingeniorum diverſitas.

Varietas ingeniorum humanorũ.

Mercur. Triſmegiſt. in Cratere.

Elizabetham Przemyslai occiſi Regis Poloniæ filiam accepit uxorem &c. Si ullus titulus juſtus, & pacatus eſt, tum ille cenſetur, qui conjugio acquiritur; maximè cùm liquida Uxoris Jura ſunt: etenim ſubditis maximè placet, non contemni, nec deſeri prioris Principis familiam, & ſatis Patriæ proſpectum putant, illo conjugio, quo Patriam novus Princeps honorat. Vident hoc, & ſequuntur etiam viliſſimi, & de trivio homines, qui conjugiis divitibus res ſuas augere, ſuóſque ac ſe ſaginare, ùt ità dicam, ſolent.

Ex conjugio jus acquiritur.

Nè ſolam Bohemiam amare videretur &c. Hoc maximè cavendum Principi diverſis Populis Imperanti. Mirum quantum, una natio, quæ contemtam ſe putat, à Principe, eum oderit! periculoſa hæc odia, periculoſi Regum amores ſunt, ſerpentes toties videmus in imaginibus vetuſtis & annulis, caudam ſuam ore tenentes; hoc ego exiſtimo ſymbolum eſſe eorum Principum, qui ſibi amando vel odiendo nocent (idem enim mali odium præſtat quod amor) ſi caudulam ſuam nimium exoſculentur in ore, vel odiendo mordeant, quid nisì corpori ſuo damnum inferunt? anima & caput eſt Rex, cæterum corpus ſunt ſubditi. Cavendum ergò erit Principi ab hoc unius nationis ſuæ ſtudioſo, & aperto amore, quod elegantiſſimâ Epiſtolâ (quâ ego nihil aptius Regnis noſtris, & Provinciis legiſſe me fateor) docuit *Æneas Silvius* ad *Ladislaum Bohemiæ & Ungariæ Regem* ſcribens, quæ Epiſtola inter ejus opera Typis ſæpe edita extat. Maximus Patrum ævo *Politicus Gaſpar ab Ens* obſervat prudentiſſimè adversùs *Machiavellum*, & multis nervoſiſſimè & invictis argumentis probat, ex ijs gentibus ſingulis, quibus imperat Princeps, & ex illa ipſa gente, quantum fieri poteſt à Conſiliis habere, Præfectos, ac Magiſtratus præficere; rationem addit: *quia omnes*, inquit, *ſuæ nationis ac Patriæ ſunt amantes, unde certum eſt, ſubditis è ſua gente* (ſi conſtet Patriæ amantem, & non oſorem Civium ſuorum eſſe) *cariorem fore Magiſtratum, quàm quemvis alium.*

Gentes diverſæ à Principe amandæ.

Æn. Silv. Epiſt. 430. c. 12.

Gaſp. ab Ens adver. Mach.

CAPUT XXXIII.

Wenceslaus ejus nominis tertius, Rex Bohemiæ ſeptimus, & ex Przemyslæa gente ultimus.

Wences-



Wenceslaus Patre amiſſo pupillus, decimum ſeptimum agebat annum, cùm tres Coronæ *Bohemica, Ungarica, Polonica* ejus capiti imminerent; ſed *Vngariæ* Coronam poſtea neglexit. Fuiſſe adoleſcentem formoſiſſimum, narrat, qui *Regem* parvulum noverat, *Franciſcus Canonicus Pragenſis*; omnium ſubjectorum populorum calluiſſe lingvas, velut ſi in omnibus natus eſſet, affirmant Scriptores; latinè inſuper diſertiſſimè cum admiratione audientium, quoties res poſceret, locutum in cœtu Procerum ijdem teſtantur. Nec mirum: optimis Magiſtris è *ſacra Ciſtercienſi Familia* in diſciplinam à Patre traditus, omnes bonas literas perdidicit; volupe erat Patri & Proceribus videre puerulum maniculis decenter compoſiris, ſummâ oculorum modeſtiâ, ſacris altaribus miniſtrantem, erátque gratior ex tam formoſo corpore emicans virtus. Sed brevì cuſtodibus remotis in Ungariam ad capeſſendam coronam miſſus, mores mutavit, additis puero *Procerum Vngarorum* filiis, à quibus per familiaritatem laſcivire, & vitulari doctus, in vino etiam noctes inſomnes ducere, nihil à Regiis moribus alienum eſſe putavit, ùt *Dubravius*, & qui *Regem* noverat, citatus *Franciſcus* deſcribunt; timebant, & quem res exitum habitura eſſet, anxij Proceres expectabant, itaque in conjugio & adjungendâ illi conſorte properabant. Electa eſt *Fiola Teſſinenſis Ducis Meſconis* filia, quindecim aut ſexdecim Annorum puella; quod multum dignitate impar conjugium Proceres, vel eâ cauſsâ conciliârunt, ut Rex non creſceret potentiâ, & Regias ditiones, quas ijdem Proceres miris artibus ſibi uſurpaverant, imbecillitatis ſuæ conſcientiâ nunquam auderet repetere. An. 1306. in *Poloniam* cum exercitu proficiſcentem, *Olomucij* in domo *Decani* (quæ nunc *Epiſcoporum domus* eſt) à meridie quieſcentem, *Sicarius Thuringus* (quem ad hanc cædem patrandam pretio inductum eſſe conſtabat) tribus vulneribus confodit eodem Anno 1306. 4. Auguſti, ætatis ſuæ anno 18. Egredientem Regio cubili *Thuringum* cum cruento pugione *Regij Satellites* in fruſta conciderunt, & canibus devorandum objecerunt. Fama eo tempore ferebatur, de induſtria Sicarium non permiſſum vivere, nè conſcij proderentur. In hoc itaque *Wenceslao* glorioſiſſima *Przemysli* ſtirps, quæ non interruptâ ſerie ab Anno Chriſti 400. circiter, uſque ad Annum 1306. in XXXVIII. Ducibus & ſeptem Regibus glorioſiſſimè *Bohemiam* rexerat, virtutibus

Wenceslai III. bona & mala indoles.

Conjuratio in Juvenem Principem.

Regiis & gloriâ ad invidiam omnium *Regnorum Europæ* floruerat, caduco ad extremum flore exaruit.

Notæ in Caput XXXIII.

Quod ſervare non poſſumus negligendum, vel potiùs donandum.

Vngariæ coronam neglexit &c. Prudentiſſimum conſilium habetur ad authoritatem Principis, ſeu acquirendam ſeu conſervandam, ea quæ niſi cum difficultate & periculo obtinere aut tueri non poſſumus, ultrò aliis vel cedere, vel donare, vel cum aliqua utilitate commutare. Ità *Wenceslaus Coronam Ungariæ*, quam ei *Proceres* detulerant, & mutatâ voluntate paulò pòſt alteri Principi cupiebant offerre, *Ottoni Bavariæ Duci* tradidit ſapienter; eaſdem ſinè dubio in regnando difficultates ſubiturus, quas *Otto* ſuſtinuit, propè everſus, & Regno tantùm non expulſus. *Vulpes* in fabulis, cùm poma formoſiſſima in arbore videret, deſperans ea ſe per ſaltum attingere poſſe, dixit multis aliis feris adſtantibus pyra illa immatura eſſe, & ſtomachum oblædere, ſimul cum ſummo arboris contemtu diſceſſit, illud quod cupiebat conſecuta, ut quod non poterat, noluiſſe videretur. Quaſdam igitur actiones meliùs eſt à Principe non inchoari, quàm imbecillitatem fateri, neque poſſe pertendere, quod inglorium putatur; ſic in obſidione Urbium militare & imperatorium eſt, vel non obſidere, vel ſi ſemel obſideas, obſidionem viribus omnibus collatis peturgere.

Formæ commendatio in Principe.

Adoleſcentem formoſiſſimum &c. Pulchritudo corporis (ſi modò contrà enormis deformitas abſit) non magnoperè deſideratur in Principe, ſi tamen in ejus vultu reluceat, mirificè eum populis commendabilem & amabilem facit. Eſt autem multiplex pulchritudo: alia *fœminea*, alia *adoleſcentibus* & *juvenibus* propria, alia *virilis*, imò & *ſenilis*: nam etiam formoſi anni autumnus & hiems quandam pulchritudinem habent; at verò in Regiis adoleſcentibus gratia formæ cum voluptate ſpectatur, cùm etiam virtus ex vultu gratioſo, gratioſiores radios emittat, & oculos & animos ſubditorum captivet; unde *forma Regia* apud vetuſtos Scriptores *pulchram* ſignificat. Certè *Ariſtoteles* affirmat: ſi qui reperirentur eâ corporis venuſtate, quam in Deorum ſtatuis cernimus, neminem dubitaturum, quin eos aliis omnibus imperare oporteret. Hoc unicum Regibus præſtandum, ut ſi forma abſit (quis enim ſibi addere eam poteſt?) nè in vultu affectum aliquem Rege minùs dignum præferant, ùt *ſuperbiam* in oculis, *crudelitatem, levitatem* in geſtibus, ac totius corporis motu; *iram* oculis minantibus, *curioſitatem* oculorum in omnibus, quæ ante ſe, circum ſe, & poſt ſe geruntur, *contemtum aliorum* (qualem *D. Gregorius Nazianzenus in Juliano Apoſtata* notavit, *naſus*, inquit, *contumeliam ſpirans*) ſat formoſa erit *Principis facies*, ſi paratam omnibus humanitatem præferat, & obvium auxilium miſeris promittere videatur: ſola enim formæ gratia ſinè humanitate, populo ad gratiam Principis hianti, non ſatisfacit. Cùm aliquando *Cræſus* in Regio ſolio coronâ & innumeris gemmis lucente veſte ſederet, quæſivit *Rex* ex *Solone*: *an aliquid ornatius vidiſſet?* reſpondit, *gallos, phaſianos, pavones*, millies ornatiores eſſe; hos enim natura ornavit, *Cræſum* affectatio & peregrinitas. Ea de cauſſa apud *Diogenem Laërtium Philoſophi* certant, quibus titulis brevitatem formæ deſcribant. *Ariſtoteles* formam dicebat eſſe *Epiſtolam commendatoriam*, cujus literæ brevi liturâ delerentur; *Socrates*: *modici temporis tyrannidem*; *Plato*: *naturæ privilegium. Theophraſtus*: *tacitam deceptionem. Theocritus*: *eburneum detrimentum. Carneades*: *Regnum ſolitarium.* Poëtæ certè breve hoc bonum rebus citò perituris aſſimilant, ùt *violis, lilys, papaveri, pomo, nivibus, lacti, uvis*, & cæteris, quæ tempus auferet.

Ariſt. 1. Polit.

Forma bonum fragile.

L. 5. de vitis Philoſ.

Subje-

Principem multas lingvas callere pulcherrimum.

Subjectorum populorum calluiſſe lingvas &c. Magna hæc Regis commendatio: quid enim magis deſideret populus, quàm Regi ſuo ſinè interprete loqui? magni fieri gentem ſuam putant, ſi vel errando, & balbutiendo, nullâ ſignificatione contemtûs datâ, Princeps aliquando populi pauculas voces uſurpet; quàm id neceſſarium Cæſaribus eſſe perſvaſum habuerit *Carolus IV.* videbis in *aurea Bulla*, quæ dum floreret Imperium, totius *Germaniæ*, & gubernationis Imperialis norma fuit, hodiéque ad eam ſe revocant, etiam ij, qui minimè obſervant. Optabile eſſet *Pij II.* ſapientiſſimam, & propè divinam *Epiſtolam* legere, quam ad *Ladislaum Regem* noſtrum direxit, quâ omnia regnandi præcepta, & laudatiſſimas tam diverſos populos in officio, amore, & ſtudio, erga Regem continendi rationes complexus eſt. Eam ob cauſſam *Apoſtolis donum lingvarum* conceſſum docuit eruditiſſimus *Lorinus*; & proverbium Italicum adducit *Nigronius: eum qui multas lingvas callet, totidem hominibus adæquari.* Sed latinam ignorare, vix non vituperium meretur; hæc enim lingva *Europæ* jam communis eſt, & omnes nobis populos conjungit, & ſæculorum omnium arcana revelat; hâc enim ſapientum omnium ſenſa, vitæ, & mortes, bella & paces, omniáque Orbis Imperia deſcripta leguntur. Vidit hoc ſapientiſſimus *Imperator Carolus V.* qui cùm in quadam *Italiæ* Urbe latinâ oratione à diſertiſſimo viro ſalutatus eſſet, neque eam orationem ex toto intelligere potuiſſet, dixit: *dare ſe nunc pœnas puerilis negligentiæ, idque ſibi prædictum à Magiſtro ſuo Adriano.* Is poſtea, ùt hoc obiter dicam, *Cardinalis*, & retento nomine *Pontifex Adrianus* ſextus nuncupatus eſt.

Æn. Silv. Epiſt. 430.

Lorin. in c. 2 Act. Nigron. in Reg. 10.

Educatio Principis maximi facienda.

Optimis Magiſtris &c. Nihil magis curandum Principibus, quàm filiis, Magiſtros doctos, pios, verſatos in rebus, hiſtoriarum & antiquitatis bene peritos apponere. Semina hortenſium rerum periti ſic attemperare, & quodammodo condire noverunt, ut creſcentes ex ijs fructus, bene odorati, & moſchum, vel ambram, vel aliud gratum redoleant, & lætiſſimo ſapore commendentur. Principum tenellorum major habenda ratio eſt. qui enim Regem bene educat, is de toto Regno bene meretur; ùt in Typo fieri videmus: primâ formâ mundè & ſinè errore poſitâ: omnes reliquæ vitio carebunt. *Ramus*, quem tenerum, & adhuc vietum correxeris, etiam corroboratus, rectitudinem ſervabit; memorátque *Pauſanias apud Epidaurios* palmam, quæ *Strepta* dicebatur, quam *Hercules* dum parva eſſet, manu arreptam contorſit; hæc enim ùt flexa erat, crevit, in eáque figura conſenuit. Laudatur multùm puerilis *Regum* educatio apud Veteres *Perſas*, quam *Briſſonius* deſcribit: quòd ſcilicet cùm Adoleſcens Regius quatuordecim attigiſſet annos, quatuor viris educandus committeretur; quorum primus *Magiam* & Regia inſtituta *Regulo* explicabat, omnia ad *Juſtitiam* dirigendo. Alter *prudentiam & leges & conſuetudines* patrias, & quidquid huc ſpectaret, docebat. Tertius *Temperantiam*, & quibus partibus ea conſtaret, inſtruebat; uti & quartus *Fortitudinem.* Et hi quatuor nunquam à *Regis* latere diſcedebant, & ſi quid non ſatis aptè *ab Adoleſcente Rege* fieret, monendo corrigebat.

Pauſan. l. 2. f. 70. Græc. edit.

Quatuor educatores parvi Principis apud Perſas.

Barn. Briſſ. l. 1. de Regno Perſarum.

Sed brevi mores mutavit per filios Procerum &c. Tranſiliunt maximè in adoleſcentes ex adoleſcentibus vitia, ac ſicut de *Equis* conſtat, malo oculo infaſcinantur. Malè agitur cum natura rerum, quæ ſanitatem & cætera bona viſu & tactu non propagat, mala verò facillimè diffundit. Quanquam iniquè queri videmur, cùm virtutes & animi bona ex bonorum ſocietate plantentur, adoleſcant, & capiant incrementa; feliciùs tamen certum eſt in natura corrupta, vitia quàm virtutes vulgari, & communicari faciliùs; unde vera illa veteris Poëtæ apud *Lipſium* ſententia Trochaico carmine expreſſa:

Adoleſcentes ab adoleſcentibus vitia facillimè contrahunt.

Lipſius Elect. l. 1. c. 5.

Qui mali sunt, non fuére matris ex alvo mali;
Sed malos faciunt malorum falsa contubernia.

Aulicorum artes adversus Principẽ incantum. *Corn. Agrip. in L. de vanit. scient.*

Proceres miris artibus &c. Proceres Regem felicem, vel contrà infelicem facere possunt & solent. Sæpe etiam inter se, & sibi mutuò Principem vendunt, & cùm cultum, timorem & amorem simulent, in tacito sinu rident. Illud unum verissimum vanissimus Author *Cornelius Agripa* scripsit: *Aula*, inquit, *est Collegium Gigantum*, quid illud verbi significet, quisque sapiens intelligit. *Æneas Silvius* in Aulæ tropicis educatus *Harpyias* vocat, quas se in Aulis omnibus vidisse confirmat. Descripsit malos Regum Ministros, quidam mihi notissimus Author, eorúmque placita, sub *organi musici* maximi imagine, in quo hosce indices fistularum seu *mutationes & registra*, ùt Musici vocant, ponit: *Deglubere. Metuant. Oportet habere. Altum dominium. Hunc audite. Sic placet. Sanguis dosis. Adigantur. Non audent. Non capiunt. Una Cervix. Vos non vobis. Compelle. Ipsi viderint. Interesse. Aurum è stercore. Amicitiæ simulatio. Histrionum fortuna. Summum Jus. Dissidiorum semina. Vexare columbas. Princeps non habet legem. Ad terram. Reus Majestatis. Exaggeratio. Litium tela. Edant ut vivant. Fœmineum regimen. Regina pecunia. Religio prætensa. Divide semper. Potuit, potest. Discordia concors. Ad opes legatio.* Universas penè Aulicorum artes hoc organo expressit ingeniosus Author, unam adhuc, eámque maximè Principibus noxiam mutationem addam ex *Flavio Vopisco*, qui *Diocletiani Imperatoris* admirabilem sententiam refert hisce verbis: *Nihil est difficilius, quàm bene imperare. Colligunt se quatuor, aut quinque, atque unum consilium ad capiendum Imperatorem capiunt; dicunt, quid probandum sit; Imperator, qui domi clausus est, vera non novit: cogitur hoc tantùm scire, quod illi loquuntur. Facit Judices, quos non oportet; amovet à Republica, quos deberet obtinere. Quid multa? bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* Hæc Diocletianus, sinè dubio ejusmodi Ministros expertus. Nescio in Christiana Religione tam scelestum consilium aliquando repertum esse; at reperiri potuisse non nego.

Multæ familiæ Regiæ in Regnis reperiuntur, sed sinè titulo ad Regnum.

Ad extremum exaruit. Non universim de *Przemysiæa* familia loquor (nam aliquot familiæ genus suum à *Przemysio* deducere possunt) sed de Regibus & de Regnatrice familia, ùt etiam dixi in Notis ad Tabulam secundam. Sic etiam in pluribus *Europæ* Regnis Regiæ Familiæ, imò & Imperatoriæ inveniuntur, quarum jam nulla in successionibus Regum habetur ratio, quia ab immemorabili tempore descensus ille & genus Regium petitur, & à Genealogistis probatur; unde nec ipsæ illustres familiæ in tam antiquo & obsoleto titulo quidquam sibi repositum existimant.

CAPUT XXXIV.

Regnum, vel potiùs Interregnum duorum Principum Rudolphi Austriaci, & Henrici Carinthi.

ANceps diu hæsi, utrúmne duos hosce *Principes* Regibus annumerarem? *Rudolfo* obstat armata, & justo metu cincta Electio, reclamante non parvâ *Procerum* manu, & brevis unius anni vita; sed utriq;, quòd nullâ coronatione præmissâ Regnum

Regnum tenuerint; *Henrico* autem, vel si cætera adfuissent omnia, indignitas factorum, tum in Ordinum omnium conventu *Henrico VII. Imperatore* confirmante exauthoratio, & quòd se professum *Bohemiæ* hostem fecerit, titulus Regius ab omnibus Scriptoribus abrogatur, nec Hagecius, nec Dubravius, nec Stransky, nec Cutenus, nec Sylvius, nec Crato, nec Paprocius, sed neque Austriaci Scriptores inter indubios Reges eos collocant (nam coronati nunquam fuerunt) & qui eorum gesta commendant Inter-Reges, aut Principes dicere malunt; ego hanc quæstionem meam facere nolo. Itaque occiso ultimo *Przemyslææ* stirpis adolescente *Wenceslao Comitia* electioni Regiæ Pragam ipso anno 1306. indicuntur: in duas partes *Proceres* discessêre, alij *Rudolfum*, alij *Henricum* malebant; jámque in eo erat, ut posterior primas auferret; quòd & Pragæ coràm adesset, & magno ambitu precum & promissorum Ordines teneret, quódque *Wenceslai II.* filiam natu majorem *Annam* nomine haberet in conjugio; sed ecce omnia *casúsne Deúsne*, an potiùs *Alberti I. Cæsaris* prudens celeritas, cui etiam DEUS favet, evertit, duplici exercitu diversâ *Bohemiæ* parte, hinc Pater per *Misniam*, *Rudolfus* per *Moraviam* ad Pragam contiterunt, quo metu perterrefacti Ordines, fugiente *Henrico Regni* æmulo *Rudolfo* Regnum obtulerunt. Mox, *Elizabetham*, seu *Richsam Wenceslai* II. viduam juris sui confirmandi causâ, in conjugem accepit, ut omnes Proceres etiam eos, qui *Henrico* studebant, aut metu & armis, aut quoquo modo sibi adjungeret, cum exercitu *Bohemiam* omnem peragrare, & ad obsequium compellere, constituit. Primus petitus est *Bavorius de Strakonicz*, cujus Urbem id temporis munitissimam *Horazdiovicium* obsedit; in longum ducebatur obsidio, *Rex* juvenis lusibus, vino, sed maximè anni fructibus, & quod disertè adjicitur, *peponum esui* intemperantiùs deditus, contracto alvi profluvio 1307. 3. Julij extingvitur. Si de futuris conjectura capi potest ex præsentibus, ùt erat violentè Regno impositus, violentè etiam regnaturum *Franciscus* ejus temporis Scriptor auguratur: multas & graves injurias *Joanni Pragensi Episcopo* intulisse; *Nobilitatem* opprimere cœpisse; odium gentis nostræ dissimulare non potuisse; *Ecclesiam Pragensem* plurimis pretiosis cimelijs, & sacris lipsanis armatis, & minacibus precibus adhibitis spoliâsse. Nihil ferè illustriùs actum ab eo legimus, quàm quòd sui memoriam anniversariam magnis censibus in *Ecclesia Pragensi* fundârit, in qua etiam conditus quiescit. Famâ Regis mortui sparsâ, celeritate maximâ (nè libertas Electionis, ùt nuper factum meminerant, potentiâ interciperetur) Ordines Bohemiæ ad domum *Primatis Regni Joannnis Præsulis* convolant, & post verborum digladiationes, ad cruenta certamina descen-

Belsum pro Corona Bohemiæ.

Rudolfi Regis Boh. gesta & mors.

ſcenſum eſt, occiſus *Tobias Bechinius*, ejúſque nepos, tum præcipuus *Civium Pragenſium Hilkmarus*, qui *Fridericum Rudolfi* mortui fratrem *Alberti I. Imperatoris* alterum filium imponere voluerunt. Prævaluit igitur *Henricus*, & in *Bohemiam* è *Carinthia* evocatus Pragam revertit. *Albertum Cæſarem* pro *Friderico* ſuo multa cum Suevis ſuis moventem, & totam *Germaniam* in auxilium pro imperio advocantem occidit nepos ex fratre *Joannes Dux Sveviæ* A. 1310. 1. Maij. Ità ſublato æmulo *Henricus*, cujus mores initio læta omnia *Bohemis* promittebant, ad ingenium reverſus omnia ſúsque déque vertere cœpit, & *Mercatoris* potiùs quàm *Regis* vitam agere cœpit: juſtitia & leges jacebant; *Cœnobia* armatis complebantur, *Clerici*, viduæ, Orphani ſpoliabantur; *Henricus* interea *Cuttnæ* ad monetam ſedebat, & pecuniam curribus in ſuam *Carinthiam* avehebat; Urbes velut devictas & captivas pecuniis innumerabilibus multabat; judicia nulla exercebat; hæc triennio pertulit *Bohemia*, donec tandem evigilarent Proceres, ac præcipuè *Joannes Epiſcopus Pragenſis*, & miſsâ legatione ad *Cæſarem Henricum*, ejus filium *Joannem* oblatâ priùs in Conjugem *Eliſabethâ* minima natu *Wenceslai II. Regis* filia, ſibi in *Regem* dari poſtularent, quod factum A. 1310. ùt in ſequentibus dicetur. Non poſſum omittere lepidos verſiculos rudis illius ſæculi, quibus calamitoſus *Bohemiæ* ſtatus ſub *Henrico* deſcribitur:

Miſer ſtatus Bohemiæ.

Terra Bohemorum fert pondera magna malorum,
Quæ non ſenſiſſet, Regem hunc ſi non habuiſſet:
Nam ſub eo plures rapiunt, homicidia fiunt,
Lis creſcit, pax decreſcit, jus omne tepeſcit;
In tota terra cùm pullulet undique g-verra:
Quando regit malè Rex, errat grex, deficit & lex,
Inficit hos fæx, ingruit his nex, damna manent ſex:
Mors ſolet hunc rapere, reliquum captiv-at in ære,
Liber ſerv-ire, Seges incipit ampla perire;
Pupillus flere, de ſponſo ſponſa dolere,
Et creſcunt plura, pleriſque grav-amina dura.

Notæ in Caput XXXIV.

Genealogia Henrici Carinthiæ Principis.

Rudolfus & Henricus &c. *Rudolfi, Alberti Imperatoris* filij, *Genealogia* adducetur in ſequentibus, cùm ad Auſtriacos *Bohemiæ Reges* veniemus; *Henrici* verò quia ejus mentio non recurret, Genealogiam brevem adducere operæ pretium eſſe puto.

Tabula

Tabula Principum Carinthiæ.

Meinhardus Comes Tyrolis & Goriciæ ex veteri ſtirpe Ducum Meraniæ, Princeps Carinthiæ à Cæſare *Rudolfo* I. in Comitiis Norimbergenſibus creatus. ♆ *Agnes* Filia *Henrici* Ducis Auſtriæ.

- *Ludovicus* Princ: Carinthiæ. His duobus Pater Carinthiam ceſſit, contentus Comitatu Tyrolis.
- *Otto* Dux Carinthiæ.
- *Henricus* Comes Tyrolis & Goriciæ, poſt fratres mortuos Prin: Carinth: electus Rex Bohemiæ, expulſus à Rege Joanne. obiit An. 1331. alij dicunt 1334. ♆
  - 1. *Anna* Filia *Wenceslai* II. obiit ſinè prole.
  - 2. N. Duciſſa Brunſwicenſis.
- *Eliſabeth Alberti I* Cæſaris *Rudolfi I* filij uxor, quæ genuit 21. liberos ex quibus ſex filij, & quinq; filiæ ad ætatem maturam pervenêre.

Margaretha ob deformitatem oris *Maultaſſin* nominata, nupſit primò *Jonnni Henrico, Joannis Regis Bohemiæ* filio, quem poſtea à ſe expulit, & accepit ſecundum *Maritum Ludovium Marchionem Brandeburgicum, Ludovici IV. Cæſaris* & Bavariæ Ducis filium, cui genuit

- *Meinhardum* Principem ſuperioris Bavariæ & Carinthiæ, Comitem Tyrolis, qui obiit ſinè prole.

Tertium maritum accepit *Rudolfum* IV. Ducem Auſtriæ, & Domui Auſtriacæ attulit *Carinthiam*, *Tyrolim*, & cætera, de quo poſtea.

Armata & metu cincta Regum Electio &c. Nemo libenter cogitur, & neceſſitatem ſibi inferri patitur; minimè omnium, qui libertatem habere ſe putant. Hâc nihil pretioſius, unde *aurea* dicitur. Illam eo tempore *Bohemi* habere ſe gloriabantur. Noxia tamen libertas eſt, quæ legitimos *Reges* oppugnat, ùt factum Patrum memoriâ vidimus; nunc verè cum *Auguſtino* poſſumus dicere: *felix neceſſitas, quæ ad meliora compellit!* quanquam ante tria ſæcula tunc excuſari poterant Ordines, quibus pridem *Fridericus I. & II. Cæſares*, ſi tota ſtirps Regia deficeret eligendi ſibi Regis poteſtatem fecerunt, quod etiam poſtea *aureâ Bulla* confirmavit *Carolus IV. Imperator*, quam *Bullam* recitavit *Goldaſtus*. *Albertus* certè *I. Imperator* hoc ipſum tacitè approbâſſe videtur, cùm filium *Rudolfum Bohemis* commendavit; injuſtus enim fuiſſet, imponendo filium, cùm adhuc tres *Wenceslai II. filiæ* viverent, & jus ad Regnum habere viderentur. Neceſſitas ſæpe fit virtus.

Profeſſum Bohemiæ hoſtem &c. Pater, & hoſtis ſimul componi non poſſunt, Princeps autem pater eſt Populi; eo ipſo facto, quòd conſilia ad interitum Patriæ ſuſcepit Princeps, ſi id conſtet omnibus, Pater eſſe deſinit, aut ſaltèm ut deſinat, meretur; quod tamen Populus de Principe judicare nunquam debet.

Primas tulit, quòd Pragæ coràm adeſſet &c. *Urget præſentia Turni* ait *Virgilius* non vanè: incredibile eſt, quantùm commendationis adjiciat prudenti, & ſuarum rerum ſatagenti Principi! leviter movemur abſentibus. Ac ſinè dubio *Henricus* deceſſiſſet ſuperior, niſi præſentia *Rudolfi Proceres* permoviſſet. Memini me legere in quodam ingenioſo & prudenti ſcripto *Joachimi Andreæ Comitis Sſlikij* (quod edidit, Regna gratè & gratanter acceptanda.

& libris ſuis adjecit *Goldaſtus hæreditarium Bohemiæ Regnum* eſſe demonſtrans) refertur in eo, cùm quidam *Princeps Regnum Bohemiæ* ab Ordinibus abſens peteret, dixiſſe *Bohuslaum à Lobkovicz* magnum togâ & ſago inter *Proceres* Virum: *Regnum Bohemiæ* hoc ſaltèm mereri, ut qui id poſtularent, poſtulationem ſuam præſentes, & non abſentes proponerent.

Conſiliorum alæ prudentia, & celeritas. *Ariſt. l. 6. Eth. c. 7. & 9. Tacitus l. 4. Annal. Liv. l. 23.*

Prudens Alberti Cæſaris celeritas &c. Prudentia ſi celeritatem illi addideris, vix unquam fine ſuo excidet; at plerumque fit, ut etiam feliciſſima conſilia dum differuntur, quodammodo expirent, & exitus lætos non habeant, unde *Ariſtoteles: citò agenda ſunt, quæ conſultaveris, tarde verò ac diu conſultabis*; quòd ſi bene conſultatum eſt, alas addet conſilio celeritas, rectéque dixit *Tacitus: ſubiti conſilijs, eventu felices*; contrà verò *Livius: nihil magni diſcriminis conſilijs tam inimicum quàm celeritas*; quæ conciliari facilè poſſunt, iſte enim de celeritate inconſulta, alij de prævisa, & perſpectis antè rerum momentis loquuntur.

Pepones aliquot Principes ſuſtulerunt. *In ſpeculo Domûs Auſtriacæ.*

Anni fructibus intemperantiùs &c. Notat *Birken* multis Principibus peponum eſum fatalem fuiſſe, ùt in *Rudolfo* noſtro, in *Alberto Ladislai Regis* noſtri Patre, aliiſque maximis Imperatoribus probatur; exempla ſunt in propatulo.

Ex parvis conjectura de maximis. *Seneca Ep. 7. c. 53.*

Si de futuris conjectura capi poteſt &c. Multa ex moribus Principum de futuris ſatìs probabiliter conjici poſſunt: *argumentum morum*, ait *Seneca*, *ex minimis quoque licet capere. Sæpe & inceſſus, & manus mota, & unum interdum reſponſum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum*, multa in futurum oſtendit. Narrat alicubi *Quintilianus Areopagitas* damnâſſe puerum, qui avium oculos effodiebat, quaſi ſignum eſſet mentis malæ futuræ, ſi adoleviſſet. Vide, quæ ſuprà dixi de *Juliano Apoſtata.*

Timor in officio continet etiã Principes.

Sublato æmulo Henricus ad ingenium reverſus eſt &c. Timor etiam Principes in officio continet. Ratio in promtu eſt: cùm enim ſuam ſummam Beatitudinem in Principatu reponant, meritò per æmulos ſpoliari dignitate timent, maximè ſi Tyrannidis crimine infamentur. Crudeles enim facta ſua ipſi timent, & conſcientiam ipſam habent cauſſam timoris; non enim ſperare poſſunt amorem, qui mille odiorum cauſſas dederunt; præcipuè ſi videant quoſdam ob virtutem, aliáſque dotes à populo amari & æſtimari. O quot millia magnorum virorum hic timor ſuſtulit! quot viris maximis exitio fuit? *Nero* quàm diu *Britannicum* viventem timuit, tam diu laudatiſſimè & clementiſſimè rexit, ut meritò optimus *Imperator Trajanus* dicere ſolitus ſit: *procul diſtare cunctos Principes à primo quinquennio Neronis!* tanta ſpecimina bonæ gubernationis edebat! ſed, ùt ait *Lipſius* in Notis ad Senecam, *media & finis præcipitárunt.* Idem animadvertunt Scriptores politici in *Tiberio*, quoad *Druſus*, & *Germanicus* vixerunt.

Lipſius in l. 1. de clement. Senecæ c. 1.

Mercatoria vita dedecet Principem.

Henricus Civitates multabat &c. Mercatoria prorſus fuit hujus Principis vita, quæ vivendi ratio ſummè Principis honeſtati repugnat; diſputant Politici: *an aliqua natio Imperio gerendo inepta habenda ſit?* mihi nullam nominare opus eſt, quanquam apud eos nominatæ inveniantur; dicere tamen ſatìs eſt: eos exiſtimare, qui *Mercaturam* fecerunt pro inutilibus, & minimè ad præfecturas gerendas idoneis haberi, præcipuè ubi colligendæ & intervertendæ pecuniæ publicæ datur occaſio. Fiſcum illi augent, ſed ſui non obliviſcuntur; *lucri bonus odor* illos afflat ubique; ejuſmodi turpibus lucris, & deprædationibus populi inhiabat *Princeps Henricus*, & Regium fiſcum impingvabat, cum odio apud *Cives*, infamiæ verò nota apud alienos. Sapienter itaque *Plinius* in illo celebri *Panegyrico* ad *Trajanum* pronuntiavit: *mala cauſſa fiſci nunquam eſt, nisi ſub bono Principe.* Contrarium ſinè dubio ſub malo Principe fieri conſectarium eſt.

TABU-

TABULA V. & ultima Genealogica Ducum & Regum Bohemiæ ex ſtirpe Przemyslæa, à Wladislao II. Rege uſque ad Wenceslaum III. ſuæ ſtirpis ultimum; priores Duces & Reges in Tabulis quatuor ſuprà attuli.

a. Wladislaus II. Princeps Bohemiæ XXXI. poſtea Rex Bohemiæ II. obijt animi mœrore in Luſatia An. 1174. 17. Januarij, primùm in Cœnobio Anſen tumulatus, poſtmodum in Strahow devectus, quod Cœnobium fundavit.

ϕ I. a. Gertrudis filia S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ. obijt An. Ch. 1151.
aliqui eam faciunt Matrem Ottogari I. Reg: vide Tab: Geneal:
II. b. Judith filia Ludovici III. Landgravij Thuringiæ.

c. Frideric, Dux Bohe: 33. ob: A. 1189.

ϕ d. Eliſabeth filia Regis Ungaræ Geiſæ.

e. Svatopolucus III. Dux Bohe: Princ: Brunenſ: obijt 1211.

ϕ d. Hulich filia Geiſæ Regis Ungariæ.

f. B. Albertus Archiepiſcopus Salisburgenſis. obijt A. 1200. 6. Idus Aprilis.

g. B. Agnes Ordin: S. Benedicti (antè Præmonſtratenſis) Abbatiſſa ad S. Georgium.

g. Margareta Prioriſſa Doxanæ Ordinis Præmonſtratenſis.

h. Przemyslaus Ottogarus I. Rex Boh: III. fundat Cœnobiū S. Jacobi & S. Clementis Pragæ. obijt 1230.

ϕ I. h. Adela vel Abda ob: 1211.
II. h. Conſtantia filia Belæ, Regis Ungariæ, obijt 1242.

i. Ludmilla uxor Alberti de Bogē, pòſt Ludovici Bavar: Ducis.

k. Wladisla, III. March: Morav: 5. menſib, Dux Boh: 35. ob. A. 1222. Fund. Cœnob: Welehrad.

ϕ N.

a. Helena quā adduxit Weleslavin, vide Notas.

a. S. Euphraſia, v. Not.

a. S. Angela Carmelitana, fortaſſe eadem eſt cum Helena.

d. Sophia uxor Alberti I. Marchionis Miſniæ.

d. Helena uxor Petri, qui fuit nepos Manuelis Imperato: Conſtantinop.

e. Henricus Princeps Brunenſis. obijt ſinè prole An. 1216.

l. Wratislaus, quē nominat Fabricius.

l. N. nupta Regi Daniæ.

l. N. nupta Henrico Comiti ab Ortenburg.

l. N. Abbatiſſa Gerenrhodenſis.

m. B. Abdela Ciſtercienſis ex Abdela. fortè erit illa tertia ſoror.

q. Agnes I. uxor Henrici Landgravij Thuring: & Miſniæ. obijt ſinè prole An. 1267. vel 1268.

q. Margareta virgo ob: 1277.

m. S. Agnes II. Ord: S. Franciſci, fundat Cœnobium S. Franciſci Pragæ. ob: 1281.

Agnes III. quæ obijt ante Ann: 1247.

m. Bozislava uxor Ulrici Principis Carinthiæ, Fundatrix in Styria.

m. Anna uxor Henrici Probi Sileſiæ Ducis Matrona Sanctiſſima. ob: 1265. fundavit S. Eliſabetham Wratislaviæ. item Hoſpitale ad S. Mathiam.

n. Wenceslaus I. Rex Boh: Fundator Cruciger: cum rubea ſtella. obijt A. 1253.

ϕ o. Cunegundis, Philippi Cæſaris filia. obijt Anno 1248.

p. Przemyslaus Princ: Olomuc: & Oppav. obijt ſinè prole An. 1235.

k. Wladislaus Marchio Moraviæ. obijt ſinè prole 1224.

r. Przemyslaus Ottogar, II. Rex Bohemiæ V. Fundator Cœnobij S. Coronæ, occiſus in acie An. 1278.

u. Laterales Regis Przemyslai Ottogari ex quadam Nobili puella de Conring ſuſcepti.

ϕ I. ſ. Margareta Auſtriæ ſterilis ob ætat.
II. ſ. Cunegunda Roſislai Bulgariæ Ducis filia, obijt An. 1285.

filia Ducis

t. Wladislaus Dux Auſtriæ & Poloniæ, obijt ſinè prole An. 1247. 16. Jan.

ϕ Gertrudis Friderici vel Henrici Auſtriaci filia.

Beatrix ſeu Bozena uxor Ottonis Marchionis Brandeburgici.

u. Nicolaus Dux Oppavienſis, primus.

u. Giſela uxor Wikardi de Polna.

u. N. uxor D. de Wartenberg.

u. N. uxor D. de Strakonicz.

u. N. uxor D. de Kravarz.

w. Wenceslaus II. cognomento Bonus vel Sanctus, Rex Bohemiæ VI. Fund: Aulæ Regiæ. obijt 1305. *

ϕ I. x. Judith filia Rudolfi I. Imperat. ob. 1297.
II. x. Richſa ſeu Eliſabeth fil: Przemyslai Regis Poloniæ, fundavit Cœnobium Reginæ Brunæ. obijt 1335.

y. Agnes uxor Rudolfi Duc: Sveviæ. ob: 1296. ſepulta apud S. Agnetē, converſa Monialis.

z. B. Kunhuta primùm Ordinis S. Claræ, pòſt Abbatiſſa S. Georgij in Arce Pragenſi Ord: S. Benedicti. obijt 1321.

aa. Przemyslaus Ottogarus, obijt infans A. 1287. jacet apud S. Clementem ad pontem.

bb. Wenceslaus III. Rex Bohe: VII. ultimus Przemyslææ ſtirpis, occiſus A. 1306. Olomucij.

ϕ cc. deſponſata Viola ſeu Eliſabeth, Ducisſa Teſſinenſis, poſtea nupſit Dn. Petro de Roſis. obijt 1317.

dd. Anna ϕ Henrici Princ: Carinthiæ, qui malè gubernavit Bohem: obijt ſinè prole.

dd. Margareta Boleslai Princ: Lignicenſis uxor. obijt 1322. fundavit Cœn: Hradecij.

S. Eliſabeth Regina Bohe. ϕ Joannis Lucemburg. Regis Boh. de quo in Tabula Lucemburg.

dd. Agnes deſponſata Adolfi Cæſaris filio. obiēre uterq; ante legitimam ætatem.

dd. Judith Virgo, obijt ante nuptias.

ee. Agnes II. ex Richſa uxor Hērici Ducis Jaurovienſis.

* Filius naturalis & Lateralis Wenceslai II. Joannes Wolek Præpoſitus Wiſſehradenſis, & Epiſcopus Olomucenſis. obijt An. 1351. fundavit Cœnobium Puſtomierzicenſe.

Notæ Hiſtoricæ in Tabulam V. Genealogicam.

a. *Wladislaus* II. de quo plura Capite XXVI.

a. *Gertrudis S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ* filia ex *Agnete Henrici IV.* filia. Genuit plures filias, quarum nomina præter *Agnetem*, *Margaretham & Ludmillam* in Scriptoribus non ſatìs certa ſunt. In *Parthenone S. Georgij* in Sacello *S. Annæ* compoſita eſt *Virgo Regia* jam nubilis paſsis capillis exciſa ex ſaxo, cujus nomen omni conatu legere non potui; id modò, *Wladislai Regis* eſſe filiam literæ marginales in ſaxo loquuntur. *Helenam* alteram ei tribuit filiam *Weleslavinus*, ac fortaſsè hæc illa eſt *Angela* dicta, quam in *Paleſtina Carmelitanum* habitum induiſſe, magni omninò & non aſpernandi Scriptores (*Delrio, Poſſevinus*, & alij, qui etiam ejus opera recenſent) tradiderunt. Vide Diſſertationem meam de *B. Angela Carmelitana Regis Bohemiæ* filia, quam ſcripſi rogatu Reverendiſſimi *Domini Caroli à S. Tereſia Slavatæ ſui SS. Ordinis Generalis.* Crediderim etiam *S. Eccleſiam*, quæ in Hiſpania colitur, & Regis *Bohemiæ* filia à maximis *Hiſpaniæ* Scriptoribus fuiſſe aſſeritur, non procul hinc abeſſe, etſi ultra conjecturam nihil potentius adferre poſſim. Etſi autem Pragæ in Cœnobio obiiſſe ſcribatur *B. Angela* cùm eo tempore nullum *Pragæ Cœnobium Carmelitanum* fuerit, potuit apud *S. Georgium*, vel in alio *Parthenone Sacro* tumulari. Porrò *Gertrudis* virgineum *Cœnobium Doxanæ* fundavit, ibidémque eſt ſepulta. An. 1151. 5. Auguſti, ùt habet *Mortuarium* manuſcriptum Doxanenſe, his verbis: *Obìjt piæ recordationis Gertrudis Fundatrix noſtra, quæ primitias Ordinis noſtri in terram hanc introduxit.*

De S. Angela Carmelitana filia Regis Bohemiæ

b. *Judith Wladislai* ſecunda conjux (aliis etiam dicta *Cæcilia*) *Ludovici III. Landgravij Thuringiæ & Haſſiæ* filia, cujus mater fuit *Hedvigis Cæſaris Lotharij* filia, quam An. 1153. duxit; pontem Pragenſem extruxit. A. 1171. qui poſtea corruit.

c. *Fridericus* primogenitus *Wladislai, Bohemiæ Dux* XXXIII. à *Cæſare Friderico* dejicitur, ſed An. 1176. Principatum recuperat, de eo vide Caput 27. obiit An. 1189. vel, ùt alij 1190.

d. *Eliſabeth* Regis *Geiſæ* filia, ſoror *Hulichæ Svatopluci* II. uxoris unicam filiam ei tribuit *Weleslavinus Helenam*; at *Fabricius* etiam *Sophiam*, quæ nupta fuerit *Alberto I.* filio *Ottonis Marchionis*, & genuit *Chriſtinam Hermanni Comitis Lodeburgij* uxorem. Apparet (quod etiam ſæpe monui) *Genealogias* Principum, & Regum noſtrorum ho tempore non eſſe omnibus numeris abſolutas, multáque in ijs filiorum, ſed præcipuè filiarum nomina deſiderari, ùt etiam queritur *Weleslavinus*. Videat, oro, Lector, quæ in Lib. IV. Miſcell: attulimus, ex memoriis *Parthenonis Doxanenſis*, & quæ de tribus *Agnetibus* ibidem diſputavimus.

Fabricius l. 5 Orig. Sax.

Genealogia Bohemiæ perturbata.

d. *Sophia Alberti I. Marchionis Miſniæ* Uxor. Ità *Fabricius* in *Miſnicis*. Jam antè de illa egi.

d. *Helena* uxor *Petri Nepotis Manuelis Imperatoris Conſtantinopolitani*, ùt *Hageius* & *Dubravius* narrant. Vide, quæ ſuprà dixi.

e. *Svatoplucus* III. *Princeps Bohemiæ*. Ingenuè fateor *Svatoplucum* II. invenire me non potuiſſe, & cujus ille filius fuerit nullibi inveniſſe, quem tamen apud *Peſſinam* nominatum invenio, qui addit eum obiiſſe An. 1211. & fuiſſe *Principem Brunenſem*, & ex conjuge ſua *Hulicha* reliquiſſe *Henricum Principem Brunenſem*, qui obiit A. 1216. ſinè prole. At *Weleslavinus* ait *Svatoplucum* III. *Bohemiâ* expulſum, obiiſſe in *Bavaria* in exilio apud *B. Albertum* fratrem ſuum.

f. *B. Albertus Archiepiſcopus Salisburgenſis, & Præpoſitus Mielnicenſis in Bohemia*;

cujus vitam Lib. IV. Miscellaneorum descripsi. Obiit 1200. 6. Idus Aprilis.

g. B. *Agnes Benedictina*, antè *Præmonstratensis Doxanæ*, vide Lib. IV. Miscellaneorum.

g. *Margareta Priorissa Doxanæ Ordinis Præmonstratensis*, de qua etiam Lib. IV. Fuit III. numero Priotissa, ùt indicant ejusdem Cœnobij vetustissimæ memoriæ scriptæ. An. 1370.

De Adela vel Abdela Ottogari uxore.

h. *Przemyslaus Ottogarus I. Rex Bohemiæ* III. de eo egimus Capite XXIX. fundavit *Cœnobium Sancti Jacobi FF. Minoribus, & Sancti Clementis* pro *Prædicatoribus*. Pragæ obiit *Ottogarus* A. 1230. cum prima conjuge *Abdela Ottonis divitis Marchionis Misniæ* filia, divortium fecit *Innocentio* III. *Papâ* probante, non ob illius sterilitatem, ùt habet *Dubravius*, sed vel ob cognationem, ùt tradunt Cellenses memoriæ, vel ob odium fratris *Diterici*, ùt putat *Weleslavinus*: seu quod memoriæ Budvicenses referunt, quòd antequam nuberet, castitatis voto sese obstrinxisse diceretur, quod etiam habet *Dlugossius*, licèt perperam nepoti id tribuat, quod Avo conveniebat. Obiit *Adela* vel *Abdela* in *Cœnobio Wasserburgensi ad Albim* An. 1211. de ejus filiis ex *Fabricio* dicam postea. Secunda conjux ei fuit *Constantia Belæ* III. Ungariæ Regis filia, *Andreæ* Regis soror, quæ obiit A. 1242. de hac *Mortuarium Doxanense* manuscriptum 3. Decemb. obiit inclytæ memoriæ *Constantia Regina Bohemiæ, Fundatrix Cœnobij Portæ cœli in Austria. Weleslavinus* ponit 13. Decem.

In histor. Pol.

Adelzr. p. 1. Annal. Boic. l. 23. n. 12. & n. 19.

i. *Ludmilla* uxor *Alberti Comitis de Bogen*, ùt ex Boicis Scriptoribus affirmat *Adelzreiter*, eique genuit *Leopoldum, Albertum,* & *Bertholdum*, & viduam accepit *Ludovicus Bavariæ Dux*, ex eâque genuit *Ottonem* hæredem, cujus ortus magna attulit Bavariæ emolumenta. Ingenium hujus Matronæ mirificè laudat, & exemplo mirabili comprobat idem Scriptor.

k. *Wladislaus* III. *Marchio Moraviæ* acceptâ Moraviâ dignitatem Regiam fratri cessit, charissimus subditis Moravis. Fundavit *Cœnobium Welehradense*, de conjuge ejus nihil constat. Obiit An. 1222. relicto filio *Wladislao*, qui obiit sinè prole Anno 1224.

Fabric. l. 5. Orig. Sax. in Ottone divite

l. *Wratislaus*, & tres sorores. *Fabricius* acuratissimus Scriptor tradidit *Przemyslaum Ottogarum I. ex Adela* prima conjuge genuisse *Wratislaum* (de quo in historiis nostris, uti & de ejus tribus sororibus altissimè siletur) item tres filias, quarum una nupta fuerit *Regi Daniæ*, altera *Henrico Comiti Ortenburgio*, tertia *Abbatissa* seu *Antistita Gerenrhodensis*, quæ inter *Divas* ibidem fuerit numerata.

m. *Abdela* ex *Abdela* genita fuit, licet alij ex *Constantia* genitam ponant.

m. *Bozislava* uxor *Ulrici Carinthiæ Principis*, quæ genuit *Ulricum* II. isque postea *Carinthiam, Styriam, & Portum Naonis* vendidit *Przemyslao Ottogaro* II. *Regi*.

m. *Anna Henrici Probi* uxor, quæ ei genuit *Wladislaum Archiepiscopum Salisburgensem*, & *Henricum*, & *Boleslaum* filios, obiit 1265.

m. *S. Agnes Virgo*. Ejus vitam scripsi in Lib. IV. Miscell.

n. *Wenceslaus* I. *Rex Bohemiæ* IV. vide Caput XXX. regnare cœpit An. 1228. vivente adhuc patre coronatus cum *Cunegunde* uxore sua. *Bellicosus Princeps Austriam* incipiendo à *Cremsio* usque in *Ungariam* perpopulatus, *Fridericum Austriacum* fugavit; *Tartaros Moraviâ* expulit, filium *Przemyslaum Ottogarum* II. contumacem domuit, & captivum clausit. Obiit 1253. in Octobri, apud S. *Franciscum* (quod *Virgineum Cœnobium*, uti etiam *Crucigerorum* ad pontem cum *Hospitali* cum sorore sua sanctissima *Agnete* fundaverat) humatus.

o. *Cunegundis Philippi Cæsaris* filia. Alij imperitè vocant eam *Hildam*, filiam *Theodorici Comitis de Wettin.* obiit 1248.

p. *Przemyslaus Princeps Olomucensis* & *Oppaviensis*, natus ex *Constantia* A. 1208. ad-

adhæsit *Friderico Duci Austriæ* adversùs fratrem. Rejectus in *Ungariam, Regis Belæ* IV. interventu fratri conciliatus obiit A. 1235. sinè prole.

q. *Agnes Przemyslai Ottogari* I. filia, *Wenceslai I. Regis* soror, hanc ego I. *Agnetem* suspicor fuisse, quæ à *Fabricio* ponitur conjux *Henrici Landgravij Thuringiæ*, & *Marchionis Misniæ*, quæ obiit sinè prole A. 1267. ùt *Fabricius* Lib. 6. Originum Saxon. citans pro se *Siffridum Misnensem Presbyterum*, & *Annales Thuringiæ*.

q. Habuit idem *Ottogarus* filiam *Margaretham*, sed ex quo conjugio ignoratur; id apertè testatur lapis sepulchralis in *Ecclesia Monialium S. Agnetis* ante altare majus, in quo incisa leguntur hæc verba paucula: *Margarita filia Ottogari Bohemiæ Regis An. Dom. 1277. 9. Calend. Septemb.* item habuit tres filias ejusdem nominis *Agnetes* (ùt probavi Lib. IV. Miscell. in Bohemia sancta) de S. *Agnete Virgine* ad S. *Claram* nemo dubitat; habuit etiam Agnetem, quam accepit in uxorem *Henricus I. Saxoniæ Dux*, quæ obiit 1268. ùt habet Fabricius. Et tertiam Agnetem, quæ obiit ante annum 1247. ùt ex publicis Tabulis idem ostendit.

23. *Augusti.*

Fabr. l. 2. in Misnicis Supplem. Chron.

r. *Przemyslaus Ottogarus* II. *Bohemiæ Rex V.* regnare cœpit 1253. *Prutenos* idololatras cruce assumtâ ad *Christum* armis convertit, ibique multas Urbes condidit, & *Prussiam Crucigeris Prutenis* donavit, *Bavariam* vastavit; *Egram Duci Bavaro* eripuit; *Belam IV. Vngariæ Regem* ad *Moravam* flumen superavit; *Posonium* cepit; malo consilio *Imperium Romanum* oblatum rejecit; *Cœnobium S. Coronæ* fundavit, item Ossecense. Proditione suorum, ac præcipuè *Milotæ de Diedicz* Rosensis adversùs *Rudolfum* I. fortissimè pugnans cecidit. A. 1278.

Margaretæ Aulticæ magnanimitas.

Bappenh. in Chronico Australi.

s. Uxor I. *Przemyslai Margareta Friderici* ultimi, *Austriæ Ducis* soror; cùm nupsit provectæ ætatis fuit, & vidua *Henrici* VI. Regis Romanorum, ùt habet *Bappenheim*, virilis animi mulier, de qua narrat *Silvius*: quod cùm ei svaderent Amici, ut vel *Bavarum*, vel *Vngarum* (qui duo, postquam virilis *Austriæ Ducum* proles defecisset, Provinciam miserè vastabant) virum acciperet, qui alterius injurias propulsaret, responderit: *Non faciam, neque ulli hosti nubam, sed tertium potiùs vocabo, qui meo conjugio ditatus, Bavaris & Vngaris vicem reddet*; quod abundè præstitit *Ottogarus*; eam tamen utpote senectute sterilem *Ottogarus* repudiavit, dissolvente matrimonium *Legato Apostolico, & Archiepiscopo Moguntino*; sed repudiatæ non restituit Austriam, postea superinduxit *Cunegundem Bulgaram Rosislai Ducis* filiam, *Belæ Regis Vngariæ* neptem, cujus proles vide in Tabula Genealogica. Hæc post maritum occisum *Zavissij Rosensis* amore capta, filium ei genuit *Joannem Melitensium in Bohemia Priorem*; sed apertissimè docet *Eberhardus*, duos filios ex ea genuisse *Zavissium*, quos è Bohemia *Rex Wenceslaus* filius ejecerit. Obiit *Cunegundis* A. 1285. sepulta in Cœnobio S. Francisci.

M. S. Cottnense.

Eberhard. in Annal.

t. *Wladislaus Przemyslai* Regis frater, primùm Dux Austriæ, post etiam Poloniæ mirabili morte, cùm satis irreligiosè de rebus divinis, quas non intelligebat, loqueretur; muscâ os ejus subeunte, & suffocante sublatus A. 1247. de ejus conjuge Gertrude vide Pessinam Lib. 3. c. 6. quæ mortuo Wladislao duxit Hermannum Marchionem Badensem, unde Fridericus natus, Neapoli cum Conradino capite plexus A. 1269.

u. *Beatrix* uxor *Ottonis Marchionis Brandeburgici*, filium reliquit itidem Ottonem, qui in Prussia militavit cum Ottogaro, & filiam, quam Przemyslaus velut neptem suam Stephano Regi Ungariæ dedit in conjugem. A. 1264. *Stero* ait eam datam Belæ juniori Regi Ungariæ.

Ottogari Regis proles illegitimæ.

u. Habuit *Przemyslaus Rex* illegitimas proles, quinque susceptas ex Austriaca puella, stirpe Dominorum de *Conring*, cùm enim *Przemyslaus Margaretæ* conjugi sterilitatem, illa vicissim marito impotentiam objectaret, ad certamen ventum est

Rege Sponſione certante, ſi ſibi puellam ex *Gynecæo* traderet, ſe quotannis prolem ex ea ſuſcepturum; permiſit Margareta, & has Przemyslaus proles ex ea ſuſcepit. *Nicolaus Dux Oppavienſis I.* nam pater *Oppavienſem Regionem à Moravia* tum primùm diviſam cum titulo Ducis ei contulit; qui poſtea Wenceslao Rege fratre cogente Ducatum illum Coronæ Bohemiæ in perpetuum ſubjecit. *Giſela Wikardi de Polna* uxor apud Weleslavinum à prudentia & conſiliorum promptitudine ſupra modum commendatur. Aliarum trium, quas deſponſavit *Wartenbergico*, *Strakonicio*, *Kravarzio* Proceribus nomina invenire non potui. Notandum: omnibus hiſce ſuis ſpuriis Nicolao, & filiabus Ottogarum impetrâſſe Jura natalium ab Alexandro Pontifice, ùt ex Alexandri Papæ literis Raynaldus oſtendit.

In Annal. Eccl. ad An. 1260.

w. *Wenceslaus II. Ottogari* filius *Ottonis Brandeburgici* tutelæ commiſſus, etiam captivitatem à Tutore pertulit. Rex coronatus cùm prudentiſſimè ſe gereret, etiam Poloniæ Regnum adeptus eſt, ibíque coronatus, multa caſtra & Urbes vel condidit, vel munivit. Vide Caput 32. Ungariæ Coronam in filium tranſtulit, at Procerum fluxâ fide cognitâ filium domum recepit. *Albertum Auſtriacum Cæſarem* iniqua poſtulantem Bohemiâ ejecit. Fuit Rex vitæ prorſus ſanctæ, ſepultus eſt in Aula Regia A. 1305. quod Cœnobium ampliſſimè fundavit. Mirum eſt, quod de eo tradit *Beneſſius Canonicus Pragenſis nunquam didiciſſe literas, & ignoráſſe ſcripturas.*

Beneſ. lib. 1. Chron.

x. *Judith Wenceslai* II. uxor, *Rudolfi I. Imperatoris* filia, quæ poſt mariti Regis, & ſuam coronationem paucis diebus deceſſit, A. 1297. relictis ſex vivis prolibus, ùt vides in Tabula. Altera conjux *Richſa*, de qua *Siffridus: Wenceslaus*, ait *duxit filiam Regis de Kaliſs, ſibique Regnum Kaliſs, & Regnum Crocoviæ ſubjugavit;* eodem modo loquitur Beneſſius vocans Eliſabeth, ſea Richſam Regis Kaliſſienſis filiam. Fuit filia Przemyslai Regis Poloniæ, fundavit Monaſterium Monialium Regium Brunæ, genuit marito unicam filiam Agnetem. Secundò nupſit Rudolfo Auſtriaco Regi Bohemiæ, & vidua diu fuit ſuperſtes, appellata *Regina Hradecenſis*, quòd ibi continenter habitârit. Conſtruxit eadem Eliſabeth duorum Regum relicta vidua in ſacrario Eccleſiæ Pragenſis (ubi maritus Rudolfus conditus eſt) altare perelegans, & Regiis opibus ditavit. Obiit A. 1335. Brunam devecta ad Parthenonem, quem opulentiſſimè fundavit.

Siffrid. l. 1. Epit.

Beneſ. l. 1. Chron.

y. *Agnes Wenceslai* II. ſoror, *Rudolfo* II. *Ducì Sueviæ* filio *Rudolfi I. Cæſaris* nupta; conjux ejus Rudolfus Pragæ obiit, & tumulatus eſt An. 1290. quæ genuit ei Joannem Ducem Sueviæ, qui Patruum ſuum Cæſarem Albertum I. nefariè occidit. Fuit mulier cordata, & dominationis avida, obiit A. 1296. 17. Maij, jacet ad Salvatorem Pragæ in Parthenone S. Claræ, utpotè ſoror ejuſdem inſtituti, à quatuor Epiſcopis ad tumulum deportata. ità locus ſepulchri.

z. B. *Kunhuta* vel *Cunegundis* cum quatuordecim Virginibus ſummo genere natis ingreſſa eſt Monaſterium S. Claræ, dictum aliàs S. Franciſci, vel S. Salvatoris A. 1278. poſt annos duodecim fratre ſinè dubio Authore, translata ad S. Georgium Cœnobio præficitur, vixit ſanctiſſimè, vide Lib. IV. Miſcell. obiit An. 1231. ùt habet Beneſſius.

Idem l. 2.

a a. *Przemyslaus Ottogarus Wenceslai II. Regis* filius primogenitus natus eſt An. 1287. anno nondum expleto die S. Eliſabeth mortuus. Weleslavinus putat eum ad S. Vitum ſepultum, alij ad S. Agnetem, ego ſuperiore anno dum lapides ſepulchrales apud S. Clementem perluſtro, remotis templi ſedibus ad murum meridionalem inveni lapidem, qui apertè teſtatur Przemyslaum Ottogarum Wenceslai II. Regis filium infantem ibi jacere.

b b. *Wenceslaus* III. *Rex Bohemiæ* VII. ex Przemyslæa gente ultimus 19. ætatis anno ineunte Patri ſucceſſit. Triennio Rex Ungariæ fuit, ſed Regno renunciavit; dum

dum adversùs *Loktekum* in Poloniam tendit, tribus vulneribus Olomucij confoſſus eſt An. 1306. defecit in eo ſtirps Regia Przemyslæa, quæ Bohemiam laudatiſſimè rexit, ipſa etiam ex Bohemia. Diſſolutiſſimis moribus juvenem hunc Regium fuiſſe, habent eorum temporum Sctiptores: Franciſcus & Beneſius. Jacuit ſepultus Olomucij longo tempore. Eliſabeth ſoror eum ad ſepulchra Regum in Aulam Regiam devexit A. 1326.

c c. *Viola* deſponſata *Wenceslao* III. *Mecžislai* vel *Mežkonis Tieſſinenſis Ducis* filia, quam duxit 1305. poſtea nupſit *Domino Petro à Roſis*, & obiit 1317.

d d. *Anna* uxor *Henrici Principis Carinthiæ*, ſenior fuit ſorore ſuâ Eliſabetha, utì & Margaretâ. obiit abſque liberis.

d d. *Margareta* uxor *Boleslai Lignicenſis Principis.* obiit *Regino Hradecij* in puerperio A. 1322. duos filios ſuo conjugi Bolkoni Duci Lignicenſi genuit, Wenceslaum, & Ludovicum, ſepulta in Aula Regia.

Beneſ. l. 1. Chron.

d d. *Agnes* eodem partu cum Wenceslao III. genita eſt, ſed ante nuptias extincta, ùt dixi.

Idem ibidem.

d d. *Judith* A. 1297. ſex hebdomadis poſt Judithæ novercæ mortem & ipſa deceſſit; vocatur etiam *Guta*. Deſponſa fuit *Gentili Vrſino Romano*, quas nuptias conciliavit Alexius quidam, Wenceslai II. Regis Sacellanus, qui poſtea Romæ à proprio ſervo dicitur interfectus. Porrò Judith jacet ſepulta in Eccleſia S. Agnetis ante altare majus, cum hac ſimplici inſcriptione: *Guta* filia Wenceslai VI. Regis Bohemiæ.

e e. *Agnes* II. *Richſa* quò devenerit diu quæſivi; inveni tandem in Beneſſio eam copulatam Henrico Duci Jaurovienſi.

* *Joannes Wolek* (de quo multa in Epitome noſtra) fuit *Præpoſitus Wiſſehradenſis*, poſtea *Epiſcopus Olomucenſis.* A. 1333. Fundavit Virgineum Cœnobium in *Puſtomirz*, cujus Cœnobij Archivum indicibus comprehenſum, quod miro modo in manus meas devenit, alio in loco recitabo. *Paprocius* in hoc Cœnobium Virgines S. Dominici primùm inductas eſſe ſcripſit, quæ poſtea permiſſu ſedis Apoſtolicæ Ciſtercienſe inſtitutum ſint amplexæ. Multa hunc Joannem à Rege Joanne pati contigit, quæ Beneſſius & Fabricius retulerunt, ſicut etiam in Miſniam Regis iram timens profugere coactus ſit; receptus eſt in gratiam innocentiâ viri compertâ ſummèque amatus à Rege, & intimus ejus conſiliis cum titulo fuit. Præter *Puſtomirienſe* (quod Beneſſius ait eſſe Ordinis S. Benedicti) idem tradit fundâſſe aliud Cœnobium Virginibus Benedictinis Pragæ, dictum ad Miſericordias Domini, ſed Archivum ejus Cœnobij, quod inter manus meas fuit, Fundatorem habet alium, ſcilicet: *Franciſcum Rokiczanerum.* obiit Wolek An. 1351. 5. Julij, ſepultus *Puſtomirij.*

Cœnobium in Puſtomirz

Beneſſ. l. 2. ad A. 1322. Fabric. in Miſnicis.

ff. Hac igitur vetuſtiſſimâ, & ſubjectis populis ſemper amatâ ſtirpe Przemyslæâ in maſculis omnibus extinctâ Eliſabeth Wenceslai II. filia, & Wenceslai III. ſoror, *Joanni Lucenburgico*, *Henrici VII. Imperatoris* filio deſponſatur, eíque Regnum Bohemiæ affert pro dote, ùt in ſequentibus dicetur.

MI-

MISCELLANEORUM HISTORICORUM DECADIS PRIMÆ

LIBER VII. SECTIO II.

Reges Bohemiæ ex Familia Lucemburgica.

CAPUT I.

Joannes Rex Bohemiæ Octavus.

Joannes Rex volaticus.



LEgimus in Fabulis *Inconstantiam* cœlo pulsam venisse in terras, & cùm in officinam pictoris intrâsset effigiem suam pingi jussisse, quod nemo pictorum præstare potuerit, cùm illa modò gibbosa, modò recta, modò crassa, modò tenuis, modò deformis, modò venusta appareret, & in horas, & vultum, & statum corporis, & ipsas, quas induta erat vestes, mutaret, aliásque deinde atque alias assumeret; idem profectò vitam Regis Joannis describentibus Historicis contigisse videmus: liberalem, parcum, justum, injustum, religiosum, æquè irreligiosum, Regnorum suorum amantem, sæpè oppressorem, difficilem, facilem, & tractabilem, commendant perinde ac vituperant, atq; exemplis manifestis allatis approbant, ut non existimem Regem magìs maculosum, ac varium dissimilémque sui *Bohemiam* habuisse. Sed ordinem temporum tenere satiùs est, quàm præverti, & postrema primis permiscere & confundere.

Legatio quam Regni *Primas Joannes Episcopus Pragensis*, & primæ dignitatis Proceres, (ùt paulò antè narraveram *Sect. 1. C. 34.*) adornârunt, apud *Henricum VII. Cæsarem*, agente potissimùm *Petro Aichspaldio Moguntino Archiepiscopo*, gratanter suscepta est: *Regia Virgo Elisabeth Wenceslai* II. *Regis* filia, filio *Henrici Lucemburgici* octodecennis quatuordecenni

A. 1310.

Spiræ.

decenni despondetur; missus cum copiis Germanorum *Joannes* Adolescens, exercitui *Bohemorum*, quem ductabat *Henricus de Lippa* conjungitur; felix Regno auspicium *Plsnenses* dedêre, qui patefactis portis Regem suum primi agnovere; eâ gratiâ *Joannes Plsnensibus* deditissimus, suam effigiem armatam clypeo Urbis adjecit, in urbica porta stantis, ut indicaret se per hanc Urbem ad *Regnum Bohemiæ* aditum habuisse; quo beneficio ornata *Plsnensis* Civitas, ab eo tempore semper in fide Regum, vel cum extremi exitij periculo, permansit. Itum longiùs in *Bohemiam*, & quia Patrij homines *Joannem* comitabantur, proclivia & aperta nullo repugnante inventa sunt omnia, *Praga* sola, quam *Henricus Carinthus* insidebat, timorem faciebat; eam iniquissimo Anni tempore, mediâ hyeme scilicet, oppugnare *Joannes* non poterat, sed odium tyranni in populo eò usque excreverat, ut omnes ad *Joannem Pragam* admittendum operam conferre certatim optarent: primi *Laniones* (unde illis *Leonis* securim vibrantis clypeus) exsectis portis, *Cives* & Senatus signo ex *Curia Teinensi* campanâ dato, *Henrico Lippæo* stricto ense aciem Regis præcedente (quo merito Lippæis dum ea heroica stirps superesset, ensis ante Regem ferendi, & *Marescalli* collata dignitas) & pacem inclamante, occurrentibus admissus *Pragam* Rex, & *Henricus*, nî perire mallet, extrusus A. 1311. Reges *Joannes & Elisabeth in Basilica S. Viti à Petro Moguntino* maximo apparatu coronantur; trecenta hospitum millia interfuisse coronationi *Trithemius* scribit; Regium Epulum apud *S. Iacobum in Cœnobio* apparatum; aurea sella gemmis pretiosissimis tota collucens, *Petro Coronatori* donata, quæ avorum adhuc memoria *Moguntiæ* monstrabatur, *S. Martini* appellata: brevì apparuit quò Regem parvulum sua indoles invitaret: ipso Anno coronationis cum exercitu *Ioannes Moraviam* ingreditur, & in comitatu *Ioannis Episcopi* exercitum ducentis prædones, quorum ingens apud *Moravos* erat numerus, qui castris opportunis locis constructis, itinera omnia infesta tenebant, atque etiam oppida & Civitates incautas obruebant, & rebus omnibus exspoliabant, aggressus, nullâ Nobilitatis habitâ ratione, cùm ipsi nullam priùs Majorum suorum habuissent, partim capite mulctavit, partim patibulis affixit, partim in exemplum rotis confregit. Ità quies Provinciæ reddita, & nidi latronum dejecti. *Ungari* etiam cùm omnis licentia nullo prohibente, toleraretur, ex *Moravia* prædas agebant, quos egregiè ultus est *Ioannes*, cúmq; occurrere ausi essent, fugavit. Summam *Ioannes* à populo inivit gratiam, à facilitate, & ubicunque deprehenderetur, in plateis, in curiis, in portis, judicium daret, & quod judicatum erat, protinus exequeretur, sed illud odiosum omnibus, quòd exterorum consiliis & operâ plurimùm tene-

A. 1311.

Plsna & Praga Joannem admittit.

Chron. Aulæ Regiæ.

Lanionum clypeus unde?

5. Febr.

Joannes Rex coronatur.

A. 1311. in Majo.

A. 1315.

Franc. in Chronico.

Epit. l. 3 c. 17 Joannis Regis vitia & virtutes.

retur;

retur; quod tamen postea monitus omisit; neque minùs illud displicebat, quòd Regionibus avariſſimos *Præfectos*, & ſibi ſimiles imponeret, qui nullo juris & æqui diſcrimine ſacra & profana juxta haberent (inter eos deteſtantur ejus æviScriptores,& nominant *Vdalricum Phlug*,quẽ *Bohemiæ* præfecerat) fortaſsè ut deterrimâ comparatione Regis avaritia collata cum harpyis illis minor & excuſatior appareret: nam intolerabilibus tributis *Bohemiam* exſugebat Rex, ſque *Bernarum* dedit initium, ùt in ejus ævi Scriptoribus legimus, ante Regem Joannem enim *Germanicarum Provinciarum* more certas ſummas ex fundis dependebant ſubditi, & glebæ adſtricti ruſtici certa quotannis ſervitia præſtabant Dominis, & ad plura eos adigere fas non erat. Primus *Joannes* majores ſummas ab Ordinibus Regni petere auſus incertam fecit tributorum penſionem: ſed illud prorſus Regem ſuis exoſum & deteſtabilem reddebat, quòd nationis *Bohemicæ* odium profiteretur, quod profeſſum odium *Regina Eliſabeth* ferre æquo animo non poterat, ideóque ſæpius à marito diſcedens bellum ei movit, & egregiis Ducibus uſa, ſæpius Regis copias profligavit, donec denique ætate, & uſu rerum odia ſubditorum poneret, vel cautiùs tegere & diſſimulare diſceret. Poſt hæc *Joannes Rex* per Provincias & Regna volitare cœpit. Jam in *Gallia* apud Reges, in haſtiludiis, & Avenione apud Pontifices in conſiliis jam in *Italia*, in *Bavaria*, in *Polonia* bella gerebat ſecundiſſimo *Marte*, *Rex* idem & miles nihilque glorioſius eſſe putabat, quàm ubicunque implorabatur accurrere. Circumferebatur illo ævo de Rege Joanne omnium ore jactatum proverbium: *Sinè Rege Bohemiæ nemo poteſt vivere: Auſtriacos* ſæpenumero cecîdit,& captum in prælio *Friderici Auſtriaci* fratrem, *Henricum* nomine, in *Krzivoklad Arce* triennio detinuit, donec triginta millia aureorum numeraret, *Znoimam* Urbem,tum Procerem *Bohemorum* obligationes quaſdam (quas hìc recitare nolo) reſtitueret. *Pruſſiam*, per mediam Poloniam hoſtilem Provinciam iterum iterúmque penetrans, Pruſſis cæſis, tria millia *Ethnicorum Chriſto* nomen dare coëgit. Prælia hujus Regis longum eſt referre, in quibus ſemper victor, & ſui ſimilis fuit: id eſt temeritati proximus, quàm diu oculorum uſu non caruit, quorum alterum in *Litvania* cœlo nebuloſo & frigido, alterum in haſtiludio læſus amiſit. A. 1346.7. Cal. Sept. cùm *Philippus VI. Galliarum Rex* cum *Anglis* bellum gereret, confeſtim eò properans ad *Creſſiacum* commiſſo cruentiſſimo prælio deſperatâ jam victoriâ, ex acie educi ſe minimè ferens, in medios hoſtes cæcus, & oculis & animo incurrens cecidit. Glorioſiſſimus Princeps, ſi Regem ſe eſſe non privatum meminiſſet, plura de tanto Principe ſcribere non vacat: nam *Annales* heroica ejus facta implerent,quæ paſſim in Scriptoribus vetu-

Joannes Rex acerrimè tributa exigit.

Fr. L. cit.

A. 1323.

A. 1330.

Joannis Regis militaris vita.

A. 1329.

A. 1335.

Ejus mors.

vetuſtis commendantur & leguntur, nos quoque in Epitome lectiora attulimus: Regnum *Bohemiæ* auxit, *Luſatiâ* ſuperiore armis, Sileſiæ magnâ parte contractibus pacatis adjunctâ, quæ tamen omnia merita obruerentur, niſi *Patrem Patriæ Carolum IV.* genuiſſet. Illud præclarum & immortale penè præterieram *Ioannis Regis* opus: quòd ad finiendas litium telas & firmandas Dominorum poſſeſſiones Tabularium *Regni Bohemiæ* primus confici juſſit, in quo ejus Præfecti omnes emtiones, & alienationes bonorum fide publicâ annotarent, quo labore nihil eſſe præſtabilius,hodiéque experitur *Bohemia*, gratulantúrque poſſeſſores ſecurè & tutè ditionibus ſuis ſe gaudere. Idem *Rex* ſupremo *Burgravio Pragenſi* ut munus illud ornaret, certas quaſdam villas, & Civitates attribuit, quibus etiamnum *Burgravij* fruuntur. Religioni & in ſacris ſplendori, etſi non multum tribueret (unde ſtatuas Apoſtolorum argenteas hominis magnitudine à *Carolo* filio *Pragenſi Eccleſiæ* datas ad ſeſe domum attraxit) tamen Fidei Catholicæ puritatem & ſinceritatem colebat, promovebat, ſummóque ſtudio tuebatur, conſtat *Dulcinianos* hæreticos, qui ex *Germania* advenerant A. 1318. quatuordecim viros & fæminas in publico foro Pragæ novo ad eam diem *Bohemis* ſpectaculo (qui nullam hactenus hæreſim noverant) concremâſſe, ſed *Wratiſlaviæ* (ùt dixi in Epitome) illam in ſacris diligentiam non oſtendit, ac parum aberat, nè nova exoreretur hæreſis, quæ Eccleſiaſticum ordinem bonis omnibus everti poſſe, & impunè ſpoliari doceret. Regnavit annis 36. vixit annis 50.

Privilegia Reg. Boh.

A. 1337.

Joannis Regis in Bohemiam merita.

Notæ in Caput I.

Chronologia Regum noſtrorum partialis.

Ante omnia quæret Lector: quid ſit, quòd *Joannem* numero *Octavum Regem* poſuerim, quibuſdam *decimum* ponentibus; hunc nodum jam ſuperiori *Sectione*, Capite ultimo diſſolvi: nam qui *Regem Joannem X.* ponunt, numerant VIII. & IX. *Reges Rudolfum* cognomento *Mitem*, & *Henricum Carinthum*, quos plerique rejiciunt, quòd neuter coronatus, alter tantùm non intruſus, alter authoritate Cæſareâ jure ſuo, ſi quod habuerat, privatus, nunquam ab omnibus *Bohemiæ* Ordinibus (quod tum requirebatur) approbati & acceptati fuêre; ſed iſtud ego pro leviſſimo duco, per me *Joannes Rex X.* aut VIII. appelletur licet: de re conſtat inter omnes, de nomine & numero quæſtio cùm explicatur, evaneſcit.

Inconſtantem vitam Joannis deſcribere &c. Quòd hic de *Inconſtantiæ* imagine memoraveram, idem de Luna, à matre ſua veſtes ſibi congruas poſtulante *Plutarchus* commemorat. Hæc morum Inconſtantia omnem quidem hominum ſtatum, ſed maximè Regium dedecet, Reges enim ſupremum mundi *Rectorem & Regem*, quoad licet imitatione exprimant, oportet, qui nunquam mutatur, ac veriſſimè in ſacris literis gloriatur, *ego Dominus & non mutor*, cujus promiſſa æterna ſunt, & omnes voces oracula; unde etiam veteri Bohemorum & ſapienti proverbio dicimus: Kralowſka ſlowa negdau naſpatek/ id eſt: *verba Regum nullum fallunt.* Rex mutans,

Plut. Lib. de Conviv. 7. Sapient.

In Rege ſummè vituperatur decretorum inconſtantia.

tans, quod constituerat, aut ostendit se antea rerum momenta non pervidisse, aut difficultate aliquâ non posse ad executionem consilij sui pertendere, aut se ab aliis dependere; quorum primum in prudentiam peccatum, alterum impotentiam virium arguit, tertium sui Juris non esse Principem demonstrat, & perit illud, quod uni Principi convenire Veteres dicebant: *quòd nunquam cogitur.* Quòd si ad *Inconstantiam* volatica Regis vita, qualis *Joannis* Regis fuit, accesserit; tum nullam solidam gloriam ex illis cursibus consequetur, non magis ac venti, quorum perinde ùt origo, ità furiosa progressio, & finis ignoratur.

Quænam sint felicia auspicia.

Regno auspicium Plsnenses dedere &c. Quædam auspicia superstitiosè, quædam prudenter in negotiis observantur: stultissima fuit in Romanis, quanquam prudentissima gente, auspiciorum cura: quid enim *aves* in negotiis futuris promittere poterant? quid *exta*, & *viscerum prosectiones*, *fibrarum inspectiones*, *fissorum partitiones*? & tamen his ad insaniam deditus fuit ingeniosus *Imperator Julianus*, aliique ante eum longo ordine *Consules*, *Magistratus*, *Imperatores Romani*, hoc igitur damnamus in totum. At illa auspicia, quæ negotij & rei gerendæ principium prosperum ac felix continent, laudantur; quòd scilicet negotij partes primæ sint; & felix initium datum, felicem quoque exitum utcunque promittere videatur, unde illud: *dimidium facti, qui bene cœpit, habet.* Mihi auspicium lætum est: ex: gr: felicis prælij, cùm primus in hostem accessus, primúsque pedatus prospere cedit; cùm in Urbis obsidione ad portas Urbis necquicquam prohibentibus hostibus stationem figimus; cùm in consiliorum tractatione prima, quæ objici ab adversa parte possunt, decutimus, & vana esse ostendimus &c. Hoc auspiciorum genus nunquam contemnendum, & solicitè à Regibus, eorúmque Ministris quærendum est.

Præmia factis respondere debent.

Henrico Lippæo stricto ense &c. Pœnis & præmijs contineri Rempublicam scitum est Politicorum; *pœnæ* quia odiosæ sunt, celeriter finiendæ, *præmia* per intervalla distribuenda; jucundissimum est præmij genus, in eo ipso negotio, in quo virtus declarata est, præmiari: ùt hic *Henricus*, qui primus stricto ense Pragam ingressus est, strictum ensem ante Regem, quod *Marescalli* munus est, portaret; hoc præmio tota posteritas honoratur, & memoriam virtutis suorum Majorum, & benignitatis Regiæ conservat. Præclarè *Joannes* Rex auream sellam *Petro Coronatori* donavit, quid enim à Rege, quàm aurum poterat expectari? dignitatem addere viro non poterat, pecuniâ initio Regni sui non abundabat, ergo tale donum elegit Rex, quod pretium haberet, & si quid pretio deesset, artificij novitas compensaret. Artefacta enim mirum in modum pretia rerum augent, & donis sunt aptissima.

Prudentes sæpe divinant Infallibiliter.

Brevi apparuit, quò Regem parvulum indoles invitaret &c. Futura ex præsentibus prævident sapientes, & rarò falluntur, cùm interim vaticinia & prophetiæ ùt nunc dicuntur (quibus nonnulli ad insaniam tenentur hoc sæculo) incertæ sint, cùm nesciatur, an à divino spiritu processerint, an omninò dictæ sint aliquando. Ferè certiores sunt prædictiones prudentum, imò & conjecturæ, quæ ex natura & indole singulorum petuntur, ùt in *Joanne* Rege apparuit, qui quantus bello futurus esset, vel quatuordecennis indole Regiâ ducente significavit. Ità videmus pueros minimos ad bella natos *Martem* spirare, & ludos sibi ex coætaneis militariter facere, acies parvas ducere, tympana imitari, turmas ordinare &c. Religiosos contrà & divinis rebus addicendos supplicationes adornare, cantare usitato in templis more, sacris operari &c. De his puerorum ominosis lusibus, & quàm iis maximæ res sæpe præsignificentur, plurima congerit exempla *M. Ant. Muretus*, exemplò *Divi Athanasij Synpædas* baptizantis (quem validum fuisse baptismum docuerunt sanctissimi Præsules) *S. Ambrosij*, & cæterorum lusus; & in re militari *Cyri Persarum Monarchæ*, *Severi Imperatoris &c.* quas significationes adducit & probat *Possevinus* noster in libro

Pueri dant significationem futurorum.

Lib. 1 3. var. Lect. c. 9.

libro elegantissimo, quem de *Cultura Ingeniorum* scripsit, adducítque *Andream Vesalium*, *Anatomiæ* sæculo priore *Principem Caroli V. Cæs.* postea *Medicum*, qui puer etiam num ranas, & quodcunque animalculum nancisceatur, dissecabat, ut cor, pulmones, & cætera vitalia inspiceret, atque ità Anatomiæ suæ divinis operibus præludebat. Ità si parva licet componere magnis, indoles Regia etiam in Adolescente *Joanne* significationem præbuit futurorum.

L. 1. c. 19.

Cur boni Principes latrones implacabiliter persequantur?

Latronum nidi dejecti &c. Boni Principes implacabiliter latronibus irascuntur, cùm enim Justitiam in Regnis suis florere desiderent, publica latrocinia justitiæ vim maximam faciunt, & Regem imbellem demonstrant; deinde Regna sua pacata, & minimè nutantia habere votum est Regum, ut securè & sinè timore regnent, potest autem ejusmodi scintilla magnum excitare incendium, si, qui novas res moliuntur, paratum à latronibus auxilium habeant, ad motus concitandos, captâ præcipuè unâ vel alterâ Urbe; hinc seditio Populi, vel etiam rebellio facilè orietur. Mirè deprædicat *Æneas Silvius in Parallelis Jacobum Marchionem Badensem*, qui ubi latrocinium in sua ditione commissum audiebat, statim vocatis ijs, qui damno affecti erant, tantùm eos ex fisco suo accipere jussit, quanti ea esse quæ amiserant, jurejurando affirmâssent. Exinde latrones insecutus apprehensos in rotam & furcam agebat. *Patris vestigia*, addit Silvius, *Carolus Nobilissimus adolescens sequitur, cui nupta est Catharina soror Friderici Cæsaris.* Hæc Silvius.

In vita Alphonsi Mag. l. 4. n. 7.

Reges spectabiles esse oportet.

In portis Rex judicium dabat &c. Discedunt in diversa Politici: aliqui Regem quodammodo invisibilem esse volunt, juxta illud *Taciti*: *major ex remoto reverentia*, quod in Turcarum Imperio, atque etiam alibi terrarum servari dicitur. *Sinarum Imperatorem* audientiam dantem describens *Draudius* ait eum Legatorum audiendorum causâ ingentem serpentem, qui cubiculi cujusdam capaciratem habet, ingredi cum sex Proceribus, in cujus serpentis pectore fenestella est vitro obducta, ut ipse loquentes Legatos videat & audiat, sed à nemine videatur; at meliores Politici docent ad firmitatem & securitatem Imperij multùm interesse, sæpe in anno Principem à suis videri: totus in hoc argumento *S. Synesij ad Arcadium Imperatorem* Liber divinus consumitur. Inter cætera: *ô Reges severior illa gravitas, quæ facit ut Aulâ clausi pauciſſima & audiatis, & videatis, facit etiam, ut vitam haud dissimilem Marino Pulmoni agatis!* & alibi: *Solem hactenus nemo despexit, quanquam quid est quod frequentiùs videatur?* & plura in eam sententiam, præcipuè verò spectabiles se facere Reges oportet, cùm aliquod beneficentiæ aut justitiæ administrandæ, & juris dicundi specimen præbent. Mille exemplis probare possum, Reges optimos pro portis Urbium, Curiarum, Templorum, & Operum Publicorum, in viis & compitis jus dixisse, svadétque *Justus Lipsius* (quantus Vir!) ut hæc exempla vel hodie revocentur in usum. Hinc legimus sæpe equitantes Reges audacter admonitos officij sui, atque ut causam audirent à vilissimis sæpe hominibus, vel cum jurgio & maledicto coactos: sic anicula quædam cùm sæpe *Philippum Regem Macedonum* rogâsset, ut causam audiret suam, isque iter faciens, iterum rogantem rejiceret, & tibi nunc non vacare diceret, subjecit vetula: *noli igitur regnare!* quod sæpius audire Reges debuisse inter exempla legimus.

Draud. in Solin. in Centonibus.

Lipsi. in Monit. Polit. l. 2. c. 2. & 9.

Plut. Tom. 1. Moral. in Li. Apophth. ad Trajanum.

Regionibus avarissimos Præfectos imponebat &c. Unum ex ijs *Udalricum Phlug* nominavi, cujus inexhaustam, & profundissimam avaritiam descripsit *Franciscus*; talis fuit *Andronicus*, quem *S. Synesius* vivis coloribus depingit: *ô quàm multos*, inquit, *Cives Andronicus tanquam convivio lacrymis excepit, quinam Tauroscythæ, quinam Lacedæmonij tanto per verbera sanguine suam Dianam coluerunt? &c.* Hæc crudelitas Præfectorum in Principem redundat: quippe perinde, quæ à Domesticis perpetrantur, *Patrifamilias* meritò imputari solent, sic in Regno injustitiæ publicæ Principi adscribuntur:

In Chron. S. Synes. Ep. 57.

Magistratus à Principe populo imponendus, justitiæ tenax.

buntur: vel enim quæ tam publicè admittuntur Princeps novit, vel non novit; si novit, cur tolerat? si non novit, ergo meritò reprehendetur, qui in Regno suo, quæ publica sunt scelera nescit; domus enim Regia, Regnum est. Quocirca prudentissimè, & in longum tempus providè *Bato Rex Dalmatarum Tiberio Imperatore* interrogante, cur ità *à Romanis Dalmatæ* toties deficerent, respondit: *vos Romani in culpa estis, qui ad vestros greges custodiendos non canes aut pastores, sed lupos nobis mittitis.* Ità prudentissimus Scriptor *Consul Romanus Dio.* Sed quid aliud expectari potest à *Nummarijs Magistratibus*? qui enim emerunt, pretium sibi restitui volunt, idque justum esse putant. *credibile omninò non est*, ait Synesius, *eos sublato vultu, torvis ac rigidis oculis aurum ex adverso intueri posse, qui oblatis pecunijs Magistratum sunt consecuti*, & quæ sequuntur; deglubunt non tondent, ut quàm primùm pecuniam pro munere publico datam recipiant; quâ dulcedine inescati omnes reliquos Magistratûs sui annos ad eandem normam rapiendo, decipiendo, plura exigendo, & denique excoriando consumunt; Ænigmati simile dictum est, sed verissimum:

Dio L. 55.

Nummarij judices.

Synes. de Regno ad Arcad. Imp. ex vers. Petavij.

Iuven. in Satyr.

- - - Provincia cùm te
Rectorem accipiet, miserere inopum sociorum,
Ossa vides Regum vacuis exsucta medullis.

Quid illud *exsucta medullis* ad rem facit? alij censeant. At illud, quod dixi antea, *fortè comparatione sui Ministrorum Regem commendabilem se Populo reddere voluisse*, damnabile consilium est, quia Regem ostendit non Patriæ Patrem, & qui bene Patriæ in futurum velit, sed vitricum, & qui se suúmque Imperium illaudabile esse velit, quomodocunque Patria gubernetur. Ego quidem *Tacitum* admiror, & inter sapientissimos Scriptores computo, illud tamen laudare non possum, quòd suspicionibus suis historicis, etiam clarissimorum Virorum laudationes corrumpat; sic in rem nostram *Augustum Octavium Cæsarem* laudatissimum Principem suspicatur, successorem sibi destinâsse *Tiberium*, ut comparatione deterrimâ sui memoriam gloriosiorem & gratiosiorem efficeret. Grave & atrox in optimum Principem maledictum!

Tac. L. 1. Annal. Tacitus Scriptor plenus suspicionibus.

Joannis Regis volatica vita.

Per Provincias & Regna volitare cœpit &c. Non facilè similem Regem *Joanni* inveneris, qui sæpe ex occulto apparebat, & cùm comites assequi non possent, ijs relictis unicus ipse ad locum destinatum maximis itineribus diurnis nocturnísque perveniebat. Audivi à *Chimicis* argentum vivum inter metalla tam diu fluctuare, & inquietum moveri, donec ad aurum pervenerit, ibi primùm aurum complecti, & in sinu ejus desiderato conquiescere; hæc erat imago Regis *Joannis*, qui ad pecuniam Bohemicam tanto impetu ferebatur; at ubi eam *Lucenburgum* præmisit, tum rursus ocyor Euro avolabat, negotia Regni componere differens, & se quodammodo Regem oblitus. Non patiuntur autem Regna perfunctoriè administrari: sæpe radices ipsæ odiorum inter ordines evellendæ sunt; sæpe fines odiorum & consiliorum examinandi; sæpe Procerum ambitio sufflaminanda; sæpe conatus etiam in speciem boni evertendi; quòd si in scientiis vetus proverbium verissimum esse invenitur, quod vulgò jactatur: *vagus scholaris non fit Magister*, quantò minùs in gubernatione Reipublicæ, vagus Minister aut Princeps præstabit?

In Chron. Prag. l. 2.

Henricum Friderici fratrem &c. Rem miram & Annalibus dignam refert *Benessius de Weitmil*, ejus temporis scriptor, quam ejus verbis recitabo: *Cùm Henricus captivus Castrum Krzivoklad, & in eo Palatium ingrederetur, ecce Clenodium, quod erat ibi depictum multùm sumptuosè, & summitatibus Testudinum Clypei Terrarum, quibus olim Rex Ottogarus præfuerat positi erant de opere sculpto & sumptuosè; ecce in ipso ingressûs sui momento Clypeus Austriæ cunctis videntibus ante pedes Principis captivi decidit in terram; & omni-*

& omninò in casu contritus est in partes minutas; verumtamen in summitate Testudinis ejusdem Clypei pars parva in signum tanti miraculi remansit, quæ hæret ibi usque in hodiernum diem. Hoc videns Princeps captivus valdè turbatus est. Hucusque Benessius. Simile quiddam nostro tempore sub *Ferdinando* III. ante Svecorum in Bohemiam ingressum accidisse memini audisse me narratum ab oculatis testibus *Viennæ* cùm *Clypeus Bohemiæ* decidit; res omnibus nota fuit eo tempore.

Utinam Rex Joannes Regem se, non privatum meminisset &c. Multorum erratorum caussam præbet, qui suæ personæ non meminit; hæc res cuidam ingenioso Authori materiam dedit librum scribendi cum titulo: *peregrini in Patria errores.* Sunt enim & semper fuerunt, qui nullo respectu ad personam suam & alienam habito, hunc Reipublicæ admovent, qui neque pascendis anseribus sufficeret; alium ad militiam mittunt, qui optimè claustro tectus timori suo mederetur; quos errores vitæ humanæ ridiculo, sed ingenioso carmine alicubi descripsit *Franciscus Petrarcha.* Ut ad rem nostram redeam, *Joannes* Rex semper militi, quàm Duci propior fuit, sed extremus vitæ actus ostendit immemorem sui status fuisse, cùm utroque oculo captus, in medios hostes furens & moriturus incurrit, cùm Rege tanto cadente necesse sit exercitum, quem ducit, nutare aut omnino concidere.

Multi errores in electione statûs admittuntur.

Ecclesiasticum Ordinem impunè spoliari &c. Nihil hoc loco exaggeratiùs dicam: quæ huic sacro Ordini donata sunt, DEO donata sunt; proinde DEO rapiuntur. Sunt patrimonium Christi, sunt *pretia peccatorum*, ùt *sancti Patres* loquuntur. De Bonis eorum, quàm sacrilegè in ea manus injiciantur, abalienentur, rapiantur, integris libris duobus egit *Theophilus Raynaudus*, & latissimè pœnas, Ecclesiasticum statum quæsito quovis colore opprimentium, recenset, quibus ego nihil addere possum, nisi actum agere velim.

De immunitate Ecclesiarũ legendus Rayna.

Theoph. Rayn. To. 12. Tra. mala è bonis Eccl.

Caput II.

Carolus IV. Imperator Augustus, & Bohemiæ Rex, Patriæ Pater.



Caroli IV. Imperatoris ac Regis in Bohemiam tanta sunt merita, ut *Patriæ Pater*, & quod sæpius dixi, *Patriæ Mater* debeat appellari; dono quodam providentiæ nobis genitus, qui Bohemiam paulò antè cæde *Ottogari* prostratam, & veteribus incolis pulsis ab exteris hominibus occupatam, deinde interitu *Przemyslææ Regum* familiæ animam agentem, ab *Joanne* Patre ad incitas redactam, primus in pristinum gradum restituit, neque id modò, sed novis gloriæ præsidiis munivit & sepsit, ut omnes divinæ & humanæ felicitates cum *Carolo in Bohemia* natæ, cum eo

Caroli IV. in Bohemiam merita.

Vide vitam Arneſti & L. 3. Miſcell. init.

eo educatæ, & cum eo regnante regnâſſe viderentur; certè ejus tempore pro omni encomio habebatur Bohemum natum eſſe; Bohemi primariis in *Aula Imperiali* honoribus & dignitatibus admovebantur, primis in *Germania Epiſcopatibus & Archiepiſcopatibus* exornati & honeſtati, legationes Imperij & Electorum ad *Pontifices & Reges* obibant; bellicâ gloriâ, literarum & pietatis laude, opulentiâ & ſplendore in ſacris juxta ac profanis florebant, ut par cuicunque gentium Bohemorum fortuna duceretur, ut non immeritò *Æneæ Silvio* (qui non fuit aliquis de trivio, ſed vir ſummus, & *Germaniam*, & *Europam* univerſam ſæpius peragraverat, ac poſtea ad ſummum Pontificatum doctrinæ & prudentiæ merito aſcendit) vicino temporum eorum, hanc vocem veritas expreſſerit: *Nullum Regnum eâ tempeſtate inveniebatur, quod Regno Bohemico comparari poſſet. Caroli* opus eſt Univerſitas Studiorum Pragæ maximis opibus fundata (de qua ſingulari tractatione) *Pragenſis Eccleſia Cathedralis in Metropolitanam* erecta, à *Moguntini Archiepiſcopi* ſubjectione exemta, reditibus & ditionibus tam opulentè locupletata, ut centum millia aureorum quotannis perciperet *Archiepiſcopus*; idem ipſe *Legati Nati* titulo, & *S. R. Imperij Principis* decoratus, quorum titulorum prior, raram & paucis communem continet dignitatem; quo *Jure legationis* non modò *Regni Bohemiæ Provinciæ, Moravia, Sileſia, Luſatia*, ſed etiam *Miſnia*, & *Saxoniæ ſeptem Epiſcopatus* illi ſubjiciebantur; Item *Bambergenſis & Ratisbonenſis Archiepiſcopum Pragenſem* reſpiciebat, licet hoc poſtremum morte *Caroli* interverſum ſit. Caroli opus eſt *Eccleſiæ Pragenſis Baſilica*, ejúſque Regium ædificium, quod ad Colonienſis Eccleſiæ formam deſcripſerat, inchoatum; ipſius opus *Pons Pragenſis*, cui firmitate parem alterum vix invenias; ipſius opus *Novæ Civitatis Pragenſis*, & publicorum in ea operum, & templorum fundatio, & conſtructio; omnium mercium *Italicarum, Germanicarum, Maritimarum*, Pragam primùm devectio, & inde in alias aliáſque terras deportatio; *Conſtitutionum* Regni, *Jurium & Legum* noſtrarum ordinatio & compoſitio; *Sileſiæ & Luſatiæ Coronæ Bohemiæ* in perpetuum adjectio; veteris *Marchiæ & Bavariæ* ex aliqua parte emtio; tot denique Regibus noſtris ac Regno immunitates conceſſæ, tot libertates, ac Privilegia aureis Bullis munita, ut ſi vel ſolæ literæ recitentur, ingens volumen conficiant. Extra Bohemiam verò, tot & tanta à *Carolo IV. Cœnobia*, Caſtra, Arces, Opera publica, & cætera ejuſmodi, aut de novo condita & erecta, aut donata & locupletata ſunt, ut ſi fortè *Carolum Magnum* maximorum & ditiſſimorum *Epiſcopatuum & Archiepiſcopatuum Fundatorem* excipias, vix alium dare poſſis Principem, qui *Carolum IV.* in ædificationibus, fundationibus, quódque ampliùs eſt in natio-

Sylv. in Hiſt. Boh. init. & in Comment. de Germania.

Vita Erneſti I.

Ius Provinciale A. 1. b. 20. Ius Civit. c. 37. n. 39. Vide Fundamenta Regni.

Caroli IV. beneficentia in omnes.

nationes omnes benignitate, & beneficiis non dico ſuperârit, ſed æquârit: nullum ferè illuſtrius (ùt ex Indice à *Reverendo P. Joanne Gamans S. I.* tranſmiſſo, & poſt Notas in hoc caput referendo, patebit) in *Germania Cœnobium*, aut *Collegiatam Eccleſiam* dederis, cujus fundationem non auxerit, & aliquo ſuo beneficio non conſignaverit, aut novâ confirmatione ſaltèm non muniverit. Quid unquam ſimile præſtiterunt ij *Cæſares*, qui *Carolum* noſtrum *Vitricum* Imperij appellârunt? *Bulla Aurea Caroli IV.* quâ univerſa Imperij Oeconomia continetur, tale opus eſt & tam grande in nationem *Germanicam* meritum continet, ut per eam hactenus ſteterit, nè Imperatoris dignitas, Imperij ſalus & libertas, vi & conſiliis, & fraudibus, toties oppugnata convelleretur, *& nè ruens Imperium ſuper Imperatorem* (ùt *Panegyriſtes* licèt in alio ſenſu loquitur) in quoddam informe chaos verteretur; mala omnia certè, quæcunq; hactenus ſenſit, vel timet, vel timere poteſt, Imperium ex *Bullæ aureæ* neglectu & contemtu naſcuntur. Publicata verò eſt *aurea Bulla Norimbergæ* A. 1356. 4. Id. Jan. *Metis* verò eodem anno 25. Decembris, ſi vera ſcripſit *Roſacinus*.

Arumæus Comment. in Auream Bullam.

Befold. in Synopſ. Hiſtor.

Roſacin Orat. Panegyr. Uni. verſ. Carol.

Video me ſinè lege, ſinè ordine, & ſinè delectu rerum in deſcribendo *Caroli* vita verſari, ingenuè fateor me ſenectutis morbo in certa Capita vitam illius ob rerum geſtarum magnitudinem, & multitudinem ordinare non potuiſſe, quis enim tot *Caroli* beneficia niſi grandi volumine complectatur & explicet? quis tot virtutes & gratias in omne genus hominũ, & quaſi colores beneficentiæ depingere ſperet? perinde ut *Jovi* in terras deſcendenti, quocunq; calcâſſet, novos flores ſubmiſit terra (ùt idem *Panegyriſtes* loquitur) ità quocunque ibat *Carolus* beneficia naſcebantur. Legi apud *Philonem* hebræorum doctiſſimum, eſſe quoddam animal *Tarandum* nomine (de quo animali nihil uſquam apud alios Authores, neq; nomen ipſum inveneris) ſed *Tarandum* tam denſo & cohærente, tam lævi & polito pilo veſtiri à natura, ut in ejus pelle velut in ſpeculo vicina omnia depingantur gratiſſimo ſpeculo: itaq; quoties per pratum aliquod floridum incedit, tota pellis animalis florida, & mille coloribus ad miraculum variata apparet; ego an hiſtoria, an fabula ſit, in medio relinquo, ſed cùm in *Caroli IV.* beneficentiam oculos conjicio, videor mihi videre flores formoſiſſimos, colores gratiarum, qui non aliunde, quàm ex ejus animo promanârunt, & vicina omnia omni genere bonorum impleverunt.

Philo lib. de Temulentia.

Indiculus Fundationum & Ædificationum, tum etiam Donariorum Caroli IV. Imperatoris.

Carolus IV. ædificat adverſus *Florentinos* propè *Lucam Urbem* in cacumine montis Oppidum & caſtellum, quod *montem Caroli* appellavit.

Beneſſ. l. 4. Hiſtor.

Beneſſ. l. 3. *Carolus IV.* adhuc *Marchio Moraviæ* ad ornamentum ſepulchri *Sancti Wenceslai* fieri curavit duodecim ſtatuas argenteas *Sanctorum Apoſtolorum*, ad Viri magnitudinem.

Idem ad An. 1342. Anno 1342. fundatur à *Carolo Eccleſia Collegiata Omnium Sanctorum* in Arce Pragenſi, videlicet: *Præpoſitus*, *Decanus*, & undecim *Præbendæ Divites*, ac *decem Miniſtri largè*, ùt ait Beneſſius, *proviſi*.

Carol. IV. Im. in vita ſua c. 14. Item fundantur à *Carolo IV.* nondum *Imperatore Manſionarij*, ùt vocabant in Eccleſia Pragenſi, ſcilicet: duodecim *Presbyteri*, ſex *Diaconi*, & ſex *Subdiaconi*, ſimúlque in aurora ſacrum de B. Virgine.

Similis Regulæ *Manſionarij* ab eodem *Carolo* fundati ſunt *Norimbergæ*, & alij ejuſdem inſtituti An. 1355. in *Italia* in *Villa Terentia*, niſi fortè ſit eadem *Collegiata Eccleſia B. Virginis Parmenſis* agri erecta magnificéque dotata, cujus Fundatorias literas *Caroli* ſe & vidiſſe & legiſſe *Æneas Silvius* teſtatur.

Sil. in Hiſtor. Boh. c. 33.

Beneſſ. l. 4. An. 1347. fundavit & dotavit *Cœnobium* pro *Carmelitis Pragæ*, dictum *B. Mariæ ad Nives*.

An. 1348. fundat *Novam Civitatem Pragenſem*.

Anno eodem incœpit ædificare *Arcem* ſumptuoſiſſimam *Carlſteinenſem*.

Anno eodem extruere cœpit *Monaſterium S. Hieronymi Slavorum Ordinis S. Benedicti*.

Anno 1351. *Carolus Civitatem Vetero-Boleslavienſem* mœnibus cingit.

Bruſch. in Cent. 1. Monaſt. Germa. in Cœnob. S. Vdalrici. Eodem anno *Carolus IV.* mittit *Pragâ Auguſtam* tabulam argenteam inauratam, cui incluſum eſt, ſic Cæſare ſtatuente, caput *Sancti Dionyſij* primi *Auguſtanorum Epiſcopi* cum inſcriptione, quam recitat *Bruſchius*.

Martyrolog. Eccl. Prag. M.S. ad 6. Id. Maij. Beneſſ. l. 4. Idem *Carolus* ſub caſtro ſuo *Carlſtein* in honorem *S. Martyris Palmacij* fundavit & conſtruxit *Eccleſiam Parochialem*; ejus ſacræ *Reliquiæ* ibidem illæſæ ſervantur.

An. 1351. fundavit *Miſſam* quotidie canendam in *Eccleſia Vetero-Boleslavienſi* ad primum ſepulchrum S. Wenceslai.

Idem. Circa hæc tempora ædificavit, & cenſibus Annuis fundavit *Tachovienſe Cœnobium Patribus Carmelitis*.

Idem. Item fundavit *Monaſterium* in monte *S. Caroli Pragæ* ditiſſimum, cui etiam omne argentum menſarium die fundationis donavit, pro *Canonicis Regularibus S. Auguſtini*, quos induxit.

An.

An. 1354. fundavit *Monaſterium Ordinis S. Benedicti*, ſub titulo *S. Ambroſij* in Nova Civitate Pragenſi. Beneſſ.

Martyrolog. M.S. Eccl. Pr. An. 1355. fundavit *Monaſterium Virginum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini ad Eccleſiam S. Catharinæ*, quam extruxit in Nova Civitate Pragenſi, donavítque eis de Reliquiis, & oleo quod fluit ex ſepulchro ejuſdem S. Virginis Catharinæ.

Beneſſ. l. 4. An. 1358. cœpit extruere *Pontem Pragenſem* ſuper *Muldavam* flumen, opus mirabile & verè Regium.

Id. Beneſſ. An. 1360. cinxit altiſſimis & ſolidiſſimis mœnibus montem *Petrinum*, *Strahovv*, *& Hradczanum* Pragæ.

Item in Eccleſia Pragenſi fundavit *Pſalteriſtas*, qui die & nocte (quando alij ſacri cantus & preces ceſſarent) altâ voce legerent *Davidis Pſalterium*.

Eodem anno in Vigilia *Annunciationis* ad Eccleſiam ejuſdem tituli fundavit *Servos B. Virginis* ſub *Wiſſehrado*.

Idem. An. 1366. abſoluta eſt ædificatio *Sacrarij S. Wenceslai*, miri prorſus operis in Eccleſia Pragenſi, in qua parietes gemmei hodiéque viſuntur.

Eodem anno à *Carolo IV.* amplíſſimè fundatur *Cœnobium Oivinenſe* in Luſatia ad Bohemiæ fines, *Ordinis S. Petri Cæleſtini*. Circa hæc tempora *Carolus* erigit *Univerſitatem Studiorum* Pragæ, impenſis maximis & prorſus Regiis.

An. 1367. abſolvitur ſumtuoſiſſima *Porticus* muſivi operis ad Sacrarium S. Wenceslai ſub Turri S. Viti.

An. 1368. naſcitur *Carolo IV.* filius Sigiſmundus impetratus à *S. Martyre*; cujus ſacrum tumulum ornavit *Imperator* auro & argento, & caput incluſit in auro, cúmque filius ſacris aquis ablueretur, eo die mille aureos in cenſum & decem argenti marcas Capitulo in portiones dedit. Circa hæc tempora in Nova Urbe Pragenſi *Eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani* cadentem erexit à fundamentis, & paulò pòſt *Paræciam S. Henrici* cum ipſo templo conſtruxit.

Idem. An. 1370. à Domino *Wilhelmo de Hazmburg Præpoſito Wiſſehradenſi* emit *Bibliothecam* manuſcriptorum codicum pro centum marcis, eandem donavit Collegio ſuo *Carolino*.

Idem. Ad Oppidum *Fürſtenberg* propè Francofurtum ad Oderam firmiſſimum Caſtrum ad flumen extruxit, & *Pontem* memorabilem ex ſaxo condidit.

Anno eodem conſtruxit *Turres* duas Pragæ in Arce S. Wenceslai, formoſiſſimas omnino, & plumbò contexit, quod vero auro illiniit, ſic ùt Sole lucente ex ponte Pragenſi præ fulgore aureæ lucis, vix ullus contrà tueri eas poſſet.

Bucholz. in Chron.

An. 1374. *Tangermundæ* in Marchia Brandeburgica elegantissimam Arcem extruxit.

arous in Vita sua c. 8.

Longè priùs circa annum 1333. quia Castrum Pragense præter ruinas à tempore *Przemyslai* nihil habebat, neque posset *Carolus* in Arce habitare, sed in domibus Civium versaretur, cœpit *Carolus* perelegans Palatium in Arce Pragensi ædificare maximis sumtibus, opúsque illud verè Regium absolvit, ùt ipsemet testatur.

Henel. in Breslograph.

Wratislaviam Urbem cùm incendio cœlesti tota conflagrâsset, *Carolus* ipsemet Augustâ manu Urbis descriptionem (modellam hodie vocant) Civibus misit, publica quædam opera extruenda in se recepit, *Ecclesiam S. Dorotheæ* Mole maximam, altitudine singularem excitavit, Urbis partem trans Oderam amplificavit.

Münster. in Cosmograph. l. 3. de Germania in Carolo IV.

De *Cœnobio Ingelheimensi* audiamus Münsterum: *in Palatio Ingelheimensi, ubi Carolus Magnus fertur natus, Collegium Canonicorum Regularium instituit Carolus IV. illúdque subjecit Monasterio Pragensi, in quo septem aut octo Canonici in mea pueritia fuerunt; jam verò ablatum est Bohemis, & mortui omnes Canonici, & census redeunt ad Principem terræ.*

In Apolog. 2. Ord. Boh. in Allegatis n. 121.

In *Ecclesia Corporis Christi* (quam etiam laceram, & malè materiatam olim in agro *Crucigerorum cum Rubea Stella*, quam gessit in clypeo primus *Ordinis Generalis* gente *Sternbergius*, sitam) in Nova Civitate Pragensi fundâsse *Carolum IV. Missam*, quæ *Requiem* in Sacris dicitur, quolibet die Veneris pro defunctorum animabus habendam, ipsi hæretici *Bohemiæ Ordines* testantur.

Hactenus ædificationes Caroli, quas in meis Collectaneis annotatas inveni; plures sinè dubio diligentiam meam effugerunt, quasdam etiam adducam in Notis. Quid si Provincias, & terras Regno Bohemiæ conjunctas, & priùs ab eodem Carolo emtas, feuda item, & servitutes quasdam enumerare vellem? appareret sinè dubio aliquot *Myriades* auri *Carolum* exposuisse ad Regni Bohemiæ gloriam, & augmenta; viderint, qui tam justè emta, detinent; sed qui istorum notitiam habere velit, legat *Literas Publicas Cæsarum, Regum, & Electorum Imperij*, quas in Fundamentis Regni recitabimus.

Caroli IV. Virtutes, potissimùm Justitia.

Benes. l. 4. Miscell.

Nullus à me hoc loco vitam Caroli expectet, cùm jam pridem Lib. 4. Miscell. ejus pietatem in DEUM, amorem in proximum, cæteràsque divinas & humanas virtutes latissimè descripserim, sermonem etiam addiderim, quem in Caroli funere habuit *Joannes Archiepiscopus Pragensis & Cardinalis*, Vir doctissimus, quo *Carolum Imperatorem sanctum* fuisse probavit.

Justitia.

bavit, Omittere tamen non possum, quin justitiæ & pietatis ardentissimum amorem in Carolo, uno alteróve postea exemplo confirmem: judicium dabat Carolus, ferebátque sententiam sedens in Urbium & Arcium portis, aut etiam pro Curia in foro, adstantibus viris jura callentibus, præsertim *Lucerna* juris *Bartolo*, quem habebat ad manum, litem finiebat diu antè in tribunalibus ventilatam, aut in favorem divitum multo tempore protractam. *Latrombus*, qui publicum generis humani commercium morabantur quàm maximè erat infestus; An. 1366 *Cives Jaromirenses Sacerdotem* quendam, cum quo lis illis erat exceptum insidiis occiderant, etsi vim innumeram pecuniæ offerrent, capite sunt minuti. Rarius est, quod sequitur: Vir Nobilis Sacerdotem excæcaverat, eum Carolus, quantumcunque Proceres Bohemiæ orarent, & ipse omnia promitteret, pœnam *Talionis* subire jussit, excæcatúsque Nobilis dolore post triduum est extinctus; licèt *Dubravius*, & qui ex eo historiam descripsit *Abele*, flexum fuisse precibus *Carolum*, significet, sed nimirum *Benesio* hæc videnti major est habenda fides.

Benes. ibid.

Idem l. 4. Chron.

Abele in Metamorph. Telæ judiciariæ.

Pietatem in DEUM & Ecclesias tot sacræ fundationes, quas attulimus, satìs loquuntur. Ejusdem pietatis hoc quoque in speciem leve, at inter tot Imperij curas mirabile & memorabile indicium: quotidie à prima ætate recitâsse horas de *B. Maria*, quod *Officium* appellare solemus, eúmque morem ad ultimam usque ætatem perduxisse, quæ una constantia pietatis laudem maximam meretur; tenuit hunc morem *Carolus* ex *Magistri* sui *Petri Abbatis Monasterij Fiscarensis* institutione, qui eundem *Carolum*, verba sunt *Benesij: in sacra pagina abundè instruxit. S. Dionysium Augustæ* pro Christo passum donario argenteo coluisse antè dixi; res modica est, sed magnum documentum pietatis, scribit *Abbas Stengelius*, qui etiam *Caroli* versiculos ei donario insculptos recitat. De *Reliquijs*, & Sanctorum corporum à *Carolo* veneratione & amore tractatum integrum habebo in *Bohemia Pia*. *Carolo IV.* aliquot Religiosorum Prælati debent suæ dignitatis augmentum: paucis notum est, à *Carolo IV.* inter Status & Principes Imperij relatos esse *Abbates Fuldensem, Weissenburgensem, Campensem, & Murbacensem*, ex quibus *Fuldensis* hæreditarius *Cancellarius* est Imperatricis; idem *Privilegium Principale*, & titulum Principum à *Carolo* id temporis quibusdam *Abbatissis* concessum scribitur, ùt *Lindavienses & Buchavienses*, cui postremæ liber & gladius præferri solet in potestatis argumentum.

Pietas Caroli in Deum.

Carolus Imp. in vita sua.

Benes. l. 4. Chron.

Car. Stengel. Abb. in Comment. rer. Augustanar. in p. 1. c. 19.

Nec infelix fuit in bello *Carolus*: in Prussia quantum periculum in prælio adierit, equo confosso & cadente, in *Arnesti vita* narravi; item de *Cressiacensi in Gallia* conflictu, ubi à suis Bohemis nè pugnando periret,

Bellica virtus.

ex acie vi raptus est; in *Italia* die festo *S. Catharinæ*, cui deditissimus erat, commisso cum hostibus prælio, octingentos galeatos, & quinque millia militum cecîdit, túmque ipse *Carolus*, tum alij ducenti, militari balteo sunt donati, & aurati Equites creati, ob eámque caussam Virgini illi gratus *Carolus Parthenonem S. Catharinæ* Pragæ fundavit.

Visa cœlestia.

Cœlestia visa oblata *Carolo* sæpius, in ejus vita memoravi; memorabile illud de *Hugone Delphino Galliæ ab Angelo* in acie exfecto, & cœlitus peremto, in vita Ernesti narravi; quam etiam visionem Benessius *Caroli* comes, in pervigilio *Assumptæ DEI Genitricis* oblatam tradit, addítque *Carolum* emisse domum illam, in qua cœleste spectaculum oblatum erat, ex eáque *Monasterium Canonicorum Regularium S. Augustini* statuisse. Servatus est in vita divinitus non semel, & per *Eucharistiam* miraculo ad pedes conjuratorum ab altari turbine devolutam, ut ipsemet in vita sua describit; in quo libro imaginem quandam animi sui expressam veris coloribus posteritati reliquit, primis maximè capitibus, legant hunc libellum Principes, qui justè & piè regnare, tum etiam ij, qui sensa *Caroli*, atque ejusdem in DEUM ac Cœlites pietatem inspicere desiderant. Porrò ejus lucubrationes recensui cùm in libro de doctis Bohemiæ Viris agerem, verúmque esse apparuit in *Carolo*, quod Poëta dixit: *Carmen amat quisquis carmine digna gerit:* amantissimus semper Doctorum fuit *Carolus*: de *Bartolo Jurisconsulto* vide *Jovium*, Poëtas mirè dilexit: extant ad *Franciscum Petrarcham*, aliquot ab eo & vicissim ad *Carolum* missæ Epistolæ, item ad *Zenobium Florentinum*, *Joannem Boccatium*, ac cæteros, Próque doctis *Italiæ* Viris *Ticini Academiam* doctrinarum omnium fundavit.

Claudian.

Iov. in Elog. Doct. Vir. in Bartolo. Fabron. in Vit. Car. IV. Cancellaria Caroli IV. manuscripta. Rosacin. Ora. Paneg. Univ. Carol.

Accusationes quædam Caroli diluuntur.

Accusatio gravissima habetur, de ignavo filio & puero *Wenceslao*: quòd Electoribus in *Rheno portoria & vectigalia Imperij* condonârit ac donârit, ut filio Imperatoriam emeret dignitatem. Respondet *Weleslavinus*: *quanto fœdiùs egêre, qui dignitatem Imperatoris vendiderunt?* Cur igitur successores, & posteri ementium non restituunt? cur (quod Pius II. notavit) in capitulationibus Electionum Imperatores obligant, nè redimere possint, aut velint? imò ùt *Balæus* tradit, etiam tunc temporis *Carolum IV.* coëgêre, ut promitteret, non se illa *Telonia* ampliùs redemturum. Non utar illâ defensione, quam mihi ultrò in manum porrigunt peritissimi rerum Imperialium Scriptores, *Friderici I.* tempore, *Cæsares ex Portorijs Rheni* sedecim auri tonnas annuè (ùt *Fabronius* loquitur) percepisse quidem, at (ùt *Schneidewinus* apud eundem testatur, & habet *Besoldus* Vir Clarissimus per libertatem improvidè quibusdam *Italiæ* Urbibus

Welesl. Præf. in Silv. Cutheni.

Pius II. in Europa.

Herman. Fabron. in Monarch. Cæsar: edita 1618. Germanicè.

Besold. in Synopsi hist.

bibus concessam à quodam Imperatore, quem nominare hoc loco nihil attinet, quíque longè *Carolum IV.* antecessit) tantùm imminuta jam tunc ante *Carolum* fuisse vectigalia, ut eâ pecuniâ neque ripa Rheni defendi, neque ut verbis ejus utar, *postæ ali possent.* Ubi igitur sedecim auri tonnæ? nullas fuisse *Carolus* ipse testis est, in disertissima oratione ad Legatos Imperij Pragæ habita (quam recitat *Borek*) in qua ostendit plura se ex Regnis suis, percipere commoda, plurésque pecunias, quàm ex universo *Imperio*, & *Bohemiæ* Regnum non ditari ab *Imperio*, sed *Imperium* à *Bohemia* potiùs ditari. Hanc *Caroli* accusationem jam antè in vita *Arnesti* diluimus, authoritate maximorum Scriptorum, & comparatione priorum Imperatorũ, quorũ aliqui non ùt *Carolus* fecit, cesserunt Portoria, sed Provincias integras ad Imperium spectantes acceptâ pecuniâ jure suo vivere jusserunt, tum alios, qui urbes Imperij vendiderunt.

Notandum.

Borek in hist. Boh. fol. 327

Vit. Arn. l. 2. c. 12. & in Notis. Besold. synop. hist. c. 18. Sigon de Reg. Ital l. 22. Turscl. Epit. histor. l. 9. Bodin. lib. 6. Method. hist. in fine. Bayclay. in Icone animor. c. 5. Sprinzenstein in facie novæ Ro. Imperij.

De *Gunthero Schwartzburg*, quem electum ab aliquibus Imperij Principibus contra *Carolum* ipsemet *Carolus* ope Medici veneno sustulerit, ac factum emendare cupiens *Guntheri* liberis, viginti duo millia marcarum argenti numerârit, & quasdam in *Thuringia* ditiones adjecerit, ut *Carrionis Chronicon* narrat, impudens calumnia est à nobis in vita *Ernesti* refutata; quòd verò liberos *Guntheri* ditârit, egit istud *Carolus* innatâ suâ beneficentiâ, ut sibi velut Imperatori fideliùs obsequium præstarent, & alieniore animo à se non essent; etsi Pater eorum *Caroli* in Imperio rivalis fuisset, atque ità omnium præteritorum aboleretur memoria.

Quòd æmulos Imperij sustulerit.

Alij accusant, quòd cùm Electores nonnulli *Fridericum Marchionem Misniæ* An. 1348. *Imperatorem* elegissent, *Fridericus* acceptis à *Carolo* decem argenti talentis, jure suo decesserit. Negant hoc, & pernegant Misnici Scriptores, turpísque *Friderico* potiùs, quàm *Carolo* ejusmodi nundinatio foret; at *Weleslavinus* ultrò factum fatetur, & defendit; quid enim admissum est indecens, nonne satiùs est bellum pecuniâ, si potes, redimere, quàm sangvine multorum hominum sæpe innocentum finire; adde quòd nulla fuerit *Friderici* Electio, cui ipse ob senectam ætatem renunciârit, atque ideo *Carolus* ob hanc renunciationem, & sublatum electionis dubium, ex grati animi significatione pecuniam illam *Friderico obtulerit.*

Weleslav. in calend. Hist. ad 2. Ian.

Denique objiciunt alij *Carolum IV.* adversus legitimum Dominum *Ludovicum Bavarum*, *Pseudowoldemarum* fovisse, éique *Brandeburgiam* adjudicâsse. Hoc diffiteri nullatenus possum: at quis Regum est, ad quem dolus accessum non habeat? cui non possit imponi? qui non possit decipi? an Exempla desunt eorum, qui *Principum* ac *Regum* personas diu ac feliciter gesserunt? vide *Thesaurum Zwingeri*, item de

De Woldemaro.

ficto,

Ritc. in Chro. Reform. Bunting in hi ſtor. Brunſ. P. 4. Beneſſ. l. 4. Chron.

ficto, *Sebaſtiano Rege* hiſtoriam *Luſitanam*, & *Ricciolium* de quodam *Tile Kolup*, qui ſe pro *Friderico II. Cæſare* venditavit, conſule Hiſtoriam *Brunſvicenſem*, de hoc ipſo *Meinike Müller*, qui ſe *Woldemarum Marchionem Brandeburgicum* mentiebatur, accuratè & diligenter agit eadem *Hiſtoria Brunſvicenſis* & *Beneſſius* in Aula *Caroli* educatus; item de quodam *Demetrio*, qui ſe Joannis *Baſilij Moſcoviæ* Ducis filium feliciſſimè finxerit, vide *Piaſecium*, at non unus *Carolus IV.* ſed plurimi Principes Imperij, imò & Brandeburgiæ magna pars, hunc impoſtorem pro vero *Woldemaro* agnoverunt; inſùper ubi primùm ſe illuſum comperit *Carolus*, quod bonarum mentium eſt, continuò retractavit errorem, & Ottoni Marchioni, partim per pecuniam, partim per alia multa Caſtra tradita ſatisfecit.

Piaſec. in Chr. Polon. ad An. 1604.

Nullus ex Scriptoribus geſta *Caroli IV.* diligentiùs deſcripſit, quàm *Vir* coævus *Beneſſius* nomine *Canonicus Eccleſiæ Pragenſis*, qui Libro IV. Chronici ſui de his *Caroli* conſiliis & geſtis ſic loquitur: *Woldemarus habitus eſt Marchio Brandeburgi pro vero uſque ad diem mortis ſuæ*, & paulò pòſt: *Ludovicus Bavarus verò* (poſt Woldemari mortem) *quia erat exoſus ſuis, Marchionatum Brandeburgicum contulit fratri ſuo Ottoni*; ei ſcilicet, cui *Carolus*, ùt idem *Beneſſius* ſuperiùs narravit, *Catharinam* filiam ſuam viduam poſt *Rudolfum Ducem Auſtriæ* dedit in Conjugem. Hìc *Otto* non fuit ſocero ſuo *Carolo* fidelis: ſæpiùs enim eum oppugnavit, & ligas cum hoſtibus *Caroli* fecit, maximè cum *Ludovico Rege Ungariæ*, ideóque coactus eſt *Carolus* eundem *Ottonem* bello petere, ùt *Beneſſius* idem ad An. 1371. commemorat. Jam An. 1373, *Otto*, inquit, *Marchio Brandeburgenſis Gener Caroli IV.* præteritis pueris Domini Imperatoris *contra pacta* voluit inſtituere hæredem (quia liberis carebat) *Fridericum Ducem Bavariæ*; conſcripto exercitu *Carolus* occupavit plurimas ejus Arces, ità ut adactus ſit venire Pragam; inveſtivit igitur *Carolus* (petente ipſo *Ottone*) per *Banderias* filios ſuos *Wenceslaum*, *Sigiſmundum*, & *Joannem*, & ijs deficientibus *Marchiones Moraviæ* Dominum *Joannem* & filios *Jodocum*, *Joannem*, & *Procopium*, & dedit *Ottoni* pro ea re innumerabilem pecuniam, & Caſtra *Sultzbach*, *Flos*, & alias plures Civitates.

Nota.

Nota.

Silv. in Hiſt.

Eſt etiam ab *Ænea Silvio* obiter conjectum telum in *Carolum* amatorem alienarum mulierum maximum in prima ætate fuiſſe, & ab *Angelo* eapropter correptum *Delphini Galliæ* morte per viſum oblatâ; at *Carolus* in vita ſua negat, abs ſe aliquid ejuſmodi unquam patratum, imò in timore *Divini Numinis* adoleſcentiam & juventutem ſe percurriſſe, ad filios ſcribens gloriatur; ibidem fatetur ſe à dæmone tentatum, nunquam devictum aut ſuperatum. Sed hæc omnia quæ objiciuntur, etſi vera & maledicta forent, *Caroli* benefactis immortalibus obruuntur. *De*

Car. IV. in vita ſua c. 7.

De Authoribus, qui Caroli IV. Vitam ſcripsêre.

Caroli IV. Vita ſæpe edita eſt, ſed indiligenter; exſpectabatur à Patre *Joanne Gamanſio S. I.* amico meo præcipuo, cui petenti plurima *Carolina Diplomata* ex plurimis *Cathedralibus* & *Collegiatis Eccleſijs*, & Cœnobiis uno animo, unáque ſententiâ ſubmiſeramus, *R. P. Georgius Crugerius*, *R. P. Henricus Chlumecky*, quorum ego tertius numerum & diligentiam auxi. De quo labore *Gamanſij* agemus in Notis.

Eſt etiam *Vita Caroli ſcripta Bohemicè*, & Typis edita, ſed operæ pretium non eſt eam legi, quia notiſſima tantùm incertus Author adducit.

Caroli IV. lucubratio de vita ſua.

Vitam ſuam *Carolus* ipſe ſcripſit, & *duobus filijs in Thronis ſedentibus*, videlicet: *Wenceslao & Sigiſmundo* inſcripſit, quæ paſſim in *Bibliothecis MM. SS.* Codicum reperitur, éſtque etiam Latinè & Bohemicè Typis expreſſa non ſemel; quia verò *Carolus Imperator* magnis tantùm rebus gerendis imminebat, majora tantùm eo libro complexus eſt, omiſit minora; *Beneſſius de Weitmil* Vir genere Nobiliſſimus, idémque doctiſſimus, poſtea *Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicus*, qui in *Aula Caroli IV.* à puero educatus, omnium propè itinerum ejus comes fuit, tantâ in eo argumento diligentiâ verſatus eſt, ut ſcribendo veſtigia Caroli numerare, ut ità dicam, voluiſſe videatur in *Opere Chronicorum*; ad eum omnes remitto, quicunque Caroli geſta avent cognoſcere.

Paulus Zidek deſcribit Caroli IV. tempora.

Paulus Zidek deſignatus *Litomislenſis Epiſcopus* ſub *Georgio Rege* vitam & geſta *Caroli IV. Bohemico* complexus eſt idiomate: multa ibi ſingularia leguntur, pauca tamen, quia quaſi argumenti ſui oblitus omnem illam lucubrationem ſuam ad cæteros *Reges*, qui Carolum ſecuti ſunt deſcribendos convertit; latè nihilominus commemorat Bohemorum Carolo regnante pietatem; Eccleſias quaſdam ab eo fundatas recenſet; adjicit quædam de *Archiepiſcopatu Pragenſi* feuda quædam Regni empta à Carolo adducit, tum nominat *Principes*, qui à *Corona Bohemiæ* feudum accipere debeant; delabitur deinde in Pragæ opulentiam regnante Carolo, ſcribit omnes nationes eo tempore cupiviſſe Pragæ habitare, ut tum *Praga orbis compendium* appellaretur: *Ethnicos* etiam & *Barbaros*, qui pretioſas damaſcenas telas, & pannos Babylonico & Perſico opere texerent, Carolum Prægæ aluiſſe, iiſque *Montem S. Laurentij* ſuper Pragam attribuiſſe, quem illi caſulis quibuſdam extructis, & magnâ parte tentorijs coloratis gratioſo tori Urbi ſpectaculo impleverint. Hæc *Zidek*. Quem librum manuſcriptum ex *Bibliotheca Novodomenſi*, Prælato magno conceſſum, doleo hactenus recuperari non potuiſſe.

Est etiam Vita Caroli IV. ab Hermanno *Fabronio* Germanicè scripta, sed ea tam virulenta, ùt alibi questus sum, ut nihil aliud quàm vituperium contineat,& Authorem prævaricationis reum constituat: nimirum virulentissimo hæretico, omnis Caroli in *Ecclesiam*, præsertim *Romanam*, observantia, pietas, & splendor in Sacris, in Cœlites amor, in eorum *Reliquijs* colligendis diligentia, & veneratio, atque ejusmodi Christianorum Principum virtutes, totidem vitia videbantur.

Carolus IV. in sepulchro incorruptus

Natus est Carolus Pragæ An. C. 1316. 14. Maij, horâ 1. diei, salutaribus aquis ablutus in Ecclesia Pragensi, die Pentecostes, qui dies incidebat in 30. Maij. Obiit autem An. 1378. Pragæ in Vigilia S. Andreæ, horâ 2. noctis, ætatis suæ 63. cujus corpus post annos trecentos, & quod excurrit, se incorruptum vidisse *Welesla-vinus* testatur, idémque à se visum gloriatur *Pessina*.

Notæ in Caput II.

Caroli IV. vita hæret.

Dixeram paulò antè de *R. P. Gamansij* labore, res sic habet: cùm antè annos facilè vicenos quinos scholis docendis vale feciſlem, circumspicere cœpi, quod potissimum argumentum assumerem, in quo mea desudaret industria; statueram historiam *Patriam* (cui à puero parvulo deditissimus eram, ut etiam septennis, ter & quater *Hagecij Historiam* pervolverim) illustrare, sed priùs proludere quodammodo, & ùt Musici vocant *præambulum*, aut præludium facere, & alicujus aut sanctitate, aut rebus gestis illustris apud nos Viri Vitam scribere, in qua vires experiret meas, & quid possem in *Historia Patria* aliis demonstrare, *vitam Caroli IV.* primùm mihi proposueram, jámque in eam rem, ùt in ædificatione fieri amat, materiam comportabam, cùm ecce commercium literarum cum doctissimo Viro *Gamansio* habere cœpi; vix ternas, vel quaternas literas commutavimus, cùm ille consilium suum aperit: habere se in animo Vitam *Caroli IV.* vulgare, ídque se *Cancellario* Regni *Bohemiæ* patefeciſſe, qui laborem approbârit & laudârit, atque insuper sumptus liberales ab *Augustissimo Cæsare Leopoldo* procuraturum promiserit; ergò cùm me præventum esse viderem, omnem cogitationem de *Carolo* abjeci, & *Vitam Arnesti I. Archiepiscopi Pragensis*, qui summus *Caroli* Minister fuit, scribendam assumsi; deinde quæ de *Carolo* collegeram omnia *Gamansio* misi, & nova etiam ex *Archivis* excerpta communicavi; neque cessavi hominem amicum perurgere, ut tandem quod semel susceperat, perficeret; ille causabatur Moguntinos Antistites, quorum gesta ante omnia absolvere priùs scribendo cuperet; denique cunctatio illa vel quidquid fuit ad annos viginti protracta est, quibus elapsis, consulti amici ex Rheno indicium fecerunt, bonum senem *Gamansium* nihil ampliùs de *Carolo IV.* cogitare, imò præ senio, vel si velit, non posse, nihilque hactenus præter designationem Vitæ & Capitum confeciſſe, sed habere documenta innumera, quæ si fortè alicui ingenio communicarentur, rem confectam & Vitam *Caroli IV.* habiturum. Neque tamen documenta remissa sunt, sola operis designatio in manus meas venit. Referam ergo hoc loco descriptionem & designationem illam, ut si quis eadem fortè conari velit, habeat paratissimam Vitæ Caroli Oeconomiam, & capita, quæ publicis literis, vel Historiis & Exemplis facillimum erit illustrare. Sic igitur habet divisio doctissimi *Gamansij*.

D. Caroli

D. Caroli Rom: Imp: IV. Bohemiæ Regis Augustissimi Elogium Augustum.

I.

D. *Caroli Imp: Rom: IV. Commentarius Augustalis* vitæ suæ, rerúmque rectè vel secùs gestarum Christiano digna Principe relatio. *Exemplar est apud me.* Ex MM.SS. Bibliothecarum Cæsareæ Viennensis, & Metropolitanæ Pragensis.

II.

S. D. *Clementis Papæ IV. Sermo Auguralis*, ad Legatos *D. Caroli Regis Romanor: Electi*: cum Salomoni Regem parem, nec D. *Carolo Magno* Imperatorem fore imparem, Ecclesijs fundandis. Ex MM. SS. Bibliothecæ Susatensis. *Exemplar habeo.*

III.

Joannis Card: Arch: Prag: II. Laudatio Funeralis, sive Consecratio D. *Caroli* Imp: IV. quod admirandæ Sanctitatis merito, Salomone Rege major, D. *Constantino Magno* vix minor ritu cultúque publico Divis sit accensendus ex MM. SS. Balbinianis. *Exemplar est apud Freherum.*

IV.

Fasti singulares Reliquiarum SS. quas perillustres peregre Pragam D. *Carolus Imp: IV.* attulit gazâ Regiâ excultas. Ex Membranis Ecclesiæ Pragensis. *Exemplar prostat.*

V.

Literæ Divales D. Caroli Imp: IV. allatis Divûm Reliquiis, veritatis testes, ex MM. SS. Tabulis Arch. Eccl. Prag. *Exemplar est in manibus.*

VI.

Additiones Rerum & Literarum Augustalium D. Caroli Imp. IV. Elogio Augusto in fidem ac lucem annotationibus illustratæ. Ex originibus MM. SS. & authenticis monumentis.

Caput I.

D. Carolus Imperator IV. Divo Carolo Imperatori Magno haud impar Ecclesijs copiosè fundatis.

1. *Pragæ Castro Regio.*

1342. Collegiatæ OO: Sanctorum.
1343. Metropolitanæ S. Viti. Mansionariorum Deiparæ.
1360. Bonifantum diu noctúque psallentium.

2. *Pragæ, Urbe Novâ.*

1347. Carmelitarum Mariæ Nivis.
1348. Benedictinorum S. Hieronymi in Solvan.
1355. Eremitarum S. Augustini ad S. Catharinam.
1361. Servitarum Deiparæ.
1364. Canonicorum S. Apollinaris. Corporis Christi.
1372. SS. Mariæ Magdalenæ, Afræ, Mariæ Ægyptiacæ.

3. *Wisschradi Arce Regiâ.*

1351. Canonicorum Regularium S. Caroli Imp.
1355. Benedictinarum S. Ambrosij.

4. *In reliquo Regno Bohemiæ.*

1348. Capellarum Arcis Carlsteiniæ.
1351. Collegiatæ Veteris Boleslaviæ.
1351. Carmelitarum Tachoviæ.
1357. Collegiatæ Carlsteinensis.

1360. Eremitaram S. Auguſt. Suſſicij.
1366. Cœleſtinorum in Owin.

5. *In Ducatu Sileſiæ.*

1348. Eremitarum S. Auguſtini Wratislaviæ.

6. *In Comitatu Lucemburgi.*

1348. Clariſſarum Epternaci.

7. *In Germania reliqua.*

1354. Collegiatæ S. Victoris Moguntini.
1355. Canonicorum Regularium S. Caroli Ingelhemij.
1355. Capellæ Imperial. B. V. Norimbergæ.
Mariæ-Rodæ Ciſterc. in Saxonia Inferiori.
Riddagshuſæ Ciſterc. ibidem.

8. *In Italiæ Regno.*

1331. Canonicorum Regulariũ Papiæ.
1355. Collegiatæ B. V. Tarentij.

Caput II.

D. Carolus Eccleſiarum univerſalis Benefactor.

1. *In Bohemia Archiepiſcopalis Pragenſis.*

1336. XII. Apoſtolis argenteis humanâ ſtaturâ datis.
1347. CCC. ſexagenis groſſorum eidem à quovis Rege coronato aſſignatis.
1358. Fundationibus Eccleſiarum, Capellarum, altarium omnium, per Bohemiam in Acta digeſtis.
1368. C. argenti marcis Metropolitanæ Pragenſi aſſignatis.

2. *Epiſcopalis Litomiſlenſis.*
3. - - *Olomucenſis.*
4. - - *Wratislavienſis.*

In Germania Archiepiſcopalis Moguntiæ.

Epiſcopalis Curienſis
Conſtantienſis.
Spirenſis.
Wormacienſis.
Herbipolenſis.
Auguſtanenſis.
Eyſtettenſis.
Halberſtadienſis.
Hildeſienſis.
Verdenſis.
Paderbornenſis.
Bambergenſis.

Archiepiſcopalis Colonienſis
Epiſcopalis Monaſterienſis
Leodienſis
Ultrajectenſis
Mindenſis
Oſnabrugenſis.

Archiepiſcopalis Trevirenſis,
Epiſcopalis Metenſis
Tullenſis
Virdunenſis.

Archiepiſcopalis Magdeburgenſis,
Epiſcopalis Havelbergenſis
Brandeburgenſis
Lebuſſenſis
Caminenſis
Racemburgenſis
Mersburgenſis
Miſnienſis.

Archiepiſcopalis Salisburgenſis,
Epiſcopalis Patavienſis
Ratisbonenſis
Brixinenſis
Ftiſingenſis
Tridentinæ
Gurcenſis.

Archiepiſcopalis Bremenſis,
Epiſcopalis Lubecenſis
Sverinenſis
Raceburgenſis
Sleſwicenſis.

In Pruſſia.

Epiſcopalis Culmenſis
Sambienſis
Varmienſis
Pomezanienſis.

In Italia.

Eccleſiæ Rom. dominiis confirmatis, item

item Juribus in Schiſmate progugnatis.
S. Patriarchalis Aquilegienſis.
Archiepiſcopalis Mediolanenſis.

Caput III.

D. Carolus Hierarchicæ Eccleſiarum dignitatis aſſertor Archiepiſcopatu excitato.

1343. Pragenſi per Clementem VI. Eidem Archiepiſcopo jure ungendi & coronandi Regis impetrato.
Item Jure Legationis in Ratisbon: Bamberg: Miſnenſ: Brandeburg:
Item Jure Legati Nati.
Item Jure Crucis præferendæ, uſúque Rochetti publico Suffraganeis.

Epiſcopatu inſtituto.

Lithomisliæ.
Olomucij reſtituto.

Prærogativis auctis.

1343. Coronæ Regiæ à Pragenſi Metropolitana cuſtodiendæ.
1365. Mitræ albæ & Rochetti Canonicis Archiepiſcopo miniſtrantib9.
1389. Etiam à morte Caroli cæteris Canonicis omnibus Mitræ Pontificalis aurophrygiatæ conceſſio.

Principali dignitate.

Wiſſehradenſi Præpoſito confirmatâ.
Simili munere Abbatiſſæ S. Georgij Reginæ coronandæ conceſſio.
Decanatu vel Præpoſiturâ Lithomericij erectâ, nunc Cathedrali Eccleſiâ.

Caput IV.

D. Carolus Apoſtolici Eccleſiarum muneris Zelator.

In Regno Bohemiæ, in toto Imperio:
Literatis ac probatis viris ad Archiepiſcopales, Epiſcopales &c. Eccleſias ſuâ voluntate promotis ſingulatim ordine ſuperioris Cap. 2. recenſendis.

Caput V.

D. Carolus Canonici Eccleſiaſticorum Ordinis Magiſter,

Evangelio palàm decantato
Explicato:
Sacrâ Scripturâ, Theologiâ, lectâ & intellectâ?
Statutis Erneſtinis Eccleſiæ Pragenſis aureâ Bulla confirmatis.
Lectione ac Lectore S. Scripturæ ibidem per Erneſtum Archiepiſcopum fundato.
1359, Sæculari Canonicorũ habitu palàm Moguntiæ caſtigato.
1363. Collegio Canonicorum S. Scripturæ Lectorum, & Auditorum dorato.
1365. Nulli Canonico duabus præbendis Urbani V. decreto conceſſis.
1370, Graduatis ſolis ad Præbendas, ad Parochias admiſſis.

Caput VI.

D. Carolus Eccleſiaſticæ Clericorum immunitatis Defenſor.

1342. Clericos Pragenſes operibus ruſticanis eximit.
1348. Wratislavienſes nudis pedibus ab Epiſcopo culpam deprecari adigit.
1352. Eccleſiæ Pragenſi confirmat Ottogari Regis Privilegia. *Boh. pia.*
1354. Alia Jura omnia.
Item Regni Privilegia concedit.
Domos Eccleſiæ legandi facultates tribuit.
Securitatem Univerſi Cleri toto Imperio aureâ Bullâ Carolinâ reſtituit.

Caput VII.

D. Carolus Imperator IV. Salomon Imperij alter.

1. *Sapientia.*

Expeditione transmarinâ declinatâ.
Captivitatis Venetæ periculo elusо.
Alienâ sapientiâ æstimatâ.
Imperij ordine Imperialis electionis modo, Electorum munere, Imperatoris dignitate, omnium securitate per auream Bullam constitutâ.
Imperio Bohemiæ Regno uniendo.
1354. Wenceslao fratre Lucemburgi Duce creato.
1354. Eidem & posteris fræni Imperialis gubernatione à dextro latere.
Item incisione ciborum Imperialium commissâ.
1357. Controversiâ ensis Imperialis ferendi eundē inter & Rudolphum Saxoniæ Ducem compositâ.
Ducibus Meckelburgi, Juliæ &c. MarchionibusBarri &c. institutis.

2. *Scientia.*

A linguarum & literarum etiam sacrarum insigni notitia.
A Commentariis Evangeliorum.
Item suæ vitæ.
Item Passionis S. Wenceslai, suo marte scriptis,
A diplomatis Cæsareis &c. latinissimè conditis,
A scholis Academicis frequentatis.
A literatis palàm honoratis, etiam à morte, Mindæ, & eorundem inprimis Studiosorū Pragæ copiâ.
A Scriptorum eodem loci & temporis frequentia.

3. *Justitia.*

Per se plurimis administratâ.
Item injuriâ prædonum per se depulsâ,.
Rebellione punitâ.
Cæde innocentis Parochi vindicatâ,
Sacerdotis item alterius compensatâ
Proditore delusо.

4. *Potentiâ.*

Ab auri, argenti, & fodinarum abundantia.
Ab expeditione bellica in Prussiam, Russiam, Lithvaniam, Poloniam, Hungariam, Italiam, Galliam, Hispaniâm, Germaniam universam.

5. *Magnificentiâ.*

Aulici apparatus & comitatus Coronationis Regiæ Cæsareæ.
Comitiorum Metis, Norimbergæ.
Itinerum Parisios Romam. Francofurtum Oderæ Lubecam, Mindam, Tremoniam.
Nuptiarum Cracoviæ,
Solennitatum Paschæ &c.

Caput VIII.

D. Carolus Imp. IV. Bohemiæ Regum Augustissimus, Regni Augustus alter.

Privilegijs confirmatis.

1348. Electionis literæ.
1358. Successionis Regiæ juxta literas Friderici Imperatoris II. etiam in filiabus.
1364. Omnium Regni Jurium. Electoratûs Imperialis.

Finibus productis:

1348. Norimbergam usque,
Item pòst in Bavariam & Voitlandiam adjungendam.
1355. Iisdem Regni finibus & possessionibus iterato stabilitis.
1368. Silesiâ Bohemiæ unitâ.
Recognitione Wratislaviensis Episcopatûs acceptâ.
1372. Marchiâ Brandeburgicâ possessione aditâ.

Fœderibus initis.

Cum Archiducibus Austriæ.

Munimentis exstructis.

Wisshradi, Ratzinij, Carlsteinij, Fürstenbergæ. *Com-*

Commodis procuratis.

Thermis Carolinis,
Vinetis plantatis,
Vivariis effossis,
Oeconomiâ Regni restitutâ.

Universitate conditâ.

Collegiis ternis eidem adjunctis.
Civium domibus usui studentium aptatis.
Bibliothecâ adornatâ.

Caput IX.

D. Carolus Imp. IV. augustis structuris per Bohemiam & alibi magnificus.

1. *Urbium.*

1332. Montis Caroli Oppidi & Arcis in Italia.
1348. Neo-Pragæ.
Wratislaviæ instauratæ, ampliatæ.
1351. Boleslaviæ circummuratæ.
1360. Strahovij & Petrzini montis mœnibus cincti.
1363. Pragæ Veteris auctæ.

2. *Arcium.*

Regiæ Pragensis.
1348. Wisshradensis,
1348. Carlsteinensis,
1358. Carlickensis,
1370. Fürstenbergensis,
1372. Tangermündensis.

3. *Templorum.*

Metropolitani Pragensis & aliorum suprà recensitorum,
S. Dorotheæ Wratislaviæ.

4. *Monasteriorum, Collegiorum ibidem.*

5. *Universitatis Carolinæ.*

6. *Pontium.*

1358. Pragensis,
1370. Fürstenbergensis.

Caput X.

D. Carolus IV. Imp. D. Constantinus alter, pietate in Deum & Divos.

1. *Dei cultu propagato.*

1341. Expeditionibus in Infideles Christo subjugandos susceptis.
1386. Edicto Joan. Archiepis. Prag. II. Fidei Catholicæ totâ Bohemiâ retinendæ nullo hæretico tolerato.
Flagellantium hæresi exstinctâ.

2. *Divorum Reliquijs Pragam allatis.*

E tota Germania, Gallia, Italia, Hungaria,
1354. Treviris Crucis Dominicæ, Cinguli, Pepli B. V. Baculi S. Petri.
1354. Aquilegiâ Evangelij S. Marci. Budâ, Mappæ Dominicæ, & ità de cæteris.
1354. S. Florentij solenniter in Alsatia elevatum.
1369. Iisdem Pragæ C. millibus hominum ostensis.

3. *Templis, Arcibus præsente se Deo & Divis dedicatis.*

Metropolitano.
1366. Monasterio S. Catharinæ.
Item Capellâ S. Wenceslai.
1370 Capellâ Archiepiscopalis Aulæ
1371. Collegiatâ S. Ægidij.
1372. Monasterio S. Hieronymi in Slawan, & aliorum alibi.

4. *Festis institutis.*

1355. Lanceæ Domini,
Reliquiarum Ecclesiæ Pragensis.

5. *Officijs ordinatis.*

Ejusdem Lanceæ.

It. B. Virginis.

Canonico Officio quotidie recitato B. Virginis sæpius à puero; eóque demum in singulos dies legendis propriis novè distributo ut à Canonicis Pragæ, Norimbergæ, Tarentij fundatis indies decantetur.

Caput XI.

D. Carolus Imp. IV. Divis Bohemiæ Tutelaribus præcipuè devotus.

1. S. Pa-

1. S. Patronis.

Duodecim Choralibus eorum venerationi divino monitu institutis.

1355. Allatione corporis S. Viti Papiâ Pragam.

2. S. Wenceslao.

1347. Coronâ Regiâ novè fabricatâ, Eadem coronandis Regibus destinatâ,
Capellâ propriâ ædificatâ,
1371. Boleslaviâ vetere instauratâ, Missâ maturâ ibidem fundatâ, & ab Ernesto Archiep. firmatâ. Tumbâ aureâ scutis Baronum S. Wenceslai argenteis contectâ.
1363. Ejus nomine filio dato,
1368. Indulgentiis obtentis.

3. S. Sigismundo.

1365. Allatione corporis honorificâ,
1368. Impositione nominis Filio.
1371. Pretiosis donis sanitate receptâ,
1375. Regali celebratione festi. Imitatione ejusdem laude Dei perpetuâ institutâ.

Caput XII.

D. Carolus Imp. IV. Deo dilectus & electus.

1. à Familia sua,

Lucemburgica & Bohemica, in Avis, parentibus, fratribus, propinquis, etiam affinibus, ex Domo Austriaca, Hungarica, Polonica, Deo ferè id temporis dilectis electâ.

2. à præsidijs divinis.

1331. & seqq. à toxico, proditione, captivitate, cladè, cæde, &c. ope SS. Hostiæ, Deiparæ Virg. S. Catharinæ M. prodigiosè servatus.

3. à visis divinis & vaticinijs.

1332. Delphini Franciæ mortui.
1377. Pragæ destruendæ, Clementis IV. Papæ eligendi.

4. à miraculis ipsius ævo Pragæ factis.

1338. SS. Hostiæ inter ignes Pragæ illæsæ,
Item propè Kuttenbergam miraculosæ.
1355. S. Nicolai digito sangvineo.
SS. Wenceslai, Sigismundi, & aliorum SS. aliis prodigiis variis.
B. Catharinæ Bononiensis Carolum corpus mortuæ honorantem, apertis subitò oculis arridentis, & salutantis.

Caput XIII.

D. Caroli Imper. IV. Parentes

Joannes & Elisabetha Reges Ecclesiarum fundatores & benefactores.

1. Parvo-Pragæ.

1316. Chori Eremitarum & S. Augustini.
1330. Monialium Ordinis Prædicatorū in Augezd.
1341. Carthusianorum ibidem.

2. Vetero-Pragæ.

1318. Chori Franciscanorum ad S. Jacobum.
1319. Eorundem Triclinij.

3. in Regno Bohemiæ.

1342. Eremitarum S. Augustini, Susficij,
Waldsassæ Cistercienſium.
Aulæ-Regiæ Avus Wenceslaus.

4. in Marchionatu Moraviæ.

1323. Aulæ-Mariæ Elizabeth Avia secunda Caroli.
1334. Pustomiriæ Monialium Joannes Episcopus Olomucens: Proavunculus Caroli.

5. in Comitatu Lucemburgi.

1342. Clarissarum Epternaci, Basilicæ Deiparæ Virginis in Aviaw.

6. in Regno Italiæ.

1331. Eremitarum S. Augustini Papiæ.

Caput XIV.

D. Caroli Fratres, Agnati, Filij,

Ecclesiarum Fundatores.

1. in

1. in Regno Bohemiæ & alibi

1348. Cappellæ Arcis Ziebrak, Joannes frater fundator.
Item Carthusianorum Olomucij.
1353. Eremitarum S. Augustini Brunæ.
Carthusianorum propè Brunam.
1350. Capellæ S. Nicolai Pragæ Parvæ.
Caroli Agnatus Dux Burgundiæ.
Nicolaus frater Caroli Patriarcha Aquilegiensis.
Wenceslaus filius Metropolitanæ Pragensis.
Clarissarum Epternaci. Item
Ecclesiarum aliarum alibi.
Joannes Caroli ex Joanne filio nepos, Episcopus Litomislensis, Olomucensis, subinde Patriarcha Aquilegiensis.

Caput XV.

D. Caroli Familiares Bohemiæ

Antistites Ecclesiarum Fundatores.

1. Joannes IV. Episcopus Pragensis Pragæ.

Sepulchri S. Adalberti argenteâ laminâ contecti in Arce Prag.
Præbendarum Canonicalium in Metropolit.
Altarium S. Silvestri, & S. Mathiæ, ib.
Collegiatæ S. Ægidij combustæ.
Canonicorum Regularium Raudnitzij Hospitalis ibid.

2. Ernestus Archiepiscopus Prag.

Canonicorum Regularium Glacij.
Eorundem in Satzka Hora.
Hospitalis In Jaromir,
In Rokican.
In Broda Bohemica,
In Przibram,
In Liban.

3. Joannes Archiepiscopus Pragensis II.

Hospitalis in Jerusalem Wissehradi.
S. Antonij pro Sacerdotibus & Studiosis ægris in Hradczan.

4. Theodoricus Episcopus Mindensis.

1346. Cistercienſium in Skalicz.

5. Joannes Episcopus Litomislensis.

Eremitarum S. Augustini in Litomisl ibidem sepultus.

6. Petrus Episcopus Litomislensis & Olomucensis.

Canonicorum Regularium Landtscronæ ibidem sepultus 1387.

Caput XVI.

D. Caroli exemplo Bohemiæ

Proceres & Cives Ecclesiarum Fundatores.

1. Pragæ Urbe Veteri.

1340. Monialium S. Spiritûs juxta Cœnobium S. Crucis Nicolaus Rokicaner, Civis.
ü346. Aliorum templorum alij.

2. in Regno Bohemiæ.

1319. Clarissarum Teinitzij D. Plichta ibidem sepultus.
1342. Eremitarum S. Augustini in Marica prope Schwanbergam Boleslaus & Juta Barones.
1366. Canonicorum Regularium in Trzebon Rosenbergici, Altovadi, Crumlovij, &c.

Caput III.

Wenceslaus ejus nominis IV. Bohemiæ Rex, & Romanorum Imperator.



Carolo IV. degener cõtigit.

Carolus IV. nec in Regno paterno, nec in Imperio dubium successorem reliquit, utrobiq; scilicet *Wenceslaum*, ibi coronatum, hìc electum; utinam ùt sangvinis ità & virtutum suarum hæredem & imitatorem reliquisset! sed ùt *Carolus* gestis laudatissimus, & glorioſus, ità filius Princeps propè omnibus exoſus, vitiis ſuis deſcribendis Scriptores fatigavit. Natus est *Norimbergæ* An. 1361. 17. Martij, ex *Anna* filia *Henrici Ducis Swidnicenſis*, *Jauro-vienſis*, *Fürſtenbergenſis* (quæ *Carolo* Patri hos Ducatus attulit) 3. Id. Aprilis in *Parochia S. Sebaldi* de ſacro fonte levatus; levârunt *Archiepiſcopi* tres, *Moguntinus*, *Colonienſis*, & *Pragenſis*; *Epiſcopi* ſex, quinque *Abbates*; offertorium ùt vocant, miſit *Carolus* Pater ad *Divam Aquiſgranenſem* miraculis claram XVI. marcas auri, quod tum erat pondus infantis. Narrant optimi Scriptores, aquam ſacram, dum abluitur, luto infeciſſe, & paulò antè dum aqua pro Baptiſmo calefieret *Paræciæ* culinâ igne correptâ, vix domum ipſam ab incendio defendi potuiſſe. At quod addit recens noſtrâ ætate Scriptor, Matrem quoque ex partu obiiſſe, prorſus admitti non poteſt, cùm ex Vita *Caroli* habeamus *Annam Swidnicenſem Caroli* conjugem An. 1362. 11. Julij Pragæ deceſſiſſe, ùt ex *Lupacio* oſtendit *Welesla-vinus*. *Wenceslaus* nondum biennis *Rex Bohemiæ* (multùm retinente *Erneſto Archiepiſcopo Pragenſi*, Viro ſancto, qui totus ex cœlo pendebat, & inde rerum futurarum ſignificationes capiebat) in *Altari S. Mauritij in Eccleſia Pragenſi* coronatus eſt: quod in Baptiſmo *Norimbergæ*, hoc præſtitit in altari, præterea flendi & ſingultiendi nullum faciebat finem, & in ipſo honore triſtes & ſonoræ lacrymæ infantis ſiſti non poterant, donec quidam *Piſtor* placentâ in os injectâ lacrymantem componeret, cui ob eam rem dum viveret, uni ejuſmodi placentas Pragæ pinſendi privilegium dedit *Carolus*. Puer ac poſtea etiam adoleſcens magnas de ſe ſpes concitabat, & Magiſtris optimis in diſciplinam traditus, eorum, & præcipuè Patris vota ſuperabat: Artes liberales omnes percepit feliciter, & quaſi ingenio vel me-

Annal. Norimberg. ad 17. Martij.

De Fürſtenberg videatur Archivum Carlſteinenſe, quod alibi retulimus literâ C.

Mala omina de Wenceslao Caroli Filio.

In Calend. hiſtor. 11. Iul.

Imperium Wenceslai initiò laudatiſſimum.

memoriâ jam antè incluſas exponebat; omnes Europæ lingvas calluiſſe *M. Emundus* (qui eum familiariter noverat) teſtatur, quod de *Nerone Trajanum Imperatore* dicere ſolitum accepimus: procul eſſe omnes bonos Principes à primo quinquennio *Neronis*, idem prorſus de quinquennio *Wenceslai* veriſſimum invenio; *Patre Carolo*, ùt ſpes eſt, in cœlum recepto negotia omnia Imperij laudatiſſimè conficiebat; *Schiſma* periculoſum & difficile inter tres *Pontifices*, quod univerſam *Eccleſiam* lacerabat, & ſcindebat in partes, authoritate ſuâ, literis, & armorum comminatione extinxit; obibat *Germaniam* maximè: *Coloniæ & Moguntiæ Antiſtites* conſulebat ipſe per ſeſe, & Principum Imperij conſilia audiebat, denique omnes numeros boni Principis explebat. At illo quinquennio exeunte cùm ad ſe homines, ludiones, præſtigiatores, helluones, & aliis vitiis infames nullo delectu admittere cœpiſſet, totus à ſe ipſo mutatus, à curis Regnorum abhorrere, nihil niſi lætum audire, otiari, helluari, & in vino inſomnes noctes ducere cœpit, & quia conjux matrona ſanctiſſima *Johanna* hæc minimè probare videbatur, atque ipſe, ùt nonnulli ſcribunt, maleficio ligatus erat, in uxorem culpam conferens, mulierum amoribus paulatim irretiebatur; ex qvibus vitiis ùt fieri ſolet, in crudelitatem & lanienas hominum innocentûm delapſus eſt, cúmque ingenio valeret, ſuſpicionibus occupatus multa dictu horrenda perpetravit; hæc cauſſa mortem attulit *B. Joanni Neopomuceno*, ex quo an Regina præter ſe alium amaret, elicere precibus, promiſſis, tormentis tentârat, cúmque non proficeret, in profluentem *Mulda-væ* abjecit. Nullus erat in *Wenceslao* ſacrorum hominum reſpectus: *Joannem Suffraganeum Archiepiſcopalem* eodem genere mortis damnavit; idem comminatus Canonicis; mox ſæviit in Proceres, primoréſque *Civium Pragenſium*, quos vel timebat, vel quibus vitam ſuam non placere ſuſpicabatur, è medio ſuſtulit; carnificem ad latus habebat ſemper, & *Compatrem* ſuum per delicias appellabat; jam nihil ille curarum ſuſcipiebat, negligebat Imperium, & tum evigilabat, ubi pecuniæ faciendæ ſpes oboluiſſet: *Mediolani Vicariatum Imperij* centum quinquaginta aureorum millibus acceptis *Joanni Galeacio Vicecomiti* vendidit, aliiſque multis de cauſſis odium Principum in ſe concitavit; quarum ſummam *Joannes Moguntinus Archiepiſcopus* nomine omnium Electorum literis publicis evulgavit: *Lombardiæ Jura abalienâſſe: Juſtitiam auro vendidiſſe; latronibus liberas habenas laxâſſe; in Sacerdotes & honeſtos viros ſæviſſe; monitum non reſipuiſſe &c.* Itaque cùm electus vivente Patre An. 1376. 12. Januarij, & poſt Patris mortem An. 1386. 6. Julij *Aquiſgrani Imperator* coronatus eſſet, omnium Principum ſuffragijs A. 1400. exauthoratus eſt; at *Bohemia* longè priùs *Wenceslaum*

In Chron. Mi Belgij.

Wenceslai mores in deterius mutati.

Cauſæ Wenceslai Imperio dejecti.

deseruit: nam cùm toties à Proceribus monitum ebriosum & crudelem Regem, nihil rectè acturum, & agere viderent, *Sigismundi Regis Ungariæ* fratris, & *Jodoci Moraviæ Patrui* consilio captum *Wenceslaum* Anno 1394. in carcerem *Antiquæ Urbis Pragensis* inclusêre; evasit ille tamen astutiâ mirabili. Sed iterum A. 1401. ab *Jodoco Marchione, Wolframo Archiepiscopo Pragensi, Marchionibus Misniæ, & Proceribus Bohemiæ Pragæ*, Julio Mense obsessus, cùm per publicas literas 12. Augusti omnem emendationem promisisset, nihilq; præstaret An. sequenti 1402. iterum *Beraunæ* captus est, ac *Viennam* deportatus, sed iterum incredibili fortunâ evasit, & suis se in *Bohemia* compotoribus reddidit, denique his moribus, quibus assveverat usque ad Regni finem utens, ætatem perduxit; duo, ejus opera execrabilia in *Annalibus* lego: primum est, suscepta *Hussij hæresiarchæ* defensio, nam cùm is *Sophiæ*, quam secundam conjugem *Wenceslaus* habebat à confessionibus esset, delatus ad sedem *Apostolicam* & de hæresi postulatus, Romámque peremtoriè citatus; patrocinium invenit in uxorio Rege, qui gratiosè impetravit à Papa, ut illud judicium de *Hussо Pragæ* fieret; impetravit quod tanto ambitu petebat, intereáq; *Hussus* annis aliquot, noxios errores disseminavit, & non minimam *Bohemiæ* partem corrupit, Rege stertente & judicium differente. Alterum factum Reipublicæ maxima damna attulit: quòd Rex *Civitatem Pragensem & Academiam Pragensem* nationum studiis & odiis laborantem, non in tempore ut poterat, composuisset, sed potiùs accendisset: itaque curiam *Germanis* implevit, at contrà in *Universitate Carolina Bohemiæ* nationi jus omne & prærogativas omnes attribuit, unde indignatæ cæteræ nationes, valedixerunt *Bohemiæ*, & unâ omnes sententiâ, uno die Pragâ discesserunt, *Universitatem* penè vacuam relinquentes, illi autem in *Bohemia & Regia Urbe Imperium Germanorum* ægerrimè ferentes in omnem turbarum occasionem intenti, adepto tandem insigni & ad res novandas aptissimo Duce *Joanne Zisska* Senatum occiderunt, & rebellionem manifestam excitârunt. Hæc acta sunt An. 1419. quam Populi seditionem in *Arce Conradicz* cùm accepisset *Wenceslaus* irâ, cujus erat impotentissimus exæstuans apoplexiâ ictus, maximo rugitu in morte edito An. eodem 16. Augusti expiravit. Maculosa & deses vita *Wenceslai*, titulos ei non satis honorificos in posteritate reliquit; alij ùt *Stransky* fecit, *ebriosum* appellant, plerique *ignavum & crudelem*; habet tamen Defensores, ùt Magistrum *Emundum Belgam*, qui aliquot legationes ad eum à *Principibus Belgarum* obiit, describit is *Wenceslaum* ùt sedulum & ingeniosum, & tantùm cum vino incaluisset cruentum; cujus Emundi testimonium in Epitome recitavi. Defendit etiam *Wenceslaum Welesla-vinus*, & accusa-

Wenceslaus pessimo consilio Universitatem Bohemis implet, curiam Germanis.

Wenceslai Regis aliqua defensio.

Emundus in Chron. Magno Belgij.

cusationes omnes conatur diluere. *Henelij in Breslographia* verba sunt: *Carolo IV. successit Wenceslaus, non ille quidem à natura prorsus iners ac stolidus, sed qui indulgens cupiditatibus immodicè, luxuriæ præsertim, libidinum & iracundiæ, omnia naturæ bona obruit.* Henelij judicium verum esse ipse ego sæpius omnibus *Wenceslai* gestis diligenter inspectis deprehendi. Vixit annos 58. nullâ prole relictâ.

Notæ in Caput III.

Tacit. l. 1. Annal.

Principes dubium successorem nō relinquāt cùm possunt.

Scot. in principijs polit.

Interregna periculosa.

Tacit. histor. lib. 1.

Ludov. XII.

In Principibus omnia obsetvantur.

Silv. Comment. in Panor. lib. 1. n. 37.

Dubium successorem non reliquit Carolus &c. Prudentissimus Scriptor *Tacitus* in exemplo *Augusti Tiberium* sibi adhuc viventi adoptantis istud notavit, & tacitè imitandum Regibus proposuit: si enim cum novo Rege Regna turbari contingit, quantò magis dubio & incerto, imò nullo Rege turbabuntur? hinc *Interregna* Regibus periculosa appellant *Politici*; ut successore certo constituto pravæ spes aliorum coërceantur, & Reges ipsi certum suis fundent principatum; laudabiliter igitur egerunt & agunt Principes, qui filio post se regnaturo (si jam per ætatem id præstare potest) partem curarum concedunt, ùt fecit sapientissimus *Princeps Octavius Farnesius* in filio *Rainucio*, ob eámque potissimùm causam *Carolus V. Philippum Regem* per omnes suæ Monarchiæ Regiones se vivo duci curavit, ùt observat *Annibal Scotus*. Vix advertitur mutatio in Regno, cùm celerrimè alius Princeps supponitur, maximè si prioris similitudinem referat, quales natura filios facit, ut dicere liceat Virgilianum illud: *Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat*, adderem ego: *& mentem similem*; quod maximè subditi observant. At ubi successor dubius est, omnia alia fiunt: excitantur seditiosi, spebus novis implentur, leges, & judicia silent, aut differuntur, crescit impunitas, optiméque rursus *Tacitus*: ex persona *Pisonis, opportuni sunt magnis conatibus transitus rerum*; intelligit, ùt arbitror, *Tacitus Interregna*, in quibus, ùt in exemplis patet, multa periculosa regnantibus eveniunt; neque incongruè *Rex* ille *Galliæ* adhuc *Minorennis* (qui status proximus *Interregno* est) cùm in cœlo *Craterem* pinxisset, Symbolo animam addidit: *inter Eclipses exorior.*

Vitijs describendis Scriptores fatigavit &c. In Regibus nihil occultum eorum altissima dignitas esse sinit; sapienter *Plinius* in illo Imperatorio *Panegyrico ad Trajanum, habet hoc*, inquit, *primum magna fortuna, quòd nihil certum, nihil occultum esse patitur*, & quæ sequuntur. Ubi *Lipsius Commentator* pulcherrimis sententiis *Senecæ ad Neronem* rem totam confirmat. Reges signum, ad metam appellabat *Fridericus III. Imperator*: quos omnes homines, sed præcipuè subditi acutissimè intuentur. Monent alicubi sacræ Literæ, nè de divitibus malè loquamur, aves enim cœli omnia produturas, longè citiùs è diverso Regum dicta & facta Principum, populis produntur, cùm sinè auxilio Aulicorum nihil ferè boni & nihil etiam mali Principes agere possint. Quanto silentio *Tiberius Imperator* maximus alioqui simulator, & dissimulator, & mille ambagibus tectus, & in se convolutus *Capreas* suas munivit? omnia tamen Populo Romano patuerunt. Tenuit hunc etiam morem in voluptatibus contegendis maximus avorum ætate Princeps, sub quo etiam scire tacenda periculosum fuit, postea tamen cortinâ Principis remotâ, & sublato Domino tota scena in apertum prodiit, atque etiam domus Pragenses digitis indicabantur, ex quibus ille advocabat delicias. Itaque non mirum in *Wenceslao* id factum, ut quidquid in occulto gerebat id populi scirent, & Scriptores ad execrationem posteritati commendarent.

Regina missi Mater Dei

Offertorium sedecim auri marcas pondus infantis ad B. Virginem misit Carolus &c. Religio prima Principum virtus non tantùm simulanda est, ùt impiè docuit *Machiavellus*, sed ritè, & sanctè colenda svadetur, ut auxilia, sanitas, felicitas, gloria, cæteráque hominum bona à Deo impetrentur, Maternam operam hac in re præstat generi humano apud *Deum Regina* mundi *Beatissima Virgo Maria*, ut nulla propè Regio reperiri possit, ubi templa prodigiis & beneficentiâ ejus non celebrentur, ùt sæpius probavi; videtúrque si ità dicere licet, artem medicam, aut pharmaceuticam, quæ salus infirmorum dicitur, profiteri; hinc tot herbarum nomina apud nos ejus insigniuntur nominibus. Præcipuè cùm muneribus provocatur, quibus, ùt ait Seneca, *etiam Dij placantur*, non quòd munera curent, sed quòd affectus nostros magni æstiment, & sive nos paupertatem nostram, sive excellentiam & merita Divorum agnoscamus, gratum id est Deo, qui in Sanctis suis, ùt sæpe *Propheta* repetit, laudatur. Gratius autem & glorioſius Deo censetur, si summa orbis capita Matri illius submittant vertices, ùt in nostro exemplo fecit *Carolus Imperator*, ideóque etiam *Ethnicorum* sæcula eos Reges irriserunt, qui velut Diis pares pro Diis se coli voluerunt, eos autem ob moderationem animi summo honore prosecuti sunt, qui *Deo* se minores, séque Dei cultores sunt professi, & naturæ illi Divinæ venerationis homagium præstiterunt. Ridiculum est Laconum decretum *de Alexandri Magni* falsa divinitate: *quandoquidem Alexander esse cupit Deus, esto Deus.* Sanius illud *Tertulliani*: *ideò Imperator magnus est, quia cælo minor est.* Pulchrè etiam *Athenienses* inter *Monosticha*, in advenientis *Pompeij* laudem scripta hoc addi jusserunt:

In hist. S. Mont. In hist. Vart. In hist. Turzan. In hist. Boleslav.

Deo Principes sese submittant oportet.

Tertull. in Apologet.

Ἐφ ὅσον ἴσον ἄνθρωπον δόξας ἐπὶ τοσοῦτον θεὸς

Id est: *quatenus te censes hominem, eatenus nobis es Deus.*

Aquam sacram infecisse &c. Nemo Sapientum hactenus negavit omnia, nisi qui providentiam negavit; éstque in sacris literis, Deum aliquando dare significationem rerum futurarum, ut *fugiant à facie arcûs, & liberentur electi*; ominosa hujusmodi exempla quàm plurima adducit *Gregorius Richter*, nósque ipsi in Bohemia abundamus exemplis, ùt *albâ Dominâ* apparente *Novædomi*, sudantibus sepulchris *Roczovij*, alibíque, de nolæ tinnitu diximus lib. 3. Miscell. doctissimus quoque *Theophilus Raynaudus* omnia dari confirmat, atque inter alia narrat in *Gossensi Benedictinarum Parthenone*, æs campanum grande templi per se sonare, cùm Antistitæ mors imminet; item aliam esse campanam Vilillæ in *Diœcesi Cæsarauguſtana*, dictam *mirabilem*, vel *miraculorum*, quæ sonat si grave aliquod incommodum Reipublicæ Christianæ immineat; ejusmodi campanam olim habuit Bohemia, post Arcem *Wissehradum* inter vineas in *Ecclesiola S. Pancratij*, quæ spontaneo pulsu calamitatem aliquam venturam Bohemiæ significabat. In re nostra longè felicius in *Elia* infante omen fuit, qui cùm lactaretur ab ubere matris lactis loco flammas trahere & haurire videbatur, quod ejus ardentissimum pro Dei honore zelum indicabat; quid *Wenceslai* infantis lutum (liceat propitiis auribus dicere) significârit, & quid lacrymæ coronati portenderint, maculosa ejus vita, & lacrymis dignæ calamitates, in quas inertiâ suâ Regnum universum conjecit, satìs ostenderunt. Infinitus essem, & tempore abuterer, si in hac ætate exempla accumulare vellem: quod notum & clarum est, si explicare ampliùs velis, obscuratur potiùs, quàm illustratur.

Gr. Richt. in Axiomatis œconomicis.

Raynaud. To. 17. in Prato Spirit. n. 66.

Significationes futurorum persæpè dat Deus.

Multùm renitente Ernesto infans coronatur &c. Anima Viri sancti, ajunt sacræ Literæ, *enuntiat aliquando vera, magis quàm septem exploratores speculantes in sublimi*, talis fuit *Ernestus*, ùt in ejus vita probavi, totus cœlestis, & qui totus penderet è cœlo, & Deo conjunctus spiraret; amicitia autem sinè arcanorum communicatione vix consistit, unde accidit, ut quos *Divina Majestas* ex servis sibi facit amicos, isdem consiliorum suorum *Arcana* plerumque manifestet: videbat ille ignobilem infantis

Deus Arcana sua Amicis revelat.

Regij

Regij futuram vitam, aliáque ex illo damna præsentiebat, quod solius divinitatis est, & cui illa voluerit revelare. Sæpe verò accidit, ut ex rebus minimis à Sanctis Viris futura cernantur, alijs quorum mentem non illustravit Deus, nihil sentientibus; qua de re prudentissimè disserit *S. Synesius* (quem ego sanctissimum in *Africa Præsulem* sæpe vel ob ejus reconditam, & cum profanis literis conjunctam doctrinam admiror) inter alia, libro de Insomniis hæc habet: *futurorum indicia sunt velut multiplices quædam literæ in tota rerum Universitate, tanquam in libro descriptæ, quarum aliæ Phœnissæ, aliæ Ægyptiæ, aliæ sunt Assyriæ, quas solus sapiens, & futura prævidens legere novit*; non minùs aptè *S. Ambrosius Prophetas cœli senestras appellavit*, quòd ij, quid in cœlo geratur, aut quid de nobis in terra degentibus, decretum sit in cœlo, aperiant.

S. Ambr. L. de Isaac & Anima c. 4.

Adolescens magnas spes de se concitabat &c. Nemo ferè Principum omni ætate & omnibus horis desipuit; omnes in principio, medio, aut fine placuerunt. Infelicitas est primùm sapuisse, ac postea desipuisse; magna è contrario felicitas, emendâsse errores, & morbum sapientiæ (ità *Plinius* stultitiam vocavit) deposuisse. Multi bene cœperunt, malè finierunt. Utinam malè cœpissent, quod tolerabile est, sed bene finivissent! hoc ego innui, cùm canerem de *Salomone*:

Mutabilitas Principum.

Omnia summa tibi Salomon Rex magne fuerunt:
Stultitia, ingenium, gloria, divitiæ,
Es sapiens primùm, tum stultus; tempora muta:
Et primùm stultus, postea sis sapiens.

Lib. 3. Epigrammatum.

Idem *Wenceslao* optari poterat; sed nimirum, ùt antiqui dicebant: *hominem malum non emendat Imperium.* Honores rarò mores, nisi indeterius, immutant, & cùm tu mihi unum dederis, qui Imperio emendatus sit, ego nomina Principum centum recitabo, quos Imperia corruperunt; in summa fortuna improbis maxima est licentia; amici, qui verum dicere audeant, pauci; adulatorum & qui byssinis verbis utantur ad Principem, ingens multitudo circumstat, quibus maximè prodest Principem malum & injustum esse; inconstantia voluntatis, rigorem virtutis, velut onus quoddam sibi incumbens, ferre non potest: paratæ & obviæ peccandi illecebræ, cum impunitate rerum omnium invitant; juventus ipsa Regia, qualis in *Wenceslao* fuit ad illicitas curiositates deducit; denique semel iterúmque errâsse & peccâsse (quæ summa est naturæ humanæ infelicitas) satis est ad omnem vitam reliquam blandissimis ejusmodi vitiis depravandam.

Malos Imperium non reddit bonos.

Obibat Germaniam Wenceslaus &c. Itinera Regum ex utilitate Reipublicæ suscepta summè in magnis Principibus commendantur: sæpe enim quod neque literis neque legationibus confici potuit unâ Principis præsentiâ componitur. Humanitas illa Principis suos adeuntis nescio quid ex Divinitate trahit, & imitatio ejus est, qui ad nos cœlo descendit, & naturæ suæ & virtutum securitate fretus, quosdam ùt *D. Gregorius* loquitur, *in orbe saltus dedit.*

Itineta sæpe Principus laudi dantur.

Ludiones, præstigiatores, helluones admisit, in vino noctes ducere &c. Legi alicubi in *Codice MM. SS. Regem Angliæ Richardum*, qui *Wenceslai* sororem in conjugio habebat, *Annam* vel *Helenam* dictam, horum malorum omnium causſam præbuisse, cùm *Wenceslao* petenti aliquid quo se oblectare & tempus fallere posset, currus plenos ludionum, histrionum, & præstigiatorum misit, quibus ille velut infascinatus, plùs quàm curis Reipublicæ sese impendit, ac fortè ex istis aliquis maleficium illud perpetravit, quod de *Wenceslao* tradunt, *Johannæ* pissimæ conjugis absentis desiderium, præsentis tædium, ùt loquitur *Emundus*, *Wenceslaum* ferre non potuisse, idque

Curiosæ artes Principibus noxiæ.

Emund. in Chron. magno Belgij.

magicis

Zidek in vita Caroli IV. M. Antonius Imp. l. 11. de vita sua.

magicis artibus perfectum. Hic fuit fructus sceleratæ & dæmoniacæ societatis, cùm scilicet Imperator Magos inter sese committeret, eorúmque operâ in spectaculis, ac fortè etiam in voluptatibus uteretur. Nemo ajebat Epictetus servorum sapientissimus, *nemo latro est voluntatis*; negari tamen non potest, humanam voluntatem hujusmodi latronum studiis quodammodo surripi, & furtis & rapinis eorum patere & subduci, ut à se ipso homo præcipuè Juvenis discedat, totúsque mutetur.

Mulierculæ Principes crudeles reddunt.

Ex mulierc ularum amoribus in crudelitatem delapsus &c. Mirum est ex ignavo otio & impuris amoribus nasci in Principibus feritatem, & crudelitatem; hoc ipsum notavit *D. Ambrosius*, disputans de morte *S. Joannis Baptistæ*, & quærit quid deliciis cum crudelitate? id tamen fieri omnis ætas videt. An Principes, qui curas Reipublicæ non suscipiunt, & accusationes & defensiones in Judiciis, otio, vino, amore occupati, audire patienter non possunt, ut tamen aliquid feeisse videantur, inauditos damnant, atque ità officio suo se fungi per crudelitatis speciem existimant? an quòd voluptas cruenta plerumque sit, & cruorem amet? ità videmus mulieroſos, si ira accesserit, in arma ruere, & si amore non potiantur, furere: cognata enim sunt amor & furor, & amante fœminâ nihil esse furiosius existimant Poëtæ? quidquid causæ sit, id fieri videmus, & dolemus. Accedit mulierum amatarum gratia, ut quidquid ipsæ, eorúmque cognati exoptent, id Princeps vinosus & ebriosus efficiat, ut hâc ratione amorem approbare mulieribus possit.

Tyrannica ingenia suspiciosa.

Suspicionibus occupatus horrenda dictu patravit &c. Omnis Tyrannis necessariò suspiciosa est: cùm enim multâ crudelitate grassatum se in homines meminerit, ex conscientia factorum malè timet, & læsos à se vel amicos læsorum insidias capiti suo parare, & vindictam quæsituros suspicatur, maximè cùm vinum, amor, aut alius affectus mentem occupavit, qui rationem obnubilant, neque sinunt, ut suspiciones inutiles à veris, & fundum & fundamentum habentibus discernant. Principatus enim summum illis videtur bonum, quo exui omnium malorum miserrimum putant; *unde pauci inveniuntur Principes*, ùt ait *Annibal Scotus in Tacitum*, *qui animum suspicacem non habeant.*

Crudele Regnum ab omnibus damnatur.

Sævit in omnes &c. Crudelitatis Regnum est tristissimum, quod omnibus libris de Clementia *Seneca* pulcherrimè describit, maximè lib. 1. c. 7. *quod si Dij placabiles*, inquit, *& æqui, delicta potentium non statim fulminibus persequuntur, quantò æquius est hominem hominibus præpositum miti animo exercere Imperium, & cogitare, utrum mundi status gratior oculis, pulchriórque sit sereno & puro die, an cùm fragoribus crebris omnia quatiuntur, & ignes hinc atque illinc micant? atqui non alia facies est, quieti moderatique Imperij, quàm sereni cœli & nitentis, crudele Regnum, turbidum, tenebríque obscurum est, inter trementes, & ad repentinum sonitum expavescentes, nec eo quidem, qui omnia turbat, inconcusso* & cætera aurea dicta, quæ si legant inclementes & crudeles, non puto durare posse, quin ad clementiam moveantur. Idem præstabit lectio *Plutarchi*, qui ad cohibendam iracundiam tam raras, támque divinas rationes attulit, ut nihil in hoc genere legerim illustrius, ad horum libros legendos Lectorem invito.

Plutarch. in lib. de ira cohibenda.

Regnare labor maximus.

Nihil curarum suscipiebat, & negligebat Imperium &c. Gnaviter & graviter errant ij, qui Populos regere otiosam quandam & gloriosam dignitatem esse putant. Regere sapienter, omnium laborum maximus est labor, ut præclarè nescio quis Veterum Regum de suo Regio diademate dixerit: ô si anicula nôsles, quantos labores & curas, quanta pericula & molestias & miserias hoc Diadema secum trahat, etsi temerè ante pedes tuos jaceret, non elevares. Seneca id quoq; notavit in consolatione ad *Polybium: omnium domos Cæsaris vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi*

orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit, & siderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet subsistere &c. Quod hîc de *Cæsare Seneca* dixit, idem aliquâ proportione de *Rectoribus* Populorum asseri potest. Senibus quidem propositum esse debere otium cum dignitate, multis ostendit *M. Tullius*; at hoc regentibus non permittitur, qui ab otio ferè omni horâ ad laborem vocantur, neque satis est *Apellem* imitari maximum linearum pingendarum artificem, ut nulla dies abeat sinè linea, sed ut nulla dies abeat sinè cura. Quibus ex officio incumbit aliis imperare, incumbit etiam curas suscipere, alioquin sursum deorsum omnia miscebuntur in Regno, & navis Reipublicæ dormiente Gubernatore naufragij periculo exponetur; rectéque & sapienter magnus in *Aula Constantinopolitana Logotheta* scripsit: *Regnum sinè Duce* (vel Rege adolescente, vel pigritante Principe) *pejus se habet, quàm cùm Phaëthon paternum currum per cœlum regere conatus est; vel tanquam strenuo & gravi Pædagogo sublato, vel procul absente in schola puerorum omnia sunt confusa.*

Cic. in Cat. seu de senect.

Nicetas in Alex. Manuel.

Mulieres sæpe Hæreses promoverunt.

Hussus Sophiæ Reginæ à confessionibus &c. Observatum pridem est ab Eruditis: omnes propemodum *Hæresiarchas* ad disseminandos errores suos ope mulierum potissimùm usos esse; exempla habemus in promptu, quæ accumulare supervacaneum puto, cùm in doctissimo *Remundo de origine hæresum*, qui liber omnibus obvius est, legantur; caussas multas alij adferunt, ego hanc potissimam esse reor, quòd Hæresiarchæ in tutela sint cacodæmonum & malis geniis regantur, qui hujus sexûs potentiâ ad pervertendos mortales plurimùm utuntur. Observavit pridem *D. Ambrosius* hunc dæmonis morem in prima primi hominis tentatione, quem per se ipsum tentare non ausus, per mulierem decepit, hoc ipso demonstrans suas ad tentandum vires muliere imbecilliores esse; eandem consvetudinem tenet hodiéque. Regnum muliebre eleganter descripsit ingeniosus Author in Lib. cui titulum fecit *Peregrini in Patria errores*, in quo capite singulari probat infirmiorem hunc sexum aliàs, ad svadendum tamen & persvadendum potentissimum esse, ratio in proclivi est: quia amore pugnant, & blanditiis impetrant, quod voluerint; quis autem nesciat & neget verum esse, quod vulgò jactatur: *omnia vincit amor*? *Pausanias* Author est: navim, Herculis statuam vehentem, nullis viribus aut machinis moveri loco potuisse, donec *Phormione Philosopho & Vate* funes ex capillis fœminarum confecti, rudentûm loco adhibiti essent, quo facto, nullo negotio tracta navis est; symbolum muliebris potentiæ agnoscent Eruditi.

S. Ambr. lib. de Parad. c. 13.

Pausan. in Achaicis seu l. 7.

Crudelitas & libido plerumque sterile.

Wenceslaus nullâ prole relictâ &c. Qui in deliciis generantur & generant, rarò genus propagant, ùt observant Interpretes in illud Pauli: *Spuria vitulamina non mittunt radices &c.* vitulamen enim hoc loco putamus esse, quod alij *lupulum* in vitibus, & hujusmodi arbustis appellant, ex quibus nihil nascitur, etsi maximè luxuriant; sed præcipuè crudelitas sterilitate damnatur. Qui hoc argumentum subtiliùs tractârit, præ *Plutarcho* nullum invenio, disputat is primùm, cur pauperes numero prolium graventur, contrà verò divites semper quodammodo in periculo interitûs familiæ versentur? respondet ex natura: pauperes recto ac parabili victu, ùt v. g. panis, casei, aquæ, uti; divites deliciis ciborum prorsus inæqualibus & sibi contrariis ali, & hujusmodi sangvinem & vitam trahere; illos naturæ tantùm necessitati & desideriis moderatè servire, nunquam ultra saturitatem in vescendo procedere; hos quotidie plùs quàm satis est impleri &c. tum ad interiores vires conversus adducit exempla omnium animantium fœcundatum, quæ mansvetissimæ earum fuerint, eas prolibus abundare ostendit, contrà, quæ feræ sint, & aliorum vivant mortibus, sterilescere. Quid mitius & simplicius est oviculis & columbis, quarum fœcunditas commendatur, & sæpe in anno Dominum locupletat; at lupi, accipitres, & hujusmodi sangvinariæ & semper rapto viventes harpyiæ, bene secum actum putant,

Plut. in quæst. Sympos.

Animantes mitissimæ eædem fœcundissimæ, & cur?

si uno alteróve catulo, aut pullo ditentur. Non æquiparo belluis divites, sed ajo, pauperum sangvinem dulciorem esse ex victu tenui & æquali, ideóque generationi aptissimum; contrà verò aliorum sangvinem mixturâ tot ciborum & vinorum & universim varij potûs amariorem, & magìs indigestum effici, accedente præsertim (quod in crudelitate perpetuum est) bilis inardescentiâ, & cæteris perversis nimio desiderio, vel spe, vel cupiditate, cæterísque vehementibus affectibus, quibus divites & Nobiles homines plerumque, & frequenter inardescunt. Plures adducere caussas ab instituto meo alienum puto; illud unicum adjicio: crudeles meritò sterilitatis pœnâ damnari à DEO, nè omnia ijs dare videatur DEUS, sed pauperibus (quos diligit, & in quibus se aspici, se pasci, se vestiri in Evangelio toties affirmat) quædam divitibus invidenda reservâsse demonstret. Ingeniosè *D. Ambrosius*, postquam nomen *Chus* (quem genuit improbus *Cham*) significare pulverem in hebræo dixisset, adjecissétque crudeles & improbos corpore & animo infœcundos evadere, subjicit: *Quid igitur improbus Cham nisi pulverem generet, ex quo generatio esse non possit? ideóque Propheta pulverem impijs comparavit, dicens: non sic impij, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ, eò quòd etiam secundum altiorem sensum infœcunda sit impiorum anima, quæ fructus utiles generare non possit. At de justo sic canit Propheta: & erit tanquam lignum, quòd plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet.*

S. Ambr. l. de Noe & Arca c. 34.

Gen. 10. Psal. 1.

CAPUT IV.

Sigismundus Romanorum Imperator, Ungariæ & Bohemiæ Rex.

Sigismund9 Caroli IV. filius puer ad Coronam Ungariæ destinatur.



Sigismundus ex ultima *Caroli IV.* conjuge *Elisabetha* filia *Bohuslai Ducis Stetinensis* An. 1368. 15. Februarij à *S. Sigismundo Martyre* impetratus nascitur. Adhuc puer in *Regnum Ungariæ ad Ludovicum Ungariæ Regem* cognatum, ut moribus & linguæ Ungaricæ à teneris assvefieret à Patre missus, cum prima conjuge *Maria Ludovici Ungariæ Regis* filia (quæ ei quadrimo *Wratislaviæ* desponsa fuit) Regnum accepit; obiit *Maria* altero post nuptias Anno Christi 1402. improlis, *Carolus* ejus Pater in hæreditatis vicem *Marchiam Brandeburgicam Sigismundo* dedit, sed hanc is An. 1388. (aut ùt aliqui volunt anno antè) fratruelibus suis *Jodoco & Procopio* oppignoravit, rursúsque redemptam à *Wilhelmo Misniæ Marchione*, cui eam *Jodocus* pro 40. sexagenarum millibus pignori dederat, *Friderico Norimbergensi* cum feudo concessit, ùt in Capite de Bohemiæ

Beneff. l. 4. Chron.

hemiæ finibus dixisse memini. *Ungariam* ægrè obtinuit *Sigismundus*, nam proditione sæpius appetitus, imò & in custodiam datus, suâ se eloquentiâ & pollicitationibus exemit periculo; id *Sigismundi* periculum *Æneas Silvius* eleganter in *Parallelis* describit, recitátque flexanimam ejus ad viduam Matrem *Procerum de Gara* Orationem, in qua inter alia promittit, ducturum se unam ex *Hermanni Ciliæ Comitis* filiabus, quod etiam præstitit. Mortuo *Jodoco* electo Imperatore in ejus locum in Martio anni 1411. electus est, & quia celeritatem in negotiis omnibus, contrà quàm frater adhibebat anno mox sequenti in *Lombardiam* ad colloquium *Papæ Joannis* perrexit; statuerat enim *Sigismundus* omnem lapidem movere, ut Schisma pestilens trium Pontificum, quod Ecclesiam in summum discrimen adducebat, aboleret, quod summo labore curarum, atque etiam itinerum (quæ per *Italiam, Galliam, Aragoniam, Angliam* volitans An. 1416. confecit) feliciter sustulit An. 1417. 11. Novembris, electo *Martino V. Pontifice, in Concilio Constantiensi, cessavítque Schisma, & si Petrus de Luna*, ùt loquitur *Ricciolius, usque ad mortem retinuerit Insignia Papatûs. Wenceslao* fratre in Bohemia mortuo, summâ usus celeritate auditis Pragensibus tumultibus, nè quod in principio Regni, oleum igni affunderet, *Comitia* Anno 1419. *Bohemis & Moravis Proceribus* non *Pragam* ubi fermentum hæresis excrescebat, sed *Brunam* indixit: Regia tanti Principis vultûs Majestas, experrecta indoles, eloquentia paratissima & ultrò profluens, amabilem, & gratum, simúlque venerabilem *Sigismundum* faciebant, ut jam lætis acclamationibus Proceres, omnésq; *Bohemiæ & Moraviæ* Ordines obedientiam promittere, eíque obsequium & vitam devovere in lucro reponerent; & nescio quæ *Nemesis* optimis sese consiliis sæpenumero immiscet, eáque evertit: nam cùm nescio quo Authore & impulsore positâ innatâ, id est, humanissimâ agendi ratione, *Pragensibus Civibus* ad se vocatis duriùs, & minaciùs quædam imperat, neque ijs se veniam daturum spondet, nisi catenas platearum omnes, & repagula auferant, ac dejiciant (addidit plura ut mœnia Urbis ad longissimum spatium diruant, séque ut victorem perfractis ac solo æquatis mœnibus in Urbem admittant) suspicati Pragenses malâ fide secum agi domum redeuntes tantum abest, ut quidquam vel in plateis, vel in mœnibus immunitum reliquerint, ut etiam repagulis & catenis novis, & mœnibus reparatis, si quam labem facerent Urbem suam permunierint, præsertim cum *Sigismundus* acerbissimis literis, & ironicis jam antè à se *Bohemiam* avertisset, & *Wratislaviæ* Civem quendam Pragensem, *Krasam* nomine, per Urbem equis distrahi jussisset, quod incredibiliter odium Cæsaris apud Bohemos accendit. Comunis postea sensus omnium

Silv. l. 30 n. 44.

Laudatur ob sublatum schisma.

Ricc. in chro. Ref. t. 3. Catal. 4.

Ricc. in chro. M. ex Actis Concilij Platina. Onuph.

Sigismundi error initio gubernationis.

prudentium, & qui in rebus Aularum verſabantur, fuit: ſi principio Regni *Sigiſmundus* diſſimulare ſciſſet, nullo negotio Regnum in poteſtate habiturum fuiſſe, nunc cùm Legatos Regni Bohemiæ & Civitatum averſatur, cùm acerbas, dubias, & minaces literas ad Regnum ſcribit, cùm nihil de jure ſuo deceſſurum ſe minatur, omnes in deſperationem rerum ſuarum adducti, neceſſario conſilio ſeſe deterioribus partibus adjunxerunt. Serò tandem *Sigiſmundus* poſt annum ab hinc ferè 16. quid peccâſſet, animadvertit, dicere deinde ſolitus (quod in proverbium Bohemis ceſſit) cùm repagula & obſtacula ſaltu ſuperare non potes, inclinato capite ſubi & tranſi. Ut ad rem redeam, centum quadraginta armatorum millibus auxiliis omnium *Germaniæ Principum* collectis Pragam obſedit, & tribus quatuórve locis præſidia Pragenſium dejicere tentavit, nullo ad extremum operæ pretio, partibus omnibus ingenti militum damno, & gravi cum ignominia repulſus; ut tamen aliquid egiſſe videretur in *Arce Regia Pragæ*, quam in poteſtate habebat 10. Julij hoc eodem Anno 1420. in *Regem Bohemiæ* coronari, & inungi ſe, vel invitis Bohemis procuravit. Illud propè execratione dignum, quòd auro argento & gemmis veriſſimis contecta Divorum ſepulchra, præcipuè aureum tumulum, in quo corpus S. *Wenceslai* clauſerat Pater, item diſtincta gemmis S. *Sigiſmundi* & S. *Adalberti* tegumenta, & capita eorum auro obvoluta, item Sanctorum lipſana magno pretio gemmarum & metallorum exornata, ac cætera Eccleſiarum ex auro & argento elaborata paramenta, imò & Regni theſauros in *Tocznik* & *Carlſtein* elevârit, & Principibus ac Civitatibus Imperij oppignorârit; quod genus cogendæ pecuniæ, ùt plurimi Scriptores notant, nunquam Regibus utilitatem aliquam attulit. Rediit deinde in Imperium Cæſar ad novos delectus, neque deſtitit his omnibus annis Bohemiam tam per Generum ſuum *Albertum Auſtriacum*, cui *Moraviam* donârat, quàm per Duces ſuos & Electores, quàm per cruce ſignatos Bohemiam oppugnare, nihil tamen ad rei ſummam profectum An. 1431. ferreâ Coronâ *Medioloni*, & *Romæ* anno ſequenti ab *Eugenio Pontifice* inſignitur, profectus deinde *Baſileam*, recipitur pro *Imperatore* à Concilij Patribus An. 1433. cúmque tot exercitibus in Bohemiam immiſſis nihil profici videret, poſt tot clades ad *Pragam* in *Porzicz*, ad *Wiſſehradum* eodem anno, ad *Teutobrodam*, alibíque acceptas, ſerò ſapuit, & anno 1428. humaniſſimas ad Bohemos literas dedit, quibus penè effectum eſt, ut univerſa Nobilitas nutaret, atque adeò ipſe hæreticorum anteſignanus *Procopius Raſus* datâ publicâ fide ad Cæſarem profectus, univerſam ſe Bohemiam in manus daturum *Sigiſmundo* promitteret; ſperabat nimirum, quos olim Patruo ſuo *Ziſcæ* pro-

Serò agnoſcit errorem

Templorum ſacram ſupellectilem in bella expendit infeliciter.

Sigiſmundo reſponſo ingrato alienat à ſe hæreticorum Duces.

promiſerat honores Cæſar, ſi Bohemiam omnem & Pragam redderet (quod is morte præventus præſtare non potuit) eoſdem ſibi *Sigiſmundum* collaturum; at cùm Cæſar paciſci cum ſubjectis populis ſuâ dignitate indignum duceret, neque ullam pecuniam (cujus *Procopius*, utpote miles prædis aſſvetus, ſitientiſſimus erat) neque dignitates ad quas hiabat, neque ullum præmium, ex quo vel utilitatem, vel honorem perciperet, offerret: nimirum hominem irritabilem in furias accendit, nec deinde unquam Procopius ullam cum *Sigiſmundo* pactionem inire & neq; audire ſuſtinuit; qua quidem in re *Sigiſmundus* imprudentiæ à Scriptoribus accuſatur. Miſit poſtea in ſe reverſus mitiſſimas iterum ad Bohemos literas An. 1432. quibus æſtimationem gentis Bohemæ profitetur, jurátque nullam in orbe nationem præ Bohemis ob virtutem bellicam, intrepidum eorum pectus, & periculorum omnium contemptum ſibi cariorem eſſe; aliáſq; laudes adjicit, ſimul jus ſuum, & Patris in Regnum merita deprædicans, Bohemum ſe & apud eos natum, per ſummum nefas arceri Regno queritur, his tantâ humanitate & clementiâ conceptis literis capta tota ab imo *Bohemiæ Nobilitas* ad arma conſurrexit, & quia ùt dixi, ſolus pacatis conſiliis obſtabat Procopius cum ſuis, indicto ei velut hoſti Patriæ aperto bello occurrentem aggreditur: ad *Brodam Bohemicam* in latè patenti planicie acerrimo & cruentiſſimo prælio dimicatum eſt; longum foret, quæ toties deſcripſi repetere, vicit denique bona cauſſa, Procopius in acie cecidit; *Taboritæ*, *Orphani*, & ſociorum reliqui vel capti, vel fugati; *Sigiſmundus* ad *Patrium* & avitum Regnum invitatus Pragam omnium Ordinum occurſu & lætitiâ A. 1436. 23. Auguſti ingreſſus eſt. Nihil deſideratius & Regi & Populo eſſe potuit! ſedit in foro Urbis Pragenſis, audivit, qui audientiam poſcebant, benignè; ſecundùm *Compactata*, quæ jam A. 1434. à *Concilio Baſileenſi* data erant, lites finiebat: neque ſuæ Religionis oblitus, templa, Cœnobia, quæ nuper vix non manibus laceraverant & diruerant hæretici, reconcinnabat, Religioſas Virgines, & ſacratos homines (præcipuè eos, quos vulgus Pragenſe minùs oderat) revocabat, ante omnes *Canonicos Eccleſiæ Pragenſis*, quibus etiam ſuas, quas potuit ditiones reſtituit, atque interim quot hebdomadis, in ſingula capita aureum Ungaricum numerari juſſit, Miniſtris verò Eccleſiarum medium aureum aſſignavit; denique nihil eorum omiſit, quibus ſibi populum demereri, séque probabilem & gratioſum facere poſſet. Omnibus illud maximè probatum eſt, quòd ſupremos Regni Senatores, ſeu Optimates, è ſtatu Dominorum duodecim, & ex Ordine Equeſtri octo, populo gratioſiſſimos nominârit, iiſque ipſemet publicè juramentum conceptis verbis prælegerit; nomina omnium recitavit

Nobilitas Bohemica defet hæreticorum exercitum.

Regnum optimè ordinatur à Sigiſmundo.

tavit *Weleslavinus*; tum *Consilium Camerale*, quod antea non erat, instituit, aliáque publica Regni munia sapientissimè ordinavit; *Compactata* se præsente, & *Legato Concilij* quatuor lingvis, *Latinâ*, *Bohemicâ*, *Ungaricâ*, *& Germanicâ* publicári & promulgari curavit; *Taborium* Legibus & Privilegiis exornavit, atque inter Urbes Regias recepit; addidit Civibus bona *Cœnobij Milovicensis Monialium Præmonstratensium*. Jam verò cùm contineri Rempublicam præmiis & pœnis nôsset, in eos, qui exemplum totius Regni sequi nollent, nec pacem datam reciperent, severè animadvertit: *Rohaczium de Duba* publicis latrociniis infamem cum sociis numero sexaginta Pragam adductis inhonorâ morte furcæ affixit. Interea *Turcæ* per Regis absentiam, *Serviam*, atque *Ungariæ* Provincias ingressi, omnia rapinis & mortibus fædabant, *Ungaris* serò se ad bellum comparantibus, *Sigismundus* ingentem in Bohemia militum numerum, qui nihil aliud quàm militiam callebant, adversus Turcas conscripsit, quorum auxilio ter profligati Turcæ, & penè ad internecionem deleti sunt, sapienti consilio, ut inquieti homines ad bella extra Patriam traherentur, & sive vincerent, sive vincerentur, prodessent. Sed jam optimus Princeps tot itineribus exercitus in summa senectute mortem instare sentiebat, accedente præsertim sacro igne ùt vocant, qui digitum pedis occupaverat, quem svadentibus Medicis statim jussit abscindi; *Æneas Silvius* tradit cùm abscinderetur, *Sigismundum Chirurgi* ferrum tam fortiter inspectâsse & pertulisse, quasi alius scinderetur; at cùm nihil Medicorum manus proficeret, visendi Generi sui *Alberti* gratiâ *Austriam* versùs ire perrexit; *Znoimæ* cùm esset *Alberto* advolante, quem *Proceribus Bohemis* magnoperè commendârat, ibidem septuagenarius A.C. 1437. 9. Decembris. Imperij Romani 26. Ungarici 51. Bohemici à Coronatione sua A. 17. decessit; *Waradinum* devectus ad tumulum Princeps humanissimus, facilis & maximè in exteras nationes liberalis; proceræ ac insignis staturæ, venustâ etiam in senectute facie, ingenio excellens, multarum lingvarum peritus, facetus idem ac eloquens, de *Ecclesia* sublato schismate pestilenti optimè meritus; in eo Scriptores omnes conveniunt, in bellis & conjugio infortunatissimum fuisse; certè pro Patrio Regno annis 16. cum Bohemis per se & Duces bellum gessit, nullam tamen victoriam reportavit; demum sapientiore consilio clementiæ ostentatione, ac fœderibus initis Regale *Bohemiæ* solium conscendit, quod armis ac totius *Germaniæ* viribus obtinere non potuit. Effigiem *Sigismundi* corporis pereleganter describit *Bonfinius*, utì & *Zacharias Theobaldus*, qui etiam veram ejus effigiem æri incîdit, cui geminam vivente adhuc *Sigismundo* perfectam in Arce *Carlsteinensi* hodiéque videmus.

Cochleus in Hussit.

Extremus ejus morbus mors & successor.

Silv. in Par. L. 4. n. 43.

Infelix fuit Princeps, sed præclarus.

Bonfin. Dec. 3. l. 3. Theobald. in Hussit.

NOTÆ

NOTÆ in Caput III.

E xultima Caroli IV. Conjuge &c. Quatuor conjuges *Carolus Imperator* habuit, ex omnibus maximas utilitates consecutus. Id potissimùm respiciendum Principibus est, quorum ferè conjugia non ex amore qui ex oculis nascitur, nisi fortè pictorum beneficio, aut famâ Authore (quorum utrumque fallax est, & gratiæ dari potest) impellantur ad amorem, sed ex utilitate & dignitate eliguntur. Jam superiùs dixi, quid viri Principes in conjugiis spectent; at illud summè probabile & laudatum conjugium censetur, quo bella restingvuntur, quod *Carolus IV. in Matre Sigismundi Elisabetha*, nepte Regum Poloniæ, consangvineâ Regum Ungariæ spectavit: nam imminens à Polonis & Ungaris cruentissimum bellum, hoc uno conjugio extinxit, & ex amicis dubiis aut hostibus fraterno sibi amore Reges conjunxit, & Regnis suis pacem & securitatem longissimam procuravit. Quod si fœdera Principibus viris svadentur, quanto potiore titulo conjugia, quæ illos potentiores reddant ineunda sunt: arctius nullum fœdus esse potest, quàm quod conjugio firmatur; sed neque ulla Principum domus tam potens, tam pollens viribus, tam secura & procul à periculis inveniri potest, quæ firmamentis non eget, maximè cùm conjugia imbecillitatem Principis, ut alia fœdera non indicent; sed amore & benevolentiâ invitante suscipi videantur. Quod verò quadrino adhuc *Sigismundo Maria Ungara* desponsata sit à Patre, id etiam *Caroli* prudentiam arguit, qui non modò sponsam filio impetravit, sed Regnum Ungariæ cum Regina desponsavit, & filium ad sponsæ Patrem *Ludovicum Regem* mittendo, fortunam filij summopere stabilivit. Alioquin infantûm conjugia, ut exemplis probari potest, non multùm sapientibus ob incertitudinem probantur, & si alterutra pars in adulta ætate voluntatem mutet, certissimum bellum, aut gravis alienatio animorum sequatur; sed necessitas imminentis belli, quod vitare volumus, legem non habet. Utinam hodie, ut olim, conjugiis bella finiantur!

Quid spectandum in conjugiis Principum.

Suâ se eloquentiâ periculo Sigismundus exemit &c. Periculum omnes animi facultates acuit, sed maximè eloquentiam; hinc militares conciones ante prælium, aut quæ in periculo & dimicatione capitis habitæ sunt, longè vivaciores, affectibus pleniores, argumentis nervosiores in Scriptoribus leguntur; quàm eæ, quæ in otio, & umbris scholarum conscribuntur, adeò ut orationem scholasticam & umbratilem nescio quis *Philosophus* legens, in qua ardor militum prælliantium describebatur, juraverit, longè magìs aquam in cacabo fervere, quàm milites apud eum in acie fremere. *Quintilianus* vel quisquis est ille, qui *de claris Oratoribus dialogum* vulgavit, summoperè commendat militarium concionum lectionem, ijs qui ad ingentem characterem eloquentiæ aspirant: *nescio*, inquit, *an venerint in manus vestras* (discipulos affatur) *quæ vetera &c. quæ nunc maximè à Muciano contrahuntur &c. ex his colligi potest Cn. Pompejum, & Marcum Crassum non viribus modò & armis, sed oratione quoque & ingenio valuisse &c.* Adducit cæteros belli Imperatores, qui eloquentiâ claruerunt, quorum orationes etiamsi brevissimæ ob imminens vitæ periculum nervum habent, quo dicta ipsa quodammodo inuruntur & inardescunt. Vidi artificem metallarium, qui in auro argento, cæterisque metallis liquefaciendis laborabat, tubulis quibusdam ventum excitare solitum, qui perpetuo flatu flammam in metallum vibraret, quæ adverso illo vento intendebatur, atque ità fiebat ut metallum faciliùs liquesceret, quàm si in accensa fornacula clausum ureretur. Symbolum hoc esse potest ingeniorum, qui cum adversis conflictantur, his enim vires animi & corporis accenduntur intensiùs, & ùt ità loquar, horrificantur.

Militares conciones plerumque magno eloquentiæ charactere dicuntur.

Si

Multâ dissimulanda Principi.

Si principio Regni dissimulare scisset &c. Omnia tempus habent, quòd si principio non observetur, perit humana prudentia; simulare plerumque vitio non caret, dissimulare virtus habetur; illud fraudulenti, hoc verò prudentis est. Maximè principio gubernationis dissimulatio necessaria, quia nondum, qui gubernaturus est, ordinavit Rempublicam, neque omnia simul induci nè odiosus fiat, expediet; prima Principatûs tempora sacro-sancta sint oportet, & nullius sangvine vel calamitate signentur, quia à principiis gubernationis populus conjecturam facit de futuris. Nemo peritus equitandi, antequam eqvum conscendat, firmitérque sedeat, pedésque in stapedibus aptè collocet, eqvum verberat, & calcibus & calcaribus infestat, sibi enim ascensuro impedimentum facit, & eqvum conturbat. Humanâ manu mulcendus est, etiamsi ultionem paret Dominus, differenda in tempus est.

Desperatio ultimus affectus & fortis.

Appian. l. 2. de Bello Civ.

Omnes in desperationem adducti &c. Nihil magìs seditiones & tumultus confirmat, quàm desperatio; nihil magìs enervat, quàm spes veniæ. Sæpe legimus hostes jam victos, cùm concluſi essent, in rabiem actos, quòd vitam desperarent, mori præelegisse, vicisse tamen, & victoriam victoribus extorsisse. *Julius Cæsar in Pharsalico prælio* prudenter milites suos miro artificio ad desperationem adduxit, ùt observat *Appianus*, & ad fortiter dimicandum incitavit. Nam cùm priùs oratione illos animâsset, *exituri*, ait, *vallum meo jussu convellite, fossas aggeribus complete, ut nihil nobis reliquum faciamus præter victoriam, & hostes videndo nos carere castris, necessariò suis nos usuros intelligant, quod ubi Pompejus advertit, intra se ingemuit, quòd pugnandum sibi foret cum bestijs.* Militibus scilicet desperatione victoriam quærentibus, quod proprium est furentium belluarum, de quibus *L. Seneca concitatissima in mortem rabies est. Desperatione ultimâ in furorem animus impellitur, quædam ferè tela omnia commordent, & ad mortis Authorem per vulnera sua ruunt &c. præcipitati, non quod impulit tantùm trahunt, sed quod occurrit, & naturali quodam deploratæ mortis affectu morientibus gratissimum est commori.* Hoc tunc in Bohemis infeliciter expertus est Imperator, cui desperationi ipsemet caussam dedit.

Seneca lib. 9. controversiarum 6.

Theophili Raynaudi sententia.

Theoph. Ray. T. 12. Tract. mala & bonis Ecclesiæ.

Divorum sepulchra auro spoliavit &c. Excusatione tamen aliquâ molliri factum *Sigismundi* potest: quòd pro Religione, pro Aris, & templis defendendis aurum expenderit, sperans, cùm vinceret hæreticos omnia se Christo & Ecclesiæ redditurum. De quo argumento difficile est aliquid scribere, & medium tenere. Ad *Theophilum Raynaudum* Lectorem meum remitto, qui integris Libris duobus hoc argumentum tractavit, & quomodo Ecclesiasticorum bona sacrilegè rapiantur, abalienentur, comparentur, explicuit; ibidem recensèt exempla pœnarum in eos à DEO statuta, qui ad se Christi patrimonium (nam ità bona Ecclesiastica à SS. Patribus appellantur) traxerunt, maximè L. 1. C. 3. vide eundem Tomo 17. *Tract. de malevolis erga Religiosos*, ubi *Carolum Martellum* ob invasa Ecclesiastica bona damnatum affirmat, ego consultò nihil adjicio.

Securitas Principis ex Clementia.

Tot cladibus eruditus sapuit &c. Clementiâ plus Princeps perficit, quàm omni severitate, hoc omnibus de Clementia Libris *Seneca Neroni* nondum sangvinis humani dulcedine inescato inculcat. Maximè L. 1. C. 8. *Regibus certior est ex mansuetudine securitas: quia frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat &c. Regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. Parentes enim liberique eorum, qui interfecti sunt, & propinqui, & amici in locum singulorum succedunt.* C. 19. Principes comparat apum Regi, & apibus quæ aculeos in vulnere relinquunt, & moriuntur; Rex ipse sinè aculeo est (*Plinius* tamen hac de re dubitat, *Aristoteles* verò clarè negat) pergit *Seneca*: *noluit illum natura nec sævum esse, nec ultionem magno* (id est ipsâ animâ) *constaturam petere, telúmque detraxit, & iram ejus inermem reliquit. Exemplar hoc magnis Regibus ingens est &c. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores,* & quæ sequuntur.

Cum

Tabula Genealogica Stirpis Lucemburgicæ; ex qua quatuor Bohemia Reges habuit post Rudolfum Auſtriacum.

Henricus Comes Lucemburgi occiſus à Duce Brabantiæ An. 1289. ⚶ Beatrix Comitiſſa Hannoniæ.

- b. Walramus Comes Lucemburgi, occiſus ad Brixinam; ab hoc deſcendunt Comites Fani Divi Pauli.
- a. Henricus VII. Imperator electus An. 1308. Romæ coronatus An. 1312. obijt 1313.
- ⚶ a. Margareta Joannis Ducis Brabantiæ filia.
- b. Balduinus Archiepiſcopus Trevirenſis, obijt An. 1346.

- d. Beatrix vel Anna uxor Caroli I. Regis Ungariæ. obijt in puerperio An. 1320.
- d. Maria uxor Caroli Pulchri Regis Galliæ. obijt Anno 1322.
- c. Joannes Cæcus Rex Bohemiæ cecidit in prælio Gallorum adverſus Edvardum III. Regem Galliæ An. 1346. Fundat Carthuſiam Prag: *
- ⚶ I. c. Eliſabeth filia Wenceslai II. Regis Boh: obijt 1330.
  II. c. Eliſabeth Friderici Pulchri Ducis Auſtriæ & Rom: Regis filia. obijt ante nuptias.
  III. Beatrix filia Ludovici II. Borbonij.
- d. Filia uxor Rudolfi Junioris Palatini Rheni, ex qua Agnes ſecunda uxor Caroli IV.

- f. Ottogarus Przemyslaus obijt infans. An. 1320.
- f. Joannes Henricus Marchio Moraviæ, Princ: Carinth: Comes Tyrol: & Goriciæ, natus 1322. obijt 1375. fundavit Carthuſiam Brunenſ: & ibidē Auguſtinianos ad S. Thomā.
- ⚶ I. f. Margareta filia Henrici Carinthiæ Ducis.
  II. f. Margareta Ducissa Opaviæ.
  III. Margareta Auſtriaca.
  IV. N. de Walſee.
- e. Wenceslaus vel Carolus IV. Imp: Patriæ Pater, Rex Bohem: natus Pragæ 1316. obijt 1378. fundat Archiep: Prag: Academiam, & plurima Cœnobia.
- ⚶ I. e. Blanca Valeſia.
  II. a. Anna vel Agnes Palatina.
  III. e. Anna vel Johanna Swidnicenſis.
  IV. Eliſabeth filia Bohuslai Duc: Stetinenſis.
- g. Wenceslaus Lucemburgenſis Dux primus factus Anno 1354. obijt Anno 1383.
- ⚶ g. Johanna filia Alberti Ducis Brabantiæ.
- h. Margareta uxor Henrici Ducis Bavariæ.
- h. Judith uxor Joannis Regis Galliæ.
- h. Eliſabeth, & Anna gemellæ, illa obijt infans, hæc uxor Ottonis Ducis Auſtriæ.

- i. Jodocus ſeu Juſtus March: Moraviæ, electus Rex Romanorū. obijt An. 1412.
- ⚶ i. Catharina filia Caroli II. Regis Ungariæ.
- k. Procopius Marchio Moraviæ.
- Joannes Sobieslaus Litomiſslenſis Epiſcopus, poſtea Olomucenſis, tandem Patriarcha Aquileienſis.
- l. Wenceslaus Rex Bohemiæ, Imperator, natus An. 1361. obijt 1419.
- ⚶ I. l. Johanna Alberti Ducis Bavariæ filia.
  II. l. Sophia filia Joannis Ducis Bavariæ.
- m. Sigiſmundus Ungariæ & Bohemiæ Rex, Imperator, natus A. 1368. obijt An. 1437. †
- ⚶ I. m. Maria filia Ludovici Reg: Ung:
  II. m. Barbara fil: Hermañi C. Ciliæ.
- n. Joañes Princeps Görlicenſis, natus Anno 1370. obijt A. 1395.
- ⚶ I. n. Richarda filia Alberti II. Ducis Mechlburgenſis.
  II. n. Margareta filia Leopoldi II. Ducis Auſtriæ.
- e. Carolus obijt infans.
- o. Filiæ Caroli, de quibus in Notis.
- g. Joannes Dux Lucemburgi & Brabantiæ, Comes S. Pauli, Archiepiſcopus Moguntinus. obijt Anno 1373.

- i. Ludmilla vel Eliſabeth ux: Wilhelmi I. Marchionis Miſniæ. obijt An. 1400. Miſnæ ſepulta.
- p. Eliſabeth Regina Ungariæ & Bohemiæ. obijt An. 1440.
- ⚶ p. Alberti Archiducis Auſtriæ, Regis Ungariæ & Bohemiæ, & Imperatoris. obijt A. 1439.
- n. Eliſabeth Ducissa Görlicenſis & Brabantiæ ac Limburgi.
- ⚶ 1. n. Joannis Ducis Brabant: alijs vocatur Antonius.
  2. Joannis Ducis Bavariæ, Comitis Hollandiæ &c.

- q. Anna uxor Wilhelmi III. Ducis Saxoniæ.
- r. Eliſabeth Regis Poloniæ conjux, & avia, quatuor Regum Mater, Fundatrix in Polonia.
- ⚶ r. Caſimiri III. filia, & ſoror Regū Polon.
- s. Georgius obijt infans.
- s. Ladislaus poſthumus, natus An. 1440. Rex Ungariæ & Bohemiæ. obijt 1457.

- q. Anna Ducissa Saxoniæ, uxor Hinkonis Ducis Münſterbergenſis.
- s. Wladislaus Rex Ungariæ & Bohemiæ. de quo in Tabula ſequenti.

* Nicolaus Aquileienſis Patriarcha, filius illegitimus Joannis Regis.

† Joannes Hunniades filius nothus Sigiſmundi, ùt multi tradunt.

Cum subditis pacisci &c. Necessitas Principem aliquando ad conditiones pacis non satis personæ suæ glorioſas compellit, sed satius est partem amittere, quàm totum, satius est locum tenere, quàm omninò excludi: qui excluſus est, & omnia amisit, jam nihil posse videtur; qui partem retinuit, mutatis rebus fortè totum recuperabit, sed difficilè est *Principi* à se ipso recedere, promittere saltèm *Procopio Duci* strenuo, & hostium victori, quod petebat, debuit, vel mollibus verbis repulsam excusare: certè ab homine humanissimo verbis dulcibus data repulsa magis placebit prudenti, quàm si, quod petijt, durè & inhumanè petenti projeceris, quo facto beneficij gratiam omnem corrumpis.

Melius & satius est pulchrè negare quàm inhumanè concedere.

Sigismundus Chirurgi ferrum pollicem suum abscindentis fortiter inspectavit &c. Gladiatoria hæc fortitudo in claris viris maximè laudatur, & imitanda omnibus est; qualem in *Mario, Crasso*, inter exempla miramur & laudamus. Porrò gladiatorum juramentum erat: *uri, vinciri, ferróque necari*, ad quod nos sæpe numero cogit dolor & ipsa lex Universi, quæ jubet natos dolere, & mori.

In dolore fortitudo Ducum laudanda. *Senecæ 5. Epist. 37.*

In bellis, & conjugio infortunatissimum &c. Notari convenit in certis rebus quosdam claros Viros, semper adversam fortunam habuisse, & quæ, quamvis omnia consilijs præcepissent & prævidissent, non sivit eorum consilia ad felicem exitum pervenire. Memorabile est, quod *M. Antonium Triumvirum Sapientes Ægyptij* admonuerint, nè is unquam cum *Augusto* in certamen descenderet, *Augusti* enim fortunam & Genium longè fortunatiorem, quàm *Antonij* esse; id quod etiam exemplis approbârunt aliquot gallorum gallinaceorum paribus inter se pugnando commissis, factúmque esse, ut omnes *Cæsariani Galli Antonianos* vincerent, ac triumpharent; quod postea re patuit, cùm ab *Augusto* devictus est *Antonius*. *Marci Bruti* digna commiseratione mors est, & notatu dignissima vox morientis, quam refert idem *Plutarchus*, & *Dio*: *ô infelix virtus*, exclamavit, *itáne cùm nihil quàm nomen esses, ego te tanquam rem aliquam exercui, cùm tu fortunæ serviveris!* simul pugionem in pectus adegit; nimirum: *ludit in humanis divina potentia rebus*, & quæ ei necessariò imputanda sunt, ea nos homines ignari divinorum consiliorum, casui, & fortunæ adscribimus.

In certis negotijs adversatur quibusdam fortuna, in alijs favet.

Plut. in Antonio.
Appian. in Parthicis.

Notæ in Tabulam Genealogicam Stirpis Lucemburgicæ.

ANte omnia notandum est in *Genealogia Lucemburgica* non convenire *Genealogistas*, nam octo *Comites* ante *Henricum VI. Imperatorem* longè alios nominat *Speculum honoris Domûs Austriacæ* nuper editum, alios contrà *Ricciolius* ex *Franc: Rosieres*, qui & annis, sæpe numero & nominibus differunt, sed ab *Henrico* Patre *Henrici* VI. omnes conveniunt; ego, quia hæc ad *Bohemiam* non omnino spectare videntur, à certissimis rebus, & quæ authoritate impetrabilium Scriptorum firmari possunt, hanc Tabulam auspicabor.

Ricc. in Chro. Reform.

a. *Henricus VI. Lucemburgensis Comes* post *Cæsaris Alberti I.* cædem nefariam à *Joanne* nepote ex fratre, & alijs conjuratis An. 1308. perpetratam, *Francofurti* approbante *Pontifice Imperator* electus est, & sequenti Januario 1309. *Aquisgrani* coronatus; inde ingressus Italiam, & in seditioſos animadvertens excisis aliquot Urbibus *Mediolani* Coronâ ferreâ coronatur 1311. & An. 1312. auream *Romæ Coronam* accipit; anno sequenti cum *Florentinis* bello susceptο veneno, ùt aliqui putant, sublatus est; vide omninò, quæ de ejus morte cæteris longè credibiliùs scripsit *Henrici* nepos *Carolus IV. Imperator* in Vita sua. *Margareta Brabantina* ejus uxor *Genuæ* extincta est longè ante maritum An. 1311. sed alteram sibi mox *Henricus* despondit conjugem *Catharinam* filiam *Alberti I. Cæsaris*, quæ cùm in *Italiam* ad nuptias properat,

perat, nuncio de mariti morte accepto, præ doloris vehementia propè Amens reddita est; sed tempus, ùt ait ille, *optimus est Medicus doloris & amoris.* Nupsit deinde *Carolo Calabriæ Principi, Roberti Regis Siciliæ* filio, sed nullam prolem reliquit.

b. *Baldvinus Henrici Imperatoris* frater sæpe à *Carolo IV.* in Vita sua, & in Diplomatis nominatur. Cùm *Archiepiscopus* esset in Palatio *Trevirensi* gesta fratris sui Imperatoris elegantissimo penicillo depingi fecit. De *Walramo* fratre altero, agunt Belgici & Gallici Scriptores.

c. *Joannes Rex Bohemiæ* inquietissimus & bellicosissimus Princeps, de quo nimis multa forsitan in Epitome diximus, utì & Capite I. hujus Sectionis, accepit in conjugem *Elisabetham Wenceslai* II. ex *Przemyslæa* gente Regis filiam, Virginem annorum octodecim, ùt habet *Weleslavinus*, cùm ipse *Joannes* quatuordecim tantùm Annos explêsset, post sex annos natus est ex hoc conjugio *Carolus* IV. 1316. primogenitus. De *Elisabethæ* hujus adhuc tum Virginis audacissimo facinore, cùm in suspicionem nescio cujus impudicitiæ venisset apud *Henricum* IV. *Cæsarem* (quod lætâ & liberâ facie, corpore etiam habitiore & nonnihil obesiore videretur) vide *Speculum Gloriæ Austriacæ* nuper editum, nam me illud commemorare non decet. Fuit heroici prorsus & invicti animi *Regina, Bohemorum* suorum (quippè ex nostra & in nostra gente edita) amantissima, quos etiam, bello marito *Regi* indicto, cùm iniquior *Bohemis* esset, defendit, nec nisi retractantem, & multa promittentem, multis cladibus illatis, in amorem conjugalem recepit. Genuit conjugi suo tres filios, & tres filias, quos inter *Carolus* IV. *Patriæ Pater*, quem unicum si genuisset, omnem laudem matronarum mereretur. Obijt *Heroina* A. 1330. in *Aula Regia* sepulta, cujus Cœnobij fuit vera Mater, ædificatâ insigni basilicâ cum plurimis sacellis magnificentiâ singulari; deplorat ejus mortem multis versiculis pro illa ætâte sat vinulis rhytmicè *Petrus Abbas Aulæ Regiæ*, qui ei à confessionibus sacris fuit. Post *Elisabethæ* mortem cùm alterum conjugium inire pararet *Joannes Rex Friderici Pulchri Austriæ Ducis* filiam *Elisabetham* postulavit, sed desponsatam ante nuptias amisit. Tertiam conjugem *Beatricem* (vel *Bohemis Bozenam*) *Ludovici II. Borbonij Ducis* filiam sibi conjunxit, quam etiam An. 1337. Reginam Bohemiæ coronavit, ante coronationem filium ediderat An. 1334. *Wenceslaum* nomine, qui raro felicitatis exemplo utero matris excisus est, innocuè tamen, nihilque nec matri, nec filio nocitum scribunt, cùm mater plures postea filios genuerit, & filius propè quinquagesimum ætatis annum attigerit. *Joannis Regis* facinora clariora sunt; *Henricum Carinthiæ Ducem* (qui uxoris suæ sororem natu majorem Annam nomine in conjugio sterili habuit) *Bohemiâ* expulit, cum vicinis & remotis Ducibus ac Regibus prælia feliciter gessit; Regno *Bohemiæ Silesiam & Lusatiam superiorem* adjunxit; *Henricum Austriæ Ducem* in prælio cepit, & captivum in *Bohemia Krzivokladij* tenuit, quoad *Procerum Bohemorum* literas, quibus se inconsultè *Austriacis* obligârant, ùt habent omnes nostri, exteríque Scriptores, restitueret; imperitiâ Medicorum utrumque oculum amisit, nimio in Litvania frigore pro fide pugnando. In prælio *Cressiacensi* in confertissimos hostes jam amissâ victoriâ moriturus irruens, perijt, & cum illo triginta *Gallorum* millia humum planxerunt, atque inter eos occisus repertus est *Carolus Valesius, Regis Galliæ Philippi* frater; id gestum A. 1346. Inchoavit *Joannes Rex* A. 1342. Externaci Fundationem *Parthenonis S. Claræ*, quem *Carolus IV.* A. 1348. postea dotavit, tandem *Wenceslaus Bohemiæ Rex* vivente adhuc Patre datis literis An. 1368. firmavit, ætatis suæ anno 8. sed celebrior est Fundatio *Joannis Regis*, quam numeris omnibus absolvit (*cœnobij Pragensis Carthusianorum*, liberalissima, & locupletissima, de qua egimus in procœmio ad Librum de *Regimine Principum*, *Michaëlis* istius *Carthusiæ* (quæ Hortus *Mariæ* dicta est) *Prioris*.

Welesl. in Calend. Histor.

Elisabethæ Reginæ Bohemiæ audax pro innocentia facinus.

Benes. l. 2. Chron.

Bruss. Cent. 1. Monaster. Germ.

d. De *Beatrice* vel *Anna*; item de *Maria* uxore *Caroli Pulchri*, & de tertia filia (cujus

cujus nomen reperire non potui) *Rudolfi* junioris *Palatini* conjuge, nihil aliud quàm quod attuli, invenitur.

e. *Caroli* IV. *Patriæ Patris* infinita in rem nostram publicam merita fuêre; de his egimus singulari Capite. Natus est, ùt dixi *Pragæ* 14. Maij A. 1316. horâ primâ matutinâ primogenitus *Regis Joannis*. Prima ejus conjux *Blanca* (quidam eam *Margaretam* appellant) filia fuit *Caroli Valesiæ Ducis*, & germana soror *Philippi Regis Galliæ*. *Pragam* apportata 1334. genuit *Carolo Catharinam*, quæ nupta *Rudolfo* IV. *Duci Austriæ*, & post eum *Ottoni Marchioni Brandeburgico*, nullam prolem genuit, & obijt *Viennæ* 1373. in *Ecclesia S. Stephani* tumulata. At *Mater Blanca* obijt *Pragæ* 1342. in Metropolitana *S. Viti* sepulta, nullâ virili prole relictâ. 2. Caroli IV. conjux *Anna* vel *Agnes* dicebatur *Rudolfi Palatini* filia, copulata conjugio *Caroli* A. 1349. cum qua *Carolus* IV. accepit *Sultzbach*, aliáque castra complura. Genuit *Carolo* filium *Wenceslaum*, qui altero anno mortuus est, tum filiam *Elisabetham* primam *Alberti* III. *Austriaci* conjugem, ut habet *Speculum Gloriæ Austriacæ*, & *Weleslavinus*. obijt 1352. *Pragæ*, ubi etiam humata est. 3. conjux *Caroli Anna* copulata *Budæ* A. 1354. fuit filia *Bernardi Ducis Svidnicensis* unica Patris hæres; in contractu nuptiali conditio scripta est, ùt Duce *Bulkone* (sic enim etiam vocabatur *Bernardus*) sinè hæredibus mortuo, *Provinciæ* ejus, & *Ducatûs* ad coronam *Bohemiæ* devolverentur. Ex ea genitus est infelix ille *Wenceslaus*, Mater anno sequenti mortua 1362. 4. Conjux *Caroli Elisabeth* filia *Boguslai* vel *Bohuslai Ducis Stetinensis*, neptis *Regis Poloniæ*; nuptiæ celebratæ sunt *Cracoviæ* apud *Avum* A. 1363. in *Bacchanalibus*; ex ea genuit *Carolus Sigismundum Cæsarem*, & *Joannem Gerlicensem Principem*. Matrona hæc fuit ad miraculum robusta: *Benesius* ait se vidisse in Paschate A. 1371. cùm *Imperatrix Elisabeth* cultros culinarios, quoscunque temere sibi oblatos, velut tenues chartulas digitis convolveret, nuces juglandes digitis fractas aperiret, soleas equinas laceraret &c. ex hac (præter *Sigismundum* & *Joannem*) natus est *Carolo* filius *Carolus* A. 1372. 13. Martij, Baptismum susceptit conferente *Legato Papæ Joanne Patriarcha Alexandrino*, sed non perennavit, anno sequenti infans extinctus. Mater *Elisabetha* diu post conjugem *Regino-Hradecij* in dotali sua Urbe A. 1393. vitâ excessit. Porrò *Carolus Imperator* (qui in Baptismo *Wenceslaus* appellatus est, sed ex confirmatione apud *Carolum Galliæ Regem Caroli* nomen assumsit) *Cæsar* electus est 1346. coronatus 26. Novembris (alij ponunt 25.) *Bonnæ* (cùm *Aquisgrani* ob multitudinem peregrinorum, & Flagellantium, vel alia de causa excluderetur) obijt 1378. 29. Novembris, sepultus ad *S. Vitum Pragæ* 14. Decembris.

Caroli IV. filiæ.

Benes. l. 3. & 4. Chron.

f. *Ottogarus Przemyslaus Joannis Regis* filius obijt infans A. 1320. in *Aula Regia* sepultus.

Joannes Henricus Marchio Moraviæ &c. natu junior frater *Caroli* IV., *Pragæ* est natus A. C. 1322. Prima ejus conjux fuit *Margareta Maultaschin*, de qua multa non satis laudabilia leguntur in *Speculo Domûs Austriacæ*, & filia fuit *Henrici Ducis Carinthiæ* ex secunda ejus uxore, sorore Ducis *Brunsvicensis*. De hujus fœminæ nequitia legatur (*Carolus* IV. *Imperator* in Vita sua, Cap. 8. & 14. enucleatè omnia recensens. Hæc post annos octo conjugij caussata maritum esse sterilem, divortium fecit, accepítque secundum maritum *Ludovicum Bavarum, Ludovici Bavari Imperatoris* filium, cui genuit filium, qui paulò pòst obijt, atque ipsemet *Ludovicus* morbo fædissimo quem *Lupum* appellat *Benesius*, est consumtus, Authores quoque divortij miserè perisse idem affirmat; eo rursus mortuo *Rudolfum* IV. *Austriæ Ducem* accepit in conjugem, eíque *Comitatum Tyrolis* attulit pro dote. Falsam fuisse caussam divortij ostendit *Joannes Henricus Marchio*, qui primùm ex quadam nobilissima puella Bohemicæ stirpis (cujus nomen & stemma rescire non potui) genuit Joannem, qui postea fuit

Benes. l. 3. Chron.

Repudium illaudatum.

Benes. l. 3. Chron. L. 4 Chron.

Præpositus Wissehradensis. De hac *Margareta Joannes Episcopus Litomislensis Caroli* IV. *Cæsaris Cancellarius* ad *Archiepiscopum Magdeburgensem* (quem vocat *Pythagoram Palliatum*) Epistolam scribit, quæ extat in *M. S. Cancellariæ Caroli*: *Significo inter alia*, inquit, *Margaretam viduam Ludovici Bavariæ, venisse ad Carolum clementiam petitum, quam Cæsar dedit, simul filium sui fratris (Joannis scilicet) Marchionis Moraviæ (quem in Curia manere novistis) ad præsentiam dictæ Chrimhulæ apportari mandavit, non alio fine ùt existimo, nisi ut in præsentia circumfusæ multitudinis ipsa detestanda Braxatrix* (ità nominat, quòd esset distortissimi vultus, ideóque Maultassia ab alijs dicebatur) *agnosceret, falsò fratri suo adscripsisse impotentiam coëundi, cùm manifestè clareret, ostensione tam præclaræ Sobolis Domini mei Marchionis virilitas, & dictæ meretricis inconstantia pudibunda.* Accepit deinde *Henricus Marchio* uxorem secundam *Margaretam* aliam *Nicolai Ducis Oppaviensis* filiam, quæ ei genuit tres filios, & duas filias, *Catharinam*, quæ nupsit *Duci Silesiæ de Falkenberg*, & *Elisabetham*, quam dedit *Misniæ Marchioni*. De filijs agemus paulò inferiùs; sed quidam secundam conjugem Joannis Henrici faciunt *Elisabetham Ruperti Adolphi Electoris Palatini* filiam. 3. ejus conjux fuit itidem *Margareta Alberti Austriæ Ducis* filia vidua *Meinhardi Ducis Bavariæ*, & fuit sterilis utì & quarta conjux *Comitissa de Waldsee*; sed hæc postrema mihi incerta videntur.

Cancellaria Caroli 4. MS. Biblioth. Clement. n. 70.

Quidhoc verbi sit nescio.

g. *Wenceslaus Joannis Regis* filius A. 1338. quarto loco genitus *Comes* primùm postea *Princeps Lucemburgensis & Brabantinus à Carolo* IV. creatus A. 1356. etiam *Norimbergæ Vicarius Imperij* A. 1365. declaratus, conjugem habuit *Johannam Alberti Ducis Brabantiæ* filiam, viduam *Wilhelmi* IV. *Comitis Hollandiæ*, quæ ei attulit *Brabantiam*; vivebat adhuc *Johanna* 1385. marito *Wenceslao* defuncto. Ejus filius *Joannes Archiepiscopus Moguntinus* veneno porrecto, subitò expiravit A. 1373. In *Cancellaria Caroli* IV. (qui Codex in *M. S. Bibliothecis* per *Bohemiam* passim reperitur) extat *Caroli* IV. *Diploma*, quo *Wenceslaum* fratrem suum charissimum *Lucemburgi Ducem creat, additque Privilegium, ut quoties Romani Imperatores seu Reges, ad reprimendam Rebellium superbiam, seu Imperij procurandos honores armatos contigerit incedere, Duces Lucemburgici, qui pro tempore fuerint, frenum Imperialis seu Regalis Dextrarij (Equi) à latere dextro gubernare & prospicere debitæ fidei diligentiâ debeatis, & in recubitu Mensæ nostræ Cibos Regios, qui in solennitatibus Curijs nostris administrati fuerint, coram Nobis incidere, ut sic tanquam Princeps, & Fidelis Imperij, Guerrarum & Pacis in tempore, Nostri curam & custodiam habeatis &c.* Item ut recipiant Vexilla cum debita solennitate velut *Vasalli S. Rom. Imperij &c.* Narratur in *Chronico Magno Belgij*, dum *Wenceslaus* in *Regem Romanorum Aquisgrani* A. 1376. coronaretur, gravem excitatam discordiam inter *Wenceslaum Ducem Lucemburgensem* & inter *Ducem Saxoniæ Marescallum* Imperij, uter *Imperatori* ensem præferret? tum *Imperatorem*, nè partibus præjudicaret, jussisse *Sigismundum* filium decennio non majorem, sibi, *Ensem Imperialem* præferre; quod se audisse ex ore ipsius *Sigismundi Emundus* affirmat.

M. S. 70 Biblioth. Clem.

* *Nicolaus Aquileiensis Patriarcha* illegitimus *Joannis Regis* filius fuit; profectus scribitur *Romam* ad coronationem *Caroli* IV. fratris sui An. 1355. aliud nihil de eo invenio.

Vita Caroli 4. Bohemica. Benesf. l. 3. Chron.

h. *Margareta Joannis Regis* primogenita, nata est A. 1313. novennis copulata est *Henrico Bavariæ Duci Landishuti*, eique genuit unicum filiolum *Joannem*, qui non perennavit. *Henricus* Pater obijt A. 1340. Secundò cogebatur nubere *Casimiro Regi Poloniæ*, sed obijt ante nuptias A. 1341. in *Aula Regia* sepulta. Obijsse mœrore animi hanc *Margaretam*, quòd adversus animi sui sententiam *Casimiro* nubere cogeretur, disertè *Franciscus Canonicus*, ejus temporis Scriptor, & *Rebdorffius*, affirmant; eum mœrorem adferebat propudiosissima & prorsus infamis *Casimiri* vita, qui hoc ipso anno 1341. 28. Septembris duxit secundam conjugem *Adletam Henrici Landgravij*

Rebdorff. in Annal. Miechov. l. 4 c. 18. hist. Polon.

gravij Hassiæ filiam, quam à concubinis suis excæcatus paulò pòst dimisit, totus meretricijs amoribus deditus, ùt *Decius* & *Kochovius* significant; legi in *M. S. Codice* veteri, *Casimirum Regem Poloniæ* A. 1357. duxisse *Uxorem Christinam à Rokyczan Civem Antiquæ Urbis Pragensis*, quam etiam *Cracoviæ* coronari curaverit; sed de coronatione *Poloni Scriptores*, & qui de *Casimiri* II. rebus diligenter scripsit *Miechovius*, nihil habent; his sceleribus offensa divinitas nullam ei masculam prolem concessit, obiitque A. 1370. ultimus *Regum Poloniæ* ex gente *Piastæa*. Meritò igitur hoc præsagiens *Margarita Casimiri* conjugium velut angve calcato refugit.

Stemma Piasti interit in Polonia, *Decius lib. 1. hist. Polon. Kochovsky in Hypomnem. Reginar. Polo. Crom. l. 12. Miechov. l. 4 cap. 21. Fabric. l. 6. Orig. Saxon. in Frid. III.*

h. *Judith* altera *Joannis Regis* filia, nata 1314. primùm desponsa fuit *Friderico* II. *Marchioni Misniæ*, ibique educata, deinde cum contemtu in *Bohemiam* remissa (ùt in *Epitome* narravi) venit in manum *Joanni Regi Franciæ*, primogenito *Philippi Regis Galliæ*, eique genuit *Carolum V. Regem Galliæ*, *Ludovicum Ducem Andegavensem*, *Joannem Ducem Bituricensem*, & *Philippum Ducem Burgundiæ*, obijt An. 1349. *Elisabeth* & *Anna* gemellæ natæ die *Paschatis* in *Bavaria* A. 1323. prior anno sequenti 1324. mortua, ac in *Aula Regia* sepulta; *Anna* nupta *Ottoni Duci Austriæ Cæsaris Alberti I.* filio, cui pro dote *Rex Joannes* dedit *Znoymam*, quæ postea Regno est restituta. Obijt A. 1340.

Benesf. l. 2. & 4.

i. *Jodocus* seu *Jost* vel *Justus*, cognomento *Barbatus*, *Joannis Henrici Marchionis Moraviæ* filius, & ipse *Moraviæ Marchio & Brandeburgi. Veterem Marchiam* annis 22. tenuit, quam ei oppignoravit *Sigismundus Imperator*: cùm ad recuperandum *Ungariæ Regnum* pecunijs egeret; at *Jodocus* eam rursus oppignoravit *Wilhelmo* II. *Misniæ Marchioni* pro quadraginta sexagenarum *Bohemicarum* millibus. Electus *Rex Romanorum* A. 1410. post *Rupertum Palatinum* homo jam grandi ætate. Immortuus honori & titulo suo Anno 1411. 6. Mense Imperij sui. *Weleslavinus* affirmat Jodocum cùm in *Imperatorem* eligeretur A. ætatis suæ 89. 20. Martij 1411. obijsse. Cætera vera sunt, unum illud de ætate sustineri omninò non potest: nam si obijt 89. ergo natum esse oportuit A. C. 1322. atqui ejus Pater *Henricus* A. 1322. primò natus est, ùt idemmet *Weleslavinus* alio in loco testatur, minimum igitur *Jodoco* morienti anni 24. retrahendi sunt, præsertim cùm ex secundo conjugio Patris sit genitus. Eâdem ratione refutatur *Raynaldus*, cùm nonagenarium Imperatorem electum fuisse scribit. Reliquit verò *Jodocus* ex conjuge sua *Catharina* filia *Caroli* II. *Ungariæ Regis* (qui A. 1342. obijt) unicam filiam *Ludmillam* (quæ in sepulchri inscriptione vocatur *Elisabeth*) & obijt 1400. sepulta in choro *Cathedralis Ecclesiæ Misnensis* nullâ prole relictâ.

Jodoci Cæsaris Chronologia. *Weleslav. in calend. hist. ad 20. Mart.*

Idem in Genealogia Princ. Boh. Rayn. ad An. 1419.

k. *Procopius Marchio Moraviæ Iodoci* frater, vir eloquens & militaris, *Znoymam* suam adversus *Sigismundum Cæsarem*, *Albertum* & *Ernestum Austriæ Duces* egregiè tutatus est. In *Bohemia* ad Arcem *Bezdiezy Sigismundi* fratris dolo captus, in *Ungaria* fame aut veneno perijsse traditur. Sepultus ad *Brunam* in *Carthusia*, quam Pater suus fundârat.

Ioannes (Sobieslavek dictus *Bohemis)* violentè à fratribus in Episcopatum *Olomucensem* ex *Litomislensi* intrusus, reclamantibus *Canonicis*, sed *Urbanus* VI. rem composuit, & *Ioanni Patriarchatum Aquilejensem* contulit, *Olomucensibus Nicolaum* quendam *Prutenum* imposuit, qui plurimas Episcopales ditiones oppignoravit, de quo *Augustinus Moravus* in *catalogo Episcoporum Olomucensium.*

l. *Carolus* IV. duos filios *Wenceslaos* habuit, ex *Anna Palatina* susceptos, prior natus est A. 1348 qui altero anno statim decessit. Alter fuit *Wenceslaus*, postea *Rex* & *Imperator*; natus A. 1361. anno ætatis 2. *Rex Bohemiæ* coronatus. Electus *Imperator* vivente Patre A. 1376. cujus infelicissimum Regnum nuper Capite 3. descripsimus, extinctus est apoplexiâ, cùm *Consules Novæ Urbis Pragensis* à plebe occisos in *Arce Cundradicz* accepisset A. 1419. 16. Augusti. Cadaver *Wenceslai* post aliquot dies

Sepultura Wenceslai Cæsaris.

in arcem *Pragenſem* devectum, & in S. *Viti Eccleſia* depoſitum eſt; deinde poſt aliquot hebdomades nocte ad *Aulam Regiam* devectum, & à Converſis, Piſtoribus & Piſcatoribus humatum; inde rurſus in *Arcem Pragenſem* cùm per tumultum *Pragenſis* populi exhumatum eſſet, *Sigiſmundus Imperator* à quodam Piſcatore *Muſca* nomine redemit, & in *Arce S. Viti* condidit, vixit annis quinquaginta octo. Prima ejus uxor *Iohanna* ſex annis in conjugio *Wenceslai* vixit *B. Joanne Neopomuceno Chriſti Martyre* in confeſſionibus ſacris uſa. Obijt mœrore animi *Regina* pijſſima An. 1382. 1. Januarij, cujus abſentis deſiderium & cùm adeſſet faſtidium *Imperator* ferre non poterat, quod ejus ſæculi Authores magicis artibus aſſignant. Porrò ad hoc conjugium diſpenſationem Papæ interveniſſe *Beneſſius* tradit: quòd *Iohanna* hæc filia fuerit filiæ *Ludovici Ducis Lignicenſis*; invenio hanc magnam fuiſſe amatricem & benefactricem *Virginei Cœnobij Doxanenſis*. Secunda conjux *Sophia* filia *Ioannis Ducis Bavariæ Monachienſis, Erneſti Ducis* ſoror admirabili formæ gratiâ commendata, ſed *Bohemiæ* omnium cauſſa ob hæreſim malorum: quippè *Huſſo* quo in ſacris utebatur, nimiùm addicta, omnia egit, pro defenſione pertinaciſſimi hæreſiarchæ, ſcilicèt nè quid in eum *Archiepiſcopus*, nè quid *Univerſitas Carolina*, tum *Catholica* poſſet, denique etiam *Huſſij Romam* citationem & paratam accuſationem eluſit, judicio in *Bohemiam* & ad maritum vinolentum translato; ſerò poſt *Huſſij* mortem, quò progreſſa fuiſſet, vidit, & publicè pœnitens *Poſonij* A. 1428. piè deceſſit.

Emund. in Chron. M. Belgij. Zidek in Vita Caroli IV.

M. S. Mortuarij Doxan. ad 2. Ian. Sophia Bavara Huſſio ſtultè dedita.

m. *Sigiſmundus Imperator Caroli* IV. ex *Anna Svidnicenſi* filius, natus eſt 1368. fuit *Princeps* eruditiſſimus, ſagax, cautus, prudens, laborioſus, ſed infelix. Humanitatis, facilitatis, liberalitatis exempla plurima in *Valerio Maximo Bohemiæ* referre paramus, ſi Deus vitam conceſſerit; hîc unum ſuccurrit ex *Stengelio Abbate Anhuſano*: cùm A. 1418. *Auguſtani* honorificè *Sigiſmundum* ſuſcepiſſent, invitaſſe quoque ad publicas Choreas, nec recuſâſſe *Cæſarem* (quæ facilitas ejus fuit) & choreis peractis cuilibet Matronæ, ac Virgini, quarum 50. fuiſſe memorantur, annulum aureum *Ungarici Auri* pondere donâſſe, ac ipſummet manu ſuâ cujuſque digito inſeruiſſe. Uxor prima *Maria Ludovici Regis Ungariæ* & *Poloniæ* ſenior filia, *Ungariæ Regnum* illi pro dote attulit. Sed obijt anno ſequenti poſt nuptias 1402. nullâ prole relictâ. Ex ſecunda uxore *Barbara* unicam filiam *Eliſabetham* (quam duxit *Albertus Imperator*, & cum ea *Regnum Bohemiæ* accepit) genuit. Hanc *Barbaram Hermanni Comitis Ciliæ* filiam *Atheam* fuiſſe, & æquè cœlum ac inferos irridere ſolitam *Silvius* ſcribit; imò & Virgines pediſequas admonere, nè omnia crederent, quæ in templis dicerentur, præcipuè verò ægerrimè tuliſſe, quoties turturum caſtitatem prædicarent Sacerdotes, nam eſſe innumera cæterarum avium exempla, quæ ſibi & voluptati indulgerent, præcipuè paſſerum greges; cur igitur eorum mentionem non facerent? obijt libidinoſa mulier *Mielnicij in Bohemia* An. 1451. *Pragam* devecta in *Eccleſia S. Viti* in *Sacello Martiniciorum* condita, quod hodiéque in marmore ſepulchri legimus.

Sigiſmundi Cæſ. facilitas.

Stengel. Rer. Auguſt. p. 2. c. 57.

Barbara Cilienſis Athea. *Silv. in hiſt. Boh.*

† *Sigiſmundo* nothum filium quidam attribuunt *Ioannem Hunniadem* (etſi *Bonfinius* gloriæ *Mathiæ Regis* perſtudioſus, neſcio quod *Romanum* genus illi affingat) poſtea *Gubernatorem Ungariæ* in *Sigiſmundi Aula* educatum, & *Patrem Mathiæ Corvini*, vel *Hunniadæ Ungariæ Regis* multis adverſus Turcas victorijs inclyti Ducis; hunc *Ioannem* cùm *Sigiſmundus à Bajazete Turcarum Imperatore* cæſus, in navicula *Conſtantinopoli*, inde ad *Venetos*, & tandem in *Ungariam* rediiſſet, captum à Turcis ad Patrem ob Regium genus remiſſum eſſe ſcribit *Hermannus Fabronius*. Veteres hæretici calumniabantur *Sigiſmundum*, quòd permiſſu Dei, cùm furcam fieri pro *Ioanne Rohacz* & ſocijs ligna pro *Eccleſia B. Virginis in Tein* deſtinata, & in *Foro Pragenſi* jacentia in eam furcam conſtruendam adhiberi juſſiſſet, eâdem nocte pedes *Imperatoris* ſacrum ignem conceperint, ità tum *Cæſarem Pragâ* diſceſſiſſe, & paulò pòſt extinctum; ſed

Hunniades an filius Sigiſmundi.

Fabron. in Monarch. Cæſarea Germ. Zalansky in vita Huſſi Concione 1.

ſed hæc fabuloſa & ab hæreticis conficta; illa graviorem Authorem habent *Raynaldum*: obſcurâſſe laudes ſuas *Sigiſmundum* crebris adulterijs, & cùm aliquando *Imperatricem* in eodem flagitio deprehendiſſet, adulterum adulteræ peperciſſe.

Rayn. in Annal. Eccl. ad A. 1437.

n. *Joannes Princeps Gerlicenſis Uterinus Sigiſmundi Cæſaris* frater anno ætatis 25. veneno ſublatus eſt A. 1395. alijs 1396. titulum ferebat: *Joannes Princeps Gerlicenſis Marchio Brandeburgi & Luſatiæ*. duas habuiſſe uxores traditur, ex altera earum (nam certum neſcitur) *Eliſabetham* ſuſcepit, quæ Viduo Joanni *Brabantiæ*, & *Limburgi Duci* nupſit. A. 1308. poſt *Joannis* mortem nupta eſt *Joanni Duci Bavariæ Comiti Hollandiæ, & Seelandiæ*, qui ex Adminiſtratore *Leodienſis Epiſcopatûs* An. 1417. bonâ *Pontificis* veniâ eam duxit, ſed nullam prolem ſuſcepit; poſt ejus mortem *Eliſabeth Ducatum Lucemburgenſem* vendidit *Philippo Duci Burgundiæ Caroli Audacis Patri*. De ſecunda hujus *Joannis Gerlicenſis* uxore *Margareta* dubitatur: alij enim *Maynhardo Duci Bavariæ* nuptam primùm fuiſſe, & deinde *Joanni* huic in conjugem datam eſſe tradunt; alij *Margaretam Leopoldi II. Auſtriaci* (qui A. 1386. ab *Helvetis* victus & occiſus eſt) viduam *Maynhardi*, non hujus *Joannis* conjugem, ſed *Joannis Henrici Caroli* IV. fratris *Marchionis Moraviæ* conjugem fuiſſe contendunt: *non noſtrum inter vos tantas componere lites.*

De Lucemburgenſi Ducatu.

o. *Caroli* IV. filias plurimas invenio, ſed eas in ordinem redigere non poſſum: tum quia quando natæ ſint, & ex qua matre (quatuor enim uxores habuit *Carolus* ſucceſſivè) nullibi reſcire potui; quas potero addito matris nomine conſignabo. Prima igitur filia *Margareta* primogenita filiarum ex *Blanca* A. 1334. 23. Junij, *Pragæ* nata eſt, ùt diſertè *Beneſſius* affirmat, & ipſe *Carolus Imperator*. *Margareta*, ùt ſuprà innuebam, conjux fuit *Ludovici Regis Ungariæ*; obijt ſinè prole; poſt eam *Ludovicus* ſibi conjugio junxit *Eliſabetham Stephani Boſniæ Bani* filiam, & ex ea ſuſcepit *Mariam Sigiſmundi Cæſaris* primam uxorem & *Hedvigem Reginam Poloniæ*. Secunda filia Caroli *Catharina* itidem ex *Blanca*, nata A. C. 1342. de qua jam antè dixi. Tertia filia Caroli *Eliſabeth* prima nupta *Alberto* III. *Duci Auſtriæ*, fratri *Rudolfi*, quæ obijt 1373. nullâ prole relictâ. Quarta filia Caroli *Eliſabeth* ſecunda ejus nominis, conjux fuit *Ioannis Galeacij Ducis Mediolanenſis*, Mater *Valentinæ*, quam *Carolus Galliæ Rex* in conjugem accepiſſe dicitur, ſed hoc *Genealogiſtæ* quidâ non admittunt. Quinta Caroli filia *Margareta* ſecunda nata A. 1373. ex *Anna Svidnicenſi* ſoror Uterina *Cæſaris Wenceslai* conjux fuit *Joannis* II. *Burggravij Norimbergenſis*; ex qua nata eſt *Eliſabeth* conjux ſecunda *Eberhardi* ſenioris *Comitis Wirtenbergici*. Sexta filia Caroli *Anna Ottonis* IV. *Ducis Bavariæ* uxor, qui *Carolo Cæſari* ſocero ſuo vendidit *Marchionatum Brandeburgi* pro ducentis millibus aureorum Ungaricorum, & acceptâ ab eo exiguâ Regione in finibus *Bohemiæ* & *Bavariæ* ſinè prole obijt A. 1379. Septima filia Caroli *Agnes* tertia conjux *Leopoldi* III. *Ducis Auſtriæ*, quæ ſinè prole obijt *Viennæ* An. 1406. Octava filia *Helena* vel *Anna*, nata 1366 nupta *Richardo* II. *Regi Angliæ* A. 1384 obijt ſinè prole A. 1394. Nona filia Caroli *Margareta* tertia hujus nominis, nupta quidam *Marchioni Brandeburgico* fuiſſe dicitur. Ego, quia nec *Marchionis* nomen in Hiſtorijs apparet, neque hujus *Margaretæ* unquam fit mentio, eam in dubio relinquo; videantur *Brandeburgici Scriptores.*

De Filiabus Caroli IV.

p. *Eliſabeth Sigiſmundi Cæſaris* unica filia adhuc octennis, deſponſata *Alberto Duci Auſtriæ* fuit, poſtea An. 1422. *Viennæ* nuptias celebravit, & marito quaſdam *Moraviæ Civitates* attulit pro dote, poſt mortem verò Patris *Bohemiæ & Ungariæ Regna*, qui eodem anno 1438. mirâ felicitate ter coronatus eſt: in *Bohemia* & in *Ungaria Rex*, in *Germania Imperator*, ſed non diu partâ gloriâ frui licuit, anno ſequenti 1439. mortuus. *Eliſabeth* relictis duabus filiolis *Annâ* & *Eliſabethâ*, & *Ladislao* infante poſthumo A. 1442. deceſſit. De ejus marito *Cæſare Alberto* plura Sectione ſequenti.

Beneſſ. lib. 2 Chron. Carol. Imp. in vita ſua.

q. *Anna*

Borek in hist. Boh. Chron. Mansf. c. 340. Geneal. Reusner. Welesl. in Calend. ad 17. Decemb. Henel. in Breslographia c. 4. Cochl. in Hussit. Weleslav. in Calend. Hist. ad 11. Nove.

q. *Anna Ladislai Regis* soror *Wilhelmo* III. *Duci Saxoniæ* nupsit, quo titulo ipse *Wilhelmus Ladislao* mortuo *Regnum Bohemiæ* ad se pertinere existimans (sed hoc in Bohemiam jus postea *Wilhelmus* omisit, & *Lucemburgi* Comitatum quasi Uxoris suæ dotem sibi deberi putavit, & armis & bello obtinere conatus est; sed etiam illo excidit) *Wilhelmus*, inquam, nihil non egit, ut obtineret, jámque in eum recipiendum pro Rege A. 1458. Silesiæ Ordines consenserant *Lignicij* & *Wratislaviæ* 20. Martij habitis Conventibus; sed hæc omnia *Georgius Podiebradius Rex* coronatus consilio & armis dissipavit, & secuta *Georgij* cum *Saxoniæ Ducibus* fœdera prorsus extinxerunt, cùm A. C. 1459. *Sidoniam* filiam suam novennem *Georgius Rex Alberto filio Friderici* II. *Electoris Saxoniæ Egræ* despondit, & in *Misniam* misit, ac vicissim *Wilhelmus* III. *Friderici* frater filiolam suam itidem sexennem *Annam*, *Georgij Regis* filio *Hinkoni* seu *Henrico* juniori dicto conjugem designavit, quæ statim in *Bohemiam* est apportata; unde patet *Caroli* IV. & *Sigismundi* & *Alberti* II. *Cæsarum* trium & *Saxoniæ Ducum*, & *Regis Georgij* sangvinem in *Proceres Novodomenses*, atque ex ijs in *Slavatas*, & qui cum eis participant, per fœminas influxisse, ùt sequens, breve & rectum *Paradigma Genealogicum* demonstrat:

Caroli IV. sangvinem Slavatæ participant.

Carolus IV. Imperator. ⚶ 3. Anna *Svidnicensis Ducissa.*
Sigismundus Imperator. ⚶ Barbara Ciliensis.
Elisabeth Regina Ungariæ & Boh. ⚶ Alberti Regis & Imperatoris.
Anna Austriaca. ⚶ Wilhelmi III. Ducis Saxoniæ.
Anna Ducissa Saxoniæ. ⚶ Hinconis Ducis Münsterbergici.
Anna Münsterbergica Ducissa. ⚶ Henrici Dynastæ Novodomensis Supremi Camerarij.
Adamus de Novadomo Supr. Cancellarius. ⚶ Anna de Rozmital.
Joachimus de Novadomo Supr. Cancellarius Bohemiæ Eques Aurei Velleris. ⚶ Anna de Rozmberg.
Adamus de Novadomo Supr. Cancellarius. ⚶ Catharina Comitissa de Montfort.
Lucia de Novadomo. ⚶ Guilielmi Slawatæ Supr. Cancell. Regni Boh.
Joachimus Udalricus Comes Slawata. ⚶ Francisca Comitissa de Meggau.
Ferdinandus, & *Joachimus* Comites Slawatæ.

r. *Elisabetham* filiam *Alberti* meri *Reges* & *Cæsares* cingunt, nec facilè invenietur, quæ tanto, támque illustri sangvine Regum genita, sangvinem etiam tot Regibus dederit; filia fuit *Cæsaris Alberti* II. & *Reginæ Elisabethæ*, Neptis *Cæsaris Sigismundi*, Proneptis *Caroli IV. Cæsaris*; fratrem habuit *Ladislaum Regem*, maritum *Casimirum Regem*, filios habuit decem. 1. *Wladislaum Regem Ungariæ & Bohemiæ.* 2. *Joannem Albertum* electum *Regem Ungariæ*, postea *Regem Poloniæ.* 3. *Alexandrum Ducem Lithvaniæ*, & postea *Regem Poloniæ.* 4. *Sigismundum I. Poloniæ Regem*, & nè quid felicitati deesset, *S. Casimirum* natum An. 1458. An. 1483. extinctum; Avia fuit *Ludovici Regis Ungariæ & Bohemiæ*, & *Annæ Reginæ Vngariæ & Bohemiæ*; item Avia *Sigismundi Augusti* II. *Regis Poloniæ.* Profectò tot Regia decora in alia Regina vix inveneris. obijt *Elisabeth* A. 1505. expletis minimùm 66. ætatis suæ annis.

s. De *Ladislao* posthumo in *Tabula Genealogica Austriacæ Domûs;*

s. De *Wladislao* verò, & filio ejus *Ludovico Jagellonicis Regibus Bohemiæ* peculiari Tabulâ dicemus.

SECTIO

SECTIO III.

Extinctâ in Bohemia Regiâ Stirpe Lucemburgicâ, succedit Augustissima Domus Austriaca in duobus Regibus Alberto ejus nominis II. Cæsare, & ejus Filio Ladislao posthumo.

CAPUT I.

Alberti Imperatoris breve Regnum in Bohemia.



Sigismundus Cæs. Albertum Austriũ sibi eligit Successorẽ.

Sigismundus Imperator cùm videret Stirpem suam Regiam extingvi, & filiam suam *Elisabetham* solam se relicturum, cui potissimùm *Principi* eam offerret in conjugem, cogitabat; nullum aptiorem & magis de se & Republica meritum, quàm *Albertum*, inveniebat; itaque jam Anno 1421. eum Generum sibi, & Successorem Regnorum designârat, ac nè quid sinè consilio egisse videretur, eodem Anno 1421. rebus priùs ex sententia compositis Legati duo ab *Alberto* mittuntur, qui *Elisabetham Archiduci* conjugem postularent; annuit *Sigismundus*, quippe hujus consilij Author, & nonnullo interjecto tempore Publicas, ut firmitatem rebus gerendis adderet, literas *Presburgo Dominicâ ante S. Michaëlis Archangeli* festum diem edidit, quibus literis causas adfert, cur præ omnibus *Albertum* sibi destinet Regnorum Successorem: esse in Familia Patri suo *Carolo* multùm amata & æstimata natum; præstitisse *Albertum*, sibi & Regnis tot grata & honorata obsequia, quorum aliquod præmium mereretur; incipit deinde *Alberti* virtutes, & militaria facinora prædicare; denique *Bohemiam*, *Vngariam*, & ad has Coronas spectantes Provincias, si sinè masculo hærede decedat, *Alberto* transcribit; quòd si unam adhuc filiam habiturus sit, eidem *Elisabethæ* priori filiæ potestatem facit alterutrum ex Regnis, quæ dixi, eligendi,

Testamentũ & ultima voluntas Sigismundi.

alterum minori sorori relinquendi. Nuptiæ, quâ potuit magnificentiâ A. 1422. *Viennæ* celebratæ sunt, attulítque *Elisabeth* marito inter cimelia pretiosissimam gemmam, quæ centum millibus florenorum constitisse ferebatur, addidit jam tum *Moraviam Provinciam* Genero suo *Cæsar*, cujus possessionem adiret, eámq; ab hostibus tutaretur. Et præstitit *Albertus*, impigréque, & magno animo sæpius cum hostibus aliàs ferè semper victoribus conflixit; sed primum prælium, cui etiam *Sigismundus*, & alij Imperij Principes interfuêre, inprosperè gestum ad *Cuttenbergam* Duce hostium *Ziskâ*, quod alibi descripsimus. Multa deniq; *Albertus* prælia cũ *Hussitis* commisit, inprospera, prospera, ùt fortuna belli ferebat, sed illud suis auspicijs A. 1427. anceps & cruentum, cùm limites Austriæ transgressi *Hussitæ Albertum* ad arma exciverunt, quibus cùm intrepidè occurrisset, acerrimè quatuor horis dimicavit dubiâ victoriâ, cùm utraq; pars victoriâ sibi arrogaret, *Hussitæ* quòd *Alberti* castra occupâssent, & spoliâssent, *Albertus* quòd currus hostiũ intercepisset; sed litem hanc diremit novus *Taboritarum* exercitus, qui *Albertum* salvis tamen ordinibus campo cedere coëgit. Morte *Sigismundi Cæsaris*, qui in patrium Regnum postliminio receptus est, omnia meliora in Regno *Bohemiæ* evaserunt, & Procerum Bohemorum, humanitate & felicitate *Sigismundi* conciliatis animis in Regnum ultrò *Albertus* admissus est, etsi non omnibus Proceribus & Urbibus, tamen præcipuis *Regem Albertum* agnoscentibus & sequentibus, tantáq; fuit (jam *Sigismundo* 1437. *Znoymæ* mortuo, & ad tumulum *Varadinum* devecto) tanta, inquam, fuit *Alberti 1438.* fælicitas, ut tres coronas año uno suo capiti videret imponi, 1. Jan. *Ungariæ Rex, Rom: Imperator 20.* Martij electo, 30. Maij coronato; *Rex Boh. 5.* Maij electo, *29.* Junij coronato. Post *Bohemicam* coronationem nè quid hostile in Regno haberet, *Taborium*, quod *Ptaczko Dux* adversarum partium permunierat, & *Polonorum* præsidio defendebat, necquidquam obsedit, & cùm copiam pugnæ hostibus fecisset, neq; illos ad certamen ullâ vi extrahere potuisset, in *Silesiam* cũ exercitu adversus *Polonos*, eorúmq; *Regem Wladislaum* descendit; eóq; recedente *Alberto Brandeburgico Achilli Germaniæ* bellum prosequendum, & in *Poloniam* transferendum comisit. Jam enim *Amurates Turcarum Imperator Senderoviam* obsidebat, quam etiã belli impetu cœpit, neq; expectato *Alberto Adrianopolim* revolavit. Sed *Albertum*, cujus virtutem militarem tot & tanti hostes timuerant, & pugnantis ardorem & felicitatẽ nec aspectu ferre poterant; mors longiore vitâ dignum *Principem* deturbavit è vita: nam alvi profluvio, quæ pestis id temporis regnabat, debilitatus maximè peponum esu (quos dulcissimos profert *Ungaria*) malo exulcerato magnis itineribus ad patrium *Austriæ* cœlum contendens 27. Octobris A. 1439.

Alberti virtus bellica.

Ex peponũ esu Albertus R. moritur.

A. 1439. in *Insula Scythia* in pago quodam ignobili munitus omnibus ad viam æternitatis ineundam præsidijs expiravit, voluntate suâ ultimâ priùs adstantibus indicatâ: si conjux *Elisabetha* (quam prægravidam relinquebat) filium pareret, *Ulricus Ciliæ Comes*, quem nuper minùs sibi fidum senserat, filij parvi Tutor esset, & *Joannes Hunniades* usq; dum puer adolescceret *Ungariæ Regnum* gubernaret; de *Bohemia* statuerat nihil, cujus adhuc res ob hæresim nutabant. 45. ætatis agebat annum, dum extinctus est, sepultus in *Albæ Regali*. Fuit *Albertus* magnanimus *Princeps* periculorum omnium maximè militarium contemtor; ad omnem virtutem, amænitatem, & civilitatem educatus à puero, jam An. 15. ætatis statu corporis cuique viro suppar; facies læta & exporrecta, oculi hilares, amator maximus Eruditorum Virorum, quorum dum adhuc puer esset, pendebat ab ore; militiæ Duces summo habebat in pretio; in acie non sibi cavebat loco, sed ubi strenuè pugnabatur, gaudebat interesse, & manum commodare; venationem utpotè hæreditarium *Austriacæ Domûs* opificium amabat maximè, choreas oderat, quam esse mulierum voluptatem dicebat; bella non provocabat, sed cùm aliter finiri controversiæ non possent, strenuè gerebat; fideles sibi Ministros, omnibus modis ad dignitates evehebat, *Amicos* appellans, extátq; Nobile ejus dictum, quod ex *Græcis* fontibus manâsse videtur: *Amicus optima vitæ possessio*; non facilè ensem deponebat, quem ex aurea catena pendentem totâ die lateri affixum gerebat; subjectis populis placere pulchrum existimabat, monuítque aliquando *socerum Sigismundum*, qui suos severitate ad obsequium adducere solebat, *securitatem Principis non aliâ ratione melùs parari, quàm Civium amore.* Effigiem ejus ad vivum expressit *Speculum Domûs Austriacæ, Lib. 4. Cap. 1.*

Virtutes Albertî.

Notæ in Caput I.

Sigismundus cogitabat, filiam solam se relicturum &c. Omnia cogitatione, aut saltèm potissima præcurrere & prævenire sapientem decet. Tres enim vultus habet prudentia, uno præterita, altero præsentia, & tandem futura considerat. Ex præteritis præsentium pendet ordinatio, & futurorum dispositio. Si autem privatorum sunt hæ cogitationes, quantò magìs *Principum*, qui in rebus maximis disponendis versantur, ùt de Juribus Regnorum, de pace Provinciarum, securitate populorum, familiæ suæ interitu (quale hîc *Sigismundo* consilium fuit) eâque proh dolor! pereunte cuinam potissimùm transcribere possint, quæ dum viverent gloriosè tenuerunt; hæc an satis prudenter constituta sint, universus judicat Orbis; & si bene ac prudenter, laudatores inveniunt, si secus condemnant, & desiderant in *Principe* prudentiam. *Sigismundus Cæsar* nihil prudentius agere potuit, quàm cùm suæ familiæ Luceburgicæ pereunti *Austriacam* substituit, quam divinitatis altiore consilio ad Imperium genitam meritò dicere possumus, cùm ex ea jam tredecim *Cæsares* petitos esse ad summum *Europæ* Imperium videamus. Regnis quoque ac

De Successore gravis est Principũ deliberatio.

Provincijs hoc facto optimè consuluit vicino *Principe* impositò, qui earum vires & potentiam augeret, & hostibus formidabilem redderet.

Adoptatio publicis literis firmanda.

Publicas literas addidit &c. Hoc ad firmitatem negotiorum pertinet: quod enim clàm geritur, id quasi non satìs tutè gestum, subtrahi hominum notitiæ creditur; at quod apertè fit, id fiduciâ justitiæ, quasi *Authore Prætore*, & ex legibus gestum putatur, neque revocatur, cujus testis est Orbis. Sic *Sigismundus* adoptavit *Albertum* & suæ familiæ glorioſos Successores *Austriacos* accepit. Adoptatio humana insitioni mihi persimilis videtur, in qua in effœtæ arboris truncum, ramum vitalem inserimus, ùt rectè monet Ovidius: *venerit insitio fac ramum, ramus adoptet*; sed non omnis arbor insitionem recipit, & sunt inter arbores quoque sui amores & odia, ùt ostendunt rerum naturalium Scriptores. Porrò adoptio multis ac varijs modis fieri solebat, non ùt hodie per scripturam; illa gloriosa, quæ armorum traditione conficiebatur, de qua latè disputat *Petrus Pithœus*. Sic in *Annalibus Francorum Guntramus Rex* hastæ traditione nepotem sibi Successorem designat. Per Cæsariei incisionem, imò & per barbæ rasionem factam adoptionem idem Author probavit, quem de hac militari adoptatione curiosus Lector inspiciat.

In subsecivis Adversariorũ L. 1. C. 1.

Gemmis pretium hominum æstimatio confert.

Elisabeth attulit pretiosissimam gemmam &c. Multa sunt in rerum natura, quibus hominum æstimatio pretium dedit, ùt aurum, gemmæ &c. quædam gemmæ pulchritudine, quædam virtute ad valetudinem, & si admittimus etiam ad felicitatem, ad amorem conciliandum, vel contrà ad minuendum, aut ad alios miros affectus excitandos valere dicuntur, quædam incantationibus & fascinis obsistere traduntur; sed tamen me quidem Judice nulla gemma tantam æstimationem obtinet, ut centum millia pretio exsuperet: nec enim sanitatem certam adferunt, & si spectetur sanitas, res quædam obviæ majore gemmis in medicinis potentiâ pollent; pulchritudo etiam tanta non est, ut ob eam tot millia, quæ rebus dignioribus, spectabilioribus, longiùs duraturis, quæ hoc pretio comparari possunt, præcellant. Itaque sola æstimatio hominum gemmis pretium facit, & huic soli authoritatem suam debent; de gemmis neminem accuratiùs scripsisse puto quàm *Anselmum Boëtium* libris aliquot de natura gemmarum *Pragæ* scriptis, & *Rudolfo* II. *Cæsari* maximo gemmarum amatori dedicatis; post eum *Daniel Sennertus in Epitome* naturalis scientiæ brevissimam sed exactissimam tractationem de gemmis adducit, eò usque jam venit in *Principibus* gemmarum amor, ut certum genus ament, aliud insuper habeant, & contemnant; itaque granatos alij laudant, rubinos contemnunt, alij crystallos, alij Sapphiros mirantur &c. In vicinis *Peruvio* locis (in *Provincia Manta*) antequam *Hispani Americanum* Orbem navigationibus aperuissent, gentes illæ Smaragdum ingentem adorabant, & pro vero numine habebant, pulchritudine ejus captæ, quasi viventem, cùm vivere eum, qui tantam lucem támque gratam profunderet, existimarent. De gemmis, quibus Patriam nostram *Bohemiam* dotavit Deus, plura attuli in Lib. 1. Miscell.

Lib. 5.

Gemma Smaragdus ubi colatur pro Deo.

Lipsius in Monitis Polit. L. 1. C. 3. N. 9

Ut fortuna belli ferebat &c. Nullibi fortuna majus Imperium quàm in bello exercet; unde accommodatissimè *belli aleam* veteres appellârunt, quòd etsi omnem diligentiam adhibeas, nihil tibi certi promittere possis. Sæpe parvus error & casus omnem spem & expectationem evertit, irreparabili damno, cùm sapientissimè *Lamachus* dixerit apud *Plutarchum*: *in bello bis peccare non licet*, ideóque *Cicero fortunam campi* (id est belli) *Dominam* vocat. Testatur id maximus belli *Imperator Cajus Julius*: *fortuna quæ plurimum potest, cùm in reliquis rebus, tum præcipuè in bello, parvis momentis magnas rerum commutationes efficit.* Fateor prudentiam militarem sæpe juris fortunæ nihil relinquere, at quis tam providus Dux reperietur, qui aciebus adversis stantibus illud Virgilianum dicere possit: *Omnia præcepi, atque animo mecum antè peregi;*

In bello fortuna regnat.

Plut. in Apophteg.

Cæsar de Bello Civ.

egi; sed prudentis Ducis gloriatio satìs justa erit, si dicere possit, *plurima percepi*; id maximè ij gloriari poterant, qui in omni prælio stratagema aliquod, quod hostibus ignotum esset, adhibuerunt, nunquam sinè ejusmodi invento magni Duces pugnam iniverunt, utì *Julius Cæsar*, *Annibal*, & illis nihilo inferior *Ziska* cocles, & cæteri. Exempla pulcherrima leges apud *Frontinum*.

Front. lib. de stratagem.

In prælio an in hostem incurrendum, an ejus incursus expectandus?

Albertus intrepidè Hussitis occurrit &c. Anceps & non satìs expedita inter *Polemicos Scriptores* excitari posset controversia: an in concursu præliorum hostilis impetus facto vicissim impetu excipiendus sit, an verò sinè procursu Ordinibus arctè servatis expectandus? difficilè est eum, qui bella non gessit, de bellis disputare, timendáque esset *Annibalis* de *Phormione Philosopho* censura; sed ego magno Autore & belli Duce *Julio Cæsare* nitar, qui non dissimulavit maximum errorem admissum à *Pompejo*, cùm Cæsaris militibus ad pugnam procurrentibus, *Pompejus* suos jussit consistere, & quasi immotos Cæsarianorum impetus excipere, quod Cæsar magnũ sibi ad victoriam momentum attulisse existimat. Verba ipsa dabo: *Inter duas acies* (loquitur Cæsar de bello *Pharsalico*) *tantum erat relictum spatij, ut satìs esset ad concursum utriusque exercitûs. Sed Pompejus suis prædixerat, nève Cæsaris impetum exciperent, nève se loco moverent, aciémque ejus distrahi paterentur; idque admonitu C. Triarij fecisse videbatur, ut primus excursus, visque militum infringeretur, acièsque distenderetur, atque in suis ordinibus dispositi, dispersos adorirentur, levìusque casura pila sperabat in loco retentis militibus, quàm si ipsi immissis telis occurrissent. Simul fore ut duplicato cursu Cæsaris milites exanimarentur, & lassitudine conficerentur. Quod nobis quidem nullâ ratione factum à Pompejo videtur: propterea quòd est quædam animi incitatio, atque alacritas naturaliter innata omnibus, qui studio pugnæ incenduntur; hanc non reprimere, sed augere Imperatores debent. Neque frustra antiquitus institutum est, ut signa undique concurrerent, clamorémque universi tollerent, quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimavère; sed nostri milites dato signo cùm infestis pilis procurrissent, atque animadvertissent non occurri à Pompejanis, usu peritì, ac superioribus pugnis exercitati, suâ sponte cursum represserunt, & ad medium fere spatium constiterunt, ut non consumtis viribus appropinquarent, parvóque intermisso temporis spatio, ac rursus renovato cursu pila miserunt, celeritérque ùt erat præceptum à Cæsare, gladios strinxerunt. Neque verò Pompejani huic rei defuerunt. &c.* hæc Cæsar. At hodie alia est facies prælìorum, cum tormentis & machinis res geritur, cùm locus aut declivis, aut arduus captatur &c. cùm Sol adversus & ventus, & pulvis vitatur &c. quanquam in his omnibus *Julij Cæsaris* monitum servari commodè potest.

Non est victus, qui salvis ordinibus cedit ex acie

Salvis ordinibus campo decessit &c. Qui salvis ordinibus fugit, non ex toto devictus videtur, sed quodammodo cedere fortunæ tantùm, ut meliori tempore & loco reddere se, & hosti offerre possit. Magnum & expertum militiæ Ducem hæc res ostendit, ut suos recipere, & cladi subtrahere possit! *Condæi* fortissimi & peritissimi *Gallorum Ducis* hæc gloria est, ùt narrantes magnos *Duces* audivi, quòd etsi hostes victoriam obtinerent, nunquam tamen *Condæi* copias in confusionem, & in apertam fugam adduxerint, sempérque ille salvis ordinibus in tutum evaserit.

Bellum si fieri potest extra Patriam gerendum.

Lib. 2. Appian in Prologo hist.

Bellum in Poloniam transferendum &c. Observant *Polemici Scriptores*: *Romanos* omni ope bella in hosticum transtulisse. Ea causa fuit, cur intra 500. annos vix subjugare *Italiam* potuerint, ùt affirmat *Florus*, cùm tamen ducentis annis universam *Africam*, *Asiam* & *Europam* subjugârint, ùt cum *Floro* consentiens *Appianus* testatur. Ego id retulerim, quia extra Patriam bellum gerere, quàm domi facilius est. Hæc enim præcipuæ *Romanis* curæ in militia fuerunt, ut plerumque suis incolis Provincias oppugnarent (ùt *Gallis Galliam*, *Germanis Germaniam &c.*) perterritis hostibus spatium recolligendi se non darent; hostem plerumque extra finem Imperij excipe-

rent (quod non obſervatum, ſemper illis malè proceſſit) vel ſi id non poſſent efficere irruptionibus hoſtem domum revocarent; vel denique hoſtium impetus cunctando frangerent; hæc erat *Romanorum* prudentiſſima bellandi ratio.

Mutatæ circumſtantiæ mutant conſilia.

Ciliæ Comes infidus nuper, filij parvi Tutor &c. Miratus ſum ſæpius, cur *Ciliæ Comitem*, qui nuper *Bohemiæ* Regnum (ùt obſervant Hiſtorici) affectaverat, & alioqui inter Proceres dubiæ fidei numerabatur, filio ſuo ſi fortè natus eſſet (nam ſexus ſciri non poterat) Tutorem *Albertus* conſtituerit, cùm Sapientum ſenſus ſit, qui ſemel malus ſemper præſumitur eſſe malus; id quod maximè verum eſſe ſolet in ijs, qui ſemel datam & juratam fidem fregerunt: ſanctum enim juramenti nomen Deo & hominibus teſtibus & conſcijs conceptum & factum ſummè homines à perjurio deterret; at cùm ſemel violatum eſt, in reverentia non habetur, ac ferè tantùm mendacij, quod Aulicum eſſe dicunt, apud fœdifragos locum obtinet; ſæpiſſimè enim hæc commutantur apud eos, mendacium & perjurium; unde bene Sapienti dicere licuit: *qui mentiri ſolet, pejerare conſuevit.* Hæc *Albertum* permovere poterant, nè *Ulricum Comitem Tutorem* nominaret; at mutata jam erat temporum ratio: nam jam tribus coronis ornatus erat *Albertus*; ſoror *Barbara* omni authoritate eligendi ſibi maritum carebat; dabatur illi in manus poteſtas, cum *Cæſare Friderico* primo Tutore futuro communis, ut ad res novas incœptandas aſtuto *Comiti Ulrico*, nec facultas eſſet, nec voluntas. Imò Sapienti invento acquiſitâ tantâ poteſtate, ſi etiam conſilium res novandi maximè habuiſſet, non potuiſſet apertè in infantem cujus erat Tutor, conſurgere, potuiſſet autem ſi nulla ejus ratio, cùm eſſet *Reginæ Matris* frater, habita fuiſſet.

Venatio Domui Auſtriacæ propria.

Venationem Albertus amabat maximè &c. Laudatiſſima hæc eſt Principum occupatio, quam in *Trajano* ſuo maximè celebrat *Conſul Romanus Plinius* in Nobili illo *Panegyrico*, qui etiam piſcationem adjicit, & velut Principe dignam deprædicat. *Auſtriacæ* genti proprium ſemper fuit venatione teneri; notum eſt *Maximiliani I.* in *Comitatu Tyrolis* (quod ipſe eleganter deſcribit, & *Albertus Durerus*, quamvis in ligno, artificiosè incîdit) periculum. *Jacobus Spiegelius Domui Auſtriacæ* à ſecretis, memorat: *Venationem* olim adeò viguiſſe in *Auſtriaca* gente, ut Imperatorum voce appellati fuerint Deß Heiligen Röm. Reichs Jägermeiſter, quod pleriſq; diplomatis, quæ extant, comprobari poteſt, idque adeò pro probato jure, ut eis venandi exercitium per univerſam *Germaniam* pateat. Unde ait, *Cæſar Maximilianus I.* cuidam *Principi*, qui valdè ægrè videbat eum aliquando venatum in ſuam ditionem excurrere, per ſuos renunciavit: non mirum id illi eſſe debere, ſi jam ùt ſummus *Germaniæ Princeps* utatur jure, quo etiam privato ipſi ſolummodo *Auſtriaco Principi* ſi tantum velit, quantum poſſit, uti liceat.

Maximil. I. in L. cui titulum fecit Teuerdanck. Spiegelius in ſcholijs ſup. Æneam Silv. in L. 4. n. 25

Amicis maximè eget Princeps.

Fideles Miniſtros ad dignitates evehebat &c. Princeps in gubernatione Reipublicæ vix ſuis oculis & reliquis ſenſibus uti poteſt, quippe ſæpenumero unâ Regiâ concluſus; ideò oculis pluribus, pluribus auribus, aliiſque ſenſibus fidelium Miniſtrorum opus habet: ſapientiſſimè in *Perſarum* Imperio *Conſiliarij* quidam Regis oculi ſolebant appellari, ùt in *Philoſtrato* legimus. Ingeniosè *S. Syneſius* monet *Imperatorem*, ut aliquos habeat Amicos. *Rex*, ait, *id exploratum habet, Deum quidem ſibi ſufficere, homini verò multis hominibus imperanti, ad univerſa noſcenda propriam naturam ſatis ſupérque non eſſe. Hunc igitur naturæ defectum ſupplens in ejuſdem naturæ communionem, aſciſcit Amicos, ſuam quodammodo vim multiplicans; ità fit, ut Princeps omnium oculis videat, & omnium auribus audiat, omniúmque animis in unum conſentientibus conſilium capiat.* Sed hic labor hoc opus eſt, ut fideles à falſis Amicis diſcernantur: illa eſt una ex præcipuis bonorum Amicorum nota, & character, ſi in conſilijs dandis *Principis* animum induant, ſuam perſonam exuant, quò fiet, ut Regi utilia, glorioſa,

Philoſt. in vit. Apollon. L. 1 cap. 15. Syneſ. de Regno ad Arcad.

rioſa, & Majeſtate ejus digna conſilia (etiamſi ſibi, & ſuis non multùm utilia) *Principibus* ſuggerant.

Militaris conſvetudo Germanorū.

Enſem lateri ſemper affixum &c. Hoc in inſtitutis *Germaniæ* obſervatum lego, ut neque in menſis gladium deponerent antiqui *Nobiles*, utpote militares viri, & qui ſui opificij inſigne ſemper geſtarent: *Carolus V. Imperator*, qui enſe accinctus etiam audientiam dabat, in gladij ſui capulo ſigillum juſſit incîdi, eóque facilè & commodè literas obſignabat, ut extrahere opus non eſſet. Interrogatus, cur iſtud faceret? reſpondit, *ad manum ſibi ſic ſemper eſſe ſigillum. & qui huic non obediret, alterum gladij finem, cuſpidem ſcilicet expectandam eſſe.*

CAPUT II.

Ladislai Regis Bohemiæ Regnum, & cita mors.



Pupilaris ætas Ladislai.

Ladislaum tot populis ejus nativitatem expectantibus Divinitas oſtendit terris, & ſpe maximâ impletis, mox Orbi ſubtraxit. Natus eſt *Commorini in Ungaria* 21. Februarij, quarto poſt humatum *Patrem Albertum* menſe A. 1440. cùm de ejus ortu conſtitit, *Ungariæ & Bohemiæ* Regna Comitijs indictis eum ſibi Regem delegêre; Ungari feliciores *Bohemis* viſi ſunt, & longiùs progreſſi, ut turpiùs deſererent: eodem anno quatuor menſium infantem coronârunt in Aula Regali. *Bohemi* quò ſeriùs fidem ſuam infanti Regio obligârunt, eò conſtantiùs ejus partes poſtea defenderunt. Nam *Ungari* eodem anno *Regem Wladislaum Polonum* advocatum *Ladislao* infante contempto eadem in urbe Alba regali eodem in templo *S. Stephani*, ad eaſdem aras, coronârunt, eíque juramentum nupero contrarium præſtiterunt. De Corona Regia, quam *Regina Eliſabeth* aſtutè eis ſurripuerat, longa eſt apud Hiſtoricos narratio: in ſumma, cùm infans *Ladislaus* coronaretur, dexterrimè verâ coronâ exemptâ ſubſtituit aliquid, quod pondus coronæ impleret, at veram coronam cum infante *Ladislao Cæſari Friderico* attulit (quæ commutatio coronæ magnas poſtea turbas dedit) itaque *Wladislaum* coronâ ex ſepulchro *S. Regis Stephani* acceptâ oportuit coronari. *Ladislaus* à matre ad *Fridericum* allatus, aliquamdiu in matris ſinu educabatur, quâ inter ſummas ſpes & metus majores (nam ad deteriorem partem ſtrenua ſemper ſuſpicio eſt) extinctâ An. 1442. 24. Septembris in *Aula*

P. Syrus in Mimis.

Aula Cæsaris Friderici annis 13. bonis literis,& omni genere pietatis,& Regiarum virtutum excultus permansit. *Bohemiæ* Ordines inter hæc turbatis rebus suis ex priore ab *Hussitis* bello, Rege, qui authoritate & armis partes componeret, opus habebant, & Legatione missâ *Alberto Bavariæ Duci*, mox recusante illo *Friderico Cæsari* Regnum offerebant, hoc etiam totius Orbis censuram metuente (si pupillo infanti Regnum eripuisset) Gubernatores, usque dum adolescceret *Ladislaus*, elegerunt duos: *Meinhardum de Novadomo*, & *Ptaczkonem Lippæum* (cui brevi mortuo *Georgium Podiebradium*, qui postea Rex fuit, suffecerunt, *Cæsaris Friderici* consilio) quæ sub his Gubernatoribus gesta sint, nihil ad *Ladislaum* spectare videntur, & in *Epitome* ordine temporum narrata sunt. Hìc in laudem nationis nostræ aliquid adjiciam ex optimis Scriptoribus, qui rebus, dum gererentur, interfuêre, *Ænea Silvio*, postea *Pio II. Papa*, *Gerardo de Roo*, *Cuspiniano*, *Birgen*, aliisque Scriptoribus: *Bohemos* Regnum *Ungariæ Ladislao* infanti annis facilè 14. militariter conservâsse: *Georgius* & *Joannes Giskra* fratres *Brunduſij* ad *Aquilam* in *Districtu Bohemiæ Regino-Hradecensi* ex vilissima fortuna, per omnes militiæ gradus ob virtutem, ad summa militiæ decora evecti, deinde *Talafus* de *Rziczan*, *Witkowecz*, aliique plures *Ungariam* superiorem totam in obsequio *Ladislai* contra *Wladislaum Ungariæ Regem* coronatum,& *Joannem Hunniadem* tantum alioqui & tam felicem Ducem sustinuerunt; memorabile, & dignum *Annalibus* Orbis exemplum refert *Æneas Silvius*: Cùm *Bohemi* legationem splendidissimam ad *Cæsarem Fridericum* ex comitijs misissent, ut *Imperator Ladislaum* puerum in *Bohemiam* mitteret, quo veniente universa componeretur *Bohemia*, atque is pueri infantiam excusaret, Legatos tamen petiisse puerum Regem videre; *Imperatorem* nihil cunctatum eduxisse *Ladislaum*; ibi *Georgium Giskram* (qui unus Legatorum fuit) cùm prius indolem, mores, quamvis in puero, cultissimos, aciem oculorum intrepidam, & alia animi Regij documenta observâsset, accessisse hâc oratione usum: *Regum desideratissime, quantis ego pro tua Majestate periculis caput meum objeci, quantas curas, & labores, pro ijs terris, quæ mihi commissæ fuerunt, sustinui! quot vulnera excepi, & adhuc excipere paratus sum*! cúmque puer irretorto vultu *Giskram* aspiceret, & arrideret: *tua Majestas*, pergit *Giskra* ulteriùs, *hæc per ætatem non intelligit, sed risu prosequitur, ego tamen scire cuperem, quid mihi militi vestro tot stipendiorum præmij paretis*? quæ cùm *Giskra* dixisset, *Ladislaus* circumlatis in adstantes oculis videt, *Procuratoris* Regij sacculum, móxque accurrens ex eo sex nummulos aureos, quos solos invenerat, extrahit, & *Giskræ* donat. Quos ille summâ gratiæ significatione acceptos Legatis reliquis monstrando, Regis futuram liberalitatem

Bohemi Ladislao Pupillo conservant armis Hungariam.

Silv. in Hist. Boh.

Giskræ Bohemi Ducis oratio ad Ladislaum puerum.

tem ominatus, eos aureo torquì insertos in collo inposterum semper circumtulit. Regia indoles latere non potest, ejúsque vim insitam Deus & homines miris sæpe modis promovent. An. 1452. *Fridericus Imperator Romam* ad coronationem profectus, *Ladislaum* duodecennem secum deduxit; quâ magnificentiâ & occursu multorum *Europæ Principum* exceptus sit Imperator, non est instituti mei commemorare; quod ad *Ladislaum* pertinet, habuit ille luculentam orationem ad *Papam*, quam magnâ memoriæ, & audaciæ in puero commendatione memoriter recitavit; illud etiam memorabile, Sacerdotem qui eum & in moribus, & in Studijs literarum erudiebat, nescio an pretio, an precibus alicujus inductum, adornâsse fugam ex Urbe, quâ *Ladislaum* raptum suis redderet, sed prodito consilio in custodiam impositus Pædagogus, & à *Ladislao* remotus est. *Friderico Cæsare Româ* redeunte, cùm omnia *Austriaci*, *Bohemi*, & *Ungari* moverent An. 1452. 10. Septemb. *Fridericus Ladislaum* restituit suis; *Viennam* primùm petijt, ubi *Elisabetha* soror morabatur, magno omnium Ordinum gaudio, & velut in triumpho receptus. Anno sequenti *Posonium* in *Ungariam* (occiso jam ad *Varnam* à *Turcis Wladislao*) accessit, & *Proceribus Ungaris* ad se venientibus omnem in administrando Regno diligentiam, justitiæ amorem, & quidquid boni à Regibus expectant subditi, promisit. Ordinatis quantum pro temporis brevitate licebat, *Ungaricis* & *Austriacis*, aliarúmque Provinciarum negotijs A. 1453. sub initia Mensis Octobris iter versùs *Bohemiam* susscepit; ad *Iglaviam* tota *Bohemiæ Nobilitas* Regi futuro occurrit, quatuor millia armatorum Equitum fuisse traduntur. *Pragam* ubi attigit deducentibus Proceribus omnia ad coronationem apparata invenit, itaque nihil morati *Bohemiæ Proceres* 28. Octobris *Ladislaum* tredecennem in *Basilica S. Viti* operam præstante *Joanne Olomucensi Episcopo* (errat *Speculum Austriacum*, cujus *Author à Dionysio Cardinali, & Archiepiscopo Strigoniensi* coronatum scripsit, quòd nullo Juris ordine servato illegitimum fuisset) coronant summâ gloriâ suâ, & populi applausu maximo. Mox *Comitia* initio Anni 1454. habita, ubi admirabili Ordinum concordiâ multa, quæ ad pacem publicam, & Regni utilitatem spectabant, constituta; *Rex* approbavit omnia, rebúsque ex sententia gestis, per *Zittaviam*, *Wratislaviam*, *Moraviam*, *Viennam* ad suos revertit An. 1455. Anno sequenti *Hunniade* in prælio post Nobilem de Turcis partam victoriam paucis diebus extincto, in *Ungariam* descendit, ibi quæ gesta sunt à *Ladislao Corvino*, & cæde *Ulrici Comitis Ciliæ*, atque iterum ob hoc facinus *Ladislao* publicè & indignè manu Carnificis sublato, quia passim in Historijs leguntur, hìc prætereo. Certum est *Ladislaum Regem* turpem nomini

Ladislaus puer Romã pergit.

Ladislaus R. coronatur in Bohemia.

Apparatus nuptiarum Ladislai R.

mini ſuo maculam inuſſiſſe, cùm *Corvino* ſecuritate datâ & juramento firmatâ fidem fefellit, obſecutus hac in re ſceleratis adulatorum conſilijs, ùt notavit *Speculi Auſtriaci Scriptor*. *Viennam* Rege reverſo de nuptijs & nova nupta, tum dedote, de loco nuptiarum, aliiſque hujuſmodi conſultatum eſt; ut *Pragæ* nuptiæ celebrarentur pervicit *Gubernator Georgius Podiebradius*, venítque *Pragam Ladislaus* A. 1457. die *S. Michaëlis*, conſtituti ſunt ex Regnis & Provincijs omnibus delegati, qui in *Galliam*, ad Regem *Carolum VII.* ejus filiam *Magdalenam Ladislao* devecturi proficiſcerentur, legationis hujus ſplendidiſſimæ deſcriptionem Libri hujus anguſtia non admittit; hoc unum dicendum eſt, paucis ſæculis tantam magnificentiam, tantum apparatum, tantas opes, tam Nobilem comitatum in his terris viſum eſſe, ducenti ex ſumma Nobilitate trium nationum adjunxẽre ſeſe, quadringentæ Virgines & Matronæ ſummo loco natæ, in quarum comitatu Sponſa veniret, deſignatæ, ſplendorem veſtium aliáque nihil commemorare attinet; ſed proh dolor! quantum eſt in rebus inane! dum pro Sponſa ad thalamum deducenda properatur, *Ladislaus* portatur ad tumulum! 22. Novembris Regis valetudo tentari cœpit, cúmque ſtomachum ſibi dolere dixiſſet, in lectum ſe conjecit, quatuor horis ſomno dato conſurrexit, multa de ſtomachi dolore iterum conquerens. Vocati Medici ſtatim de morte imminente Regem, hoc ab illis poſtulantem, admonuerunt. In hoc extremo periculo *Gubernatorem Georgium Podiebradium Ladislaus* accerſivit, & ejus fide, quam ſibi perſpectam eſſe dicebat, laudatâ duo petijt: primùm, ut juſtitiam in Regno, maximè in cauſſa pauperum, viduarum, & pupillorum, ſinè omni diſcrimine adminiſtraret; tum illud alterum, ut ſe mortuo, *Comites* ſuos, & *Aulam Ungaricam*, & *Auſtriacam* ſecurè ad ſuos in *Ungariam* & *Auſtriam* remitteret, & dato abeundi commeatu, in itineribus omnis injuriæ ſecuros præſtaret; tum totum ſe ad divina convertit: Sacerdotibus advocatis pœnitentiâ animæ negotia componere aggreſſus, quæcunque gravare conſcientiam poterant, magnâ pietate Sacerdotibus aperuit & lacrymis expiavit, cœleſtíque Viatico refectus eſt; quidquid veſtium regiarum arcæ claudebant, *Eccleſiæ S. Viti* donavit, inſuper & Cæſariem, quam auro concolorem habebat adoleſcens Regius, ad Chriſti cruci affixi pedes poſt ſuam mortem juſſerat abjici, quod Aulici poſtea neglexerunt; cùm jam mortem adeſſe ſentiret, crucifixi ſignum, quod intuebatur aſſiduè, complexus, dominicam Orationem recitare cœpit, & in ijs vocibus, *ſed libera nos à malo*, 23. Novemb. 1457. cum omnium adſtantium lacrymis 36. ex quo ægrotare cœperat horâ, placidiſſimè expiravit. Habetur multis in locis vera *Ladislai* effigies; veriſſi-

Morbus & Mors.

An ſit veneno ſublatus.

veriſſima illa eſſe creditur, quæ in *Collegio Societatis Regino-Hradecij* aſſervatur, quippe eo vivente depicta, & in Procerum diverſorum gazis ſervata, tandem noſtrâ ætate à *Friderico ab Oppersdorff* Fundatore illi *Collegio* donata. Veneno ſublatum Regem Scriptores quidam tradiderunt, & *Georgium Regem*, ejúſque conjugem *Johannam*, aut neſcio, quam puellam Nobilem nominant, quæ pomum veneno infecerit, ſed hæc omnia incerta ſunt; certius illud in Regis ſinu duas venenatas ſuculas poſt mortem apparuiſſe; regnabat enim tum peſtilentia *Pragæ*, & *Ladislaus* in *Urbis Meditullio*, in *Aula Regia*, quam dicimus, habitabat; utut ſit, ad *Ladislai* mortem tam immaturam totus penè cohorruit Orbis, & grande documentum *Regibus* datum eſt, ſpes magnas æquè ac parvas momento occidere, & quod proverbio dicimus, verum eſſe; *fortuna* (imò & vita) *vitrea eſt, cùm maximè ſplendet, frangitur*.

Notæ in Caput II.

Ladislaum divinitas terris tantùm oſtendit &c. Hominum conditio tam infelix eſt, ut mala quibus premitur, diuturna ſint, contrà verò, ſi quid boni poſſidere incipiat, id momentaneum & breve citò nos deſerat, & eſſe deſinat; aut quod maximum humanæ infelicitatis eſt genus, bonum illud dum amittitur, tum primùm noſcatur. Nemo adeò divinè in hoc argumento, ùt jam antè dixi, ex profanis Scriptoribus verſatus eſt, quàm *Imperator Antoninus* in Sapientiſſimis duodecim libris, quos de *vita ſua* conſcripſit. Alicubi ſic loquitur: *Humanæ vitæ tempus momentum eſt; natura fluxa; ſenſus obſcurus; totius corporis temperamentum facilè putreſcit; anima vaga eſt; fortuna quæ ſit, difficile eſt edicere; fama incerta eſt; atque ut breviter dicam, omnia quæ ad corpus pertinent, fluvij naturam habent; quæ ad animam, (in hoc carcere morantem) ſunt inſomnia & fumi; vita bellum eſt & peregrinatio; fama poſt mortem oblivio eſt. Quid ergo eſt, quod tutò hominem poſſit deducere? Sapientia. & Lib. 6. in hoc flumine temporis, qui res æſtimat, perinde agit, ac ſi quis unum de prætervolantibus paſſerculis diligere incipiat, atque is jam è conſpectu ejus avolet.* Iſtud certè immaturæ & inexſpectatæ morti *Ladislai Regis* aptari poteſt, qui velut paſſerculus, aut, quo maximè delectabatur, & cum quo pingi ſolet, *Pſittacus*, Regnis & Imperijs ereptus eſt; ſed hoc debitum eſt naturæ ſolvendum, & Orbis non viventium, ſed morientium Patria eſt. *D. Auguſtinus* ait: *non poſſe hîc beatam vitam inveniri, ubi neque vita ſit.* Ajunt in *Creta Inſula*, quocunque loco terra moveatur (niſi aliud plantæ genus ſeveris) protinus gigni eo loco cupreſſum; ſymbolum hoc eſſe poteſt noſtræ mortalitatis: quidquid enim ſive in vitâ hominum, ſive in labore, ſive in Imperio aggredimur, & incœptamus, morti debetur, & nihil immortale manus mortalis facit; ac ſi fata remorari poſſemus (nam ad quinquennium ſuperſtitioſa antiquitas vitari fata poſſe ſtultè docebat) bene cum rebus humanis ageretur, ſed inexorabilis rerum ſeries & fata crudeliùs in magnos Monarchas mundi, quàm in eos, qui ſpectabiles non ſunt, incumbunt. *Alexandrum Macedonem Bullâ*, quâ nihil breviùs, præſignificatum *Plutarchus* refert: nam ejus *Pater Philippus* pridie nuptiarum *Bullam* in ſomno vidit Leonis effigie ſignatam, quæ brevi evanuerit; id Vates & Conjectores eò ſagaciter referebant, quòd naſciturus ei eſſet filius, qui Leonis animos gereret quidem, ſed quia in *Bulla* ſpectaretur, brevem ejus vitam fore. Hujus quoque brevitatis

Omnia in vita humana funeribus plena.

Ant. l. 2. de vita ſua.

Ladislaus cum Pſittaco pingitur.

Auguſt. in Confeſſ.

Bulla vitæ brevis ſymbolum.

Plut. in vita Alex. M.

Macrob. l. 1. Saturnalium Et Salian. A. V. C. 157.

vitatis signum apud Romanos *Bullam* puerilem fuisse existimo, licet *Macrobius* aliam hujus moris originem à *Tarquinio* de Sabinis triumphante adducat.

Quæ tardè crescunt, diu perennant.

Bohemi, quò seriùs infanti Regi fidem obligárunt, eò constantiùs &c. Quæ diuturnâ meditatione, & momentis rerum examinatis constituuntur, tenaciùs animis affiguntur; plantæ hortenses, & arbores omnis generis, quò suam citò maturitatem consequuntur, eò celeriùs moriuntur, induratæ tempore, injurias aëris non timent. Elephas animalium omnium vivacissimus decem annis parturire à *Plinio* traditur; res enim magnæ diu tenendæ, & cum tempore proferendæ sunt, ut diu perennent.

Ambros. l. 1. de officijs c. 7.

Ingeniosissimè D. Ambrosius notavit, magnum delectum adhibendum in amicitia, *quia*, inquit, *cùm judicio eligimus, magnum charitati pondus ad vim diligendi adjungitur*; idem accidit in hac electione Regia *Ladislai*: cunctatio enim prudentissima est, & omnes circumstantias rerum examinat, ut nihil novum, & quod electionem remoretur, facilè occurrat, aut quod non superari possit; unde etiam consilia feliciter procedere solent, & minùs nos fallunt; voluntas ipso quodammodo tempore roboratur, & decreta, repetitis sæpe quæ proposuimus, & statuimus, violentiam quandam animo faciunt, ut vir constans in transversum agi non possit.

Corona Ungariæ commutata &c. Hoc illiberale aut fraudulentum factum & furtum haberi posset, nisi *Regina Elisabeth* jure optimo nixa *Ladislao* coronato jam & in Regnum assumto, coronam (velut Regi) servare voluisset, quam rivalis ejus *Wladislaus*, nescio an satis bono jure coronatus, abstulisset. Audax facinus in conspectu Procerum omnium perpetratum! sed audaciùs illud, quod in coronatione *Caroli V.*

Rayn. t. 7. in Marianis.

nefarius quidam homo ausus est, ùt narrat *Theophilus* noster, cùm enim *Bononiæ Carolus V.* coronandus esset, & *globus Imperij aureus cum corona & sceptro* in altari jaceret, quidam Linteatus ingessit se Sacerdotibus, & coram tali & tanto cœtu incredibili audaciâ pomum illud aureum Imperij nullo observante surripuit, neque unquam resciri potuit, quò pomum devenisset; risu etiam antequam furtum innotuisset, inter Imperij Proceres exorto, cùm Sacerdotes clamarent *orbem terrarum furto esse sublatum*, quæ res postea risum in detestationem & iracundiam *Caroli* & *Principum* vertit. Similia ingeniosa & audacia furta in Adversarijs meis plurima ex historijs omnium sæculorum collegi, sed ijs referendis hic locus non est. De hoc globo Imperatorum, & quàm sæpe in eo fortuna steterit, mirè argutatur vetus Author *Julius Hilarius*. Porrò Reges cùm corona regia haberi non posset, alijs coronis insignitos inter exempla habemus, ùt in præsenti *Wladislaus* ex sepulchro *S. Stephani Regis* coronam mutuatus est, & postea *Mathias Corvinus* cum ex *Arce Carlsteina* coronam petere non posset, *Rex Bohemiæ Brunæ* coronatus est, coronâ ex capite *B. Virginis*, quæ in statua sua in *Ecclesia S. Jacobi* ob miracula colebatur, petitâ; sic etiam *Rudolfum I.* cùm nescio quo casu sceptrum Imperatorium subitò inveniri non posset, sceptri loco crucifixi Domini signum arripuisse legimus, quod omni sceptro gloriosius est visum.

Quidam furatus est orbem terrarũ

Hilar. lib. de mundi duratione.

Coronam Bohemiæ oblatam, & Albertus Bavariæ Dux & Fridericus Imperator recusarunt &c. Nulli bene cessit violenta vel injusta alienæ coronæ occupatio, meritóque censuram totius Orbis timuerunt: nam cùm *Regum cibus sit gloria*, ùt dicebat *Alphonsus Magnus*, inglorium se reddit Princeps omnibus sæculis, qui se tam injustum fuisse monstravit, ùt pupillo & infanti Regnum eriperet. Quòd si in minutis rebus attendimus, nè maculam gloriæ nostræ inuramus apud præsentes, quantò id justiùs apud posteros cavendum est, nè cum execratione nomen nostrum legatur, velut tyrannorum. Omnia enim, ùt sæpe dixi, notantur in Principe, quæ latent in privatis: si quæ minor stellula in cœlo deliquium lucis patiatur, quis id animadvertit, nisi fortè aliquis sub tecto latens & frigore rigens *Astronomus*; at cùm primæ magni-

Panormit. in vita Alph. M.

Injust9 Princeps omnibus sæculis fit infamis.

magnitudinis sidera obumbrantur, hoc & prædicitur, & à populis observatur, verbis *Senecæ* eloquar: *cùm aliquid in cœlo ex more mutatum est, omnium vultus in cœlo est, Solspectatorem, nisi cùm deficit, non habet. Nemo observat lunam, nisi laborantem. Tunt Urbes conclamant, tunc pro se quisque superstitione vanâ trepidat.* Famæ igitur custodia habenda viris est, qui gloriam in vita quæsierunt, nè omnes suas laudes corrumpant; etsi enim *fama mendax* à *Poëtis* dicatur, non potest tamen mendax esse, ubi eam & populus, & Scriptores, qui vitam ipsam inspiciunt, confirmant, ac meo judicio sapientissimus Scriptor *Tacitus* istud dicere voluit: *non semper*, inquit, *errat fama, aliquando etiam eligit.*

Seneca l. 7. qq. natur.

Tacit. in vita Julij Agric.

Giskra ex vilissima fortuna per omnes militiæ gradus ascendit &c. Neminem in arte aliqua perfectum esse crediderim, qui eam artem non tractavit, multò etiam militandi artem, seu scientiam alicui contingere posse, qui militiæ tyrocinium non posuerit; & tamen mirati sumus aliquos vel nobilitate, vel juventute, & gratiâ adjutos tenuisse locum, & pares factos ijs, qui in militia consenuerunt; satyricè & ingeniosè dictum est à *Juvenali*, de hujusmodi promotionibus: *quàm multos Veneris commendat Epistola Marti*, scilicet eos, quos commendârunt fœminæ, ubi valere Virgilianum illud posset: *Dux fœmina facti.* Ridiculum à militibus accepi exemplum (res est antiqua ideo securiùs adducitur) in pugna Lipsensi A. 1642. Ducem cujusdam Legionis, qui solâ nobilitatis commendatione legionem juvenis admodum ductabat, in prælio opus habuisse milites, ubi sibi standum esset, consulere, at milites legionarios unâ quasi voce conclamâsse: *non standum est tibi, sed pugnandum.* Corruptela militaris disciplinæ est, cùm non virtutis & experientiæ, sed gratiæ ratio habetur; *Giskra*, de quo loquimur, suâ virtute sibi gradus ad summum Imperij decus paravit, támque fidos sibi milites, tot armorum documentis habuit, ut nullus unquam militum ejus de fuga, sed tantùm de victoria cogitârit; & cùm aliquando à *Joanne Hunniade* Duce incomparabili, *Cavillo* appetitus fuisset, insolitâ duellandi ratione provocavit *Hunniadem*, quocunq; in campo cum decem millibus suorum comparendi, haberet ex parte altera *Hunniades* quot vellet millia; advenit *Hunniades*, commissóq; certamine *Giskra* etiamsi numero multis partibus superaretur, non modò *Hunniadem* compulit in fugam, sed ipsa castra cœpit, ùt narrat eorum temporum Scriptor fide dignissimus *Æneas Silvius*, qui addit nunquã *Giskram*, nisi victorem ex prælio revertisse, & quamvis severè animadverteret, omnibus suis carissimũ fuisse; nimirum in militia educatus, militiæ leges sanctissimè servabat. Similia habet *Tacitus* de *Imperatore Rufo: eò immitior in bello Imperator Rufus, quia toleraverat.* Notula est in hunc locum *Annibalis Scoti*: *Dux qui antè privatus miles labores & pericula toleravit, servat disciplinam, quia novit quantum jacturæ inferat corruptio in exercitu*, & quæ sequuntur.

Ad militiæ Præfecturas commendatione non ascenditur, sed experientia & factis.

Giskræ militaris experientia & de suis militib9 certitudo.

L. 1. Annal.

Aureos nummos in collo circumtulit &c. Apud militares animos sæpe una aliqua significatio laudis & virtutis pro maximo beneficio accipitur, & bene laborem suum & virtutem se collocâsse putat, qui à Principe honoratus etiam minimo præmio afficitur. *Qui beneficium invenit*, ait Magnus Aristoteles, *compedes invenit*, quod significare *Giskra* voluit, torque cum numis appenso, ut se Regi parvulo per omnem vitam obnoxium & gratum fore promitteret.

Laus Principis summa gratitudo militis.

Puer Ladislaus orationem ad Papam cum singulari commendatione memoriæ recitavit &c. Signum certissimum ingeniosæ indolis in puero bonitas, & fidelitas memoriæ esse solet, quod Magistri ingeniorum *Quintilianus* & *Seneca* docuerunt; ideóq; *Græci Mnemosynem*, id est, *Memoriam*, matrem Musarum finxerunt. *Veteris Poëtæ* Senarius est de *Musis: has Usus genuit, mater peperit Memoria.* Illud tamen cavendum exemplo suo *Principibus, M. Antoninus Imperator* monet, nè multùm in studijs inutilibus operæ insumant, agítque Dijs gratias, *quòd nimis magnos in Grammatica, Poësi, Rhetorica,*

An expediat summè doctum esse Principem.

L. 1. de vita sua.

rica, Musica, & cæteris studijs progressus non fecerit, quæ me, inquit, *fortè prorsus detinuissent, si me feliciter proficere sensissem*; nimirum ad Imperij curas, quod felicissimè rexit, à Divina providentia *Sapientissimus Imperator* vocabatur, & de alio Imperatore in egregio Scriptore legere memini: *parum visum est Dijs, si quem Principem Orbis esse volebant, fecissent Principem Poëtarum.* Non eò tamen id dicitur, quasi *Principes* illiteratos esse velim, sed ut, cùm curæ Regnorum urgent, alia omnia seponant, & (quæ similitudo est *Plutarchi*) *multas Urbes obeant, sed in una habitent*, id est: noverint scientias, sed artem regnandi præ omnibus suam esse putent; in hac Regiam dignitatem, & familiæ suæ gloriam, & conservationem sitam esse existiment, interea ingenia virósque doctos foveant, & honoribus officiisque admoveant, etiamsi ipsi Laurum Poëticam, vel Doctoralem pileum non affectent. Medio eundum est Principibus, ùt docuit idem *Trajani* doctissimus Præceptor *Plutarchus*, libro cui titulum fecit: *an Principi sit Philosophandum.* Vide etiam hoc argumentum in *Andrea Tiraquello V. C.* qui catalogum eruditorum Principum additis observationibus prudentissimis contexuit.

Tiraq. lib de Nobilit. c. 5.

Concordia vires auget.

Admirabili Ordinum concordiâ &c. Virtus unita fortior ajebat Aristoteles, unum ex multis compositum, valentius est multo, quàm illud, quod partes non habet. Videor paradoxum adferre, sed præstanti similitudine rem illustrat *Plutarchus. Sicut manus in digitos divisa nos imbecillos non reddit, sed expeditiores ad agendum* (quod manus in digitos non divisa præstare non posset) *ità Princeps, qui non sibi soli, sed alijs quoque munia Reipublicæ committit, actiones efficit, ob societatem efficaciores, & dexteriùs,* ùt ità dicam, *operatur*; auget enim vires suas concors Procerum multitudo.

Plut. l. Præcepta gerendæ Reip.

Scelcratis adulatorum consilijs fidem datam fefellit Ladislaus &c. Nulla pestis nocentior in Aulis Principum, quàm adulatio. Olim Domibus Romanorum, qui in aditu januas canibus catenatis muniebant, adscribebatur: CCC. id est: *cave cave canem!* multis Principum Aulis meritò tria c. possent adscribi, ut maturè præcavere adulationes caninas, & latratus calumniantium discant. Præclare toties à me laudatus *Synesius: sola adulatio nec quicquam vigilantibus Satellitibus Imperium deprædatur: nisi enim penitùs arceatur, in ima usque conclavia sensim penetrat, Regúmque nobilissimam partem, animam scilicet adoritur.* Quamvis verò ubique adulatio execranda sit, tamen cùm ad corrumpendum Principem admovetur, omni execratione digna est, quia non in unum aliquem calicem, ùt *Plutarchus* loquitur, sed in fontem publicum injicit venenum lethale, unde omnes potantur. Maximè autem noxij sunt adulatores, qui, ut fidem datam fallat Princeps, Authores fiunt. Sic ludificatos *à Carolo* VIII. *Gallorum Rege Florentinos*, quibus juraverat se *Pisas* quàm primùm redditurum, ùt narrat *Strada* noster, fidem deinde repetentibus *Florentinis* respondisse: se priùs *Pisanis jure jurando contrarium promisisse.* Sceleratum quendam Scriptorem docuisse tradunt: quo loco in homine privato sunt mendacia, eodem in loco Regibus esse juramenta. ó hominem *Atheum*! ó doctrinam flammis dignam! nam si privatis non licet perjurium, quomodo licebit Regibus, qui Majestatem divinam reverenter contestando jusjurandum præstiterunt? longè alia erat Majorum nostrorum integritas, quorum aliqui divinum nomen ex tantæ Majestatis reverentia non adhibebant, sanctissimè tamen juramenta servabant: legi in *Vitikindo Ottonis Magni Cæsaris* sanctissimum juramentum fuisse: *per barbam meam!* & tum inexorabilem fuisse si sic jurâsset; at sæculis nostris juramenta Deo & Sanctis, cœlo & terrâ, omnibus ferè *Europæ* populis audientibus præstita, Regum Sigillis & subscriptionibus firmata, ob ambitionem violantur. *Ladislaum Regem* ùt perjurum aliquot Scriptores accusant, maximéque *Birge*; ego in Regis pueritiam, quod peccatum est, referri oportere existimo.

S. Synes. de Regno ad Arcad.

Adulari Principib9quàm grave scelus

Strada l. 9. de Bello Belgico.

Vitik. Hist. Sax.

Moriens

TABULA Genealogica Auſtriacæ Stirpis Auguſtiſſimæ, Habſpurgicæ; ex qua complures Bohemia Reges habuit.

Actum agerem, ſi hoc loco univerſam Auguſtiſſimæ hujus Domûs Genealogiam coatexere vellem; quocunque aſpicias, invenitur & legitur; omnium accuratiſſimè nuper edita eſt in Speculo Honoris Domûs Auſtriacæ, *ſic, ut nihil addi poſſit; ego ea ſolùm attingam, quæ ad Bohemiam ſpectabunt, & Regum noſtrorum nomina dabo: Sectione ultimâ* à Carolo V. *&* Ferdinando I. *deſcendentium abſolutam Genealogiam adducam.*

a. Rudolfus I. Comes Habſpurgi, electus Imperator An. 1274. obijt An. 1291. ⚶ I. a. Anna Comitiſſa de Hohenberg, Mater ſeptem filiorum & totidem filiarum.

b. Gutta vel Judith uxor Wenceslai II. Reg: Boh: Mater 4. liberorum. vide Tab: ſuperiorem, & ult: Przemyslæam.

c. Albertus I. Dux Auſtriæ, Rom: Imperator. obijt 1310. ⚶ c. Eliſabeth filia Meinhardi Duc: Carinthiæ. Mater 21. liberorum.

c. Rudolfus II. Dux Sveviæ. obijt Pragæ An. 1290. ⚶ c. Agnes Przemyslai Ottogari II. filia & Wenceslai II. Regis ſoror.

d. Rudolfus III. Rex Bohemiæ, ſed non coronatus. obijt 1307.

⚶ 2. d. Eliſabeth vidua Wenceslai II. Regis. obijt An. 1335.

d. Albertus II. Dux Auſtriæ, Subdiaconus Paſſavienſis, pòſt maritus. obijt 1358. ⚶ d. Johanna Comitiſſa de Pfirt, Mater aliquot liberorum.

c. Joannes Princeps Sveviæ, qui occidit Albertum I. Imperatorem 1310.

e. Rudolfus IV. primus Archidux Auſtriæ.

⚶ 1. e. Margareta Maultaſchin. 2. Catharina filia Caroli IV. ob: ſinè hær.

e. Albertus III. Archidux Auſtriæ. obijt An. 1395. ⚶ 2. e. Beatrix Friderici Burgravij Norimbergenſis filia.

f. Leopoldus II. Archidux Auſtriæ, occiſus ab Helvetis An. 1386. ⚶ f. Viridis filia Bernabonis Ducis Mediolanenſis, Mater 4. filiorum.

g. Albertus IV. Archidux Auſtriæ. obijt Anno 1404. ⚶ g. Johanna filia Alberti ſenioris Ducis Bavariæ, Comitis Hollandiæ & Selandiæ; Mater duorum liberorum.

g. Erneſtus Ferreus Archidux Auſtriæ, obijt An. 1435. ⚶ 2. g. Cimburga Semoviti Maſoviæ Ducis filia, Mater novem liberorum.

h. Albertus Imperator ejus nominis II. Archidux Auſtriæ, Rex Ungariæ & Bohemiæ. obijt 1439. ⚶ h. Eliſabeth filia unica Sigiſmundi Imperatoris, Mater trium liberorum.

i. Fridericus III, vel IV. Imperator, Archidux Auſtriæ. obijt An. 1493. ætatis 78. ⚶ 1. Eleonora Edvardi Regis Portugalliæ filia. obijt A. 1467. Mater quinque Liberorum.

k. Ladislaus poſthumus Rex Ungariæ & Bohemiæ, obijt Anno 1457. ⚶ l. Eliſabeth uxor Caſimiri III. Regis Poloniæ. obijt Anno 1505.

Maximilianus I. Archidux Auſtriæ, Imperator Romanorum. obijt Anno 1519. ⚶ Maria filia Caroli *Audacis* Burgundiæ Ducis, Mater quatuor liberorum.

Wladislaus Rex Bohemiæ & Ungariæ.

Philippus I. Archidux Auſtriæ & Burgundiæ, Rex Hiſpaniæ, obijt Anno 1505. ⚶ Johanna filia Ferdinandi V. *Catholici* Regis & Iſabellæ Reginæ Hiſpaniæ &c. Mater duorum filiorum, & quatuor filiarum.

Ludovicus Rex Ungariæ & Bohem: vide Tabulam Jagellonicam.

Carolus V. Rex Hiſpaniæ, Dux Burgundiæ, Imp: Rom: ob. 1558. ⚶ Iſabella filia Emmanuelis Regis Luſitaniæ. obijt 1539. Mater 4. liberorum.

Ferdinandus I. Archidux Auſtriæ, Rex Ung: & Boh: poſt fratrem Imperator Rom: obijt 1564. ⚶ Anna filia Wladislai Reg: Boh: & Ung: ſoror Reg: Ludovici. Mat: 4. filior: & 2. filiar:

Philippus II. Rex Hiſpaniæ, natus Anno 1527.

Maximilianus II. Rex Ungariæ & Bohemiæ, Imperator Romanorum. obijt An. 1576. ⚶ Maria Caroli V. filia, Mater 15. liberorum.

Carolus II. Archidux Auſtriæ, Dux Styriæ &c. ⚶ Maria filia Alberti III. Ducis Bavariæ.

Reliqua videbis paſſim in Auſtriacorum Annalibus &c.

Rudolfus II. Boh: & Ung: Rex, Imperator. nunquam conjugem Duxit. ſinè hærede.

Mathias Rex Ungariæ & Bohemiæ, Imperator Romanorum. ſinè hærede.

Ferdinandus II. Rex Ungariæ & Bohemiæ, Imperator Romanorum.

Ferdinandus III. Rex Ungariæ & Bohemiæ, Imperator Rom.

Ferdinandus IV. Rex Ung: & Boh: Rex Roman.

Leopoldus I. Rex Ungariæ & Boh: Imperator Roman.

Mors docet orare.

Moriens totum ſe ad divina convertit &c. Neceſſarium hoc tempus eſt ſalutem ſuam in tuto reponendi; prout enim Deus nos ultimo articulo invenerit, ità judicabit. *Carolo V.* ſapientiſſimo Imperatori altè inhæſit *Centurionis* miſſionem petentis dictum: *inter negotia vitæ, & mortem ipſam aliquid temporis interponendum eſſe*; hoc ità interpretatus eſt *Imperator*, ut Imperio, & omnibus vitæ curis vale dicto, ad mortem ſeſe privatus componeret, & Deum ſibi propitium & placatum redderet.

comin. 2. parte hiſt. c. 50 de Carolo VIII.

Spes magnas momento occidere &c. Obſervatum pridem eſt ab Hiſtoricis & Politicis, *Principes ex hac vita plerumque eripi, cùm magna moliuntur, ſibique videntur feliciſſimi.* Verba *Philippi Cominæi* recitavi: accipiter frondibus arborũ tectus tum in columbam impetum facit, cùm eam videt extentis alis plauſum dare, & ſuperbos in volatu gyros facere; at ille rectâ viâ aduncis ungvibus in plaudentem tendit, & ùt *Plinius* loquitur, *in ipſa gloria rapit.*

Notæ in Tabulam Genealogicam Generalem Auſtriacæ Domûs.

ANte omnia benevolum Lectorem monitum velim, me in hac Tabula non omnes *Auſtriacos Duces, Archiduces, Reges*, ac *Cæſares* percenſere voluiſſe, ſed eos tantùm, qui aut *Bohemiæ Reges* fuerunt, aut eos quoquo modo contingunt; alteram dabo Tabulam in fine Sectionis ſextæ, quâ *Ferdinandi I.* genus cum nepotibus omnibus & neptibus ad Leopoldum *Auguſtiſſimum Imperatorem*, & Regem noſtrum deducam. Illud etiam ſciri velim, me in Notis hiſce non omnia, quæ dici potuerunt allaturum, tum quia antè quædam de ijs dicta ſunt, tum etiam quòd ad *Bohemiam* noſtram magnâ parte non pertineant.

a. *Rudolfus I. Habſpurgi Comes Landgravius Alſatiæ*, natus eſt A. 1218. 1. Maij, educatus apud *Cæſarem Fridericĩ II.* fuit *Przemyslai Ottogari II. Regis Bohemiæ Supremus Aulæ Præfectus*; cui *Ottogaro* cùm electus eſſet *Imperator Rudolfus*, bellum indixit, & *Auſtriam*, aliáſque Provincias ademit, Rege in acie cadente. Heroica hujus Cæſaris facta in *Speculo Domûs Auſtriacæ* nuper edito legi poſſunt. Electus eſt *Imperator Francofurti*; coronatus *Aquiſgrani* An. 1273. 23. Oct. obijt *Germershemij* An. 1291. 15. Julij, ætatis ſuæ 73. ſepultus *Spiræ*. Conjux ejus prima *Anna Bernardi Comitis de Hohenberg* filia, mater 7. filiorum & filiarum, quæ obijt A. 1281. Secunda fuit *Agnes* filia *Ottonis Comitis Burgundiæ*, ex qua nihil genuit.

b. *Gutta* vel *Juditha Rudolfi I.* filia nata An. 1270. nupta *Regi Wenceslao* II. A. 1286. obijt *Pragæ* 1297. in puerperio.

c. *Albertus* I. *Rudolfi* I. filius electus à quinque Electoribus, adhuc vivente *Cæſare Adolfo.* (quem poſtea in bello occidit) Imperium Electoribus, patrato hoc facinore reddidit, ſed de novo electus, & *Aquiſgrani* coronatus A. 1298. occiſus eſt 1310. à *Joanne Rudolfi* fratris ſui filio, qui cauſam ſceleris ſui hanc prætexebat, quòd hæreditatem paternam ſibi dare cunctaretur. Sed *Imperator* id fecerat, eâ cauſâ, quòd *Joannem* prodigum & dilapidatorem bonorum eſſe ſciebat. Hic *Joannes* poſtea *Piſis* in *Cœnobio Auguſtinianorum Henrici* VII. *Cæſaris* juſſu recluſus pœnitentiam egit ad mortem; cujus tumulum vidiſſe ſe *Piſis* teſtatur *Silvius*. De *Rudolfo* II. & *Agnete* ejus conjuge *Przemyslai Ottogari* II. filia egi in tabulis præcedentibus.

Silv. in Parallelis L. 2. n. 31.

d. *Rudolfus* III. cognomento *Mitis* (*Bohemi* eum vocabant *Kaſſe*) poſt obitum *Wenceslai* III. per vim *Bohemiæ* Regno impoſitus, nunquam tamen coronatus; ceſſit fratri ſuo *Friderico Auſtriam* cum ſcitu *Alberti* I. *Patris* ſui. Annum non explevit regnando; mortuus in caſtris, in obſidione *Horazdovicÿ* 3. Julij 1307. contracto alvi fluxu

Rex Kaſſe.

fluxu ex esu peponum. *Pragam* devectus ad tumulum, in *Ecclesia S. Viti* sepultus, penes *Rudolfum* II. *Sveviæ Ducem* Patruum suum, qui duxerat, ùt sæpe dixi, *Agnetem Wenceslai* II. *Regis Bohemiæ* sororem. De *Rudolfi* III. conjuge *Elisabeth Przemyslai Regis Poloniæ* filia dixi in *Tabulis* prioribus, quæ obijt A. 1307.

Beneff. L. 1. Chron.

Albertus II. *Austriæ Dux* fuit manibus pedibúsque contractus, ideóque Sacerdotio destinatus, & jam *Canonicus Passavienſis*, & *Subdiaconus* ritè ordinatus; at cùm omnes fratres sui sinè hæredibus obiissent, *Pontificis* authoritate uxorem duxit, & *Austriam* multis annis rexit. Obijt 1358. uxor ejus *Johanna* filia ultimi *Comitis* de *Pffirt Ulrici*, qui obijt 1324. *Johanna* verò hunc *Comitatum Austriæ* conjunxit.

Idem L. 3. & 4.

e. *Rudolfus* IV. *Alberti* I. filius habuit in conjugio alteram *Catharinam Caroli* IV. filiam, quam duxit A. 1353. de hoc ait *Beneſſius*: *nunquam fuit gener iſte fidelis ſocero ſuo uſque ad mortem*, adeò ut A. 1360. advertsus *Carolum* cum *Wirtenbergicis Ducibus* arma sumserit, at *Carolus* arma armis opponens coëgit *Rudolfum* ad veniam petendam. De ejusdem *Rudolfi* machinationibus contra *Carolum*, luculenta extat *Epistola*, *Joannis Episcopi Litomislenſis Caroli Cæsaris Cancellarij Aulici*; mortuus est *Rudolfus* A. 1365. at *Catharina* obijt 1373. 15. Sept.

Cancellaria Caroli IV. MS. Coll. Prag. n. 70.

Albertus III. *Archidux Austriæ* summus Astronomiæ amator, qui Universitatem *Viennenſem* amplificavit, & multis censibus auxit. Obijt An. 1395. prima ejus uxor *Caroli* IV. filia sterilis fuit. Secunda *Beatrix* genuit ei filium *Albertum* IV.

f. *Leopoldus* II. adjunxit *Austriæ Comitatum Hohenberg*, & *Tergeſtum*, fuit bellicosus *Princeps*, sed infelix; ejus res gestas, multis commemorat *Speculum Domûs Austriacæ*, occisus in bello A. 1386. ejus uxor *Virida* Ducis Mediolanensis Barnabonis filia, mater fuit 7. liberorum; quando obierit, nihil invenio.

g. *Albertus* IV. cognomine *Patiens Archidux Austriæ Alberti* III. filius in obsidione *Znoymæ* veneno sublatus decessit. *M.S. Curtnenſe* significat *Albertum* IV. non veneno, sed telo in obsidione *Znoymæ* perijsse. Obijt 1404. 25. Augusti. Uxor *Johanna* duorum liberorum mater, quando obierint, non annotârunt *Annales*.

Erneſtus Ferreus Leopoldi II. filius *Archidux Austriæ Princeps Carinthiæ & Styriæ* pro *Cæsare Ruperto* in *Italia* militavit, ibíque à *Joanne Galeacio Mediolanenſi* cæsus, reliquum vitæ domi in otio transegit, sorte suâ contentus Obiit 1435. uxor ejus prima *Margareta Stetinenſis Ducis* filia, aliquot ei filiolas attulit, quæ in ætate tenera sunt extinctæ. Uxor secunda *Cimburga Zemoviti Masoviæ Ducis* filia, matrona pia, modesta, viribus cuique viro par, quæ unico digito nuces juglandes frangebat, & eodem digito clavos muris infigebat.

h. *Albertus V. Archidux Austriæ*, sed ejus nominis II. *Imperator Alberti IV.* filius, decennis Patrem amisit. Uno eodémque anno 1438. insigni felicitate ter coronatus, *Rex Ungariæ & Bohemiæ*, & tertiò *Imperator*; de eo Capite singulari superiùs egimus. Obiit 1439. 27. Octob. itidem ex esu peponum contracto morbo extinctus. Ejus uxor *Elisabeth Sigismundi Imperatoris* unica filia, genuit conjugi suo *Georgium*, qui puer obiit; deinde *Annam* nuptam *Wilhelmo* III. *Ducis Saxoniæ*, ex qua *Wilhelmus* suscepit filiam itidem *Annam Hinkonis Duci Minsſtenbergici* conjugem, ex qua *Novodomæi & Slavatæ* descendunt. Item *Elisabetham Annæ* sororem, quæ nupsit *Casimiro* II. *Regi Poloniæ*, de qua dicam in Tabula Stirpis Jagellonicæ; fuit enim ipsa felicitatis humanæ miraculum. Obijt *Elisabeth* mater Anno 1443. hæc autem filia An. 1505.

Sepulchrum Friderici III. Imper.

i. *Fridericus* III. (& si *Fridericum Pulchrum Austriæ Archiducem* inter *Imperatores* numerámus, IV.) ejus nominis *Imperator*, *Erneſti Ferrei filius*, natus A. 1415. electus *Imperator* post *Alberti* II. ejus nominis *Imperatoris* mortem An. 1440. *Romæ à Nicolao V.* coronatus; *Georgio & Wladislao Regibus Bohemiæ* investituram dedit, reclamantibus *Pontificibus*; fuit summus quietis amator; per *Duces* aliquot bella confecit feliciter. Obiit *Lincij* ex alvi profluvio comestis octo peponibus, & aquâ desuper largius haustâ 19. Augusti A. 1493. ætatis septuagesimo octavo, regnavit in Imperio annis quinquaginta tribus, sepultus *Viennæ* ad *Sanctum Stephanum*; sepulchrum marmoreum perelegans, ingeniosissimi artificis opus, sæpius diligenter oculis lustravi, quod multa Stemmata Illustrium Familiarum expressa exhibet. *Eleonora*, vel *Leonora* sexdecim annorum *Friderico* nupsit, & copulata est à *Papa Romæ*, pridie coronationis Cæsareæ 16. Martij; cùm ea *Neapoli* nuptias celebravit apud *Regem Alphonſum Magnum Sponſæ Patruelem* Anno 1451. interfuit *Rex Bohemiæ Ladislaus* duodecennis. *Eleonora* abstemia fuit, & naturâ à vino abhorrebat, sed postea Medicorum svasu vinum gustabat. Obiit Anno 1467. 1. Septembris, sepulta *Neostadij*. Genuit marito quinque liberos, *Christophorum*, *Helenam*, *Joannem* (qui vitales non fuerunt) *Maximilianum I.* & *Cunegundem*, quæ nata Anno 1465. nupsit *Alberto IV. Duci Bavariæ*, à qua descendunt omnes *Bavariæ Duces* hodierni, genuit quinque filios, & tres filias; postea in *Parthenonem* sacrum secessit *Monachij* A. 1508. ibidem mortua 1520.

k. *Ladislaus* posthumus *Alberti* II. *Cæsaris* filius, natus *Comorini* 22. Februarij Anno 1440. nondum quatuor vitæ Mensibus expletis *Rex Ungariæ* coronatus, eâdem levitate ab ijsdem, qui coronari jusserant, rejicitur. Mansit in tutela patrui sui *Friderici Cæsaris* usque ad ætatem legitimam; interea *Bohemiam Georgius Podiebradius*, *Ungariam Joannes Hunniades* gubernabat. Coronatus est *Pragæ* Anno 1453. obiit in flore ætatis nuptias apparans sumptuosissimas cum desponsata sibi *Magdalena Caroli* VII. *Franciæ Regis* filia, *Ludovici* XI. sorore, quæ antequam allata esset, Sponsum amisit, qui *Pragæ* seu porrecto veneno, seu pestilentiâ, quæ tum *Pragæ* regnabat, die *Sancti Clementis* Anno 1457. est extinctus. Ejus corpus omnino incorruptum, & in sepulchris Regum penes Proavum *Carolum* IV. tumulatum, spectâsse se Anno 1590. *Weleslavinus* testatur. *Ladislaus* sororem habuit *Annam*, quæ *Wilhelmo Saxoniæ Duci* desponsata est, & ex eo genuit *Annam* itidem, conjugem *Hinkonis Ducis Münſterbergenſis*: quæ genuit aliam *Annam*, quam sibi conjugio copulavit *Henricus de Novadomo*; ex qua *Novodomæi* & deinde *Slavatæ* descendunt, quia verò virili stirpe caruit, nulla ejus ratio habita est post mortem fratris *Ladislai*, sed electus est in *Regem Bohemiæ Wladislaus*, minoris sororis *Elisabethæ Casimiri Regis Poloniæ* filius. Obiit *Anna* die S. Lamberti A. 1482.

l. De *Elisabetha* uxore *Casimiri* III. *Regis Poloniæ*, déque ejus Regiis liberis dicam in Tabula Jagellonica.

Reliquam Austriacorum Archiducum Genealogiam à Maximiliano I. Friderici Imperatoris filio adferam in fine Sectionis ultimæ.

SECTIO IV.

De Familia Cunstadæa, ex qua unicum Regem Georgium Podiebradium habuit Bohemia.

CAPUT UNICUM.

Georgius Podiebradius Rex Bohemiæ electus & coronatus.

Georgius verus Rex Bohemiæ.



IMperitè satis agere videntur, qui *Georgium Podiebradium* ab universa *Europa*, & *Austriacis Principibus*, quorum maximè intererat, pro Rege legitimo agnitum, ex *Albo* Regum nostrorum expungunt; consulatur *Epitome* nostra, in qua ostendimus: omnes Imperatores, omnes *Europæ Reges*, omnes *Imperij Electores*, omnes *Bohemiæ* ex *Domo Austriaca Reges*, qui secuti sunt, *Georgium* disertè inter Reges antecessores suos nominâsse. *Georgius* ergò *Podiebradius, Horazdovicij*, vel ùt *Weleslavino* placet, *Horzovicij* Anno 1420. natus, Illustrissimâ Comitum Imperij de *Bernek* & *Nidda Familia*, quæ in *Bohemiam*, nescio qua de caussa, ante aliquot sæcula immigravit, ortus est. Adhuc puer à *Victorino* Patre ad arma tractanda magis quàm ad ullum vitæ genus adhiberi cœpit; hâc viâ *Georgius* ad coronam sibi aditum paravit, neque ullus eâ tempestate fuisse memoratur, qui hanc ei gloriam derogaret, usque adeò, ut cùm postea summus *Christianæ Militiæ Dux* in tota Europa adversus Turcas quæreretur, unanimi Electorum & Principum sententiâ, *Georgius* summus in bello Turcico Dux proponeretur, nisi summi *Pontifices* obstitissent, cúmque *Electores Principes* in solenni Conventu *Egræ* pacem in Imperio An. 1461. procurare omnibus consilijs & viribus statuissent, Georgium *Protectorem & Conservatorem* pacis dici voluerunt. Accedebat ingens consiliorum maturitas, & in rebus gerendis mira-

Georgij Regis prudentia.

mirabilis dexteritas, & in longum prospectans providentia, ut celerrimè aggrederetur, & finiret omnia, quia diu antè cùm res & tempus posceret, quæ à se agi oporteret, prævidebat. Hâc authoritate partâ mortuo *Ptaczkone* Lippæo duumviro (qui in puerili ætate *Ladislai* ab Ordinibus constituti gubernabant *Bohemiam*) suffectus est *Georgius*, & *Meinhardo de Novadomo* gubernationis socius datus. Inficiari non possum, cùm acta omnia & consilia *Georgij* penitiùs inspicio (quæ ex grandi *M.S. Codice*, qui apud me est, & omnes ad *Georgium* & vicissim ab *Georgio* datas Literas continet) animadvertere me *Georgium* prudentiæ sæpe *dolum* adjunxisse, & ubi Leonis pelle non satis tegeretur, vulpinam assuisse, ùt hîc etiam factum observare licet: nam cùm videret unum *Meinhardum* & Nobilitate, & rebus gestis, & authoritate, & ætate sibi ad summa contendenti obstare posse, eum per speciem Religionis, quod *Calixtinos* odisset, in invidiam populi adductum, cepit, ac postea miseris modis *Podiebradij* habitum, veneno etiam, ùt scribunt nonnulli, sustulit. Inde cùm jam æmulo amoto parem nullum in Nobilitate *Bohema* haberet, Annis pluribus gubernationem pro *Ladislao* puero concedentibus omnibus suscepit, & cum laude gessit, negotia Regni maxima pertractans vicinis omnibus *Cæsare Friderico, Polonis, Ungaris, Saxonibus, Misniacis*, domi Civitatibus, & totâ Nobilitate fœderibus, conditionibus, auxilijs, beneficijs, promissionibus ad se pellectis, omnium sibi amorem paravit, ut quidquid in *Bohemia* laudabile gereretur, id uni imputaretur *Georgio*. Regem etiam *Ladislaum*, cùm adolevisset, ad coronationem *Bohemicam Pragam* adduxit, cùm antè coronam ei servâsset; quâ gratiâ Regem totum suum & sibi obnoxium fecit, ut Regis, *Ladislaus* titulum, *Podiebradius Regis* curas atq; inde authoritatem obtineret. Paulò pòst *Ladislao*, ùt antè narraveram, magno subditorum dolore extincto, *Comitia* novi Regis creandi caussâ ad 2. Martij An. 1458. *Pragam* in *Veteris Urbis Pragensis Curia* celebranda indicuntur, quæ multum certaminum habitura credebantur, ob maximam dignitatem & studia competitorum, quippe & Imperator, & duo *Austriaci Archiduces*, & *Rex Galliæ* pro filio *Carolo*, & *Rex Poloniæ Casimirus*, & *Saxoniæ, Bavariæ Duces*, & *Brandeburgicus*, & *Misniacus Marchiones* inter *Candidatos* censebantur; sed hos omnes ante *Comitia* dejecit *Rokiczana* eloquentissimus *Hussitarum Sacerdos*, qui *potentiâ* exterorum *Principum*, nè hæresis sua expugnaretur, timebat, & *Piastum*, ut ità loquar, Polonorum exemplo eligi svadebat, turbulentas ejus conciones refert *Cochlæus*; adveniente Comitiorum die electus est *Georgius*, & 7. Maij An. 1458. coronatus ab *Ungaris Episcopis*, cùm sedes *Archiepiscopi Pragensis* vacaret, aderat tamen *Protasius*

Viam sibi sternit ad Regnum.

Regni Bohemiæ Candidati.

Cochlæus in Hussitis l. 12 ad initium.

Olomucenſis, ſed is cùm nondum ab Apoſtolica Sede confirmatus eſſet, officium coronationis, quod jure ad eum pertinebat, præſtare non poterat. Prima *Regis Georgij* cura fuit vicinos *Regno Bohemiæ Reges* ac *Principes* ſibi demereri : *Mathiam Corvinum Regem Ungariæ*, qui captivus à *Ladislao Viennæ* tenebatur, protinus poſt *Ladislai* mortem *Pragam* adduci juſſerat, ac ſuis *Ungaris* reſtituerat, inſuper filiam ei in conjugem dederat, quo beneficio, ſi mens non læva fuiſſet, Ungaros omnes ac Regem præcipuè ſibi in omnem vitam obligatum reddere potuiſſet. *Reges Poloniæ* confœderatione mutuâ ſibi, alios *Principes* conjugijs filiorum & filiarum (ùt ex Tabula Genealogica cuique datur intelligi) arctiſſimè illigavit, poſtea etiam *Fridericum Cæſarem* demereri ſtudens, quem ſubditi ſui *Viennenſes* perjuri in *Burgo* cum *Imperatrice* & parvo filio *Maximiliano* captivos tenebant, exercitu conſcripto in libertatem aſſeruit, qui *Regis Georgij* fidelibus obſequijs captus plurima *Regno Bohemiæ* privilegia, immunitates & gratias (quas in *Fundamentis Regni* recitabimus) contulit, & ipſius Regis filios *Sac. Rom. Imperij Principes* creavit. Hoc tamen mihi ſæpius admirationem movit, pleroſque, quos immortalibus beneficijs ſibi obſtrinxerat *Georgius*, malam illi gratiam retuliſſe, ego neminem nominabo, ſed conſulatur *Epitome*. Compoſitis vicinis *Principibus* ac *Regibus* domi tutiùs, cùm à nemine juvari poſſent, Civitates quaſdam, quæ Regi præſtare obſequium recuſabant, ad officium compellere primò literis, cúmque ijs nihil efficeretur, armis aggreſſus eſt; ità *Brunam, Iglaviam, Znoymam, Telczium*, pluréſque alias imperata facere coëgit. *Luſatia* quoque ſuperior *Georgio* ſe ſubmiſit, inferior armis domita eſt; *Sileſia* reſtabat, qui cùm *Georgium* Regem ex compactatis vivere, & *Utraquiſtas* velut ſuos fovere didiciſſent, Regi juramentum præſtare detrectabant, quippe *Caſimirum Regem Poloniæ*, vel *Wilhelmum Ducem Saxoniæ* ſororium *Ladislai* Regis, Regem ſuum eſſe præ *Georgio* malebant; neuter tamen oblatum à *Sileſijs* Imperium prudentiſſimo conſilio acceptavit, nè ſe inutili bello & maximè dubio involveret. Proclivè erat *Georgio Regi Wratislaviam* compeſcere (nam hæc una Civitas *Georgium Regem* agnoſcere nolebat; cætera Nobilitas, *Principes* ac Civitates facilè aut benevolentiâ *Georgij*, aut armorum metu ad obſequium ſunt adducti) ſed ea Civitas implorato *Pontifice* armis ſpiritualibus defenſa eſt. Volebant *Pontifices*, ut *Georgius* Compactata abjiceret, & ſe ritibus *Eccleſiæ Romanæ* accommodaret, ad hoc à *Georgio* obtinendum allegabant juramentum, quod in coronatione præſtitiſſet; defenſurum ſe Religionem *Catholicam, Romano Pontifici* obedientem futurum &c. Unde & *Caliſtus III. Rom: Pontifex Regem* appellâſſet. Reſpondebat *Georgius: Compactata*

Georgij merita in omnes vicinos Principes.

Wratislavia R. Georgio obedientiam recuſat.

ctata à Concilio Baſilienſi Bohemis data; à Pontificibus, nominatim ab Eugenio IV. confirmata; declaratos eſſe Bohemos Compactatis utentes & Euchariſtiam ſub utraque ſuſcipientes, veros & legitimos Eccleſiæ filios; juramentum abs ſe in coronatione præſtitum, non extenſum ad compactata fuiſſe, neque ſibi unquam veniſſe in mentem, ea quæ Pontifices & Concilium ſemel approbârint, omninò immutare, & ritum ſuſcipere, quem univerſum Regnum Bohemiæ probantibus & laudantibus tot Patribus Concilij recepiſſet. Quæ poſtea geſta ſint, conſultò prætereo, quia longâ narratione à *Peſſina*, & à me ipſo in *Epitome* ſunt narrata; hoc unum dici poteſt, quidquid agerent *Pontifices*, & adverſus *Georgium* ſtatuerent, nunquam *Cæſarem*, *Reges* ac *Principes* ad inferendum *Georgio* bellum moveri potuiſſe, imò pleroſque eorum potentiſſimis ad Papam Epiſtolis, quarum Exempla inter manus meas ſunt, *Georgium* defendiſſe, ac pro Georgio ſupplicâſſe; unus inventus eſt *Mathias Rex Ungariæ*, qui *Georgio* bellum indiceret, & *Bohemiæ Coronam* ac titulum uſurparet, de quo bello & *Mathiæ* inconſtantia, qui jam cum *Georgio* fœdus faciebat, & poſt aliquot dies bellum indicebat, rurſus finiebat, nihil tale metuentem bello petebat, multis agit idem *Peſſina*, qui confœderationes iſtas, ex *Actis publicis*, quorum Codicem bene magnum pro amicitia, quæ mihi cum eo interceſſit mutuum dederam, deſcripſit. In hoc bello accidit, ut *Mathias* cum exercitu *Bohemiam* ingreſſus loco iniquiſſimo ſilvis, uliginibus, vallibus anguſtis impedito concluderetur à *Georgio*, cúmque evadere non poſſet, ſimularet pacem, & conditionibus acceptis emitteretur è faucibus, *Rege Georgio* omnia pacata, & amica de *Mathia* cogitante; at is ubi emiſſus eſt, *Georgij* credulitatem irriſit, hoſtémque ſe ùt antè prodidit, indigno Regibus exemplo. Variâ & ancipiti fortunâ dimicatum eſt: quoties acie concurſum eſt, vincebat *Georgius*, at partibus vincebatur, & ejus vires paulatim atterebantur, præcipuè poſtquam aſſiduis *Pontificum*, literis comminationibus, Diríſque omnibus devoverentur, qui *Georgij* partes tuendas ſuſciperent; aderant *Pontificis Legati Rudolfus Epiſcopus Lavantinus*, *Hieronymus Cretenſis*, aliíque, quibus impigrè res ſuas agentibus *Moravia* & *Sileſia* tota cum propè *Univerſa Regionis Nobilitate Georgio* ad extremum renunciavit obſequium, nec minùs in *Bohemia Georgio Catholici Proceres* tum etiam *Plſna, Tina, Budvicium* faceſſivêre negotium, præcipuè poſteaquam *Paulus II.* qui *Pio II. Pontifici Maximo* ſucceſſerat, *Georgium* ad cauſſam dicendam *Romam* citavit, & non comparentem Regno privavit, & ejus ſubditos à juramento fidelitatis abſolvit, necquicquam Regibus *Poloniæ*, *Galliæ*, *Duce Venetorum*, Electoribus, & cæteris *Europæ*

Mathias Rex Ungariæ bellum movet Georgio.

Principibus, maximè *Bavariæ*, & *Saxoniæ*, & *Sileſiæ Ducibus* pro *Georgio* ſupplicantibus. Quare coactus *Georgius* cùm priùs negâſſet *Compactata* hæreſin continere, & ſe nunquam hæreticum fuiſſe fruſtra prætendiſſet, primò à *Pontifice* malè informato ad meliùs informandum, deinde ab eodem *Pontifice* ad Concilium univerſale, quod ex *Concilij Baſilienſis* ſententia nono quoque anno cogendum erat, appellavit. Longum & ſupervacaneum foret Codicem geſtorum *Georgij* ingentem, & ut ità loquar, decumanum, deſcribere; ad hæc puncta, quæ modò dixi, referri poſſunt omnia; in his turbis complures exacti ſunt Anni: *Georgius* ùt fera à multis venatoribus petita & furens rabie, vulnera, ſed plerumque altiora & magis noxia reddebat: cruce ſignati quos immiſerat *Pontifex*, ſæpius à *Georgianis* conciſi, Catholicorum arces expugnatæ, denique ut ſemel dicam, *Georgij* arma in *Bohemia* triumphabant, in *Moravia* & *Sileſia* variabant. Paulò ante mortem compoſitâ cum *Mathia Rege Ungariæ* pace, *Georgius* non tam ſenio, quàm curis ingentibus & laboribus militiæ confectus, in morbum incidit, quem hydropem fuiſſe plerique conſentiunt. Obijt ætatis anno 51. Regni 13. Chriſti 1471. die 22. Martij. à maximis Authoribus traditum eſt *Georgium* ante mortem, quæ contra *Pontifices* ſenſerat, egerátque, retractaſſe; *Canonicis Pragenſibus* advocatis reverentiam & debitam Sedi Apoſtolicæ obedientiam animo ſupplici & humili promiſiſſe; cúmque inter hæc *Rokiczana* peſſimus ille *Georgij* conſultor adveniſſet, eum protinus è conſpectu ſuo faceſſere juſſiſſe, *Saxoniæ Duces Erneſtum* & *Albertum* ſcriptis literis interpellâſſe, atque ipſorum interceſſione cum *Pontifice* reconciliari petijſſe. Quâ fortaſſe animi præparatione & pœnitentiæ ſignificatione permoti *Canonici Pragenſes*, viri doctiſſimi, & Sacrorum Canonum peritiſſimi *Georgium Regem* mortuum in *Eccleſia Metropolitana* inter *Reges Catholicos* humari permiſerunt. Fuit *Georgius Princeps* magnanimus, bellorum peritiſſimus, juſtus idem & æquus omnibus; amans ſubditorum, commoda Regni ſagaciter procurans, quæ unica cauſſa fuit, cur monetam deterrimam, quæ ex Auſtria in *Bohemiam* infuſa erat, nè quid detrimenti acciperent ſubditi, ad ſe adferri juſſerit, & probiorem aliam procuderit, in ſeſe damno recepto, quod pati ſubditi debuiſſent. Optabile fuerat, ſi *Gregorium Heimburg* & *Rokiczanam* nunquam vidiſſet, his enim authoribus *Pontificum* minas, *Bullaſque* contempſit, quod ei omnium cauſſa fuit malorum, & bellorum; quanquam in ijs talem ſe præſtitit *Georgius*, ut propior victori, quàm victo videretur.

Georgius in morte reſipiſcit.

NOTÆ

Notæ in unicum Caput Sectionis IV.

Armorum viâ Georgius ad coronam ſibi aditum paravit &c. Cùm militia ſit Regum opificium, aptiſſimum ſe Regno Princeps facit, qui militiam ultra omnes artes excolit, intellige de Regno, in quo Reges eliguntur, quale olim fuiſſe Regnum *Bohemiæ*, *Hiſtorici* conſentiunt: nulla præclarior militaris Regis laudatio eſſe poteſt, quàm ea, quæ à *Plinio Trajano Imperatori* in nobili illo panegyrico adſcribitur. Quod in eo maximè Regno valet, quod militare dicitur, & quod propè ſolis militibus conſtat, qualis eo tempore *Bohemia* fuit, & hodie *Poloniæ* glorioſiſſimum Regnum, & ejus inclytus *Rex Joannes* omni memoriâ & laudatione digniſſimus Princeps habetur. Cur autem Reges militares Regnis regendis aptiſſimi cenſeantur, ratio eſt in promptu: quia omnes regnandi artes, in militia in ſummo florent & exercentur: *Regem vigilem eſſe oportet*; At ubi majore vigilantiâ opus eſt, quàm ubi durus Magiſter Hoſtis nos excitare claſſico poteſt, & cogit ſomnum abrumpere? *celeri & præſenti voluntatis decreto velut animâ Reges commendantur* (nè lites & cauſſæ cum incomparabili damno Provinciarum in longum trahantur) militares Principum animi in gubernatione Reipublicæ hanc etiam viam tenent. *Juſtitiæ ſeveritatem*, quis in militiæ Duce deſideret, quam ſi non ſervet, militiæ diſſolutio conſequetur. Verbo: nulla eſt in Reipublicæ gubernatione virtus, quæ non in militari vita reſplendeat; cæteræ virtutes, ſi adſint, laudantur in Principe, at juſtitia, fortitudo, prudentia, temperantia requiruntur; ac ſi *pœnis* & *præmijs* (quod Sapientûm ſcitum eſt) Rempublicam contineri fatemur, nullibi quàm in bello præmia & pœnæ ſæpius adhibentur. Hanc igitur viam tenuit *Georgius Podiebradius*, ac niſi ſuſpectæ & ſubleſtæ Religionis dediſſet indicia, maximis omni ætate Regibus æquiparari, aut etiam ſuperior haberi potuiſſet. Sed ut redeam ad Caput, nulli aptiores Principes ad regendum in hiſtorijs leguntur, quàm, qui militiam coluerunt: ad hoc indicandum antiqui Reges inter arma ſalutabantur; impoſitione ſcuti, ait *Tacitus* de *Brenone*: *Dux deligitur*, & notavit *Petrus Pythœus* apud *Gallos*, *Gothos*, *Francos*, *Græcos*, & ultimis temporibus etiam apud *Romanos*, hunc ritum in cooptandis Principibus viguiſſe.

Militaria via Georgij graſſatur ad honores.

Tac. l. 4 hiſt. Pyth. lib. 11. ſubſecivarũ cap. 6.

Prudentiæ ſæpe dolum adjunxit Georgius &c. Vetus eſt, neſcio cujus *Græci Imperatoris* dictum (niſi fallor Leonidæ) ubi Leonis pellis non ſufficit, vulpinam adhibendam eſſe, *dolus an virtus quis in hoſte requirat*? canit *Princeps Poëtarum*. Et revera multum contermina maximis virtutibus maxima ſunt vitia, quódque vitium eſſe creditur, ſi adjuncta omnia temporum, locorum examinâris, virtutem fuiſſe deprehendes; & è contrariò ſæpius virtutis nomen, ſi regulam non Lesbiam, ſed rectæ rationis adhibeas, ſplendidiſſimum mendacium invenies; turpe tamen eſt Principi tam decipi, quàm decipere, quorum alterum eum debilem oſtendit, qui cauſſæ & viribus diffidat, alterum improvidum & minùs circumſpectum, ut ex ſe ludos hoſtibus fieri ſinat: *Fiſtula dulce canit volucrem dum decipit auceps*, vetus eſt verſus, & venatores cùm feras capiunt, ùt lepuſculos, eoſdem in cubilibus ſuis jacentes circumeunt; ità dolo armati Principes fas ſibi eſſe putant, omnes promiſſionibus, fœderibus &c. decipere; ſed ego nullum in jure *tttulum deceptionis* invenio; proinde hujuſmodi Principes apud omnes fidem amittunt, conſcientiam apud Deum.

Georgij prudentiæ dolũ ſæpe adjunxit.

Meinhardum ſuſtulit &c. In Interregno periculoſiſſimum eſt unum omnia poſſe, præcipuè ſi is aviditate honorum laboret, habeátque authoritatem, opes, clientelam potentem, aliáque ad Regnum ſibi parandum præſidia, ex quibus in ſpem erigatur, Coronam Regiam ſatis firmiter in capite ſuo ſedere poſſe. His machinationibus obſtant æqualis potentiæ Proceres, qui ſi plures ſint, authoritate, aliiſque ad

In Interregno periculoſum eſt unum nimis eminere.

Prov. 26.

ad Regnum requisitis dotibus pares, non facilè periclitatur Respublica; unde bene dictum est: *invidia sustinet fornicem.* Cùm enim suspensio fornicis ex oppositione lapidum conficiatur, quò magìs alij alijs sese opponunt, eò fornix firmior evadit, perinde in Regno, Procerum contraria studia non sinunt unum aliquem nimium eminere. At ubi unus tantùm aut duo sinè controversia ambitiosissimi & potentissimi omnium colliduntur (ùt hoc loco *Meinhardus & Podiebradius*) periculosum est Interregnum; nam uno æmulorum sublato, alter incredibiliter suam potentiam auget, & neminem habet, qui ejus authoritati & potentiæ obsistere, & ad alta tendentis currum sufflaminare possit, quod præsenti exemplo *Podiebradij* confirmatum Lector animadvertet.

Beneficentia Regia virtus.

Amorem sibi paravit per negotia Regni &c. Hæc una justissima & probatissima via est ad honores ascendendi; cùm enim consentientibus optimis *Politicis*, *Imperium* aliud nihil sit, *quàm cura alienæ salutis*, jam ante Regnum Rex est, qui alijs bene vult, & alijs ut bene sit, procurat: hoc populi amorem conciliat, hoc benevolentiam Civium meretur (quæ fidissima est custodia) hoc domi & foris Reges gloriosos, hostibus formidabiles facit! memorabilis est *Plinij* senioris sententia: *DEUS est mortali juvare mortalem, & hac ad æternam gloriam via, hâc Proceres ière Romani, hâc nunc cœlesti passu vadit Maximus omnis ævi Rector Vespasianus Augustus, fessis rebus subveniens; hic est vetustissimus bene meritis gratiam referendi mos, ut tales numinibus adscribantur &c.* quæ sequuntur pulcherrima. Proinde merito eundem *Vespasianum* laudavit *Philostratus*, qui *Ægyptijs* mirum in modum Præfectorum avaritiâ, aliisque modis afflictis, hæc verba aurea publicè in templo dixit: *ex me perinde, atque ex Nilo vestro, quæcunque vultis, haurite!* quâ oratione mirum in modum *Ægyptios* à Præfectis exsuccos recreavit, in spem bonam erexit, in omne tempus obnoxios & Imperio fidos reddidit. Id etiam spectavit *Georgius* beneficijs dum privatus adhuc esset, multóque magìs cùm negotia Regni tractaret, in omne genus hominum conferendis. Beneficia enim sunt alæ amoris, & gratia collata, cùm eâ maximè egemus veneni quoddam instar habet, quod non mortem sed obsequium in animo liberali parit, ut ejus causâ, à quo præventi sumus, omnia velimus, eique gratitudinem nostram approbemus: *beneficium accipere*, ait *Syrus*, *libertatem vendere est*, præcipuè cùm beneficia & munera excæcent sapientes, & quodammodo captivos eorum à quibus beneficia acceperunt, efficiant.

Plin. l. 2. hist. natural. c. 7.

Philostrat. in vita Apollonij lib. 5. c. 10.

Syrus in Mimis.

Principes vicinos conciliare sibi prudentissimum est.

Prima Georgij cura vicinos Principes conciliare &c. Hoc plerisque Principibus gubernationis initio, non utile tantùm, sed necessarium factu est, ut securiùs regnent, ut in seditione, si oboriatur, subditi à vicinis Principibus non adjuventur, quod sæpissimè desiderant in alieno Regno fieri, ij, qui prætensionem aliquam in Provinciam habere se jactant; quo circa statim seditiosis assistunt, & cùm oppressos & afflictos erigere & adjuvare simulent, sua quærunt. Animadvertit hanc Principum artem antiquissimus Scriptor *Herodotus*, qui de *Aristagora* loquens, *auxilij ferendi prætextu*, inquit, *sæpe alienas Regiones invadendi & scrutandi consilium tegitur.* Etiam vel ex hoc capite laudabilis est vicinorum Principum conciliatio, quòd initia Principatûs eorum amicitiâ firmentur; dissimulanda tunc erunt odia, eorúmque caussæ omnes contegendæ, & quidquid usquam esse potest, quod animos vicinorum à nobis abalienare possit. Plus enim vicinus unus hostis, quàm decem remoti nocere solent, quòd apertum latus nostrum habere videantur, eóque faciliùs vulnus inferre lateri; deinde quod Provinciam vel Regnum nostrum belli aream, quod periculosissimum est efficere conabuntur, cùm subditorum nostrorum ruina & extremâ vastitate. Felix est Princeps, cui si bellum gerendum est, illud extra Patriam in alienas terras transferre potest, si dominihil metuat à suis. Mittendum foras bellum est, si bellare velis: *Romani* in *Italia* vix *Annibalem* sustinuerunt, in *Africam* misso *Scipione* ad sua tuenda revocatus est *Annibal.* In Patria bellum hostem sustentat, in alieno solo nos sustentabimur. Hæc ergò sit cura Principis, ùt quantum fieri potest vicinos Principes, amicos, aut saltèm hostes non habeat.

Herodot. l. 5.

Ingratus animus hodiernis sæculis non est in vitio.

Ingratitudo Regis Mathiæ &c. Sæpe miratus sum in tam heroico Rege ingratitudinis vitium hærere potuisse; sed gloriæ cupiditas omnes caritates exsuperat: mirabile dictum est prudentissimi *Imperatoris Friderici* III. *Audivi*, inquit, *Æneas Silvius, Imperatorem Fridericum, sæpe dicentem, ex ijs quos extulisset, quàm pauci ssimos gratos fuisse, idque se effecisse honoribus, ut ex fidelibus infideles fierent.* Generosi quidam animi (quanquam perversa hæc videtur generositas) nulli se obligatos, & nulli quidquam se debere ostentant. Sapientissimum est *Taciti* dictum: *tanto proclivius est injuriæ, quàm beneficio vicem exsolvere: quia gratia oneri, ultio in quæstu habetur*: si quis igitur nobis injuriam inferat, continuò exardescimus, & vindictam meditamur; si beneficium conferimus, vicem reddere cunctamur, & denique obliviscimur. Inhumanum & inhospitale facinus! ego *M. Aurelium Antonium Imperatorem* sapientissimum audire malo, qui dicere solebat: *ingratum mori vitam esse tam infamem, ut magìs infamis à nullo excogitari possit.*

Æneas Silv. in Comment. super Alphonsi Magni dicta l. 2. n. 35 Taciti l. 4. histor.

M. Aut. Imp. in Libris de vita sua.

Conjugia amicitias firmant.

Conjugijs Principes illigavit &c. Arctissimum fœderis genus est inter Principes conjugium, quippe sanguinis commixtio vim maximam habet ad animos conciliandos, neque potest arctiori nodo, quàm infuso quodam modo proprio sanguine, amicitia constringi; unde optimè Amicos latini *necessarios* dixêre, & amicitiam *necessitudinem.* Sed proh dolor, sæpe insana ambitio hunc tam strictum & quasi gordium nodum ense dividit, cujus rei exempla utinam hodierna sæcula non suppeditent!

Multi pro Religione Regionem quærunt.

Prætextu Religionis bella &c. Sæpe Principes qui bellis & sanguine suorum & hostium delectantur, bellum priùs decernunt, quàm *Religionis* veniat in mentem, sed decreto semel bello facilè est etiam Religionem prætexere, & orbem simpliciorem decipere.

Mors etiam malos corrigit.

Ante mortem Georgius retractavit errorem &c. Mors aptissima ad id habetur, ut errores admissos videamus; sed sera est, ùt ait ille, in fundo parsimonia; huc ego trahere soleo illud *Virgiliani Pastoris: nuper me in littore vidi.* In littore seu in fine vitæ multa alijs oculis videntur & vicinitas Divini judicij, & pœnarum æternitas occursans animo, conscientiâ monente efficit, ut ea nos ipsi damnemus, quæ multo ambitu & magnâ commendatione populorum gesseramus. *Plinius* & *Virgilius* de apibus scribentes docent, apum exercitus pugnantes, continuò pugnam abrumpere, si pulveris exigui jactu spargantur. O! utinam mortis pulvis hoc in bellis hominum posset, & recordatio, & collatio vitæ præsentis & futuræ sistat brutalem bellantium rabiem cum expectatione & gaudio Orbis universi! hoc fine *Ægyptij* in convivijs sceleta circumferebant, ut convivæ mortis admonerentur, & mortuorum festum etiam apud *Romanos* agebatur. Sapientissimus *Plutarchi* liber, quem *Convivium Sapientûm* inscripsit, consulendus est, ubi pulcherrima adferuntur, & salutaria ex mortis meditatione documenta ad pacem & concordiam generis humani. Alibi referuntur Philosophorum sententiæ ad corpus mortui *Alexandri Macedonis.*

Plin. l. 11. c. 17. Virg. in Georgicis.

Moneta bona boni Regis & justi signum.

Monetam probiorem procudit &c. Inter clariora indicia, quòd bene & justè administretur Respublica omnium Sapientûm consensu, est *probitas Monetæ*, quam mali Principes in sua commoda convertunt, & pauperem populum quasi aliud agendo spoliant, cui maximè nocetur. Querelam hanc habet *Nicolaus de Clamengijs* oratione longissimâ *de lapsu & reparatione Justitiæ*; qui liber etsi meritò detestabilis, & damnatus sit, ob alias caussas, diligentissimè & fusissimè in falsam Monetam invehitur,

Ludovicus Molina S. I. in opusc. de Moneta.

hitur, & quàm sit Regnis noxia demonstrat: cùm enim adulterina Moneta in Regnum infusa est, pauperes v. g. existimant se decem aut viginti florenos possidere, eóque pretio victum & amictum comparare posse; at ecce subitò per devalvationem, quam vocant, damnatur Moneta atque illi ex floreno quartam v.g. pretij partem amittunt. Animadversionem hanc docuit me magnum Hispaniæ lumen, vir seu Theologiam, seu Juris prudentiam spectes undequaque doctissimus, in libello de Moneta sui temporis conscripto, severissimè in hanc fraudem Hispanicorum ministrorum invectus, quem in hoc argumento scribentem inspici cuperem. Qua quidem in re duo nostri *Reges Wenceslaus Ottogari filius, & Georgius Podiebradius* excelsum, & pecuniæ contemptorem animum satis ostenderunt, ac primùm quidem omnem deteriorem Monetam in Regno recipi vetuerunt, mox altero decreto de deteriorem Monetam ad Monetarias domos deferri jussetunt, ubi illis pecunia probior numerabatur, ibique deteriorem relinquebant; ità in se damnum, quod habituri erant subditi, optimi isti Principes recipiebant; qui subditorum amor omne præconium meretur. Sapienter Clementissimus Imperator Leopoldus populos suos nè damnum paterentur futuræ, devalvationis in tempore, & longè antè admonuit, ut damnum quod percipere poterant, vitarent; eóque pacto paupertati populi optimè consuluit.

Notæ in Tabulam Genealogicam Regiæ Stirpis Cunstadææ.

Familia Bockonum cur ità dicta.

a. *Boczek* I. Hujus Majores in *Imperio Romano Comites* (ùt rectè docet *Speculum Gloriæ Austriacæ* nuper editum) de *Berneck* & *Nidda*; ab *Henrico V. Imperatore* circa A. 1127. (nescitur quâ causâ) proscripti, in *Bohemiam* se recepêre, & prorsus in lingvam nostram & genus & Nobilitatem transiêre Ex hac Stirpe *Boczek* I. sic dictus quòd ex latere matris esset excisus (ùt habet *Zidek* in libro *Instructionum M. S.* ad *Regem Georgium*) *Bok* enim & diminutivum *Boczek* latus humanum *Bohemis* significat, quasi *Cæsarem* latinè diceres. Hic *Boczek* incœpit fundare *Cœnobium Fontis S. Mariæ* in *Zdiar* pro *Cistercienſibus Religiosis* A. 1252. eundem *Boczkonem Hagecius* nominat *Chrastovsky*; ejúsque Patrem *Hebhardum* vel *Gebhardum* facit *Paprocius*, fundatorem *Cœnobij* (non *Boczkonem*) & titulum gessisse *Burgravij Znoymensis*, idque ex *Memorijs Ecclesiarum* probare se posse; cui ego, contra *Weleslavinum*, subscribo.

Paproc. in Speculo Moraviæ C. 30.

b. De *Smilone* I. nihil antiquitas reliquit. De *Gerardo*, quæ dixi, habet etiam, præter *Weleslavinum*, *Paprocius*; hujus *Smilonis* I. neptem fortasse in conjugio habuit *Boczek* vel *Boczko* II. *Boczkonem* II. tres fratres habuisse, *Cunonem*, *Zagimaczium* & *Mikulonem* seu *Nicolaum* ex *Memorijs Ecclesiæ Olomucensis* sub *Brunone Episcopo* scriptis *Paprocius* ostendit. *Cuno* posteros reliquit, qui *Cunæ* vel *Cunones* de *Cunstat* appellabantur; *Zagimacz* alterius lineæ originarius fuit, qui *Zagimaczиorum* cognomen ferebant. *Micolon* originarius fuit *Equitum de Drnovicz*, ab Arce *Drnovicz*, quam ædificârunt non procul à *Cunstat* appellati, & quia eorum *Majores Comitum* Titulum abjecerant, ipsi (quòd Militiam colerent) uno Equitum & militum Titulo (exemplo plurimis alijs Illustrissimis familijs usitato, ùt suo loco dicemus) contenti vixêre. Eadem erant omnibus his familijs Insignia & Clypei militares.

In Spec. Mor. C. 30. in Baronibus & c. 1. de Equit.

De *Smilone* II. quæ attuli, ex ijsdem Scriptoribus sumsi.

c. In

Tabula Genealogica Stirpis Cunſtadææ, ſeu de Cunſtat; ex qua Regem unum, Georgium Podiebradium cognomine, Bohemia habuit.

a. Boczek I. Comes de Berneck & Nidda. obijt Anno 1255. 20. Decembris. ♆ a. Offka ſeu Euphemia, Przibislai filia.

- b. Smilo I. aliud nihil.
- b. Gerardus Comes vel Erhardus de Berneck & Nidda, condidit Arcem Cunſtat. obijt Anno 1291.
- ♆ b. Judith de Welsberg.
- b. Agnes uxor Witkonis de Schvabenicz.

- b. Euphemia ſeu Offka, aliud de ea nihil.
- b. Smilo II. Dominus de Cunſtat, omiſit titulum Comitis. obijt Anno 1312.
- ♆ b. Eliſabeth de Novadomo Ulrici filia.
- b. Agnes. de qua nihil.

- Boczek II. de Cunſtat. ♆ d. Agnes de Berneck & Nidda cognata.
  - c. Boczek III. de Cunſtat. ♆ c. N. de Roſenberg. Anno 1360.
    - d. Boczek IV. cognomine Senior de Cunſtat, primus Dominus de Podiebrad. ♆ d. Anna Lippæa.
- b. Cuno de Cunſtat, ab hoc Cunæ de Cunſtat.
- b. Zagimacz de Cunſtat. — ab hoc Cunſtadæi Barones in Moravia.
- b. Mikulon de Cunſtat. — ab hoc Equites de Drnowicz in Moravia.

- f. Boczek V. de Cunſtat.
- e. Victorinus I. Comes Glacenſis, Dominus de Cunſtat & Podiebrad. obijt Pardubicij An. 1427. ♆ e. Anna de Wartenberg.
- g. Joannes Koſtka. juxta Weleslavinum, ſed eſt improbabile.
- h. Hinko de Kunſtat.

- i. Eliſabeth uxor Henrici Bercæ de Lippa.
- l. Georgius Comes Glacenſis, Dominus in Cunſtat & Podiebrad, poſtea Rex Bohemiæ, Marchio Moraviæ & Luſatiæ, Dux Sileſiæ &c. natus Anno 1420. 6. Aprilis Horazdovicij in ditione paterna. Rex factus Anno 1458. 2. Martij. obijt An. 1471. 22. Martij. ♆ 1. l. Cunegunda vel Catharina de Sternberg Jaroslai (Birgen ponit Smilonis) de Sternberg filia, mater pauperum. obijt Anno 1449. 19. Novembris, Podiebradij. L. S.
  ♆ 2. Johanna Leoniſſa de Rozmital. obijt 1475. Mielnicij in Novemb.
- k. Margareta uxor Boczkonis de Seberg & Plana.

- m. Boczek VI. de Cunſtat. natus Anno 1442.
- n. Victorinus II. Münſterbergæ Dux, natus An. 1443. factus Dux An. 1463. 20. Februarij. obijt An. 1479. 30. Auguſti.
- o. Catharina uxor Mathiæ Regis Ungariæ, nata An. 1444, obijt 1464. ſine prole.
- P. Henricus Senior Dux Münſterbergicus & Oelſnenſis, Comes Glacenſis. obijt Anno 1498. 2. Junij.
- ♆ 1. n. Sophia Boleslai Ducis Teſſinenſis filia. 2. Filia Caſimiri Ducis Teſſinenſis. 3. Margareta Palæologa. obijt A. 1496.
- q. Sidonia uxor Alberti Ducis Saxoniæ. obijt Anno 1510. 1. Februarij.
- ♆ 1. p. Anna Wilhelmi Ducis Saxoniæ filia. obijt Anno 1460. II. Urſula filia Alberti Ducis Brandeburgi. nata An. 1450. obijt An. 1508.
- q. Barbara uxor Henrici Lippæi Mareſchalli Regni Bohemiæ.
- r. Hinko vel Henricus Junior Dux Münſterbergicus. obijt Anno 1491. 10. Julij. alijs 1492.
- ♆ r. Anna filia Wilhelmi Ducis Saxoniæ.
- s. Ludmilla uxor Friderici I. Ducis Lignicenſis. obijt A. 1503. alij An. 1502.

Reliqua inveniuntur in Notis.

c. In *Boczone* III. hallucinatur *Paprocius*; ait enim eum ad *Auſtam* A. 1426. interfuiſſe prælio, & heroica edidiſſe facinora pugnantem, genuiſſe verò ex *Anna Lippæa* filium *Mauricium*, qui cum *Rege Joanne* A. 1319. adverſus *Auſtriacos* pugnârit; quæ duo cum ratione temporum & Chronologiæ, ùt conſideranti patet, componi non poſſunt.

d. *Boczko* IV. *Aſſeſſor* fuit *Judiciorum Regni* A. 1411. éſtque ſubſcriptus ſententijs Judicialibus A. 1402. cùm *Wenceslaus Rex* teneretur captivus, & *Sigiſmundus* ejus loco judicio præſideret.

e. *Victorinus I. Sigiſmundo Cæſari* ſemper adverſatus inter *Pragenſium* ductores à Scriptoribus recenſetur; primus *Comitatum Glacenſem*, & cum eo Comitis titulum obtinuit, quod quâ ratione factum ſit, in *Comitatûs Glacenſis* deſcriptione dicetur.

f. *Boczek V. de Cunſtat.* Hunc ego exiſtimo fuiſſe, qui in *Auſtenſi* pugna (ùt paulò antè memorabat *Paprocius*) virtutis ſuæ & fortitudinis tanta edidit documenta. *In M. S. Codice Crumlovienſi* lego. *Boczkonem de Podiebrad* An. 1425. *Joannem Patruelem* ſuum ſubdolè captum fame enecuiſſe. Quis *Boczko* hic fuerit, quis *Joannes*, ſcire non poſſum.

g. *Joannes Koſtka* (quod in nullo prorſus alio Scriptore unquam legeram) *Boczkonis* IV. filius à *Weleslavino* ponitur; fateor ambigere me an *Koſtkarum* familia ex *Cunſtadæa* profluxerit: movet me authoritas *Weleslavini*, deinde quod ante hæc tempora, nunquam quidquam de gente *Koſtkarum* in Scriptoribus legimus, quod certè non omiſiſſent dicere, ſi ea fuiſſet antiquior; at contrà ab hac ſententia deterret; quòd nullus unquam ante *Weleslavinum*, neque poſt eum iſtud dixerit; deinde quod *Koſtkarum* gens, ùt in eorum annulis & ſigillis ſæpius vidi, Raſtrum hortenſe non verò lineas illas *Podiebradiorum* geſtârit in Clypeo: ſuſpendo igitur tantiſper judicium, dum Nobilitatis noſtræ Origenes pertractandas ſuſcipiam.

h. *Hinko de Cunſtat.* Hunc per oſcitantiam *Paprocius* fratrem *Regis Georgij* fecit; veriùs *Weleslavinus* patruum, cui favet *Chronologia* nam A. 1420. 25. Novembris, ùt ex hiſtorijs noſtris certum habetur, hunc *Hinkonem* cum *Zittavienſibus* ad *Saczkam* congreſſum viciſſe, & jam tum aciem ductâſſe, cùm eo primùm anno frater illius Rex *Georgius* 6. Aprilis *Horazdiovicij* natus eſſet: non ideò attuli, quaſi neſciam fratres viginti annis juniores ſuis fratribus eſſe poſſe, ſed id & rariùs accidit, & authoritatem *Weleslavini* ac cæterorum Scriptorum validiùs firmat; adde (quod omnia ſuperat) *M. Laurentium* ejus ætatis Scriptorem diſertè *Hinkonem* hunc, fratrem *Victorini* nominare.

i. *Eliſabeth Georgij Regis* ſoror juncta eſt *D. Henrico Bercæ de Duba & Lippa*; ex quo conjugio natus eſt *Petrus Berka*. Verbo uno hujus *Eliſabethæ* regiæ ſororis ſangvinem participârunt per conjuges Comites Turnij, *Bezdruzickij de Kolovrat*, *Lobkovicij*, *Krzineczkij de Ronovva*, omnes *Waldſteinij*, & ab his alij *Bohemiæ Barones* quamplurimi, ùt in Stemmatographia genealogicè demonſtrabo.

k. *Margareta* ſoror altera Regis nupta *Boczkoni Sebergio* in plurimas Bohemiæ, atque etiam *Imperij Illuſtriſſimas* familias ſangvinem per filias & neptes infudit.

Georgij geſta quædam.

l. *Georgius* natus *Comes Glacenſis*, *Dominus* in *Podiebrad* (unde *Podiebradius* à Scriptoribus perfrequenter appellatur) fuit vir invicti & imperterriti animi, quod ſatis ex ijs, quæ de eo in Epitome attulimus, & quæ vel in ætate gravi & morbis fracta geſſit & pertulit, apparet; quâ viâ & quibus artibus ad Gubernationem primùm Bohemiæ (*Ladislao* tum puero) deinde etiam ad Coronam, graſſatus ſit, explicant eorum temporum *Annales*. Multa bella geſſit in *Miſnia*, *Moravia*, *Sileſia*, *Auſtria*, & in ipſa *Bohemia*, nunquam acie victus, ùt ipſe in Epiſtola ad *Mathiam Cor-*

vinum Regem Ungariæ (cum quo ipsi maximum negotium fuit) modestè gloriatur. *Fridericum* III. *Imperatorem* à Rebellibus *Viennensibus* in castro suo obsessum cum conjuge sua *Eleonora, & Maximiliano* I. tum puerulo periculo exemit, ob eámque caussam *Imperator Georgij* liberos *Imperij Principum* titulo decoravit. Obijt hydrope ætatis anno 51. Regni 13. Christi 1471. petijt ante mortem à *Pontifice* absolvi ab excommunicatione, ob id in *Ecclesia S. Viti Metropolitana* humatus; ubi & secunda ejus *Conjux Johanna Mielnico* post mortem huc devecta postea sepulta est. *M. S. Cuttnense* asserit *Johannam* A. 1475. in *Mielnik* mortuam & ibidem ab *Hinkone* filio tumulatam. Quantam Regum gloriæ maculam inurant mali Consultores, *Georgij Regnum* ostendit; nam út in bellis gerendis *Georgius* unum se audiebat, sic in rebus sacris pessimorum duorum hominum consilijs unicè regebatur, iísque omnia tribuebat; ij fuêre *Rokyczana* & *Gregorius ab Heimburg*, jurati *Apostolicæ Sedis* hostes, qui Regem in præcipitia maxima deduxerunt; de *Rokyczana* alibi egimus, de *Gregorio*, ut constet, quis fuerit, hæc pauca ex *Trithemio* & *Frehreo* annotabimus: *Sigismundus Austriæ Dux* cùm *Nicolaum de Cusa Cardinalem & Episcopum Brixinensem* custodiæ mancipâsset, *Pius* II. *Pontifex Ducem* excommunicavit; habebat Dux à secretis Doctorem quendam juris *Gregorium Heimburg* patriâ *Francum* orientalem, is cùm esset latinè simul & Teutonicè omnium suâ ætate facundissimus, missus *Romam Orator*, cùm absolutionem Duci impetrare non posset, Appellationem à sententia summi Pontificis ad futurum Concilium pro *Sigismundo* conscripsit, & ad valvas *Ecclesiæ Florentinæ* publicavit; quare *Pontifex* & *Ducem* & Oratorem excommunicavit; qui fugiens in *Bohemiam* se recepit, & ibi ductâ uxore permansit, cùm antè *Syndici* munus *Norimbergæ* gessisset. Hæc de *Gregorio ab Heimburg*, cui summam rerum maximarum æquè ac minimarum committebat *Georgius*, iísque Regi author fuit, ut excommunicationes *Pontificum* pro nihilo duceret, & ad futurum Concilium, ùt in Epitome nostra Regem fecisse vidimus, appellaret.

Tom. II. Germanic. Script. Parerga Appellat. Sigismundi Duc. Trith. Chron. Hirsaugiense ad A. 1460.

Greg. Heimburg conatus adversus Papam.

m. *Boczek* VI. *de Cunstat Regis Georgij* filius, Principis titulum non gessit; subscripsit literis *Wladislai Regis*, recèns tum electi An. 1471. quas Ordinibus dedit promittens, quibus Conditionibus foret regnaturus. Obiit *Boczek* VI. sinè liberis. Nisi fortè dicamus ejus filiam fuisse *Catharinam Podiebradskam de Cunstat, Georgij Berka* Supremi Judicis Regni Bohemiæ uxorem, sed de hoc Boczkone, qui *Podiebradij* manebat, altissimum est inter Historicos silentium.

De Victorino II.

n. *Victorinus* II. *Comes Glacensis Fridericum* III. obsessum *Viennæ* manibus suis sublatum extulit ex *Viennensi Burgo*; accepit in præmium sub feudo *Comitatum Catzenelbogen* in *Hassia* non procul à Majorum *Comitatu Niddensi*, sed hic *Comitatus* ad hæredes *Victorini* non pervênit; postea ab eodem *Friderico Münsterbergæ Duce*, & *Imperij Princeps* creatus est. *Weleslavinus* docet hunc *Victorinum* ob sua in *Cæsarem* privata merita, longè ante fratrem *Henricum Imperij Principem* scilicet An. 1459. die *S. Joannis Baptistæ Brunæ à Friderico Cæsare* appellatum; fuit *Moraviæ Capitaneus* institutus à Patre. Militiam *Victorinus* præcipuè coluit, & multa fæliciter gessit, tandem ad Affinem *Henricum Lippæum Crumlovium* in *Moravia* A. 1469. *Trebicio* profectus, ab Ungaris captus, ampliùs biennio in libera custodia detentus est; dimissus Patre jam mortuo A. 1472. M. S. *Codex Carolinus* ait centum millia florenorum pro liberatione persolvere debuisse. Uxor prima *Sophia Baronissa*, quæ ei filiam genuit, quam *Casimiro Tessinensi Principi* dedit uxorem, quæ mater fuit *Wenceslai Ducis Tessinensis*. Uxor secunda *Casimiri Tessinensis Ducis* soror, quæ *Victorino* genuit filios duos *Bartholomæum* & *Laurentium*. Tertia Uxor *Margareta Palæologa* ex stirpe *Imperatorum Græcorum Palæologorum*, quæ ei genuit tres filias, *Apolloniam Vestalem* in *Parthenone Strzelensi* in *Silesia*; *Ursulam Vestalem Friburgi* in *Misnia* (quæ *Lutheri* tempore unà

unà cum duabus ejusdem ordinis *Virginibus Cœnobium* reliquit) & *Annam*, quæ puellula elata est. *Victorini* tota posteritas in *Bartholomæo*, qui à *Cæsare Maximiliano* I. ad *Wladislaum Regem Legatus Viennâ Posonium* descendens An. C. 1515. 2. Aprilis nave confractâ demersus est nullâ prole relictâ, defecit.

Weleslav. in Calend. 21. Febr.

o. *Catharina Mathiæ* Regi nullam attulit prolem, obiit 1464.

De Henrico seniore.

p. *Henricus* senior *Münsterbergæ & Oelsnæ Princeps, Comes Glacensis.* Huic ex Bohemis nonnulli post Patris mortem Coronam offerebant, at is *Wladislao Regi* suffragium dedit, eúmque provexit ad Regnum. Tribus suis filijs (quorum nomina mox dabimus) despondit tres filias *Joannis* ultimi Ducis *Saganensis* & *Glogovienses*, quibus cùm *Joannes* pater certam summam in his Ducatibus dotis nomine quærendam designâsset, restitit *Mathias Rex Ungariæ*, qui tum *Silesiam* obtinebat, & solùm 60. millia florenorum pro dote assignavit. Bellum exinde secutum, & *Joannes Princeps à Mathia* suis ditionibus est exutus. Uxor *Henrici Ursula* filia *Alberti Marchionis & Electoris Brandeburgici* (qui *Achilles Germaniæ* dicebatur) nata A. 1450. Obiit *Henricus* A. C. 1498. *Glacij* sepultus in *Cœnobio Franciscanorum*, quibus *Cœnobium & Ecclesiam* titulo *S. Georgij* fundaverat; sed cùm *Cœnobium* hoc *Monachi* deseruissent, translata sunt ejus ossa in *Ecclesiam Parochialem Melitensium*, quam hodie, cum eodem jure, habet *Societas JESU*; Inscriptio quæ hodiéque in *Ecclesia Parochiali* visitur ex aurichalco laminâ solidissimâ, quam ipse olim descripsi, omnibus his lucem dabit; ea sic habet: *Illustrissimus Princeps ac Dominus Dominus Henricus Senior S. R. I. Princeps, Dux Monsterbergensis in Silesia Olsnensis, Comes Glacensis, & Serenissimi Bohemiæ Regis Georgij filius, ex veteri familia Comitum de Berneck & Nidda, nunc Dominorum de Cunstadt, & Podiebrath oriundus obijt An. D. 1489. die S. Joannis Baptistæ, & sepultus primùm in Monasterio Fratrum Bernard: in Suburbio Glacensi, unà cum Fratribus suis, Victorino, Henrico juniore, & Petschkone, & filijs suis Alberto, Joanne & Ludovico, & filia Zdena, & conjuge Victorini Palæologica, quæ fuit ex stirpe Imperatorum Constantinopolitanorum: horum ossa post annos sexaginta, Anno scil 1558. per Nepotes Joachimum & Joannem Illustrissimi Ducis Caroli filios translata sunt, & hic in Domino condita.*

Ibidem jacet Ursula Principis Alberti Marchionis Brandeburgici Electoris filia, Domini Henrici Senioris Ducis Monsterbergensis Conjux. Obijt 1508. 25. Novemb. & in Monasterio Virginum S. Claræ Wratislaviæ in ambulacro sepulta fuit.

Hactenus inscriptio. Jacent porrò *Catholici* isti *Principes*, & Conjuges eorum itidem *Catholicæ* inter summam *Aram Beatissimæ Virginis*, & sepulchrum illud miraculosum *Ernesti I. Archiepiscopi*, quod in ejus vita descripsimus, atque etiam verâ effigie exprimi curavimus.

In speculo Morav.

Notandum I. *Paprocium* hunc ordinem inter *Regis Georgij* filios ponere: *Henricus* senior primogenitus, *Victorinus* secundogenitus, *Hinco* (seu *Henricus* junior) tertio loco genitus; at *Weleslavinus Victorinum* primogenitum, *Henricum* seniorem secundum, *Henricum* juniorem tertium facit; *Paprocio* suffragatur Tabula sepulchri.

Nota II. *Petschonem* illum (qui in *Epitaphio* nominatur) per imperitiam Scriptoris, *Boczkonem* scribi oportuisse, & hic est ille *Boczek* VI. qui ob aliquam corporis imbecillitatem & informitatem út reor, gerendis rebus abstinuit; *Georgij Regis* tamen filius fuit, ùt illa Tabula & *Weleslavinus* testantur.

Nota III. Ex *Henrico* seniore omnes *Münsterbergæ Duces*, qui nostrâ memoriâ cum tota stirpe sua defecêre, descenderunt; nam *Victorini* stirps, út dixi, in *Bartholomæo* perijt, *Henricus* junior seu *Hinco*, ùt mox dicam, unicam *Annam* filiam reliquit, *Boczek* seu *Boczko* seu *Betschko* nullam duxit uxorem.

Speculii Gloria Augustiſ. Gentis Auſtr.

q. *Sidonia* vel *Zdena Regis Georgij* filia Maritum habuit *Albertum Ducem Saxoniæ*, cognomento *Animoſum*; à quo hodierni *Saxoniæ Duces* Electores ritè deſcendunt.

q. De *Barbara Henrici Lippæi* conjuge dicam in Stemmatographia ſuo loco.

r. *Hinko* vel *Henricus* junior quartus *Regis Georgij* filius, fuit honoratiſſimus *Princeps*: attulit ex *Apulia Mathiæ Regi Ungariæ* Sponſam An. 1476. Uxor ei fuit *Anna Catharina Wilhelmi Saxoniæ Ducis Landgravij Thuringiæ* filia; ſed ex eo conjugio unica tantùm filia proceſſit *Anna*, conjugata *Henrico de Novadomo Dynaſtæ Clariſſimo, Supremo Regni Bohemiæ Camerario*, & poſtea *Supremo Burgravio*; cujus filius *Adamus de Novadomo, Cancellarius Regni*, & ejus filius *Joachimus* itidem *Cancellarius, Eques aurei Velleris*, & *Joachimi, Adamus*, & ex eo *Lucia de Novadomo Wilhelmi Slavatæ* conjux, profluxit; hunc ſangvinem & hoc genus *Slavatæ* omnes hodierni, eorúmque conſangvinei participant, ùt ſuo loco dicetur. Porrò *Wilhelmus Saxoniæ Dux* conjugem habuit *Annam* filiam *Alberti* II. *Imperatoris* ex *Auguſtiſſimæ Auſtriaca Domo*, quæ illam *Annam Hinkonis* Conjugem genuit, unde unica illa *Anna* proceſſit conjux *Henrici de Novadomo*; ponam rem totam ſub aſpectum, ut omnis tollatur obſcuritas.

Wilhelmus III. Dux Saxoniæ. ⚶ Anna Auſtriaca, filia Alberti II. Cæſaris & Eliſabethæ Sigiſmundi Cæſaris filiæ.

Anna Catharina Ducissa Saxoniæ. ⚶ Hinkonis filij Boh. Regis Georgij.

Anna unica filia. ⚶ Henrici de Novadomo Supr. Camer. Regni Boh.

Adamus de Novadomo Supremus Cancellarius Regni. ⚶ Anna Leoniſſa.

Joachimus de Novadomo Cancell. R. B. Eques Aurei Velleris. ⚶ Anna de Roſis.

Adamus de Novadomo Cancell. Regni Boh. ⚶ Catharina Comitiſſa de Montfort.

Lucia de Novadomo ultima ſuæ gentis. ⚶ Wilhelmi Slawatæ Cancell. Reg. Boh.

s. *Ludmilla Friderici I. Ducis Lignicenſis* Conjux fuit, ex qua, ùt *Genealogiſtæ* oſtendunt, proceſsêre *Duces Lignicenſes* omnes, uſque ad poſtremum ſuæ ſtirpis *Georgium Wilhelmum*, dum *Oppaviæ* hanc Genealogiam conficerem, mortuum Anno 1675. 21. Novembris.

Nolo, ùt antè monui, omnes eos, qui *Münſterbergicorum Ducum* ſangvinem participant, recenſere (ùt ſunt *Comites ab Hardeck, Principes Anhaltini, Brandeburgici Onſpacenſes, Duces Wirtembergici &c.*) & ex noſtris: *Sſvihovij, Haſmburgij, Pernſteinij, Bozkovicij, Bibrſteinij, Turnij &c.* Servantur iſta decora Nobilitati Bohemæ aptiore loco adducenda.

Bonfin. L. 9. Decade 3. in fine. Ex his tamen ſatis apparet, quantum aberrârit à vero *Bonfinius*, qui *Podiebradium* ſcripſit nullis Majoribus Stemmatibus decoratum fuiſſe.

SECTIO

SECTIO V.

Duo Reges Bohemiæ; Pater, & Filius, ex Familia Jagellonica.

CAPUT I.

Wladislaus II. ejus nominis Rex Bohemiæ, Caſimiri III. Regis Poloniæ, ex Eliſabetha Filia Alberti II. Cæſaris & Regis Bohemiæ, Filius.



Mathias Rex Ungariæ repellitur à Corona Boh.

Wladislaus Comitijs in *Bohemia* A. 1471. ad 19. Maij *Cuttenbergæ* habitis, per Legatos *Cracoviâ* ad Coronam *Bohemiæ* vocatur, etſi plurimi competitores obſtarent, præcipuè Mathias Ungariæ Rex, qui adhuc vivente *Georgio* à parte Procerum, ùt ſuo loco narravi, Rex ſalutatus, & coronatus in *Moravia* fuerat: *Mathiæ* cauſſam cùm Legatus in Comitijs proponeret, & neſcio, quid de bellis prioribus innuiſſet, exarsêre Ordines, & magnis clamoribo conteſtati ſunt: nunquã ſe eum Regem recepturos, qui tot *Bohemiæ* damna intuliſſet, & tantùm ſangvinis fudiſſet in Patria; coronatus itaque eſt *Wladislaus* hoc eodem Anno, 22. Septembris. Etſi autem non ampliùs quàm annos quindecim expleviſſet, tamen optimis Procerum Conſilijs uſus, & ipsâ regnandi diuturnitate optimi & ſubditis gratiſſimi Principis formam expreſſit: ab eo habemus *Supremum Terreſtre Judicium* optimè ordinatum, Aſſeſſores illius Judicij ex quo ſtatu, & quo numero eſſe debeant conſtitutos; eadem eſt ratio de Judicio Curiæ; eadem de Judicio Cameratico; de *Tabulis Regni*; déque alijs ad ſummam Reipublicæ ſpectantibus, ut neminem Regum noſtrorum fuiſſe exiſtimem, qui majorem ordinandi & con-

Wladislaus in Regno ordinando solers.

constituendi Regni curam gesserit; certè apud me justus liber est, qui suo loco summatim recitabitur, sapientissimarum Constitutionum *Regis Wladislai*, quarum aliquod compendium varijs in locis in Calendario suo recitavit *Welesla-vinus*. Ipsemet Rex in Judicio terrestri inter Proceres non semel sedit; Ordinum inter se controversias audivit, præcipuè An. 1502. prudentissimè honores & Officia Regni A. 1497. distribuit; Civitatibus Privilegia sua confirmavit; montium metallicorum *Cuttnæ*, tum etiam Viniferorum circa Pragam jura & ordinem conscripsit; denique totam ordinavit *Bohemiæ* Rempublicam. Nam cùm à *Caroli IV.* morte jura & leges, partim ob *Wenceslai* pigritiam & socors regimen, partim ob internecina bella, quibus jugulum Catholicorum appetebat hæresis, partim ex brevitate Regum (exiguo enim tempore post receptionem suam *Sigismundus*, deinde *Albertus* & *Ladislaus* regnârunt, & successisset *Georgius Podiebradius* ad militiam magìs quàm ad leges dicendas factus) cùm, inquam, inter arma & tot sangvineas lites pacatæ justitiæ locus non esset, nimirum jura & judicia jacebant, divino beneficio factũ censebant Proceres, ut *Rex* naturâ quietissimus & benignissimus Regno præficeretur, qui abolitis omnibus belli reliquijs, quæ fumabant adhuc, pacem optimam legibus, judicijs, & salutaribus Patriæ consilijs fundaret & firmaret. Quanquam Regi pacatissimo bella non defuerunt, & necessitate ad illa pertractus est: primum, cum *Mathia Ungariæ Rege* bellum gessit A. 1473. ex quo plurimum ignominiæ reportavit: nam cùm *Wratislaviam* & in ea *Mathiam* (Silesia enim *Wladislaum* pro Rege non agnoscebat, & Mathiam respiciebat) obsedisset, & duplici exercitu Patris ac suo cinxisset, *Wratisla-via* toto obsidionis tempore portis apertis hostem irrisit, & *Mathias* nocte & die, *Polonos* & *Bohemos* ità subitis excursionibus fatigavit, ut propè ad desperationem adigerentur, ac denique compositâ pace utrique ad sua infecto negotio redierint: auditus est sæpius, cùm ex Urbe obsidentium exercitum spectaret, cum fremitu dicere *Mathias*: si hostium exercitum duceret, nullum se in *Europa* hostem formidaturum. Sed nimirum ignoscendum Regi *Wladislao* propè adhuc puero, exercitum (cujus omnis valor & laus in Duce consistit) ducenti, gloriosiùs reliqua bella confecit, mortuo enim *Mathiâ* An. 1490. cùm *Maximilianus I. Rex* Romanorum, nescio quid sibi juris in *Ungariam* arrogaret, neque paucas *Ungariæ Urbes* teneret præsidijs, *Wladislaus* conscripto ex *Bohemis* exercitu, primùm *Maximiliani* exercitum occurrentem fugavit, mox *Albam Regalem* recuperavit, ibíque ab *Ungaris* coronatus, reliquas Ungariæ Civitates nullo negotio recepit; recruduisset sinè dubio bellum, nisi *Imperator Fridericus* pacis amore *Wladislao* ultro

Wratislaviæ obsidio à Polonis & Bohemis.

Wladislaus R. Ungariæ coronatur.

cessisset,

cessisset, & *Viennam* quam nuper Mathias ceperat, ac reliquam *Austriam Wladislao* reddente recuperare contentus, quievisset. Ecce autem nova bella unde minimè timebantur in *Wladislaum* consurgunt: Casimirus Pater, & frater *Wladislai Joannes Albertus* ingentes copias in *Ungariam* ad eripiendum *Wladislao Regnum* immittunt; nihil eâ re commotus *Wladislaus*, etsi eum Pater minacibus literis terreret, & jure hæreditatis publicis Literis exuisset, in fratrem movit, eúmque loco iniquo nactus egit in fugam, ipsúmque *Joannem* captivum abduxit, cui tamen fraterni amoris pietate animum subeunte, non modò libertatem dedit postea, sed *Glogo-viensem* & *Oppa-viensem Ducatum* cum titulo Ducis benignè possidendum concessit; neque hìc stetit fratris amor: nam cùm esset natu maximus & primogenitus, Patre jam mortuo omne quod habere poterat jus in *Poloniam* suum *Joanni Alberto, Alexandro, Sigismundo I.* fratribus suis, qui postea ordine in Polonia regnârunt, transcripsit, & qui fuit in eo gentis nostræ amor, *Bohemiam* satis apertè paterno Regno prætulit, quod, ùt dixi, pulcherrimis statutis ad omnem felicitatem, & gubernandi facilitatem munivit ac sepsit; *Silesiam* quoque à *Bohemiæ* Ordinibus, atque etiam inter se ob varias causlas dissidentem An. 1504. composuit, editâ fundamentali Transactione quam ab *Alberto* de *Kolovvrat Cancellario Bohemiæ*, qui eam scripsit *Kolovvratianam* appellant. A nostris *Rex Wladislaus* ob liberalitatem, benignitatem & studium pacis Rex *Bene* appellatus est, quòd eam vocem frequentiùs haberet in ore, & nisi manifestam injustitiam videret, quâ erat facilitate, quod petebatur, approbaret. Utinam rapaces Procerum manus ab invadendis Ecclesiasticis bonis prohibuisset, & *malè*, non *bene* rem fieri pronunciâsset! quod postea non factum abs se doluit, & multis decretis alienationes illas frustra revocare conatus est. *Cuttnensem Urbem* ob monetã frequentissimè adibat, & fallebat tempus gaudens regiâ suâ manu monetam excudere, quã probissimã proscriptã deteriore (quæ rursus paulatim ex vicinis Provincijs illata invaluerat) restituens, fuitque hoc ad populum gratiosum & Regi gloriosum, quòd ij grossi vel nummi, quos Rex manu suâ excuderat, separarentur, & pro alijs populo mutarentur, cùm pro se quisque monetam gloriaretur Regiâ manu factam domi habere. Omni tamen bonitate evincere non potuit *Wladislaus*, nè improborum hominum insidijs appeteretur, præcipuè *Picardorum*, quos oderat pessimè & mille decretis confixos extirpare tamen è Regno non potuit, Nobilitate maximè fæmineâ virus Picarditicum altè in animo fovente; lacerati & supplicijs cruentissimis è vita sublati qui conjuraverant Anno 1490. Rex ipse securitatis caussâ postea relictâ *Curiâ Tinensi* ad *Arcem Sancti Wenceslai* se

Transactio Kolovvratiana in Silesiat

transtulit, ubi ampliſſimum Palatium extruxit, *portentoſo fornice*, ùt loquitur *Typotius*, viſendum. Jam de pietate Regis multa forent commemoranda: in *Eccleſia S. Viti*, quam multis muneribus ex auro, argento, gemmis, aliiſque cimelijs & pretioſis tapetibus opere phrygio textis excoluerat, quámque die & nocte per interiores Aulæ vias & ambitus adire orationis cauſsâ ſolebat, gratiſſimum Regi ſpectaculum nocte ante diem 4. Martij (qui eſt dies Translationi *S. Wenceslai* ſacer) An. 1497. oblatum eſt: vidit ſanctos Regni Patronos, & Indigetes ex ſuis tumulis cœlesti luce circumfuſos aſcendere, nominatim *S. Vitum Martyrem*, *S. Sigiſmundum Regem*, *S. Præſulem Adalbertum* cum ingenti cœleſtium comitatu, pulchro Ordine & ſingulari Majeſtate conſpicuos ad *S. Wenceslai* tumulum (cantantes, *Iſti ſunt Sancti*, quæ eſt de Martyribus Antiphona) procedere, eiſque obviam cum maxima honoris ſignificatione prodeuntem *S. Ducem & Martyrem Wenceslaum*; eo viſo motus *Wladislaus* An. 1497. fundavit in *Metropolitana Eccleſia Chorales Miniſtros* 15. útque ex eorum numero tres Sacerdotes, reliqui cantores die & nocte Deo laudes dicerent, quotdiebus eandem, quam à Sanctis Rex audierat, cantionem iterarent, & ſupplicationem ad ſacrarium *S. Wenceslai*, deducerent; Annuos cenſus cantorum recitant *Weleslavinus* & *Peſſina*. Reſtituit etiam in *Veteri Curia Pragenſi* fundationem *Capellani*, qui in ſacello ejus Curiæ certis per Annum diebus ante *Senatum Miſſam* legeret, & ante Conſilium Senatûs *Hoſtiam* incruentam Deo offerret. His meritis & omnium Ordinum amore clarus Princeps cùm in Ungariam iter ſuſcepiſſet A. 1516. 13. Martij ætatis 61. fatis conceſſit. Regnavit in *Bohemia* annis 45. in *Ungaria* annis 26. ex Anna conjuge regiæ ſtirpis *Gallorum*, quam duxit *Budæ* An. 1502. reliquit filium *Ludovicum*, & filiam *Annam* de quibus agemus in Notis. Harum prolium Tutores conſtituit *Maximilianum I. Cæſarem*, & fratrem ſuum *Sigiſmundum Poloniæ Regem*.

In Deſcript. Praga.

Viſio cœleſtis R Wladislao oblata

Weleslav. 7. Iun. in Calend. Peſſ in Phoſphoro.

Notæ in Caput I.

Crudelitas magnum impedimentum ad Regnum.

Nunquam ſe Regem recepturos, qui tantum ſangvinis fudiſſet in Patria &c. In Patria quæ liberè Principem eligit ſummè exoſum Principem populo facit in imperando crudelitas. Quis enim tam irritabilem Principem, & ſangvinarium ſibi & ſuis imponere velit? rectè *Ovidius: odimus Accipitrem, quia ſemper vivit in armis*, talis tum (fortaſſe innoxiè, & falsò) habebatur *Mathias Corvinus*, inquies ingenij Princeps, qui ideo ſe Regem factum putabat, ut bella gereret. Quidquid de *Mathia* ſit, qui ob ſeveritatem à ſuis etiam ægerrimè ſuſtinebatur, omnes Principes crudeles Imperium ſibi inquietum reddunt. Ranarum gubernationi ſimillimum eſt Regnum, quod crudelitate fundatur, quæ Regem ſuum tum primùm, cùm devorantur, agnoſcunt: latè ſpatiatur in palude *Ciconia*, & noxias cum innoxijs deglubit. Quod ſi ad homicidæ præſentiam cadaver ſangvinat (cujus rei

rei cauſſas reddere difficile eſt) cur miremur *Rege Mathia* nominato, exarſiſſe Ordines *Bohemiæ*, cùm recentia ſua & ſuorum vulnera vivi ſpectarent, aut recordarentur? eſt ſanè belluinum alieno ſangvine, quem profuderis, oblectari! veréque reprehendimus *Annibalis* immaniſſimam crudelitatem, qui cùm videret, poſt prælium foſſam plenam humano ſangvine, exclamârit: *ô pulchrum & verè regium ſpectaculum*! quin ipſe Deus videtur etiam ab juſta profuſione ſangvinis abhorrere, cùm Regem *Davidem*, cujus arma ſemper juſtiſſima fuerunt, noluit templum ſuo honori ædificare, quod *David* multum ſangvinem fudiſſet. Sed ego talem crudelitatem nullâ ratione Mathiæ tribuere poſſum, cujus aliquot mitiſſimæ dominationis exempla Bonfinius adduxit.

Conſiliatij neceſſarij Principibus.

Wladislaus etſi puer tamen optimis Procerum conſilijs uſus &c. Conſilia Principem perdunt, aut contrà ſtarum ejus conſervant; infinita ſunt, quæ in hanc rem adferri poſſunt. Præcipuum eſt, ut conſilia non privatum bonum, ſed publicum ſpectent, & qui à conſilijs ſunt, non ſibi, ſed Principi conſulere ſe ſciant, ideóque perſonam Principis, dum conſultant, induere meminerint; acutè *Tertullianus* de conſilijs inutilibus & noxijs, *plus*, inquit, *Togæ leſerunt Reſpublicam, quàm loricæ*, & Saluſtius Oratione ad Cæſarem Julium, *ruinam & occaſum Regnorum malis conſilijs imputans; ego*, ait, *in vita multa audiendo atque legendo ità comperi: omnia Regna, Civitates, Nationes, uſque eò proſperum Imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt, ubicunque gratia, timor, voluptas ea corrupêre* (NB.) *poſt paulò imminutæ opes, deinde ademptum Imperium, poſtremo ſervitus impoſita eſt.* Et videmus Regnorum interitum differri aliquando, aliquando Deo ſegnitiem ulciſcente, advocari. *Credisne tibi dormienti hæc confecturos Deos*, ait *Terentius*? in eandem ſententiam *Themiſtocles* apud *Herodotum: quando homines rationi conſentanea conſilia agitant, ſuccedunt illa plurimum, at cùm contrà faciunt, nè ipſe quidem Deus ad humanas deliberationes vult ſe accommodare.* Itaque obſervant & politici, & Sacri Scriptores, quoties Regnum aliquod punire ex cauſis ſibi notis vult Deus, ei priùs viros prudentes & magni conſilij negare, aut ſubtrahere.

Herodot. in Vrania ſeu l. 7.

Regnando acquiritur regnandi ſcientia.

Diuturnitate regnandi optimus Princeps evaſit Wladislaus &c. Artes regnandi regnando optimè diſcuntur; & vetus eſt, *fabricando fabros fieri:* cùm enim ad ſummam prudentiam *reflexio*, quam vocant, requiratur, Princeps relegendo memoriâ & cognitione retractando, cur hoc vel illud negotium aut bene aut malè proceſſerit & iverit ſub manum, facilè animadvertet, quibus vijs intentiones ſuæ finem aſſequantur. Mirus hac in re fuit ſanctiſſimus Fundator noſter *Ignatius*, cujus vita etſi ſanctitatis non abundaret exemplis (ùt abundavit quàm maximè) tamen inter prudentiores ſui ſæculi viros haberi poſſet, & habetur etiam à Religionis noſtræ hoſtibus, ob admirabilem illam in ſua omnia cogitata, dicta, & facta inquiſitionem, quam horis propè ſingulis adhibebat; ex qua nimirum proficiſcitur, ut ea eligantur in poſterum, quorum nos pœnitere non poſſit; & hoc ſpectâſſe videntur Sapientes, qui prudentiam experiendo partam longè præſtantiorem eſſe exiſtimant, quàm eam, quæ ex ſola magnitudine ingenij ortum habet. Si mihi in præſenti opere brevitas propoſita non eſſet, adducerem pulcherrimum ex *Ariſtotele* locum, qui totum hoc, quod modò dixi, confirmat, adferens cauſſam, cur Seniores prudentiores ſunt junioribus, etſi illi memoriâ hebetentur, iſti autem plurima diſcant: *quia*, inquit, *Sicut eſt manus ità mens; non autem ſtatim manu uti poſſumus, donec robuſti evadamus, ità etiam mens in ſenectute primùm adoleſcit*; & quæ ſequuntur prorſus divina.

Ariſtot. Sect. 30. de Prudentia Probl. 4.

Rex caput Reip. ſi Rex ſe à corpore dividat mortua evadit Reſpublica.

Ipſemet Rex non ſemel in medio Procerum ſedit &c. Gloria ſumma eſt Regis in medio Procerum & ſummatum Regni ſui ſedere; repræſentat mundi oculum Solem in medio ſereniſſimorum ſiderum conſidentem; hanc ſimilitudinem Regis

cum Sole & ſideribus agnoviſſe videntur, qui Reges quaſi proprio titulo *Sereniſſimos* appellârunt. Gloria Regis maxima eſt Senatum Regni habere congruentem, & tum maximè Caput Regni ſe eſſe demonſtrat. Cùm autem à Regno & Regni commodis ſeparatur Princeps, non videtur Capitis facere diſcrimen, neque ſe Caput meminiſſe. Reſpublica eſt corpus, Rex caput; vile membrum ſeparari poteſt à corpore, caput lethalem oſtendit ſeparationem. Bene apud *Tacitum Romanus Senator*: *unum eſt Reipublicæ corpus, & unius mente regendum.* Beata Regna, quæ toto corpore Reipublicæ conſtant! at ſi eadem non cohæreant, neque ſe partem Reipublicæ meminerint, ut Capiti ſubſit, & ipſum caput, quid ſui muneris ſit non intelligat, quid niſi quædam paralyſis Reipublicæ ſequetur, cùm ſcilicet Princeps ſibi contraponit Rempublicam cúmque eam decretis, aliiſque modis deceperit, lætatur, quaſi neſciens damna Reipublicæ ſua eſſe damna, & ſubditorum paupertatem, & omnem calamitatem in ſuum caput redundare. Sed aſpectus Regno nullus eſſe poteſt jucundior, quàm bene ordinato Regno publica Regis præſentia, ubi juſtitia ſempiterna velut in cœlo regnat, & ſuum cuique jus, juxta leges, quæ anima ſunt Regni, tribuitur.

Tacit. l. 1. Annal.

Regum diverſa ſtudia Reipublicæ proſunt. *Dionyſius Halicarnaſſ. l. 1. Liv. Flor. Juſt. l. 43.*

Rex naturâ quietiſſimus & pacis ſtudioſus &c. Mirum eſt, quod obſervat *Bodinus*, Dei beneficio evenire, ut Regna non ſemper Reges bellicoſos, ſed etiam pacis ſtudioſos acquirant, ut populi bello afflicti reſpirent, & ſpatium habeant ad leges Patrias ſe recolligendi. Hoc in Republica Romana notârunt eruditi Scriptores: cùm enim eſſet Monarchia Romana conſtituenda, ſinguli Romanorum Reges, quâdam fatorum, ut ità dicam, induſtriâ, etſi diverſi, peculiare aliquid ad extruendam Rempublicam contulêre v. g. *Romulus Urbem Romam* fundavit, & Senatum conſtituit, *Numa* Religionem & *Ritus*, *Hoſtilius Tullus* artem militarem, *Marcius* ædificia, *Tarquinius Priſcus* numerum Senatûs auxit, *Servius Tullius* cenſum & œconomiam ordinavit. In re noſtra cùm jam propè annis 50. pax è Bohemia exulâſſet, pacificum Principem Deus impoſuit *Wladislaum*, quem etſi, ùt dixi, bella principio Regni exceperint, celeri tamen pace optimus Rex ea compoſuit, ſecutus illud monitum, quod *Marcus Antonius* triumvir non aliàs prudentiæ laude multum commendatus, unicum propemodum reliquit: *qui ſapiunt, bellum abſolvunt celeriter, pace fruuntur, quàm poſſunt diutiſſimè.*

M. Anton apud Appian. l. 4. de bellis Civil.

Dux militiæ æquivalet exercitui.

Exercitus omnis valor & laus in Duce conſiſtit &c. Ut ſi quid in exercitu peccatur, Duci imputari ſolet, perinde laus omnis militiæ Ducibus attribuitur. Tanti valet exercitus, quanti Dux æſtimatur. *Sertorij* illa vox fuit: *malle ſe cervorum exercitum Duce Leone, quàm Leonum Duce cervo.* Obedientiâ enim militia regitur, & cum Milites volentes & voluntarios Dux habeat, malè illorum obedientiâ utitur, qui non inſtruit, vel minùs inſtructos & imparatos exponit periculis, & ducit in hoſtem; mortuo *Alexandro Macedone* nihil eſſe timendum ejus exercitum *Demades Orator* fidenter dicebat: *Exercitum* enim *Macedonum ſibi videri ſimilem Cyclopi excæcato.*

Mariana L. 3. de rebus Hiſpaniæ C. 19. Plutarchus L. Apoph. ad Trajan. Caſ.

Fraterni amoris pietas &c. Scripſit quidem *Ovidius* fratrum eſſe raram concordiam, ſed quàm facilè ij inter ſe diſſident, ità facilè conciliantur, maximè ſi tertius aliquis oppugnet, recurſat pietatis imago, & quædam naturalis in ſuum ſangvinem affectio. Exempla paſſim in hiſtorijs leguntur.

Regis laus ſuos amare.

Rex bene appellatus eſt &c. Multis nominibus pro meritis inſigniti Reges fuêre: habemus Reges cognomine *Craſtinos*, alios cognomine *Nihil fecit*, alios *Pultium* cognomine &c. quæ populus indidit, alia cognomina adulatio Scriptorum Regibus dedit, ut *Animoſi, Sapientes, Pulchri, Virtuoſi, Probi &c.* dicerentur. Regi noſtro *Wladislao* honorificum in omnem poſteritatem erit Regem *Bene* & *Benignum* appellatum fuiſſe, quæ maxima Principum laus eſt, ob eam maximè cauſſam noſter *Cicero Phi-*

Philippum Patrem Alexandro filio majorem fuiſſe cenſuit, quòd filium humanitate & benevolentiâ ſuperârit. Ajunt quoddam eſſe Aquilarum genus, quod olim in *Plinio* legi, quæ nihil ex venatu ſuo ferarum, avium &c. quàm cor edant, cóque cibo delectentur; natura benigniſſimi Regis *Wladislai*, corde Civium ſuorum veſcebatur; hujus cibi copiam quotidianam faciebat perpetua ejus in ſubjectos populos benignitas.

Cicero de offic. lib. 1.

Principem manuales labores non dedecent.

Fallebat tempus moneta ſuâ manu excudenda &c. Principibus neceſſum eſt curas graves Regnorum quiete aliquâ aut ludo interpolare: venatio maximè commendatur, quam Auſtriacæ genti caram ſemper fuiſſe nuper ſcripſimus; ſed ſerviles etiam artes neceſſariæ voluptatis cauſsâ Principes coluêre: picturam *Alexander* Severus & *Adrianus Imperator*, idémque poſtremus etiam ſtatuariam cum laude tractavit; Aurifaber *Manfredus Neapolitanus*; tormenta fundebat *Alphonſus Princeps Ferrarienſis*; *Torneator* fuit *Sigiſmundus Poloniæ Rex*, cui ſimilem Principem ætas noſtra habuit, cujus labores mihi ſæpe oſtenſi ſunt; *Jacobus IV. Scotiæ Rex Chirurgiam* callebat penitiſſimè; ſi antiqua exempla placent, *Ærops Macedonum Rex* lucernas & *Abacos* fabricabat; *Rex Attalus* ſuum ſtudium in herbis ponebat, atque ut ſuo tempore fructus legerentur præſens ipſe curabat; *Perſarum Reges* in *Telorum* cuſpidibus acuendis occupari ſolebant; *Demetrius Poliorcetes* in machinis &c. plura nè infinitus ſim omitto. *Wladislaus* neſcio an non hos omnes ſuperaverit, confectione Monetæ, quæ Regis boni ſignum eſt, & à ſubjectis populis quàm maximè deſideratur.

Mich. Picardus Obſervat. Hiſtor. Polit. Dec. 1. c. 5. Buchan l 13. Plut. in vitâ Demetrij.

Picardorum hæreſis quibus artibus ſe commendabilem faciebat.

Picardos confixit decretis &c. Difficilè fuit hoc genus hominum è Bohemia pellere, cauſſæ præcipuè fuerunt duæ: Hypocriſis ſeu dulcedo quædam loquendi, & ſub hac dulcedine ſuum virus cum alijs communicandi; alterum, quod totam ferè Bohemiæ Nobilitatem, maximè fœminas illuſtres, in partibus habebant, & iſtud quidem educationis merito: nam omnes virgines puellas innocentiſſimè educare ſolebant, ut præter unam hæreſim nihil eſſet, quod reprehenderetur: omnis aſpectus & colloquium alterius ſexûs vitabatur, ut multæ virgines ad nuptias venirent, quæ nunquam cum viro locutas ſe meminerant; at interea execrationes, & alia vitia magno numero regnabant in animis *Picardorum*, quæ alio loco deſcribam, & jam ante me id præſtitit *Gulielmus Slavata Regni Cancellarius*, qui in ea ſecta educatus ad A. 20. & ampliùs ætatis fuit; recitat ille fratrum, ità enim ſe vocabant, conciones oppidò ridiculas, & dulci veneno illitas, de charitate ſuorum, præcipuè invectivas in luxum & novitatem veſtium, aliáque vitia, & tum omnes ſolvebantur in fletum; atque hi dicebantur *fratres flentes.* Quod ſi poſt trinam monitionem vitam non emendabant, ex cœtu illo proſcribebantur, quos illi dicebant *in mundum ſe emittere*; ſacras literas multi tenebant memoriter, quarum ſenſum ſe propè callere omnes jactabant, cùm interim nihil niſi corticem ſinè medulla tangerent; nôvi Apoſtolicum virum, qui hoc genus hominum tractare peritiſſimè ſciebat, & *Cumvaldi* ubi ea ſecta vigebat maximè, & per eam viciniam Anno uno plures mille quingentis ad veram Religionem adduxerat, in eo tamen numero non niſi ſeptem fœminas ad Eccleſiam adductas numerâſſe, ità illas pertinacia fœminea obſtinaverat, quod peculiare in hac hæreſi fuit: harum authoritate tota ſecta nitebatur, quæ maritos blanditijs, filias & filios familias imperijs ad ſectam ſuam attrahebant, & pertinaciâ muliebri obfirmabant, ut quicunque nomen inter *Picardos* profiteretur, jurejurando promitteret Deo, nunquam ſe hanc ſectam deſerturum; cujus juramenti ſanctitas plurimos à vera fide ſtultiſſimè retinebat. Non eſt fœminæ conveniens Sacrarum Literarum interpretatio, eáſque docere in templo *D. Paulus* prohibuit; propria laus earum utinam revocaretur in uſum, quam in Epitaphijs matronarum apud Romanos legimus: *Domum ſervavit, lanam fecit. dixi. abei.* Sub *Wladislao* & *Ludovico Re-*

Iacob. Durant. L. 1. variarum cap. 7.

Bohuslaus L. 4. Epist.

gibus ſumma *Picarditarum Antiſtita* fuit Nobilis fœmina *Martha*, ex illuſtri *Bozkoviciorum* genere, de qua ſuo loco. Audiamus interim *Bohuslaum Lobcovicium* coævum Scriptorem de *Picardis* loquentem: *qui meus amor in Patriam eſt, non potui non ingemiſcere his, quæ ad Reipublicæ noſtræ excidium, & ad Religionis ruinam, omnimodúmque exterminium manifeſtiſſimè ſpectant. Quando enim unquam major blaſphemia audita eſt, quàm quem Chriſtum filiúmque Dei confitearis, eum adorandum negare? quod venenum huic peſti comparari poteſt? Horret animus, dum hæc ſcribo, & impietatem tantam etiam in cogitationes admittere formidat. Neque fœmina deeſt hujus dementiæ particeps: cúmque Apoſtolus mulieres tacere in Eccleſia jubeat, hæc & ad Regem ſcribere, & profanos homines ſuo patrocinio tueri audet. Sed forſitan ità legibus Satanæ cavetur, ut nulla penè hæreſis, ſinè hoc ſexu, coaleſcere in Eccleſia Dei poſſit. Simon magus, cujuſdam meretriculæ auxilio virus diffudit: Nicolaus Antiochenus choros muliebres ductabat: habebat Apelles in comitatu ſuo Virginem maligno afflatam ſpiritu: Montanus non tot ſuâ authoritate, quot Priſcæ, Maximillæq; ope ſeduxit: Arrius niſi priùs ſe Principis ſorori inſinuâſſet, nunquam totum ferè orbem deteſtandâ lue inficere potuiſſet. Secuta has Martha noſtra, quam tamen meliùs erat, exemplo veteris Marthæ, circa frequens miniſterium ſatagere; & colum, lanámque curare, quam virili quâdam imprudentiâ adverſus Catholicam fidem debacchari &c.*

Picardorum blaſphemia gravis.

Eorum protectio & defenſio à fœmina.

Martha de Bozkovicz in Moravia.

De pietate Regis multa forent dicenda &c. Wladislaus etſi fratris ſui *Caſimiri*, qui inter Divos adſcriptus eſt, ſanctimoniam non æquârit, ùt facta oſtendunt; tamen multum ad eam acceſſiſſe, & per intervalla, quantùm Regiæ curæ ſinebant, Deo ſe reddidiſſe, Regis in ſacris pietas, aſſidua cum Deo ſacríſq; hominibus communicatio, & perpetua in Eccleſias liberalitas demonſtrant; proprium hoc ſibi fecerat *Wladislaus*, quod de Regibus Juda, eruditiſſimus Scriptor *Cauſſinus* me docuit: probat ille in primis: *Aulæ* & *Pietati* optimè convenire poſſe; deinde oſtendit ex ſacris literis, lectum Regum Juda, & altare Domini uno ſolùm pariete diviſum fuiſſe; & alterum addit: *Davidem* unum è Sanctiſſimis mundi *Monarchis*, abditam quandam habuiſſe portam, quâ è ſuo conclavi Regio eàm ſe conferebat in domum Domini, id eſt in tabernaculum, quod erat unicum aſylum afflictionum & armamentarium pugnarum; fertur autem clavem hujus ſacræ januæ poſteritati ſuæ tanquam perpetuam hæreditatem, & argumentum virtutis imitandæ reliquiſſe. Clavis illa pretioſior fuit, quàm aurea *Romanorum Imperatorum* fortuna! hæc *Cauſſinus*. Fuit verò *aurea fortuna* in cubilibus Principum *fatale Imperij Romanorum pignus*, ut votis Principum imploraretur; quæ Principibus morientibus in ſucceſſorum manus transferebatur, ùt ex *Julio Capitolino* intelligere poſſumus. Hanc *Sejanus* dominationis avidus in domum ſuam transtulit, ſed *Nero* templo inſtaurato repoſuit, ùt narrat *Plinius*. Hanc veræ pietatis imaginem longè fortunatiùs *Rex Wladislaus* in ſe expreſſit, cùm ad ſalutandum & ſibi & Regnis propitiandum Divinum Numen ad *Eccleſiam S. Viti*, ùt narravi, nocturnus properaret.

Wladislai R. in Deum pietas.

Cauſſinus in Aula S. l. 1.

Gloſſa in Cap. 38. Iſaiæ & 2. Reg. 9.

Cauſſinus in Aula S. l. 1. init.

Iul. Cap. in vita Antonij Pij.

Caput II.

Ludovicus I. ejus nominis Bohemiæ Rex, citò terris ereptus.

Tot



Noſtri Reges quidam brevis ævi.

Tot Reges in pueritia aut in juventute primâ morte ſublatos luxit *Bohemia*, ut paſtoritium illud *Maronis Ænigma* aptiſſimè in *Bohemiam* quadrare poſſit: *dic quibus in terris inſcripti nomina Regum naſcantur flores*? reſponderi enim poſſet ejuſmodi Regios flores in *Bohemia* reperiri. Nam ut taceam *Wenceslaum VI.* in quo *Przemyſlæa* domus deſijt, *Rudolfum* & *Ladislaum Auſtriacos*, & noſtrâ ætate *Ferdinandum IV.* longævo *Patri Wladislao* brevis ævi Floſculus *Ludovicus* ſucceſſit, in quo immatura omnia, & quaſi tantùm primis coloribus delineata fuiſſe Scriptores animadvertunt: ante legitimum tempus natus, & ſinè pelle; *Ungariæ & Bohemiæ Rex* infans electus, & coronatus, ídque cum ominoſo fletu; ante tempus loqui cœpit; ſapiens ſupra ætatem puer; ante decennium Rempublicam tractare aggreſſus eſt; ante legitimum tempus conjugem ſibi deſpondit; decimoquinto ætatis anno eandem ſibi duxit; ante tempus mentum barba veſtitum oſtendit; ante annum ætatis vigeſimum canuit; ante tempus cum Turca conflixit; ante tempus perijt. Vivo Patre coronatus triennis *Ludovicus* A. 1509. eo mortuo Comitia decennis A. 1517. Pragam indixit, ut Ordines *Bohemiæ* diſcordantes & præcipuè Civicum Ordinem, qui ſe à Nobilitate opprimi querebatur, componeret; nihil cum ijs Comitijs ad concordiam ſtatutum, ſed alteris, quæ in Autumno ipſi ſibi Ordines indixêre, in quibus quod ſperari non poterat, amiciſſimè tranſactum eſt; hæc eſt illa celebris tranſactio, quam *S. Wenceslai* (quod proximè ejus feſtum facta ſit) *conventionem* dixêre, cujus articulis hodiéque regitur *Bohemia*. Quod ſequitur an ad Patrem, an ad *Ludovicum* filium pertineat, non conſtat; ego utriuſque Regis felicitati & probitati adſcribo; ſcio enim bonorum Principum tempora his felicitatibus conſignari: repertæ ſunt argenti fodinæ ditiſſimæ in *Joachimi valle*, in *Cubitenſi Provinciola*, quæ adhuc ad noſtra tempora inexhauſtæ argento, ſi cultura & labor accederent, perſeverant: quantum eæ fodinæ, utì & cæteræ per *Bohemiam* auri & argenti foſſionibus ediderint, jam in *Miſcellaneorum* primis libris annotatum Lectores invenient. An. 1521. ætatis 15. Rex *Ludovicus* nuptias cogitare cœpit, & cum *Maria Auſtriaca Budæ* celebravit, quam ei *Wladislaus* jam A. 1515. deſponderat, in celebri illo Regum *Conventu Viennæ* habito *Maximiliani I. Imperatoris, Wladislai Regis Bohemiæ & Ungariæ*

Tranſactio S. Wenceslai dicta.

riæ, & *Sigismundi Regis Poloniæ*, in quo etiam vicissim *Anna Wladislai Regis* filia *Ferdinando Maximiliani Cæsaris* nepoti promissa est. Cum nova nupta *Ludovicus Pragam* advenit, atq; ut coronaretur effecit. Quantum turbarum præsentes anni dederint, ob latrocinia & impunitatem, optimè describit *Pessina*, quæ annitentibus tam *Bohemiæ* quàm *Ungariæ Proceribus*, & arma in latrones sumentibus, utcunque composita fuerunt. Hoc maximè in *Ludovico* dolendum, quòd à *Georgio Marchione Brandeburgico* (qui Patris sororem in conjugio habebat) educatus, nihil serium tractaret, tantúmque odium negotiorum Reipublicæ habere cœperit, ut etiam consultationes de Regnis gravissimas, aliásque ejusmodi Regum curas, alijs committeret, quod fastidium laborum, ingentia Reipublicæ damna, ùt experientiâ omnium ætatum constat, solet adferre. Mitissimus alioqui & benignissimus Princeps, aditu facillimus, lætissimâ & paratâ humanitate omnibus occurrens; Ordini Civitatum in *Bohemia* mirificè satisfecit, cùm semel atque iterum in *Curia Urbis Pragensis* apparatas sibi epulas sumsit, totâ *Urbe Pragâ* plaudente: non enim opus est multa ad placendum Civibus agere, uno sæpe humanitatis exemplo capiuntur omnes. Alterum universo Regno gratissimum fuit, quòd præcipuos Regni Magistratus omnes (nè cui id ad infamiam cederet) mutârit, quod nisi heroicus & magni animi Princeps non auderet, novósq; imposuit, de quorum fide & justitia omnibus constabat; in medio tam prudentis, quàm felicis gubernationis excitato à Turcis bello terris ereptus est: veniebat Solimannus ducentis armatorum millibus stipatus, Rex inexpertus rerum militarium, maximè Ungaris urgentibus, & vel invito Rege pugnandum esse clamantibus, non expectatis quæ jam ex *Bohemia*, *Moravia*, *Silesia*, *Illyrico*, aliísque Provincijs, auxilijs veniebant 29. Mensis Augusti, ipse vix 30. millia in exercitu suo numerans, Turcis copiam pugnæ fecit: pugnatum est fortiter, sed Turcæ insidiosa gens virtutem militarem nostrorum structis insidijs intercepit, & cùm simulatâ fugâ Christianos in insidias præcipitâsset, machinis primùm muralibus à fronte & lateribus excepti, tum recentibus Turcarum copijs in se emissis conterriti multis cæsis, reliqui fugam dederunt; *Ludovicus* in palustri & cœnoso rivo inter *Mohacium* & *Celam* vicum non præmisso in tanta trepidatione exploratore hæsit, &, ùt postea apparuit, cùm equum urgeret, excussus, & eo cadente in palude infeliciter mersus est: omnium sensus fuit, si *Ludovicus Ungariæ Proceres* in officio tenere, & diem unum vel alterum, dum auxilia, quæ multis millibus constabant, expectare potuisset, certam victoriam obtenturum fuisse; at erat in fatis Christianam Remp: armis Turcicis assiduè vexari & periclitari; ab hoc enim initio nunquam desiêre Turcæ *Ungariam* fatigare.

Ludovicus Rex osor negotiorum, sed humanus

Pess. in Marte Morav.

Perit in bello

NOTÆ

Notæ in Caput II.

Inscripti nomina Regum nascantur flores &c. Quid istud Ænigma *Virgilianum* sibi velit, disputant Eruditi; ego Regibus brevis Imperij accommodari posse puto, quod enim breve & tamen pulchrum est floribus comparare solent Poëtæ, idque convenientiùs si Regij sint flores, & Regum nomina inscripti. Venustissima est narratio ac verissima tamen *Martinij* nostri: esse in Sinis in Provincia *Suchven* mirabile avicularum genus, quæ rostrum habent rubescens ùt minium, maximâ colorum varietate plumis vestiuntur, ipsæ aviculæ, quæ ex flore nascuntur, nomine *Tunghoa*, unde aviculis nomen *Tungoafung*; vivunt tam diu, quàm diu flos ipse arboris durat; vivum ac viventem florem credas, ait *Martinius*, adeò & pulchritudine & exigui temporis florente ætatulâ flori est similis. Huic ego avi, vel flori vivo ac volanti Regum vitam brevem meritò comparârim. Deplorat hanc immaturam Juvenum mortem in filio suo *Quintilianus*, & memorabili sententiâ concludit: *observatum ferè est celeriùs occidere festinatam maturitatem & esse nescio quam, quæ spes tantas decerpat invidiam, nè videlicet ultra quàm homini datum est nostra provehantur.* Videtur natura statuisse, ùt quæ formosissima sunt, eadem ubi suam venustatem ostenderint, intereant, & pulchritudine brevitatem compensent; at illa quæ diuturna sunt, & deformia tamen, diuturnitatis meritò pulchris æquantur; hoc dicere voluit *Martialis*, qui *Meliorem* solari cupiens ob immaturam mortem *Glauciæ Liberti* canit: *immodicis* (id est excellentibus) *brevis est ætas, ac rara Senectus, quidquid amas, cupias non placuisse nimis. Ferdinandus II.* augustæ memoriæ Imperator, cùm insigne & rarum ex vitro donum, vitream scilicet Arcem (donum *Venetorum*) sibi missam hospitibus quibusdam ostendere vellet, familiaribus timidè affirmantibus fractam esse, hoc unum respondit: *vitrum erat.* Idem de *Ludovici* immatura morte dici poterit: *homo erat.*

Avis ex flore symbolum brevis ævi.

Mart in Atlante Sinico in Provincia Suchvven.

Quint. lib 6. Inst. Orat. in Proœmio.

Martial. l. 6. Epigram. 29.

Omnia immatura: sapiens supra ætatem puer &c. Jam pridem notatum est, ingeniosos & prudentes pueros vitales non esse, norúmque est illud ex *Græco Poëta* ad puerum loquaculum: *ô puer ut sis vitalis metuo!* *Catonis* oraculum apud *Plinium* refertur: *Senilis juventa præmaturæ mortis signum*; quod *A. Gellius* similitudine illustrat: *quod in pomis est, itidem esse ajunt in ingenys, quæ dura & acerba nascuntur, post fiunt mitia; at quæ nascuntur vieta, putrescunt &c. Relinquendum ergo ingenijs, quod dies mitificet.* Rationem hujus rei reddere conatur in problematis suis prudentissimis *M. Antonius Zimara, cur*, inquit, *pueri, qui in pueritia ingenio maximè pollent, postea marcescunt, & nihil sciunt! id maximè pueris melancholicæ naturæ contingit; an id accidit ob temperiem? in pueritia enim pueri sunt calidi & humidi, melancholia verò est frigida & sicca. Et idem contingit in Asellis & alijs omnibus animalibus, quæ dum parva sunt, gratiosè lusitant &c. unde bene apud Græcos dicitur: esto malus ut vivas? talium namque natura quàm brevissima est*; hæc ad verbum *Zimara.* Ingeniosa multa *Ludovici* adhuc pueri dicta recensentur; quale illud, cùm disputaretur in *Ungaria*, an *Gubernatorem Regni*, dum *Ludovicus* puer esset, constitui oporteret (quod cum imminutione regiæ authoritatis futurum erat) & vox illa *Gubernator* sæpius à Consiliarijs repeteretur, impatiens *Ludovicus* puer: *quale hoc verbum est*, inquit, *Gubernator? & quid sibi vult?* respondit unus aliquis è Consilio: *qui Regis locum teneat, & loco tui Regnum gubernet:* respondit puer, *nolo ego talem Gubernatorem! unus ego sufficiam*; pueri tam vibrans, & acutum, dictum, omnes in hanc sententiam pertraxit, dixerúntque, *nec nos nobis talem imponi patiemur Gubernatorem.*

Pueri ingenioſi nõ ſunt vitales.

Plin. l 21. c. 1, hist. nat.

Probl. 44.

Ludovici pueri ingenium.

Ominosa fletu &c. Quæ in coronationibus Regum insperata contingunt, plerumq; ominosa sunt. Exempla nonnulla superiùs adduxi in *Ludovico* flente, malum

Coronationes Regum ominosæ.

præsagium adstantes Proceres acceperunt. *Anna Ludovici* sororcula flens etiam amarissimè, luctum in risum bene ominatum convertit: nam cùm rogata esset fletûs sui causam, respondit: *se etiam esse Regis filiam, & tamen non coronari:* ergo Rex Pater coronatione peractâ filiæ parvulæ coronam joco imposuit, datóq; Proceribus signo ab omnibus jussit salutari coronatam puellam; risit illa, & ad Palatium regium coronata reversa est; quod omen fuit, tam infelicitatis in *Ludovico*, quàm felicitatis in puella, quæ coronata non semel est cum *Ferdinando I Regi* ac *Cæsari* venit in manum. Omen quoque triste in coronatione sua habuit *Rex Georgius*, cùm pulcherrima gemma ex Corona Regni humi decidisset, quod postea multi interpretati sunt, postquam contigit *Silesiam* gemmam pulcherrimam à Regno sese separâsse, & *Georgium* pro Rege agnoscere noluisse.

An verum illud: Divide ut imperes?

Ut Ordines Bohemiæ discordantes componeret &c. Omnis ferè discordia Regni Principibus est periculosa, quia in illos discordia sese exonerat; disputant Politici, quibus in discordia Ordinum adjungere se Princeps debeat, an debilioribus, an fortioribus? videatur *Scipio Amiratus Comment. in Tacitum*, subtiliter eam rem perpendens. Sed divisio in Regno via est præceps ad interitum Regnorum, & hìc non valet illud *Axioma Machiavelli*: *divide ut imperes*; rectiùs in nostro sensu diceres: *divide ut non imperes*; consule his de rebus Bodinum, *Tholosanum*, *Besoldum*; ideò laudatur ab ijsdem Authoribus prudentia *Jacobi Magni Britanniæ Regis*, qui duo Regna conjungere, quàm duobus filijs ex æquo partiri voluit; quod idem instillavit posteris in *Basilico Doro*. Et notandum est omnia propè Regna divisione perijsse, & nunc quòd *Europa* pereat, divisio Principum caussa est: si unica *Europa* conjunctis armis, consilijs & viribus *Asiam* sibi sumeret subjugandam, nostra esset: tanta est militum nostrorum constantia & virtus, tanta Ducùm vigilantia & solertia! idem est de alijs *Africæ* & *Libiæ* partibus, idem (si locorum longinqvitas non obstaret) de *Americæ* Imperiis, at discordia nos non sinit, major est inimicus quò vicinior. *Athenienssium* exemplum in antiquitate laudatur, qui cùm possent è suis, Ducem classis præbere, & alioqui dignitate eminerent, cessêre *Lacedæmonijs*, *quia magni faciebant*, *ùt*, ait Herodotus, *Græciam supereſſe, quam intelligebant esse perituram, si Græci ipsi de Principatu militiæ contenderent.* Addit memorabilem sententiam laudatus *Herodotus: intestina seditio enim tantò deterior est bello, quod concorditer geritur, quantò bellum deterius est pace.* Sapientissimè ijdem *Athenienses*, (quos laudat *Plutarchus*) licet contentionem *Neptuni* & *Minervæ* absurdè confixerint, correctionem tamen non ineptam addiderunt, ut in anno quolibet unum diem eximerent, quasi atrum, nefastum, & damnatum, quo scilicet illa contentio accidit; hoc ipso significantes exosam omnem discordiam in Republica sua esse debere, & omnem memoriam ejus abolendam.

Besold. Polit. l. 2. c. 6. Bodin. de Rep. l. 6. c. 3. Tholos. de Repub. c. 5. l. 7.

Herodot. in Vrania seu l. 8.

Plutar. L. de fraterno amore.

Bonorum Principum tempora felicitatibus consignari &c. Jam pridem in *Arnesti Vita* exemplis comprobatum est; & mirissimum, ùt ità dicam, est, Principes qui homines Patrios amârunt, Patriæ bonis ditari. Nolo, nè nimius sim, exempla accumulare; quæ ibidem adduxi, sufficere possunt.

Malè educantur Regij pueri in otio.

Malè educatus odium negotiorum habere cœpit &c. Cùm vita Regis laboriosissima & plena curarum sit, malè educat parvum Principem, qui eum in fastidio curarum educat. Scio aliquid dandum esse ludo ætatis, at nunquam aliquid diligenter velle elaborare, Præfecti negligentiam arguit. Audivi non semel in *Academia Pragensi* adductos propè ex cunis pueros à nutricibus ad rudimentorum scholam, ex quibus cùm quærerem: quid ità pueros à matre rubentes & lacte albentes ad scholas ducerent, qui nihil proficere possent? respondebant illæ: *ut sedere discerent.* Res omnibus ridicula visa est ad scholas itare sedendi gratiâ; mihi sufficiens causa semper visa est, pueros assvefieri sedendo: si enim sedendo à teneris non assvescimus, vio-

Genealogia Jagellonica, ex qua ſtirpe duos Reges in Bohemia habuimus: Wladislaum II. & Ludovicum I.

Gedemin Litvaniæ Dux Anno 1300. adhuc Idololatra. ♆ Vidua Witheni Ducis Litvaniæ.

Olgerdus Litvaniæ Dux. ♆ Maria filia Ducis de Tweren.

Keyſtud Dominus Trocenſis, occiſus An. 1382. ♆ Anna.

Anna uxor Caſimiri II. Regis Poloniæ, quæ obijt 1355.

Eliſabeth uxor Wenceslai Princip: Plocenſis.

Alij quinque filij, de quibus nihil hiſtoriæ ſuggerunt.

Alexandra uxor Zemoviti Principis Maſoviæ.

Korybut in Baptiſmo Sigiſmundus. hic fuit Pragæ, & affectavit Regnũ, occiſus 1435.

Skirgello Princeps Plocenſis obijt An. 1395.

Switrigello occiſus 1452.

Wigunth, & alij fratres ſeptẽ.

Jagello Dux Litvaniæ, poſt Rex Poloniæ 1386 in baptiſmo dictus Wladislaus, obijt ætate maximâ 1434. ♆ 1. Hedwigis filia Ludovici Regis Ungariæ. 2. Anna Cilienſis. 3. Eliſabeth Sandomirienſis. 4. Sskonſa ſeu Sophia Kigowienſis.

Witoldus, aliter Alexander. obijt A. 1430.

Sigiſmundus.

Anna uxor Joañis Principis Maſoviæ.

Maria uxor Andreæ Joannis Principis Kigowienſis.

Eliſabeth Bonifacia, obijt infans.

Hedwigis obijt Virgo.

Eliſabeth uxor Henrici Ducis Pomeraniæ, aliud nihil.

Wladislaus II. Rex Poloniæ & Ungariæ, natus A. 1424. occiſus ad Varnam 1444.

Caſimirus III. Rex Poloniæ natus 1427. Rex factus 1447. obijt 1492. ♆ Eliſabeth filia Alberti II. Cæſaris, & Regis Bohemiæ Ladislai ſoror.

Caſimirus natus An. 1426. obijt 1427.

Barbara uxor Georgij Ducis Saxoniæ, obijt Anno 1534.

Anna uxor Bohuslai Ducis Pomeraniæ.

Eliſabeth ſecunda uxor Friderici Ducis Ligniceñſis.

Fridericus Cardinalis obijt 1503.

1. Barbara Cilienſis. 2. Bona Sforzia, Joannis Galeazij Mediolanenſis, & Iſabellæ Neapolitanæ filia. ↛

Sigiſmundus Rex Poloniæ A. 1507. obijt Anno 1548.

Eliſabeth obijt infans.

Sophia uxor Friderici Brandeburgici. obijt Anno 1512.

Helena filia Joannis Magni Ducis Moſcoviæ. obijt 1513. ↛

Alexander Rex Poloniæ Anno 1501. obijt Anno 1506.

Joannes Albertus natus Anno 1459. Princeps Glogoviæ & Sagani, poſt Rex Poloniæ Anno 1492. obijt Anno 1501.

Sanctus Caſimirus Dux Livaniæ, natus Anno 1458. obijt 1483.

Hedvigis uxor Georgij Ducis Bavariæ. obijt Anno 1502.

Anna de Foix Joannis Comitis Engoliſmenſis filia. obijt 1506. ↛

Wladislaus natus Anno 1456. electus in Regem Bohemiæ A. 1471. Ungariæ 1490. obijt 1516.

Anna nata Anno 1503. uxor Ferdinandi I. Regis Bohemiæ & poſt Imperatoris. obijt 1547. de hujus poſteritate Tabulâ ſeq.

Ludovicus Rex Bohemiæ natus An. 1506. perijt ad Mohacz A. 1526. ſinè hæredibus.

♆ Maria Philippi I. Regis Hiſpaniæ filia, Gubernatrix Belgij. obijt An. 1578.

Sigiſmundus II. Auguſtus Rex Poloniæ, natus Anno 1520. obijt ſinè hæredibus Anno 1572.

♆ 1. Eliſabeth Ferdinandi I. Cæſ. filia. 2. Barbara Princ: Radivili filia. 3: Catharina filia Ferdinandi I. Cæſaris.

violentum erit adultiori ætati ſedere, & ea, quæ ſedendo fiunt, aut perpendere aut conſcribere. Odium autem negotiorum, qui Regi inſtillant, omni execratione digni ſunt, quòd nimirum (dum Reges venantur, dum Equitationi indulgent, dum choreis & tripudijs, aliiſque ejuſmodi diverticulis ſeſe oblectant) *Curatores Provinciarum* ſe conſtituunt; interim Principes amata à puero venationum, Equitationum &c. ſtudia non deſerunt, & nonniſi publica ludibundo oculo transcurrunt; unde accidit illud ridiculum, quod Sapientum omnium conſeſſibus ridetur, *Theodoſium Imperatorem conjugem ſuum Eudoxiam vendere.*

Uno ſæpe humanitatis exemplo capiuntur omnes &c. Plebs ignara adjunctorum & artium aulicarum in perpetuum obſtricta Principibus erit, ſi ſemel humanitate capiatur: altè inhærent illis, quæ ſibi ſemel impreſſerunt, & in bonam partem trahunt, etiam illa, quæ ingenioſi in deteriorem partem accipiunt. Maximi Principes Imperium ſuum commendare poſſunt, vel ſi ſemel populi votis reſpondeant, cùm enim ipſimet ſubditi neſciant diverſum agere & ſentire, unâ Principis actione laudatâ capti, jam omnia ità futura ſibi perſvadent. *Bohemiæ Reges* antiqui humaniſſimi omni ætate erga ſubditos fuerunt: *Caroli IV.* Imperatoris apud Pragenſes Cives prandentis multa exempla ſunt, aliorum Principum familiaritates, cum mediæ conditionis hominibus multæ in *Valerio Maximo* noſtro narrantur. Quòd attinet peregrinam hiſtoriam; Panormitanus narrat: cùm *Rex Alphonſus Magnus* in itinere aſinarium inveniſſet gementem, & auxilium implorantem, quòd Aſinus in luto farinâ oneratus cecidiſſet, equo deſilijſſe, atque unà cum Ruſtico qui caudam trahebat Aſinum à pectore ſublevâſſe, appulſi (ait *Panormitanus* tum præſens) *nos Regem exterſimus.* Aſinarius autem agnito Rege veniam precabatur. *Res parva ſed quæ aliquot populos Regi conciliavit.* Scilicet ùt dicebam, uno facto humano & liberali populi capiuntur.

Humanitate Principis mirificè capiuntur ſubditi.

Panormit. l. 1 vita Alphonſi n. 25.

Turcæ inſidioſa gens &c. Certum eſt ex hiſtorijs omnibus *Turcos* non magìs armis & multitudine populorum, quàm inſidijs & fraudibus Chriſtianum nomen oppugnare, non tam illorum exercitus, quàm quæ bellum antecedunt, comitantur & ſequuntur, ſpectanda ſunt: mille modis ùt omnibus bellis apparuit, militiam noſtram fallere noverunt: ſæpe paucitatem, ſæpe multitudinem mentiuntur, neque unicum bellum dederis, in quo Chriſtianorum exercitum non deceperint. Molles *Aſiæ* populi, quantùm fortitudini deeſt, tantum fraudium aſſuunt, præcipuè cum nullo jure, nullo ad Deum reſpectu, nullâ conſcientiæ curâ teneantur.

Turcæ non magìs militibus quàm dolis bella gerunt.

Notæ Hiſtoricæ & Genealogicæ in Tabulam Jagellonidarum.

Georgius Rex cùm malam mentem, malum in ſe animum *Mathiæ Corvini Regis Ungariæ* tot documentis cognôſſet, aliquot ante mortem annis ingraveſcente quotidie valetudine, de Succeſſore ſuo cogitare cœpit; filios ſuos non exiſtimabat tantùm *Bohemis Proceribus* placere, neque Procerum ſortem eorundem opinione egreſſos virtute, ut ſperaret eligi ex ijs Regem poſſe, adeò etiam tentaverat Procerum animos in Comitijs, quid ſpei poſt ſe habituri ſui eſſent filij? & ſilentium triſte Procerum pro reſponſo retulerat; ergo circumlatis oculis nullum Regno quod amabat, aptiorem, & idoneum eſſe magìs invenire ſe poſſe credidit, quàm aliquem ex gente fraterna *Polonorum* Principem, totúſque in id incubuit, atque etiam ùt in *Henrici* ſchedulis alicubi legiſſe memini, ſcriptum filijs reliquit, ut ſe totos *Poloniæ Regibus* darent, ídque ante omnes præſtitit *Henricus* Senior

Georgius R. fruſtrà filios ſuos Proceribus Bohemiæ commendat.

filiorum, omni genere regiarum virtutum clarissimus, sic ut etiam oblato sibi à nonnullis Proceribus *Bohemiæ Regno*, totam illam suam factionem ad *Wladislaum Polonum* traduceret. *Wladislaus* igitur *Casimiri* III. *Poloniæ Regis* filius, ùt in Historia narravi, *Georgio Regi* suffectus est legitimis Comitijs, cujus *Genealogiam* paulò antè adduximus.

Gedemin. hic occîdit *Withenum Litvaniæ Principem*, & ejus viduâ sibi copulatâ factus est Dux *Litvaniæ* A. 1300. *Vilnam* condidit, *Wolhiniam* & *Kigoviam* sibi subjecit, occisus in prælio cum *Crucigeris* commisso A. 1308.

In Dissert. de Polonia. Norimbergæ tacito suo nomine vulgata.

Olgerdus. de eo nihil habetur. *Kirchmajer in rebus Polonicis* diligentissimè versatus, *Bohemus Scriptor* ætate nostrâ, *Olgerdi Conjugem Mariam Ducissam de Tvveren Christianam* facit, quæ filium *Jagellonem* seu *Wladislaum* ad *Christianam Religionem* occultè informârit.

Keystud à *Jagellone* patruo suo captus & occisus 1382.

Alexandra uxor Zemoviti genuit *Cymburgam Matronam* Religiosissimam & robustissimam, quam conjugio sibi junxit *Ernestus Ferreus Archidux Austriæ*, ex qua suscepit 4. filias & 5. filios, ex ijs fuit *Fridericus* III. *Imperator, Maximiliani I. Pater* natus A. 1415.

Korybut in baptismo dictus *Sigismundus*, à *Pragensibus* vocatus ad spem *Regni Bohemiæ.* Sed turpiter ab ijs desertus, occisus 1435. in *Litvania.* Hunc *Korybutum Cromerus Vitoldi* fratrem, *Dubravius* affinem, *Hagek* filium, *Rameſs* patruum fuisse, *Genealogia* ùt videmus, invitâ dixerunt; *Mechovius* tradit *Korybutum* cùm bellum adversus *Sigismundum Magnum Ducem Litvaniæ* movisset, captum & aquis præfocatum esse.

Miech. L. 4. C. 56.

Skirgello frater *Jagellonis* & *Korybuti* fuit primùm *Princeps Plocensis*, deinde *Dux Litvaniæ.* veneno sublatus 1395. *Svitrigello* in baptismo dictus *Boleslaus* post *Witoldum* seu *Alexandrum* fratruelem factus Dux Litvaniæ A. 1430. pulsus altero anno, & strangulatus postea A. 1452.

Wigunth in baptismo dictus *Alexander, Princeps Inovvladislavienſis & Bidgoſtienſis* Conjugem habuit filiam *Wladislai Ducis Oppolienſis*, nihil amplius neque de eo, neque de fratribus ejus septem habetur.

Jagello vel *Jagule Magnus Dux Litvaniæ* post patrem A. 1381. cùm ei Regnum *Poloniæ* ab Ordinibus offerretur, his conditionibus, ut Christianus fieret, *Litvaniam Poloniæ* adjungeret, *Hedvigem Ludovici Regis Ungariæ & Poloniæ* filiam (quæ aliàs in pueritia desponsata fuerat *Wilhelmo Duci Austriæ*) conjugem duceret, baptizatus in ipsis nuptijs An. 1486. 14. Febr. & *Wladislaus* dictus est, & coronatus 17. Febr. baptizati sunt cum eo fratres *Wigunt, Korygallo,* & *Svvitrigello*, regnavit 48. annos *Wladislaus.*

Idem l. 4. c. 38.

Uxor I. *Hedvigis Ludovici Ungariæ & Poloniæ Regis* minor filia (majorem enim filiam *Mariam Sigismundus Caroli IV.* filius duxit, & cum ea *Regnum Ungariæ* obtinuit (declarata & coronata A. 1382.) genuit cum *Jagellone* seu *Wladislao* II. unicam filiam A. 1399. 12. Junij, quæ obijt 13. Junij, & Mater secuta 12. Julij. *Hedvigis Pragæ* in *Universitate* fundavit *Collegium* quod *Reginæ* dicitur pro *Litvanis.* Uxor II. *Anna* fuit filia *Wilhelmi Comitis Ciliæ* ex *Anna Casimiri Magni Poloniæ Regis* filia, quam accepit A. 1401. coronata 1402. obijt 1416. 21. Aprilis; genuit unicam filiam *Hedvigem* desponsatam *Friderico* II. *Marchioni Brandeburgico*, obijt ante nuptias A. 1431. Uxor III *Elisabeth Ottonis Pileczky* in *Piltz Ducis Sandomirienſis* (qui in *Clypeo* gestabat *Lunæ* quadrantem in cujus medio stella sexangularis visitur, cujus stemmatis multi in *Moravia & Polonia* hodiéque censentur) filia formosa & dives Matrona; quæ tres antè maritos habuerat, nominatim in *Moravia*, *Joannem Laczky* (quem

(quem ego *Cravarziæ* gentis fuisse suspicor) duxit eam, vel potiùs, ùt habet *Cromerus*, rapuit A. 1436. huic alius eripuit *Moravus* & interfecto priori raptore in loco justæ Uxoris habuit; ad extremum *Vincentio Granovio Castellano Naclenſi* gente *Toporo* nupserat. obijt sinè prole utpote senescens A. 1419. Uxor IV. *Sskonſa* in baptismo dicta *Sophia, filia Andreæ Joannis Principis Kigovienſis* ex *Maria*, quæ fuit *Keystudi Ducis Litvaniæ* filia. Hanc duxit A. 1422. & ex ea suscepit quatuor proles. coronata est A. 1424. obijt 1461.

Cromer. l. 18.

Witoldus in baptismo dictus *Alexander*, captus à fratruele suo *Jagellone*, fugit ad *Crucigeros* in *Prussiam*, & tot damna *Litvaniæ* intulit, dum Regem adduceret ad secum paciscendum A. 1392. Fuit *Dux Litvaniæ*, & Regis titulum affectans imperâsse etiam à *Cæsare Sigismundo* ferebatur A. 1430. Mors abrupit omnia, reliquit filiam *Anastasiam* seu *Sophiam*, quam accepit in conjugem *Basilius M. D. Moscoviæ.*

Sigismundus Princeps Starodubenſis & postea *Dux Litvaniæ*; aliud nihil scitur, filius ejus *Michaël*, pulsus est *Litvaniâ.*

Wladislaus II. *Rex Poloniæ & Ungariæ.* de hujus nativitate non conveniunt Scriptores: *Weleslavinus* ponit Annum 1424. 31. Octobris, & citat *Miechovium*: & baptizatum primò A. 1425. 17. Februarij, alij 1423. natum ponunt 21. Octobr. electus Rex *Poloniæ* post Patris mortem A. 1434. & *Ungariæ Rex* à quibusdam Proceribus, qui *Ladislaum* posthumum nolebant A. 1439. (alijs 1440.) coronatus in Ungaria fuit illi desponsata *Elisabeth Alberti II. Cæsaris* vidua, sed ea cum *Ladislao* filio ex se nato, raptâ *S. Coronâ* fugit ad *Imperatorem Fridericum.*

Welesl. 31. Octob. in Calend.

Casimirus alijs *Andreas Casimirus* natus 30. Novembris 1427. post mortem *Sigismundi* ab aliquibus *Proceribus Bohemiæ* postulatus ad Regnum, à pluribus rejectus. *M. D. Litvaniæ* 1440. post mortem fratris ad *Regnum Poloniæ* vocatus & coronatus A. 25. (alijs 26.) Junij A. 1444. (alijs 1447.) fuit Princeps militaris & felix. Uxorem *Elisabetham Alberti II. Cæsaris* filiam sibi conjunxit A. 1454. 6. Decembris, quæ obijt 1505. 30. Augusti, at ipse A. 1492. 7. Junij. genuit ex ea proles duodecim.

Wladislaus primogenitus *Casimiri* natus 1456. 1. Martij. Electus *Rex Bohemiæ* post mortem *Regis Georgij* 1471. 21. Augusti. *Rex Ungariæ* post mortem *Mathiæ* An. 1490. 12. Martij. *Princeps* à bonitate *Rex Bene* dictus, liberalis, pacificus. obijt *Budæ* 1516. 12. Martij (alijs 13.) Uxor ei desponsata adhuc puero tredecenni *Freystadij, Barbara* filia *Alberti Brandeburgici*, vidua *Henrici XI. Ducis Glogovienſis & Saganenſis*, quam deseruit. Secunda, *Beatrix filia Ferdinandi Regis Neapolitani*, vidua *Mathiæ Regis Ungariæ*, quæ eum amabat vivente adhuc *Mathia*, sed hanc etiam, utpote sterilem, destituit. Tertia, Uxor *Anna Joannis Comitis de Candale Ludovici XII. Regis Galliæ* consangvinei, filia, quam duxit *Budæ* 1502. 6. Martij (alijs 6. Octobris) coronata fuit in Ungaria non in Bohemia, neque apud nos dotem habuit Reginarum. obijt 1506. 26. Julij in puerperio *Ludovici*, quem genuit eodem anno 1. Maij. *Rex Wladislaus* multo eam tempore luxit, neque pullam vestem deponere voluit, donec *Ungariæ* Ordines promisissent se *Ludovicum* infantem Regium coronari passuros.

Hedvigis Wladislai Regis soror nata A. 1457. 27. Sept. (alijs 21. Sept. alijs 11. Octob.) hanc conjugem sibi dari petijt *Mathias Corvinus*, sed ejus Natales respiciens Mater dare recusavit. *Georgio D. Bavariæ Ludovici* filio ditissimo Principi nupta genuit *Ludovicum*, qui ante Patrem obijt, tum *Elisabetham* postea conjugem *Ruperti*, qui fuit secundogenitus filius *Philippi Electoris Palatini*, & cum eo genuit quatuor filios omnes sinè hærede extinctos: *Rupertum Georgium*, *Ottonem Henricum Electorem* (qui obijt 1559. cum quo perijt linea antiqua Electorum) & *Philippum*, qui *Cœlebs* obijt 1548. & filiam *Margaretam*, quæ *Neoburgi* obijt *Monialis.*

S. Casimirus obijt *Vilnæ* 13. Februarij A. 1483. cœlebs, adolescens sanctissimus,

qui Medicis Venerem ſvadentibus, ſi vivere vellet, reſpondit: *Malo mori, quàm fœdari*; frater fuit Regis noſtri *Wladislai*, quæ eſt aliqua Regni noſtri gloriatio.

Joannes Albertus 27. Decembris A. 1459. (alijs 1460.) vivente Patre Dux *Glogoviæ & Sagani*; *Rex Ungariæ* electus adverſus fratrem ſuum *Wladislaum Regem Bohemiæ*, à quo pulſus eſt. *Patre Caſimiro* mortuo cedente ultro *Wladislao Rege Bohemiæ*, *Poloniæ Regnum* obtinuit A. 1492. uxorem non duxit. obijt 1501. 17. Junij.

Alexander natus 1461. (alijs 1462.) 5. Auguſti poſt *Patrem M. D. Litvaniæ*, poſt fratrem factus *Rex Poloniæ* 1501. 12. Decembris. *Tartaros* devicit, ac paulò pòſt *Vilnæ* 19. Auguſti 1506. defunctus eſt nullâ prole relictâ. Uxor *Helena* quam duxerat 1500. obijt 29. Januarij 1513.

Sophia ſoror *Wladislai* Regis noſtri nata eſt 1464. conjux data eſt *Friderico V. Marchioni Brandeburgico*, *Alberti* (*Achillis Germaniæ* dicti) Electoris filio An. 1479. *Francofurti ad Oderam.* obijt A. 1513. 4. Octobris & maritus 1536. 4. Aprilis. Sepulti uterque *Heilsbrunnæ* in *Franconia*; genuit *Sophia* filios undecim, & inter eos *Albertum I. Pruſſiæ Ducem*, & quinque filias. Ex hoc conjugio *Marchiones Brandeburgici* in *Franconia*, qui *Beriti*, *Culmbachij*, *& Onſpachij* habitârunt, proceſsêre, & *Marchiones Pruſſiæ*, quorum poſteritas omnis eſt extincta.

Eliſabeth nata 1465. 9. (alijs 3.) Maij, obiit infantula.

Sigiſmundus natus 1467. 1. Januarij, accepit *Ducatum Glogovienſem & Saganenſem* à fratre *Joanne Alberto* A. 1500. & poſt obitum utriuſque fratris *Rex Poloniæ* electus & coronatus 1507. 24. Januarij, vixit annos 81. obiit 1548. 1. Aprilis, Regni 41. Uxor prima *Barbara Stephani Ciliæ Comitis & Ducis Tranſilvaniæ* filia ex *Hedvige Przemyslai Ducis Teſſinenſis* filia, quæ obiit 2. Octobris in puerperio A. 1515. relictis duabus filiabus *Hedvige*, quæ nata eſt 1513. 24. (alijs 25.) Martij, data poſtea in conjugem ſecundam *Joachimo II. Electori Brandeburgico* A. 1535. 1. Sept. cum quo genuit unum filium *Marchionem Sigiſmundum Archiepiſcopum Lutheranum Magdeburgi*, & tres filias, quarum duæ ſinè prole deceſſerunt, à tertia procedunt hodierni *Duces Brunſvicenſes in Wolffenbüttel.* Item *Barbara* genuit *Annam* (natam 1515. 29. Junij, quæ A. 1520. obiit) in cujus puerperio mater eſt mortua, ùt modò dicebam.

Uxor ſecunda *Sigiſmundi Regis* fuit *Bona Sforza Joannis Galeazi Ducis Mediolanenſis* filia ex *Iſabella Regina Aragoniæ & Neapolis*, eam duxit A. 1518. (alijs 1517.) hæc obiit *Bary in Regno Neapolitano* vidua A. 1559. genuit *Sigiſmundo* 5. proles. Primò *Iſabellam* An. 1519. quæ An. 1538. copulata eſt *Joanni Comiti Scepuſienſi* & *Duci Tranſilvaniæ* electo *Regi Ungariæ* adverſus *Ferdinandum I.* cui genuit filium An. 1540. *Joannem Sigiſmundum Ducem Tranſilvaniæ*, qui cœlebs obiit A. 1570. & ipſa *Eliſabetha* obiit 1560. Secundò *Bona* genuit *Sigiſmundum Auguſtum*, de quo paulò pòſt. Tertiò *Sophiam* nuptam *Henrico juniori Duci Brunſvicenſi*, cujus fuit ſecunda conjux A. 1556. & obiit ſinè prole 1575. (aliis 1560.) 28. Febr. Quartò *Bona* genuit *Sigiſmundo I. Catharinam*, quæ à fratre *Sigiſmundo Auguſto* data eſt in conjugem *Joanni Duci Finlandiæ* (poſtea *Regi Sveciæ*) A. 1562. obiit 1583. 17. Sept. (*Joannes Dux Finlandiæ* natus 1566. 20. Junij, & coronatus 1587.) huic *Joanni* Duci *Catharina* tres proles attulit, *Sigiſmundum*, qui natus eſt 1566. 20 Junij. Electus *Rex Poloniæ* 1587. 27. Dec. *Eliſabetham* 1567. quæ obiit Virgo, utì & *Anna* nata 1568. 8. Maij & obiit 1625. 17. Jan. Quintò *Bona Sfortia* genuit *Annam*, quæ data eſt ab Ordinibus Polonis conjux *Stephano Battorio Duci Tranſilvaniæ*, coronato *Regi Poloniæ* A. 1576. qui obiit 1586. 13. Dec. ipſa verò *Anna* 1596. ultima ſuæ ſtirpis *Jagellonicæ*, hæredes ſuos eſſe voluit ſororis ſuæ Catharinæ filios *Sigiſmundum & Annam.* Hactenus de duabus Uxoribus *Sigiſmundi I.* Habuit quoque *Sigiſmundus I.* filium illegitimum nomine *Joannem*, qui fuit *Epiſcopus Vilnenſis* A. 1526.

Sigiſmund. Herberſtein. in Moſcovia.

Fride-

Fridericus Sigiſmundi I. frater natus 1468. 27. Aprilis, primùm *Epiſcopus Cracovienſis* 1480. deinde *Archiepiſcopus Gneſnenſis*, tandem *Presbyter Cardinalis* S. Luciæ 1493. obiit 14. Martij 1503.

Eliſabeth II. *Caſimiri* III. filia nata 1472. 13. Maij, copulata *Friderico* II. *Duci Lignicenſi Capitaneo Sileſiæ Inferioris* 1515. 25. Novembris. Obiit in puerperio filiæ *Hedvigis*, quæ unà cum matre mortua A. 1517.

Annæ Caſimiri III. filia, ſoror *Sigiſmundi* I. nata A. 1476. 12. Martij; copulata *Boguslao Duci Pomeraniæ Stetinenſi* A. 1491. 2. Julij. Obiit 1503. 23. Auguſti. Ex hoc conjugio profluxêre omnes *Pomeraniæ Duces* uſque ad *Ducem Boguslaum XIV.* qui obiit An. 1637.

Barbara Caſimiri III. filia nata eſt 1478. 15. Julij, nupta *Georgio Duci Saxoniæ* A. 1496. *Lipſiæ*, obiit 1534. 17. Januarij. Ejus filij omnes abſque liberis extincti, à duabus filiabus verò procedit tota Domus *Landgraviorum Haſſiæ*, uſque ad noſtra tempora.

Anna Wladislai Bohemiæ & Ungariæ Regis filia (antè *Eliſabeth* appellata ídque ipſi nomen in baptiſmo eſt datum, at poſt mortem matris *Annæ* ei nomen pater impoſuit) nata eſt 1503. 23. Julij. De ejus ominoſo fletu, tum ſexennis pupulæ, cùm frater triennis coronaretur *Pragæ*, alibi narravimus. Vide *Sambucum* & *Slavatam.* Deſponſata *Ferdinando I. Caroli V.* fratri A. 1515. *Viennæ*, & copulata *Lincij* 1521. amantiſſima fuit nationis Bohemicæ; genuit marito quatuor filios, & undecim filias. Obiit in puerperio ultimæ filiæ *Johannæ* A. 1547. 27. Febr. Pragæ tumulata.

Ludovicus Wladislai Regis filius natus 1. Maij 1506. quem Pater *Julium* maluiſſet appellari; coronatus *Rex Ungariæ* biennis A. 1508. *Rex Bohemiæ* 1509. 11. Martij, periit ad *Mohacz* 1526. 29. Auguſti. Scripſerat ante prælium in *Bohemiam*, ut ſibi ſuccurreretur, quòd jam *Albam Regalem* occupâſſet Turca: *Boleslavienſis Regio* militum loco Regi ſuo pecuniam miſit per *Regni Cancellarium*, *Henricus Roſenſis* aliquot centurias armatorum; *Subcamerarius Regni Jacobus Wrzeſovecius Regi Zatecenſes*, *Launenſes*, *Cadanenſes*, *Pontenſes* & *Taborienſes* ante prælium adduxit, qui omnes cum Rege & Duce ſuo *Stephano Sſtik Bohemo* ceciderunt; *Pragenſes*, *Plſnenſes*, *Beraunenſes*, *Slanenſes*, *Litomericenſes*, *Mielnicenſes*, *Auſtenſes* tardè progreſſi de cæde Regis in via antequam pervenirent, nuncium acceperunt. *Ludovicus* viſâ fugâ ſuorum vitæ conſulturus (ùt narrat *Sambucus*) quò alios dilapſos viderat, *Cetricium* juvenem nobilem & miniſtrum ante ipſum tranantem inſecutus, Equo in tergum freno inverſo, palude hauritur. Cujus tandem cadaver, indicio ejuſdem cubiculi miniſtri repertum & Albæ tumulatum eſt. *Maria Ludovici* conjux 31. anno vidua fuit, cum fratre ſuo *Carolo V.* in *Hiſpaniam* è *Belgio* diſceſſit, ibíque obiit.

Hiſtoria Prag. L. 3. c. 7.

In App. rer. Vngar.

Broderibt in deſcri. Cladis R. Ludovici.

Sigiſmundus II. Auguſtus Rex Poloniæ natus 1520. 1. Auguſti (aliis 2.) vivente *Patre Cracoviæ* coronatus 1530. promiſit ei Regnum obedientiam 1537. geſſit bellum cum *M. Duce Moſcoviæ*, obiit 1572. 1. Julij (aliis 23. Julij) ultimus maſculinæ ſtirpis *Jagellonicæ*, quæ in *Polonia* gloriosè annis plus 186. regnavit. Uxor I. *Eliſabeth Ferdinandi I.* filia (ex *Anna* fratris ſui filia genita) nata 9. Julij 1526. copulata 1543. obiit 1545. 15. Junij. non ſinè veneni ſuſpicione, ſine prole. Uxor II. *Barbara Georgij Radzivili Ducis de Goniada & Shedelà Campiductoris Litvaniæ* filia, quam viduam poſt *Dynaſtam Litvanum Gaſtoldum* accepit. obiit 1551. 8. Maij, ætatis ſuæ 28. an. Uxor III. *Catharina* ſecunda filia *Ferdinandi I.* vidua poſt *Franciſcum Gonzagam Ducem Mantuæ*, *Eliſabethæ* prioris Uxoris ſoror, copulata 1553. 5. Julij (alijs 13. Julij) obiit 1572. 28. Febr. ſinè prole.

SECTIO

SECTIO VI.

Reges Bohemiæ ex Auguſtiſſima Domo Auſtriaca, quorum Genealogiæ in fine hujus Sectionis ſubjicientur.

CAPUT I.

Ferdinandi I. Bohemiæ Regis, ac poſtea etiam Romanorum Imperatoris Regnum breviter adumbratum.



Ferdinandi I. Patria.

FERDINANDUS felici auſpicio per conjugium *Annæ Wladislai Bohemiæ* Regis filiæ, *Bohemiæ & Ungariæ* Regna accepit; hic primus *Auſtriacæ Domui* Jus in *Bohemia* fundavit, & tam ſtabili dominatione permunivit, ut ab eo tempore neminem alium pro legitimo Rege, quàm ex *Auſtriaca* domo agnoverit; ſecuti ſunt hanc prærogativam Regni noſtri, Ordines *Sacri Imperij*, ſicut omnes Reges ſuos à *Ferdinando I.* ad *Auguſtiſſimum Leopoldum* in Imperio quoque coronatos *Bohemia* viderit. Sed nos *Vitam Ferdinandi* breviter ùt hactenus fecimus, perſtringemus. Natus eſt *Ferdinandus Maximiliani I.* Nepos *Philippi I. Hiſpaniarum Regis* filius, *Caroli V.* frater in *Hiſpaniæ* Urbe Alcala medij diei itinere *Madrito* Urbe ſede Regum, ob cujus Nativitatem Urbs illa in perpetuum à tributis omnibus pendendis immunis eſt, ejúſque cunæ hodiéque in ea Urbe monſtrantur. Ex pacto Conventûs trium Regum *Viennæ* habiti *Ludovici* ſororem *Annam* deſponſam Anno 1515. & A. 1521. *Lincij* 26. Maij nuptam, *Bohemiam & Ungariam* jure, mortuo *Ludovico* poſtulavit, ea res difficultatibus non caruit, quas *Slavata Regni Cancellarius ſub Ferdinando II.* diligenter deſcripſit, nobis tam odioſa tractare mens non fuit; prudentiâ Delegatorum (quibus ab omnibus

omnibus Ordinibus *Bohemiæ* eligendi Regis poteſtas data eſt) factum, ut quod jure fieri oportebat, id liberis votis factum videretur. Magnifica promiſſa *Bohemis* initio Regni à *Ferdinando* data omnes devinxêre, ut tota propè Nobilitas *Iglaviam* Regi futuro occurreret, in campo *Ferdinandus* juramentum præſtitit 30. Januarij Anno ſalutis 1527. ùt loquitur Lapis, eo loco ad *Iglaviam* erectus, quem hodiéque videmus. Turbata tum erat *Bohemia, & Pragæ* potiſſimùm tumultuabatur: obſiſtebant adhuc ſcintillæ nuper extincti incendij, & litium inter Nobilitatem & Cives, tum inter ipſas *Urbes*, *Veterem* & *Novam* (nam unam ſibi ex duabus Urbem, ut potentiam Civium augerent, quidam eſſe volebant, & ex *Curia Antiquæ Urbis* judicia, & Senatuſconſulta petebantur) quod *Novæ Civitati* diſplicere & meritò quidem cœperat, qui unionem hanc à Rege diſcindi, & *Novam Urbem* ſuæ libertati reſtitui exoptabant: tertiam eámq; graviſſimam cauſſam diſſenſionum præbebant *Picardi* in utraque Urbe frequentes & inquieti ex natura ſuæ ſectæ homines. Hæc omnia ſtatim à coronatione (quæ A. 1527. 24. Febr. peracta eſt) componere cœpit *Ferdinandus*, ante omnia quæ extare poterant *Privilegia Civitatibus* confirmavit, deinde Unionem illam Civitatum reſcidit, ac tandem *Picardos* Urbibus expulit, & pacem optimam procuravit; ſcio, non omnia hæc initio Regni perfecta eſſe, uſq; dum Rex ad ipſa diſcordiarum cubilia penetravit: decennio enim *Nova Civitas Veterem* reſpexit, & *Picardi* multis conatibus repreſſi, excindi tamen uſq; ad *Ferdinandi* II. tempora omnino non potuerunt. Regnante *Ferdinando* res magnæ per Comitia conſtitutæ ſunt: quas ex Articulis recitavit *Cancellarius Slavata*: *Vienna à Solimanno* A. 1527. obſeſſa, tum aliarum gentium, tum etiam duobus *Bohemorum* millibus peditum, ducentis Equitibus ſtrenuè defenſa eſt, quorum periculoſa ſtatio contra *Danubium* uſq; ad rubram *Portam* fuit, inter præcipuos obſeſſæ *Viennæ Duces Leonardus de Fels*, poſtea felix in *Ungaria belli Dux* cenſebatur. An. 1531. 5. Januarij *Rex Romanorum* ab *Electoribus Coloniæ* declaratus eſt *Ferdinandus*, & 11. ejuſdem Menſis *Aquiſgrani* coronatus; quo ipſo Anno *Pragæ Ordines Regni Bohemiæ* frequentiſſima Comitia in Junio celebrârunt: memorabile eſt, quod in Articulis Comitiorum ad 11. Junij lego. Statuitur ibi in Artium liberalium honorem, *ut nemo Dominorum ſubditos ſuos, quicunque ſeſe ſemel ſtudijs literarum addixerint, à ſtudijs avellat, aut ullo prætextu impediat*, quod decretum, tantâ omnium concordiâ latum eſt, ut omnes Domini ſuo ſe jure decedere libenter publicè profiterentur. His annis militum auxilia aſſiduè in *Ungariam* mittebantur, & privatim, & publicè Roſenſes quadringentos cataphractos *Bohemos*, ducentos *Coſaccos* in *Polonia* conſcriptos, iterum

Vienna à Solimanno obſeſſa.

Wartenberg: Memoria T. 1 O. 9. Welesl. in calend. hiſt. ad 18. Junij.

quatuor tormenta bellica, & alios belli apparatus Regi ſuo miſerunt A. 1537. *Kociani* proditione, *Bohemi*, *Sileſij*, ac *Tyrolenſes à Turcis* internecione ſunt deleti, cùm mori quàm fugere (exemplo quarundam nationum, quas hîc nominare nolo) maluiſſent; quâ indignâ cæde egregiorum militum, irritatus inclytus heros *Nicolaus Serinius* ipſum *Koczianum* proditorem aggreſſus, enſe proprio diſſecuit. An. 1538. novus *Bohemorum* exercitus rurſus in *Ungariam* mittitur Comitiorum decreto, denique nè infinitus ſim, quantum auxiliorum, ſive Viros, ſive pecuniam ſpectes datum ſit, præterire cogor, ſatis erit, ſi dixero, omni anno ingentem vim utriuſque *Bohemiam* ſuppeditâſſe. Alia domi ad commodum Regni vel inſtigante vel monente Rege, vel approbante, ſtatuta, & ſaluberrimis conſilijs priùs inventa fuêre: de Monetæ reformatione, de fodinis auri, argenti &c. (quas *Ferdinandus* damno *Bohemiæ* irreparabili deſeruit, cauſatus bella Ungarica non ſinere, ut ſumtus, aliò quàm in bella vertantur) de Officiorũ Regni inſtitutione aut in melius correctione, & cætera utiliſſima: edidit Rex Judicij Cameratici, cui *Supremus Regni Præfectus* præeſſet, tum etiam Judicij Aulici ordinem pulcherrimum, ùt videre eſt in *Wartenbergicis Memorijs* ad A. 1531. *Inſtructionem* quæ ipſi inſtitutioni par videri poteſt. Tantam conſiliorum felicitatem triſtiſſima quædam totius Regni calamitas intercepit: primùm A. 1541. 2. Junij excitato multis locis ab improbis hominibus incendio, tota *Arx S. Wenceslai*, & dimidium *Urbis Minoris Pragenſis* intra trium horarum ſpatium uſquè ad ſolum conflagravit, arsêre etiam *Regni Tabulæ* ingenti damno, neq; defendi ullâ ratione potuerunt. Alterum non minus calamitoſum Regno accidit: cùm enim A. 1546. bellum *Smalcaldicum* Proteſtantium adverſus *Carolum Cæſarem* exarſiſſet, & Rex *Ferdinandus Nobilitatem Bohemicam* ad arma conſurgere juſſiſſet, illi obtendentes, univerſam inſurrectionem à ſolo Rege, niſi Comitijs præmiſſis, indici non poſſe, Confœderationibus præterea cum *Saxonica* domo ſe prohiberi vociferantes, paucis admodum millibus Regem ſuum ad arma in *Saxoniam* ſecutis, vincente interim *Carolo Imperatore Ferdinandus* furens *Pragam* cum ſuo & *Caroli* exercitu reverſus, contumacibus ad judicium vocatis, aliquot eorum capite punivit, pleroſque bonis paternis exuit, Civitates ingentibus pecuniæ ſummis multavit, magnâ ſeveritate; ſed obſiſti non potuit, cùm à Rege irato, & victore exercitu tota circumſcriberetur *Bohemia*. Exiſtimatum eſt plùs pecuniarum, militaris apparatûs (quo Regnum exuit) & aliarum rerum & ſpoliorum *Ferdinandum* in *Bohemia* cepiſſe, quàm *Carolum V.* omnibus bellis, quæ in *Europa* & *Africa* geſſit. Pœnituiſſe Regem tantæ ſeveritatis dubium eſſe non poteſt, & mutata poſtea in

Incendium Arcis Pragenſis.

in melius regendi ratio, maximè cùm filium *Maximilianum* commendabilem Ordinibus reddere ſtuderet, & alia indicia ſatis oſtendunt; ſed hæc utcunque accipiantur, *Ferdinandi* certè in Regnum *Bohemiæ* merita, nullâ oblivione obliterari poſſunt: primus ille dum Regnum Bohemiæ ad Imperij *Circulos* attraheretur, & *Principes Imperij* potentiſſimè cum *Carolo Cæſare* tentarent in ſocietatem tributorum cum *Imperio Bohemiam* illigare, reſtitit, & luculentâ oratione, quæ in Imperij Conſtitutionibus recitatur, probavit *Bohemiam* ab Imperij oneribus immunem ſemper fuiſſe, nihil proinde ei imponi ſe paſſurum. Illud verò grande eſt in ipſa Patria meritum, quòd petentibus Ordinibus in Comitijs A. 1545. Archiepiſcopatum *Pragenſem*, qui centum triginta uno anno vacaverat, *Bohemiæ* reſtituit, eúmque de ſuis proprijs proventibus, nè oneroſum hoc *Bohemiæ* beneficium eſſet, alendum ſuſcepit, quod An. 1562. præſtitit. Jam quantum beneficium continet *Appellationis Tribunal*, in *Arce Pragenſi* inſtitutum, vetitúmque aut *Lipſiâ*, aut *Magdeburgo* reſponſa petere? ſed de hoc toto negotio in *Magiſtratibus* agemus poſtea. Nec illud poſtremum eſt *Ferdinandi* in ſacros & Eccleſiaſticos Viros meritum, cùm liberam teſtandi facultatem *Parochis* fecit in Comitijs omnium Ordinum A. 1552. approbatam; nec odioſum futurum exiſtimo, ſi *Collegium Societatis Jeſu Pragenſe*, & *Univerſitatis*, quam *Ferdinandæam* dici voluit, *Fundationem* & *Inſtitutionem* præclaris *Ferdinandi* operibus annumeravero; nolo, nè noſtra invidioſè prædicare videar, maximas ex hoc *Collegio* utilitates & commoda in Regnum univerſum profecta adducere; neque de *Univerſitate* quidquam hîc memorabo, cùm alium huic rei locum opportuniorem ſervare ſtatuerim. Sub hoc Rege quædam etiam Regni commoda inventa ſunt, ut illud, quod *Albertus de Guttenſtein Comes* magno curarum labore perfecit, ut *Mulda-va* exciſis hinc inde extantibus petris *Crumlo-vio Bud-vicium* atque inde *Pragam* navigabilis fieret, quò ſal, frumentum, ligna, aliáque vitæ ſuſtentandæ neceſſaria leviſſimo labore in mediam propè *Pragam* inveherentur. *Curia* quoque *Nova Civitatis*, magnificum opus, licèt ab incendijs nonnihil jam deformata ſurrexit hoc tempore, ac poſt diſciſſam ſalutariter illam concordiam, de qua ſuperiùs locuti ſumus, veriùs contemtum ſuorum Civium, Senatum ſuum ex ſuis Civibus lectum vidit imponi. Secuta eſt A. 1558. 8. Martij, cùm jam pridem (Anno ſcilicet 1555. *Carolus V. Imperator* omni ſe honore *Principatûs* exuiſſet) *Ferdinandi* in *Imperatorem* aſſumptio, quæ res diu protracta eſt Pontifice & quibuſdam Electoribus contrà nitentibus. A. 1558. 8. Martij electus, & 12. ejuſdem Menſis *Francofurti Imperator* eſt ſalutatus, & 12. Martij anno ſequenti Pragam adveniens

Ferdinandi I. in Bohemiâ merita.

Ferdinandus I. fit Imperator.

ſummâ gloriâ exceptus eſt: Ordines *Bohemiæ* in tribus Equitum millibus obviam *Cæſari* proceſsêre, octo millia Civium armatorum ſteterunt in acie, tum tria millia eorum qui more *Taboriticæ* militiæ armabantur; mille quingenti pueruli in amictu candido occurrêre, quos duodecim *Cives Pragenſes* barbati, ſed pumili, nihil puerulis majores duxêre, tum ſenes cani mille; viduæ octingentæ; Virginum duo millia; omnia hæc agmina perorârunt ad *Cæſarem*; & plerique latinè. Arcus triumphales, aliáque triumphorum ſpectacula omitto, quia juſſu *Cæſaris* omnibus propè lingvis vulgata prodierunt in lucem, & ſunt in manibus. Annis ſequentibus poſteritati ſuæ intentus *Cæſar* ad *Maximilianum* filium ſubjectis populis commendandum, quem jam *Regem Bohemiæ & Romanorum Regem* fecerat coronari, totus incubuit, & quia gravis ætas admonebat, optimè ad cœlum comparatus, longè antè prænunciato mortis die A. 1564. 25. Julij, 62. ætatis in *Auſtria Viennæ* exceſſit è vita, *Pragam* ad Regum ſepulchra devectus, 20. Auguſti ſummo honore tumulatur. *Bulla Aureâ* hujus Regis A. 1562. datâ 26. Septembris (quæ in *Metropolitanæ Eccleſiæ Archivo* etiamnum ſervatur) quid annuè *Archiepiſcopo Pragenſi*, quid *Metropolitanæ Eccleſiæ*, quid cæteris per *Bohemiam Eccleſijs* donatum aut legatum velit, continetur; ſi ea exequi *Maximilianus II.* voluiſſet, profectò *Eccleſiæ Bohemicæ Caroli IV.* tempora hodie non deſiderarent.

Notæ in Caput I.

S. Viti corpus fatale Imperij pignus.

EX Bohemiæ Regibus Imperatores &c. Jam altero ſæculo hæc felicitas *Bohemiam* reſpexit, ut ex Regibus noſtris Imperatores eligerentur; hujus rei multæ dari poſſunt cauſſæ. Cœleſtis & divina eſſe poteſt hæc: quòd, ùt animadvertit in *Annalibus Eccleſiaſticis Cardinalis Baronius*, oraculo quodam cœleſti *S. Vito Martyri* promiſſum dicatur: ubicunq; ſacri ejus corporis exuviæ honorarentur, ei genti *Romanum Imperium* deferatur, quod luculentis exemplis idem *Cardinalis* demonſtrat; noviſſimè ad nos ſub *Carolo IV. S. Vitus* advênit, ab eóque tempore plerique Imperatores noſtri fuerunt, notántque hiſtoriæ noſtræ periti *S. Viti* brachium magno miraculo ſignum dediſſe *S. Martyri Wenceslao*, ut illud ab *Henrico Aucupe Germaniæ Rege* petereretur, & in *Bohemiam* aſportaretur, ùt narrat *Joannes Epiſcopus Olomucenſis*. Cauſſas alias humanas nolo adferre, nè invidiam pro veritate reportem; ſed illa certiſſima, quòd *Bohemiæ Rex* principale ſit Imperij membrum, ùt in *aurea Bulla Carolus IV.* ſignificat, & ſecularium Electorum Princeps. Graviter enim hallucinantur, qui Regem *Bohemiæ* in eo ſolum caſu, cùm dubia eſt electio, ſuffragium ferre ſcripſerunt. Enimverò ſuffragium, & primùm quidem poſt *Eccleſiaſticos Electores* votum tribuit, ùt titulo 4. *Bullæ aureæ* ſtatuitur. Quæ omnia ad *Regem Bohemiæ* ſpectantia ex fundamento tractat, & authoritatibus Jurisconſultorum *Bullam auream* explicantium confirmat *Beſoldus Maximus* ille Vir, ſeu hiſtoriam ſeu jura ſpectes, & ex eo *Eraſmus Paſca J. C.* & *Codicis Juſtinianæi* in *Academia Ingolſtadienſi Profeſſor*, in Theſibus quas ſub eo glorioſè publicè in Academia illa defendit *Illuſtriſſimus Baro de Sprinczenſtein*; deinde quis quæſo liberaliùs neceſſaria *Imperij Germanici* officia ſuſtinebit, aut ſuppeditabit ſumptibus? ob eam maximè cauſſam *Goldaſtus* ſummus *Bohemiæ* hoſtis, *Bohemiam* tamen *dulcem nutriculam* S. R. Imperij appellat. Plura non addo; *Harpocrates* digitum in os inſerit.

Ioan. in Vita S. Wenceslai.

Facies Imperij Romani Antiqua & Nova p. 2.

Cunæ Ferdinandi in Urbe Alcala monſtrantur &c. Naturæ & rationi conveniens eſt, ut eum in locum, in quo nati ſumus, æſtimemus, & amore noſtro dignum putemus; at contrà qui Stoico rigore omnia metiuntur, hoc minimè attendendum putant cùm forti Viro ubique ſit Patria; & multi illud repetant, *Patria eſt, ubicunque bene eſt*, ſed iſtud ſubtiliſſimis & veriſſimis rationibus Sapientes pridem refutârunt, imò adeò divinarum legum *Interpretes*, qui gradus Charitatis enumerant, ante Parentes quos diligere & honorare divinâ lege jubemur, Patriam collocant, ídque naturâ nobis inſitum & inditum videtur; in Servatore humani generis *Chriſto Domino D. Ambroſius Patriæ* amorem agnoſcit; locus eſt paulò prolixior: *non otiosè Salvator excuſat, quòd nulla in Patria ſua miracula virtutis operatus ſit, nè fortaſſis aliquis vitiorem Patriæ nobis eſſe debere putaret affectum. Neque enim Cives poterat non amare, qui amaret omnes; ſed ipſi ſe charitate Patriæ, dum invident, abdicârunt: charitas enim non æmulatur, nec tamen exors beneficiorum Divinorum Patria eſt. Quod enim majus miraculum, quàm quòd in ea natus eſt Chriſtus? videte igitur, quid mali invidia adferat? indigna Patria judicatur, in qua Civis operetur propter invidiam, quæ digna fuit, in qua Dei Filius conciperetur.* Hæc ideo attuli, non quòd ea ad *Ferdinandum* ſpectare putem, ſed quod cum incivilibus quibuſdam mihi controverſia ſæpe fuit, qui omnem amorem Patriæ exuendum eſſe vociferabantur; at ego *D. Thomam*, & omnes ſanctos Patres, & illuſtres *Theologos*, tum *Ariſtotelem*, & *Ciceronem*, alióſque Sapientes allegabam, ut obſiſtere nullo pacto poſſent. Deus bone, quantum ſangvinis pro Patria fuſum eſt, quàm dulce & decorum pro Patria mori, Majores noſtri eſſe putaverunt! ſi charitas Patriæ tollatur, nulla ſtabit Respublica, quæ amore Civium ſuorum potiſſimùm ſuſtentatur, moderatum & juſtum Patriæ amorem inter virtutes colloco, nimium (præcipuè in Religioſis) damno.

Patriam à mare virtus omnibus nè ceſſaria. *Muretus l. 2. variar. Lect. cap 3.*

S. Ambroſ. l. 4. Comment. in c. 4. Luc.

Abſiſtebant veteres odiorum ſcintillæ &c. Neſcio quomodo, quæ in nos geſta ſunt immortaliter animo inſculpamus, contrà beneficiorum omnis memoria continuò aboleatur: *ità ſunt omnes noſtri Cives* ait *Plautus*, *ſi quid bene facias, levior plumâ gratia eſt; ſi quid peccatum eſt, plumbeas iras gerunt*, & licèt odiorum omnium immemores nos futuros promittamus, tamen minimâ ſuſpicione commoti odia ipſa reſumimus, durátque etiam in poſteros exemplum; indigna profectò res eſt Majorum odijs naſcituros involvi, & ſimul cum vitæ ſpiritu, & ſangvine inſinuari vindictas. Ajunt in Apum quæ ex Bovis cadavere per artem naſcuntur, ventriculis, caput bovinum tenuiſſimis lineolis quaſi inuſtum ſpectari; idem evenire arbitror hujuſmodi familijs; meliora & ſaniora ſapientes conſilia tradiderunt, ut ſi homines eſſe velimus in totius generis humani venerationem & obſequium genitos nos eſſe arbitremur, niſi fortè aut Dei, aut Patriæ, aut Religionis amor aliud expoſcat.

Beneficia facilè ex memoria avolant; odiorũ cauſæ animis imprimuntur.

Statuitur in amorem artium liberalium &c. Duæ artes ſunt, quæ Reipublicæ maximè prodeſſe dicuntur, quarum ſi altera abſit, manca videtur Respublica, *doctrina* videlicet & *ars militaris*; hæ duæ ſcientiæ maximos Reges fecerunt, & facient in poſterum; his duabus vijs Reges extollere Regna ſua poſſunt, nec tamen velim à literatis arma contemni, nec viciſſim à militibus doctrinam vilefieri, cùm hæ duæ alæ ſint, quibus ſuſtentatur Respublica. Ac mirum eſt, militares Reges æſtimâſſe ſcientias, contrà doctos Reges plurimos militiam contempſiſſe: videbant ſcilicet præconium & æternam famam nominis ſui (cui avidè inhiabant) ex literis ſe conſecuturos. *Carmen amat*, canit alicubi *Claudianus, quiſquis carmine digna gerit*, ac ſi cui optio detur: utrúmne *Achilles* eſſe velit, an *Homerus*, ſinè dubio reſpondebit *Achil-*

Duæ artes bonis Principibus ſunt in pretio.

lem esse malle, at præconium *Homeri* desiderare; scilicet sinè literis omnis quodammodo virtutis fama moritur, quæ omnibus magnis viris proposita esse debet. At ætate nostrâ omnis cura memoriæ & gloriæ postponitur, & putamus aliquem ex lusu gloriam consecuturum? vituperium potiùs apud futuras ætates, si innotescat, consequetur, & nihil nisi sibilum, & digitorum crepitum obtinebit. Omnes boni & glorioſi Reges Regnum suum stabilire scientijs conati sunt, & in sagacissima & ingeniosissima gente *Sinarum Nobilitas* in solis literis consistit. Beatissima Respublica est, quæ utroque (viris scilicet militaribus & doctis) circumfluit! hâc duplici laude meritò gloriari poterat Bohemia ejus temporis, nam & Viros doctissimos, & Martiales, ex quibus summi Imperij adversus *Turcas Duces Ferdinandus Imperator* eligebat, in his Comitijs sedisse invenio.

Damnum tabularum irreparabile.

Tristissima calamitas excitato ab improbis incendio &c. Improbitatem & scelus huic incendio causſam dedisse, nimis quàm probabile est, quòd eodem temporis articulo tribus diversis in locis exortum sit. Calamitas hæc medium nostri Regni pretium devorâsse dicitur, cùm omnes Regni memorias, quibus singulorum fortunæ conscriptæ erant, ignis absumserit; quæ unâ arserunt, multis deplorabant antiqui. Scire namq; oportet Bohemiam à *Ioanne Rege* & filio ejus *Carolo* sic dispositam fuisse, ut nullus ex Ordinibus Bohemiæ nisi *Tabulas Regni* respiceret, & licèt domi nihil authentici haberet, jus suum tamen totum in tabulis authoritate publicâ confectis inscriptum invenire, & probare posset, quod hodiéque religiosè servatur. At *Rex Ferdinandus* mirabili invento damnum omne intra decennium correxit, ùt suo loco dicemus. Alioquin nihil magis Eruditorum partubus, quàm ignis nocuit, qui tot *Bibliothecas*, maximè *Alexandrinam*, quæ quadraginta millibus librorum manuscriptorum constabat, absumpsit, ùt *Seneca* L. 1. de Tranquillitate C. 9. memorat.

Plut. in vita Cæsaris, at Gell: septingenta ponit librorũ millia.

Clementia Principi svadetur à Seneca.

Pœnituisse Regem tantæ severitatis &c. De Imperio divino Sacræ Literæ tradunt: *Deum, cùm iratus fuerit, misericordiæ recordari*, hanc quoque divinam rationem regnandi terrestres, ùt ità dicam, Dij, id est *Principes* imitari, ac si fieri posset, exprimere deberent, eóque etiam justiùs, quòd hominibus homines imperent, sibi prorsus similibus, & severissimam rationem Imperij sui Deo sint reddituri, quod fide divinâ docemur. At etiam Mundi Sapientes, & *Philosophi* ad diuturnitatem & securitatem Imperij parandam, nimiam severitatem proscribunt, clementiam svadent: egregiè in hoc argumento versatus est *Seneca*, in omnibus de *Clementia* libris, maximè lib. 1. ab ijs verbis: *Stat in conspectu Clementia humanis erroribus parata* &c. & Cap. 8. *Regibus certior est ex mansvetudine securitas: quia frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat: alioquin quemadmodum præcisæ arbores plurimis ramis repullulant, & multa Satorum genera, ut densiora surgant, reciduntur; ità Regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo: parentes enim liberique eorum, qui interfecti sunt, & propinqui, & amici in locum singulorum succedunt.* Capite sequenti probat invictis rationibus, plùs mansvetudine profici, quàm pœnis, Augusti exemplo qui dicere solitus est: *non est tanti vita, si ut ego non peream, tam multa perdenda sunt.* *Theodosij Magni* magna vox fuit, reorum aliquem supplicio eximentis: *non tantùm absolverem, sed etiam si possem mortuos ad vitam revocarem.* Illustre est exemplum *Genuensis Reipublicæ*, quæ cùm redacta fuisset sub potestatem *Ducis Mediolanensis*, qui eam tributis & novis oneribus intolerabiliter premebat. Missus igitur est à *Genuensibus Legatus* ad *Ducem Franciscus Marchesius*, quem cùm Dux nollet in conspectum admittere, misit Legatus plenum vas herbæ *Basilicæ*, ùt vocamus. *Dux* miratus doni vilitatem, mox Legatum admisit, quærens, quid per herbam vellet? ibi Orator suam legationem brevissimè explicuit: *Populum Genuensem* esse ùt *Basilicam* (seu ozimum) quæ herba leniter tacta gratum spirat odorem, si nimiùm premas, non modò svavitatem odoris deper-

Clementia populũ componit, severitas irritat.

deperdit, scorpiones tandem producit. Subjecit: *Si eris erga Genuenses clemens omnes obsequentur, si immoderatus, perget populus tumultuari.* Hâc Oratione motus *Dux Sfortia* laxavit onera servitutis. Sed potentiora & lectiora in hanc rem legimus in *Dione Cassio*, qui refert sapientissimum *Liviæ* cum suo *Augusto* colloquium, quâ ipsum ad clementiam hortatur, inter quæ pulchrum illud: *non omnia gladius conficit &c.* Hæc Oratio clementem effecit Augustum, ut præcipuis vitæ suæ insidiatoribus, quorum *Princeps Cinna* pepercerit.

Mylius in Horto Philosophico L. 6. V. Ozimum. Dio L. 55. Histor. Rom.

Albertus de Guttenstein navigabilem Muldavam Pragam usquè fecit &c. Laudatissima sunt opera publica, præcipuè, quæ sinè ullo damno maximas Provinciæ utilitates adferunt. Opus Regium habitum est semper, conjungere & navigabilia reddere flumina, ut altera Provincia alteri, quibus caret, altera abundat, subministrare possit. Pulcherrimum opus *Mosellæ* cum *Rheno* & *Oceano* conjungendæ *Ælius Gracilis* impedivit, dictitans id fore formidolosum Imperatori, ubi *Tacitus* prudenter addit: *hoc metu inutili plerumque prohiberi conatus honestos.* Invidia enim ex tam insigni & utili opere non sinit æmulos gloriâ crescere, quod cùm non possit directè impedire, per latus, suspiciones & timores accumulando utilia Regnis consilia evertit.

Invidia noxia Publicæ rei.

Tacitus L. 13 Annal.

CAPUT II.

Maximilianus II. Ferdinandi I. filius Bohemiæ Rex, postea ejusdem nominis secundus Imperator.



HIc Princeps maximis naturæ præsidijs ad regendam Rempublicam à natura instructꝰ, *Viennæ* An. 1525. editus in lucem est; à Magistris morum ad pacis studia potiùs quàm ad arma & dissimulationem (præcipuè in Religionis negotio) educatus, quam vitæ rationem, & Religionum tolerantiam usque ad mortem tenuit. A. 1548. jussu Patris in *Hispaniam* profectus, 23. Septembris *Vallisoleti* cum *Maria Caroli V.* filia nuptias celebravit. In *Hispania* cùm esset, res memorabilis & *Annalibus* digna, contigit, quam quia à paucis Scriptoribus traditam inveni, in laudem heroicæ virtutis in compendium missam, ex *Slavatæ Cancellarij* nostri *Annalibus* recitabo: regebat *Hispaniam Gubernatoris* titulo *Maximilianus*, additis in consilium, qui juventutem ejus regerent *Albano*, aliisque *Hispaniæ Proceribus*, cùm audit ad *Granatam Urbem*

Maximilianus generositate periculum evadit.

bem Regiam, felicem esse cervorum venationem; huc Aulicos rapit, vix venationem auspicatus erat, ingentis magnitudinis cervus excitatur; insequitur juvenis Princeps avidus gloriæ, quem pernici cursu volantem amittunt *Nobiles Aulici*, interea Principi etiam cervus amittitur. In vesperam declinabat dies, ergo omisso cervo cursu primùm de se nè præda latronibus fieret (quorum ibi annonam facilem esse didicerat) in omnes partes Comites vestigat, deinde cùm explicare errorem non valeret, multis clamoribus sui indicium facit; frustra fuêre omnia; videt pastoritiam Casam, quam intendentibus se tenebris ingreditur; noctem à pastore sene petit, ille hospitem descendere equo jubet, & tugurium subire; equum & cætera omnia sibi curæ fore; in eo tuguriolo, præter pastorem erant mortales quinque, filium habebat annorum 20. circiter, & uxorem illius, famulum latronem, uxorem suam, & filiam nubilem; pastor latrocinijs assvetus ex vestium pretio argumento petito decernit cum suis hospitem interficere, ad cœnam carnis hircinæ crus apponit, & post sermones ultrò citróque habitos in cubiculum quoddam, ubi porta vetus, & tota præ vetustate carriosa esset, ad quietem deducit; uxor filij juvencula, quasi aliquid agendum haberet, juvenem Ducem formâ conspicuum videns, vias omnes, eum liberandi quærebat, & cùm nihil probabile occurreret, insidias tamen aperit, & inde se proripit. *Maximilianus* territus diu anceps hæsit, an se *Gubernatorem Hispaniæ* proderet, tamen cùm cogitaret, nihil tale apud latrones auxilio sibi fore, decrevit tandem, vim vi, ut posset, & sciret, defendere: ergò portam quantum licuit, communivit, & veterem quandam cistam gravissimam, si molirentur aditum, portæ applicuit, tum gladium, pugionem, & bombardam instruxit, & manibus tenuit. Jam propè medium noctis appetebat, cùm pastor hospitem obdormivisse ratus, januam lenissimè tentare cœpit, sed cùm ob cistam oppositam ingredi non posset, rogat, uti aperiat, se in cista linteamen relictum pro nocturna quiete quæsiturum; respondit *Maximilianus* intrepidè: sibi otium surgendi non esse, cur non antea hæc prævideret; pastor sua consilia prodita suspicatus, vim facere cœpit, & ingenti vociferatione editâ, convocat omnes, etiam viciniam clamoribus implens. Hîc Princeps opus esse animis intelligens, appositâ ad portæ rimam bombardâ famulum latronem trajicit, mox remotâ cistâ, stricto ense egressus, filio pastoris caput amputat, patrem fugat, qui per silvas pastores advocat, illi venêre citi, at *Maximilianus* in silvas se abdens, tantisper latuit, dum illucesceret, sed captus à pastoribus & rusticis, tandem genus, & munus, *Gubernatoris* aperit, & si credere nolint, ad *Prætorem* ducant, obtestatur; territi pepercerunt vitæ, ligatis tamen manibus ad *Præfectum* ejus

ejus regionis deducunt; agnitus statim & ab Aulicis ex manibus rusticorum ereptus casum narravit: Opilio morti addictus, uxor ejus combusta, at uxor filij Opilionis ad Aulam accepta, in magno pretio habita, & magnis in omnem vitam præmijs honorata est. Sed ad nostra redeamus in *Comitijs* omnium *Ordinum Bohemiæ Pragæ* celebratis, *Maximilianus*, absens *Bohemiæ Rex* eligitur; res maximis difficultatibus peracta est, conditiones tamen quædam additæ, ut priùs Ordinibus juramento se obliget, Privilegia Regni omnia conservaturum, neque vivente Patre Reipublicæ ullam partem attingat, ùt quantum potest, habitet in Regno, & alia antiquæ libertatis documenta. *Henricus de Waldstein* in *Hispaniam* missus, ut hoc nuncium ab Ordinibus primus perferret, quo commotus *Maximilianus*, tandem Anno 1551. ex *Hispania* cum conjuge *Maria* solvit, & *Genuam* 12. Novembris appulit, ubi eum maxima *Bohemiæ & Moraviæ Nobilitas* cum ingenti jactura fortunarum suarum expectabat; *Viennæ* postea aliquot annos consedit *Maximilianus*, nè, quod vetitum erat, rebus *Bohemicis* se immiscere videretur. Anno 1553. cum Patre ad Comitia Imperij profectus, ut adversus *Turcas* auxilia impetraret, Principibus Imperij placere cœpit, & commendabilem se reddidit, ut singulari felicitate ter in anno (quod *Alberto* soli nuper contigisse scripsimus) coronaretur 8. Septembris, in Natali *Beatissimæ Virginis Ungariæ* coronâ; 20. Septembris *Bohemicâ*; ultimâ Novembris *Regis Romanorum* coronâ celebritate magnâ insignitus est. Adijt Anno sequenti *Wratislaviam*, & vocatos ad se *Lutheranos Ministros* multâ significatione benevoli affectûs summoperè laudavit, quòd concordiam servârent, & cum *Catholicis* aperta odia non exercerent, promisitque operam, neque passurum se, quamdiu regnaret, ut vis aliqua Religioni eorum à quoquam inferretur; neque aliter, quàm dixerat, fecit. Hoc enim in *Maximiliano* omnes notaverunt Scriptores, in negotio Religionis frixisse, & circumferuntur Epistolæ quædam, quas ad Heterodoxum quendam Principem dedit, in quibus ambiguis verbis felicitati ejus se invidere significat, quòd populum haberet conscientiæ liberioris, nulli Ecclesiastico Imperio serviliter subjectum; sed hæc affingi à malevolis *Maximiliano* potuerunt; laudatur tamen ab omnibus *Acatholicis Scriptoribus* ipsa Oratio ad *Wratislavienses Ministros* quæ sæpissime edita Typis est; *Stransky* certè *Picardus Maximilianum piam animam* appellat, quæ nullius conscientiæ vim intulerit, & libertatem dederit de Religione quod quis vellet sentiendi; ego à *Picardo* homine mallem vituperari, quàm in hac re quidem laudari; sed pacis mirus amor in *Maximiliano* fuit, quam arbitror causam fuisse illius quam tenebat in Religione dissimu-

Maximilianus R. Boh. declaratur.

Maximilianus ter in anno coronatus.

Amor pacis in Maximiliano.

mulationis, per quam Anno 1567. Patre jam mortuo in *Comitijs Regni Bohemiæ*, plaudentibus omnibus sectis, ipse præsens *Compactata* (ùt vocabant) abrogavit: nam antè, nulla nisi *Catholica Religio*, & quæ *Compactatis* traditur in Regno permittebatur; *Compactatis* verò sublatis, omnibus, quidlibet credendi æqua data potestas fuit; *Anabaptistæ*, *Picarditæ*, *Calvinistæ*, & ejusdem farinæ homines, qui se specioso *Utraquistarum* nomine tegebant, jam apertè errores profitebantur suos; at *Maximilianus* ut se non deseruisse *Catholicos* ostenderet, cùm antè *Civitates Bohemiæ* obtenderent, quòd *Catholicorum* nemo in Senatum admitti posset, sublato hoc injusto Senatusconsulto sinè discrimine Religionis, etiam *Catholicos* admitti posse ostendit, & *Sebastianum Agricolam* in *Senatum Antiquæ Urbis* adlegit. Magnum hoc tempore Anno 1569. Regi periculum à seditione fuit, cùm enim tricies centena millia sexagenarum ad Ungaricum bellum gerendum, ab universo Regno, id est *Bohemiâ*, *Moraviâ*, *Silesia*, & *Lusatiâ* petijsset, neque ab hac summa quidquam remitteret, offensi in Comitijs Ordines, nec salutato *Cæsare* domum quisque suam, *Silesij*, *Moravi*, *Lusatij* discessêre; sensit *Cæsar*, quid ageretur (jam enim constituerant armis libertatem tueri) itaque contentus ea accipere, quæ Ordines ultrò anno sequenti obtulerant, turbulenta consilia sapienti silentio in præsens oppressit. Anno 1571. extrema fames *Bohemiam* afflixit, novóque exemplo omnes coquendæ cerevisiæ officinæ clausæ sunt, vetitúmque eam sub pœnis gravissimis coquere, nè populo panis deesset; quâ ratione multus servatus est Populus in vita. Sequenti Anno *Maximilianus*, quod olim Pater à *Pio IV.* impetravit ab *Antonio Archiepiscopo* publicari fecit, ut liceret in omnibus *Austriacorum Provincijs Eucharistiam* sub utraque sumere, quo facto omnes sibi demeruit, & *Rudolfo* filio ad omnes coronas facilem stravit viam, ùt Capite sequenti dicetur. Anno tandem 1576. *Maximilianus* multis morbis exercitus in *Comitijs Ratisbonensibus* 12. Octobris, cùm Annum 49. ætatis, duos præterea Menses, & dies undecim, & tres horas, ùt accuratè cõputavit *Weleslavinus* vixisset excessit è vita. Princeps amantissimus subditorum, quos securè & beatè & opulentè etiam vivere semper optabat; in spectaculis magnificus, Equestrium ludorum, quæ torneamenta dicunt, studiosissimus; ea latè describunt ejus temporis Scriptores, adeò ut præter Pragensia fora, quæ ejusmodi ludis & spectaculis sæpe compleverat, etiam in *Palatio Regis Wladislai*, Equitum simulatas pugnas exhibuerit, quas in *Itinerario* suo *Paulus Hentznerus* descripsit. Altero abhinc Anno cadaver *Maximiliani Lincio Pragam* devectum, in sepulchris Regum conditur.

Cura Religionis.

Cerevisiæ coctio totâ Bohemiâ prohibetur.

Welesl. in Calend. hist. ad 26. Febr. Cholessius &c.

NOTÆ

NOTÆ in Caput II.

Maximilianus ad regendum à natura factus &c. Ars omnium difficillima regnare, multis eget præsidijs, neque unquam satis docetur, cùm videamus etiam summâ institutione adhibitâ adhuc graves errores in regendo committi. *Scipio Amiratus*, qui magnum in politicis nomen est consecutus, nimis doctos, aut nimis ingeniosos à gerendis excludit Magistratibus ac sæpe novitatibus inventis causas turbarum præbere demonstrat; idem facit in aureis suis Epistolis *Guevarra*, cùm probat esse meliorem regnandi magistram experientiam, quàm omnem doctrinam. Et tamen admiratione digna res est: quòd cùm nemo artem, quam non didicit, profiteatur, neminem facilè sit reperire, qui se ineptum ad imperandum esse existimet; cujus rei causam interrogatus aliquando *Rudolfus I. Imperator*, ùt est apud *Silvium*, respondit: *Plerique homines eos stultos putant, qui regnare nesciunt, stultum autem sese nemo judicat*; ità Sapientissimus Imperator. Quòd si quis subditorum diversas naturas, ingenia & indoles, propensiones & affectus perpendat, propè fieri non posse censebit, ut unus homo omnibus subditorum desiderijs & votis satisfacere possit; ideóque in auxilium Principum Sapientes adhibentur, cùm unus omnibus regendis non sufficiat. Mihi consideranti Princeps similis *Patriarchæ Noë* sæpe visus est, qui in unam arcam omnia animantia, omnésque belluas composuit, sed id sinè miraculo efficere nunquam potuisset; nec Princeps tot populos compescere, nisi eorum animos Deus inprimis, dein educatio sub Principibus, vivendi ratio, leges usu receptæ, voluntaria Principi subjectio molliret. Ideóque periculosa apud prudentes habetur omnis magna ùt est morum & legum & lingvæ in Republica mutatio, quia his mutatis plerumque subjectorum populorum voluntates mutantur, & dum vetera amittimus, nova in mores nondum induximus, periclitantur universa. Id *Maximilianus* Rex solenne in regnando habuit, ut semper sibi similis, & semper idem populo videretur, nimirum: *moribus antiquis res stat Romana, virisque.*

Omnes ſe ad regnandum idoneos putant.

Scipio Amirat. in Tac.

Guevarra in Epist. ad Petrum de Acuna.

Silv. in Parallelis in vita Alph. M.

Multi vultus hominum, animos habẽs ferarum.

A Magistris morum ad dissimulationem quandam educatus &c. Educatio est altera natura: nam quamvis in conceptu & ortu, metallum, ùt ità dicam, humani corporis à parentibus sumamus, cui metallo animam divinitas infundit, tamen modulus & mensura quædam desideratur in moribus & institutione, ad quam etiam animus componitur; ut dum tormenta muralia, & machinæ funduntur, omnes quidem eodem metallo constant, at non omnes ad eandem figuram conformantur, alia longiora, alia crassiora, prout scilicet modulus & forma, in quam metallum infunditur, extremitates, fila & lineamenta expressit. Quod non semel cum maxima voluptate, dum machinæ funderentur, & quibusdam panniculis velut infantes obvolverentur, spectavi. Itaque non satis certum ex sangvine, sed longè magis ex forti educatione argumentum futuræ virtutis petitur, idque multi sapientissimi Viri agnovêre: *Scipio Africanus* fertur, cùm *Romam* ad triumphum veniret, primum nutrici suæ vetulæ osculum dedisse, non matri, quòd ab illa primùm laboriosè nutritus, deinde ad omnem virtutem primâ ætate informatus fuisset, at altera, ùt dicebat, postquam voluptatis suæ causâ concepisset, non ampliùs sui curam suscepisset, sed nutrici traditum quodammodo abdicâsset. Id causæ est, quòd sæpe ijsdem Parentibus geniti filij, toto, quod ajunt, cœlo moribus discordent; scio multum posse naturam, sed non minùs educationem, ùt apud nos in *S. Wenceslai & S. Ludmilla* institutione, & in *Boleslai* Sævi Principis apud sceleratissimam matrem *Drahomiram* educatione apparuit, ut ille Deo plenus, hic Dæmoni consecratus videretur.

Educatio difficilis.

Nutricum labores.

Venatio curcata Nobilitati.

Vix venationem auſpicatus erat &c. Venatio imaginem & imitationem quandam militiæ habere videtur, & quidem triumphantis, cùm hoſtes fugientes inſequimur; ideóque Nobilitas hâc imagine victoriæ maximè adducitur & tenetur; at milites has ferarum victorias rident, & (quod ſæpe audivi) decentiùs exiſtimant, unum hoſtem, qui contrà ſtetit, fugare, quàm mille feras proſternere. Venatio Principibus *Auſtriacis* ſæpe carò ſtetit. Nota ſunt *Maximiliani I.* in *Rupicapras*, & *Ibyces* (quod genus ferarum aliud eſt, & naturâ differt, ùt *Anſelmus de Boot* affirmat) conamina, quæ eum in ſummum vitæ diſcrimen ſæpius adduxerunt, imò ipſam conjugem cariſſimam venando amiſit, *Mariam Burgundam*, cùm inſequendo feras equo decidiſſet. Legi Maximiliani I. pulchertimum librum, *Teurdanck* inſcriptum (quem *Albertus Durerus* ſculptor & pictor præſtantiſſimus iconibus illuſtravit) in quo *Maximilianum* duæ fœminæ, *Curioſitas* ſcilicet & *Invidia* ad pericula deducunt, ex ijs multa à venatione ortum habuêre; hîc quoque *Maximiliano II.* venatio periculum attulit. Venationes Rupicaprarum & Ibycum elegantiſſimè deſcripſit *Stephanus Pighius*, qui itidem affirmat Ibyces & Rupicapras duo diverſa eſſe.

Anſel. de Boot in Symbolis heroicis.

Liber periculorum Maximiliani I.

Pighius in Hercule Prodicio.

Strada L. 6. de Bello Belgico.

Silentium ſæpe eſt proreſponſo.

Sapienti ſilentio oppreſſi &c. Sæpe ſilentium pro omni reſponſo eſt, idque ingeniosè expreſſit *Famianus Strada* noſter: *non malè auritis ſatis reſpondetur, non reſpondendo.* Et eò quidem faciliùs quòd facillimum eſt, nihil dicere, & ſilentio ipſo probamus ea, quæ nobis proponuntur non ſatis eſſe digna reſponſo, hac in re exercitatum eſſe Principem oportere Politici docuerunt, & tota diſſimulationis ratio (in qua Rectores populorum exercitatos eſſe convenit) ſilentium habet pro fundamento. *Oratorum Magiſtri* docent ad quæ reſpondere non poſſumus, vel non volumus, ea ſilentio prætereunda eſſe; primúmque hujus politices documentum primus *Rex Iſrælitarum Saul* præbuit, cùm *Rex à Samuele Propheta* proclamatus, audiens de ſe quoſdam ſiniſtrè loquentes: *num poterit nos ſalvare iſte?* &c. ait *ſacer textus*: *Saul autem diſſimulabat ſe audire.*

Princeps eſt ſervus publicus. *Contzen in libris polit.*

Bene eſſe populo cupiebat &c. Hoc optimi Principes ſemper ſibi propoſitum habuerunt. Notum eſt proverbium politicorum: *ſalus populi ſuprema lex eſto*; quia non populus propter Regem, ſed ùt *Adamus Contzen* probat, Rex propter populum, quod politicorum omnium axioma evertere conatus eſt, homo *Atheus Machiavellus*, quem egregiè retuderunt tot inſignes Scriptores. Pulchertimum eſt illud, quod notavit noſter *Petraſancta*; diſputans enim cur duæ *Regum Romanorum* ſtatuæ, ſcilicet *Numæ Pompilij*, ac *Servij Tullij* ſolæ cũ añulis ferreis ſteterint (quas adhuc ad ſua tempora perſtitiſſe *Plinius* teſtatur) ſapientiſſimam adfert cauſſam, quia nimirum, ut quidam Sapiens dixit: *Rex bonus ſervus eſt publicus*, ut profiteatur ſe commodis populi ſtudere velle, & ejus utilitates ſibi curæ futuras, poſt Reges *Româ* exactos annulus ferreus Imperatoribus dabatur, & ſic de Jugurtha *Marius* triumphavit. Principes qui hæc politicorum & ſapientum placita agnoverunt, & expreſſerunt, laudantur, at qui neſcierunt, & contempſerunt, omnium Scriptorum ſibilis exploduntur, mirúmque eſt Principes, qui famæ, & tempori præſenti tam ſtudiosè placere volunt, futurarum ætatum & temporis nullam rationem habere, quæ eorum malefacta in *Annalibus* omnium temporum reprehendent, damnabunt, execrabuntur. Sapientiſſimè *Tacitus: optimi quique mortales altiſſima cupiunt &c. cætera Principibus ſemper adſunt: unum inſatiabiliter parandum: proſpera memoria. Nam contemptu famæ, contemnuntur virtutes.*

Corn. Tac L. 4. Annal.

Magnificentia innata Principibus.

In ſpectaculis magnificus &c. Magnifici Principes magnificentiam in omni vita tenuerunt, decet enim Principem non omnia ad pecuniam referre, ſed multa imò plura & potiora ad publicas utilitates, ad ſplendorem & magnificentiam. Ex hujuſmodi rebus agnoſcitur liberalis *Principis Genius.* Jam pridem probatum à me eſt, omnes

omnes laudatos Principes ædificatores fuiſſe, & de *Trajano* optimo *Principe*, quòd innumera opera publica ædificâſſet, ingeniosè *Eutropius* dixit: *Trajanum Orbem terrarum ædificâſſe.* De Imperio Sinico, & magnificis Imperatorum Sinenſium ſtructuris, videatur Martinius; certè Romanorum ædificia omnia velut pumilionum labores ſunt, ſi cum Sinicis conferantur. Semper hoc habuit Aſia, ut reliquas orbis partes non modò amænitate terrarum & locorum, ſed multò etiam magis ſplendore operum, quæ humanæ manus ſtruxerant, ſuperaret. Legantur quæ de ſeptem miraculis commemorat *Pancirollo*, tum illa, quæ *Semiramis* ſtruxit, aliáque innumera. Verùm permittendum eſt aliquid *Genio Principis* excelſo, & magnis ſpectaculis, ludis exhibendis, Palatijs ſtruendis occupato. Omnia hæc glorioſum Regem oſtendunt; gloriæ autem & æternæ famæ, & laudis maximè ſtudioſos Principes eſſe oportere, quem paulò antè laudavi, *Tacitus* admonuit.

Martin. in Atlante.

Panc. lib. de rebus perditis. Herodot. l. 1. Hiſt.

CAPUT III.

Rudolfus Rex Bohemiæ. II. ejus nominis Imperator.



Rudolfi II. calamitoſus exitus.

Rudolfo II. Regi maximo & glorioſiſſimo Invidia lethalem morſum infixit paulò ante mortem, quem ſi evaſiſſet, inter feliciſſimos Reges numerari potuiſſet. Natus *Viennæ* 22. Septembris An. 1552. *Rex Ungariæ* coronatus 1572. *Bohemiæ* 1575. eodémque anno *Rex Romanorum*, at *Imperator* 1576. 12. Octobris *Ratisbonæ* eodem anno & die quo Pater *Maximilianus* eſt mortuus; nemo non Regum hanc *Rudolfi II.* felicitatem optâſſet, ſi ultima primis reſpondiſſent:

\- - - - *ſcilicet ultima ſemper*
Expectanda dies homini, dicíque beatus
Ante obitum nemo, ſupremáque funera debet.

Ovid. in Metamorph.

Jam inde à coronatione ſua maxima dedit Regiæ prudentiæ, cæterarúmque, quæ Reges bonos & populo caros faciunt, virtutum documenta: Regio Catholica prima ejus cura, cujus amorem & defenſionem in Catholico Regno Hiſpaniæ propè cum lacte imbiberat. Hujus rei illuſtre ſpecimen dedit jam ex *Hiſpania* reverſus Regius Juvenis *Viennæ*: cùm enim Pater, quæ illius facilitas in Religione fuit, ùt antè dixi, eum ad concionem Lutheranam ſecum adduxiſſet, & *Præco* ille Evangelicus omiſſo

Zelus ejus pro Religione.

Evangelij argumento multis & injuriosis verbis in *Pontificem*, & Ecclesiæ Catholicæ primos & sacros Ordines debacchatus fuisset, *Rudolfus* ægrè concionis fine expectato surrexit, & grandem Prædicanti colaphum publicè infregit, increpitúsque à Patre, factum magno animo defendit. Eadem animi firmitas semper in *Rudolfo* etiam extremâ ætate spectata est: injuriam optimo Principi faciunt, qui ex eo, quòd literas Majestatis Ordinibus *Regni Bohemiæ* dederit A. 1608. id ab eo infirmitate animi factum existimant; fortior ille fuit, quàm multi existiment, & fortior multis laudatissimis Principibus, sed quia videbat omnia secum in cumulum ruitura, diu resistens, nè Religio denique ultimum exitium pateretur, consensit, quod vitari non poterat. His de rebus utiliter legetur, *Wilhelmus Slavata*, qui tum *Rudolfo* aderat, fidissimus, & intimus consilijs, in Apologia sua adversus *Comitem Turnium*. Præclariora *Rudolfi* opera ad Religionem promovendam, & Catholicam pietatem, & teneritudinem in Regna & Provincias suas invehendam, præcipua numerantur; decreta pro Religione; *Utraquistæ Catholicorum* parti adjuncti; *Consistorium* inferius, ùt vocabant, totum *Archiepiscopo Pragensi*, non violentè, sed svavi quâdam ratione subjectum; officia Regni tam dextrè distributa, ut tam in Nobilitate, quàm in Regno toto *Primas Catholici* tenerent semper; & Catholici, qui idonei essent, tam ad officia Regni & Reipublicæ, quàm ad Civiles Magistratus promoverentur; *Picardi* severissimis decretis sæpius, præcipuè A. 1589. & 1603. confixi, ut nullo loco tuti consistere possent; *Slovanense Cœnobium* hæreticis ereptum A. 1594. & Catholicis restitutum; duo *Collegia Societati Jesu* (*Brunense* & *Glacense*) amplissimè Cœnobiorum loco fundata & dotata; Ecclesiarum omnium fundationes A. 1592. præcipuè in *Urbibus Pragensibus* investigatæ, quâ investigatione plurimum authoritatis & utilitatis Catholicis accessit; *S. Procopij* corpus elevatum, & maximâ celebritate, cui ipsemet *Cæsar* interfuit, A. 1588. in Ecclesiam omnium Sanctorum in *Arcem Pragensem* illatum; *Turcici* belli tempore, quod multos in Annos protractum est, pietatis exercitia quàm plurima, partim instituta, partim exemplis firmata, ùt fuerunt campanarum pulsus, & preces, & conciones ter in hebdomade habitæ in templis propè omnibus, quarum ipse argumentum dabat, de peccatis provocantibus iram Dei, quæ postrema licèt Archiepiscoporum decretis gesta sint, tamen *Rudolfum*, si non Authorem, certè Promotorem habuerunt; denique in omnibus, quæ ad templorum pietatem, & Dei cultum spectabant, maximo Præsulibus adjumento *Cæsar* fuit, ejúsque authoritate nitebantur omnia. Jam verò etiam, quæ pro Regnorum utilitate, & subjectorum populorum bono gloriosa sibi & in

Rudolfi laudatissima studia in Regni nitso.

& in omne tempus memoranda gessit per indicem, ùt hactenus perstringemus: artes & scientias sic amavit, ut nemo Regum magìs: doctos & literatos viros ex omnibus *Europæ* Regionibus maximis præmijs invitatos ad se *Pragam* attraxit, & copiosè & lautè habuit; ex uno *Tichone Brachæo* conjecturam capere licet, qui cùm *Uranoburgum* suum, quod sibi ad siderum cursus observandos magnis opibus exstruxerat ægrè desereret, *Rudolfus* altero tanto ampliùs *Tichoni* in Annos singulos se daturum pollicitus est, quantum ex universis bonis suis & ditionibus in *Dania* relictis, *Tycho* percipere solitus esset; eidémque ingenti pretio *domum Mathematicam* singulari arte perfectam, & ad contemplandam omni ex parte diurni & nocturni cœli faciem aptissimam, prout scilicet ipse *Tycho* sibi descripserat, extruxit, quàm pueri videbamus, & mirabamur tot angulis divisam, & velut Labyrinthæis anfractibus visendam, ut si semel errares, explicare exitum non posses. Advocavit etiam *Artifices*, & qui in gemmis, auro, aliisque metallis laborarent, peritissimos, tum turbam *Chimicorum*, quibus ipse Imperator plerumque collaborabat, tum *Gemmarios* (quos inter eminebat Vir doctissimus *Anselmus Boëtius Brugensis*, ùt ejus opera ostendunt) viros omni genere doctrinarum clarissimos, quos inter *Jacobus Typotius* chorum duxit, *pictores*, *statuarios*, *fossores*, & qui venas metallorum indagare arte scirent, aureæ glareæ & obryzi auri *Lotores*, quos ubique ad auriferos fluvios per omnem *Bohemiam* sparsos conduxerat; denique nihil erat artium, maximè ex quibus certa utilitas in publicum colligitur, cujus peritos homines non haberet; atque utinam in hoc studio parcior *Rudolfus* fuisset, neque curiositate humani ingenij, occulta etiam & sensibus humanis inaccessa & prohibita explorare tentâsset. Ità verò auro & gemmis abundâsse *Rudolfum* Author est *Boëtius*, ut paucos omni ætate Reges illi comparari potuisse affirmet, nominátque eum alterum quendam *Salomonem*, quos titulos etiam non opum gratiâ, sed prudentiæ merito apud quasdam *Europæ* nationes *Rudolfus* consecutus est. Hoc etiam opus *Rudolfum* maximè commendavit: quòd corpora Regum satis inhonorè in *Ecclesia S. Viti* jacentia, diligenter collegerit, & loculis lapideis ad gratiam & splendorem inclusa, excitato ex alabastrite boni artificis manu Cenotaphio contexerit, quod opus, qui ista intelligunt, & eruditos habent oculos, mirantur, & laudant. Nulla in *Rudolfo* opum aviditas nimia, nulla cùm dato opus esset, tenacitas visebatur: *Raconicium* Fisco Regio addictam Urbem precibus Procerum quorundam adductus, statim *Regiam* pronunciavit, & liberam esse jussit; eadem gratia *Novæ Boleslaviæ*, arce exceptâ, & *Bidzoviæ* facta est, ipsis qui eas Civitates tenuerant *Kragirzijs*, & *Wartembergicis* (tanta id temporis

Artium amator & admirator maximus Rudolfus Cæs.

Ans. de Boot præfat. in LL. de Gemmis.

Ejus laus.

Do-

Dominorum facilitas erat!) poſtulantibus. Gloriam *Rudolfi* omnes propè *Europæ* nationes legationibus auxêre; *Tartari, Perſæ, Turci*, aliæq; barbaræ nationes, *Moſci* muneribus & pecuniæ centum millium pretio omnes ſuperârunt, quæ munera legationum is qui aderat, & in rem præſentem venerat, *Cancellarius Slavata* diligentiſſimè deſcripſit. Sed jam ad alteram Fortunæ retrogradæ paginam veniamus: *Rudolfus*, qui omni genere bonorum circumfluebat, Annis ante mortem ſummùm ſex, ità repentè tum à ſuis, tum ab alienis primùm deſeri, pòſt etiam contemni cœpit, ut ferè etiam hoſtes ejus miſericordiâ tangerentur, & quidam, quòd eò proceſſiſſent, dolerent: ante omnia Plebs, & vilior populus jam ab An. 1591. turbis & tumultibus initium aliquod dedit, & quanquam diligentiâ Præfectorum compoſiti viderentur, tamen faſtidium quoddam, & odium præſentium & gubernationis in *Rudolfo*, in alto pectore ſervabant: quoſdam odium Religionis Catholicæ, cujus ardentem cultum *Rudolfus* non diſſimulabat, & decretis aliquando acribus urgebat, ad novas res moliendas incitabat, quoſdam Catholicos maculoſa ejus vita offendebat; multi *Chriſtophorum Hermannum Roswurmb* paulò antè in bello Turcico felicem & ſtrenuum Ducem campi *Mareſcallum* carnificis manu capite plexum indignabantur; alijs *Georgij Lobkowicij Supremi Regni Præfecti* tragica calamitas, & tot annorum carcer, & ſcripti pro ejus innocentia libri ad deſerendum *Rudolfum* ſtimulabant; ipſa denique ſenis Imperatoris moroſitas & mirabilitas, ob quam placere ſeni nemo poterat, alios alia invitabant, ut cùm *Rudolfi* frater *Mathias* primùm *Ungariam*, *Auſtriam*, deinde *Moraviam*, ac tandem *Bohemiam* Confœderatione cum pleriſque *Auſtriæ* Principibus A. 1606. initâ, milite inundâſſet, & coronam à *Rudolfo* poſceret, contemto occidente Sole, omnes ad orientem ſeſe converterint, neque ullus alius *Auſtriacorum Principum* pro *Rudolfo* arma ſumſerit, præter *Leopoldum Paſſavienſem*, qui aliquot millia militum nuper ex *Clivia* reverſorum in *Bohemiam* duxit A. 1609. at ea res in damnum *Rudolfi* vertit; ſuſpicati enim, quod erat, Provinciarum Ordines acriùs in *Rudolfum* exarſerunt, & *Paſſavienſi* militiâ è *Bohemia* cedere coactâ, *Mathiæ*, quem jam *Proceres Moravi* ſequebantur totos ſe dedere, ejúſque qualem qualem cauſſam adjuvandam ſuſcipere decreverunt. Ereptum eſt illud *Rudolfo* eo tempore Regium & pulcherrimum regnantium decus, *quod non coguntur*; viventi & ſpiranti (ùt *Comicus* dixit) funus factum eſt; eóque ſe redactum infelix *Rudolfus* vidit, ut *Regno Ungariæ*, *Auſtriâ*, *Moraviâ*, & cæteris Provincijs decedere cogeretur, & priùs ſuâ manu ſubſcriberet, ea ſe fratri omnia cedere; quódq; luctuoſiùs fuit An. 1611. 23. Maij cùm in *Regem Bohemiæ* coronaretur *Mathias*

Rudolfus deſeritur ab omnibus, cujus rei multæ cauſſæ.

Bellum Paſſavienſe.

Mathias, ipſe tum *Cæſar* in *Arce Pragenſi* degens, plauſus, & tubarum clangores in coronatione fratris audire cogeretur. Tædet me hæc triſtia ſcribere, & jam antè in *Epitome* mea memorata ſunt; hiſtoriam *Rudolfi*, & ejus gloriæ extenuatæ & ad ultimum omnino occidentis deſcribit in *Annalibus Ferdinandæis Khevvenhiller*; nihil vidi illis libris exactiùs. *Piaſecius Polonus Epiſcopus* memorat (quod in alio Scriptore non memini legere) *Rudolfum* jam ætate provectum, novos eóſque mirabiles mores aſſumſiſſe: nullum propè ad ſe præter Artifices, & pauculos quoſdam *Aulæ Miniſtros* admiſiſſe, quorum arbitrio omnia gerebantur (inter alios quendam *Sluskium Equitem Lenonijs* artibus conciliatum) *Botſcajum* ideò rebellionem exorſum, quòd duobus Menſibus in *Aula Cæſarea* verſatus, nunquam audientiam à *Cæſare* impetrare potuerit; ei ſolitudini, & triſti otio *Rudolfi* cauſſam dediſſe *Tichonem Brahæum*, qui ex aſtris monuerit, cavendas eſſe *Rudolfo* propinquorum inſidias; at ille cavebat alienos, ſuos non curabat; ex ea cauſſa *Cæſarem* caruiſſe publico, templa, fora, Curias vitâſſe, & latebris ſe texiſſe deambulantem in porticibus Aulæ internis, quas varias excitaverat cum feneſtris anguſtis & obliquis, nè proſpiciens videri, vel jaculo (quod maximè timebat) peti poſſet. Si quis exterorum *Magnatum Cæſarem* coram intueri vellet, non aliam ferè rationem id conſequendi fuiſſe, quàm habitum *Agaſonis* aſſumere, cùm quotidie *Cæſar* ad equorum ſtabula per diverſos Aulæ anfractus venire conſveviſſet. Hæc ex *Piaſecio*. Obijt glorioſiſſimus quondam *Imperator*, & cum diuturnitate Imperij, & in pace rerum abs ſe geſtarum gloriâ laudatiſſimus in bellis, quæ per Duces ſuos gerebat feliciſſimus, mœrore & curis confectus apoplexiâ *Pragæ* A. 1612. 14. Januarij. Regnavit à coronatione ſua apud nos annis 36. vixit annos 60. Ajunt eum paulò antè mortem de tribus potiſſimùm doluiſſe: *primum*, quòd conjugem non duxiſſet; *alterum*, quòd Sacerdotem, qui ejus conſcientiam multos annos tractârat, abs ſe ſegregâſſet; *tum illud*, quod *Georgium Lobkowicium* inimicorum fraude circumventum ſerò animadvertiſſet, moríq; coëgiſſet.

Piaſec. in Chron. ad A. 1604.

Ejus in ſenecta ætate moroſitas.

Notæ in Caput III.

Ultima primis non reſponderunt &c. Commune hoc fatum generis humani eſt, ut proſpera infauſtis commiſceantur; hoc ut exprimeret *Pœtarum* omnium *Princeps Homerus*, duo dolia finxit ad ſolium *Jovis*, vel limen, jacentia, illud bonorum plenum, hoc malorum, illóque labore occupari *Jovem*, ut vitas hominum infelices quibuſdam voluptatibus, felices verò, malis & amaris attemperet.

Fortuna nũquam ſibi conſtat.

Dolia namque Jovis duo ſunt ſita limine in ipſo
Hoc adverſa, illud ſed proſpera fata replerunt.

Hom. Iliad. ω.

Seneca Epist. 16. 99.

Pulchris similitudinibus Viri docti hanc fortunæ inconstantiam expressêrunt, præcipuè *Seneca Philosophus.* Mihi placet *petauri* similitudo, quâ in Epistolis usus est, *oblitus est,* inquit, *petauri, quo humana jactantur.* Petaurum enim pellis bubula extensa est, vel sagum, vel aliud simile, quo extenso in aërem ludiones jactantur; sed vix supra capita hominum, supráque turbam suspenduntur, & momento decidunt, falsâ imagine brevis gloriæ sibi plaudentes. Circulum & rotam plures in fortunæ inconstantia explicanda adhibuerunt: nota est *Bajazeti Turcæ* historia, tum etiam *Cræsi* cum *Solone,* nisi me senilis memoria fallit, colloquium; sapientissima est *Cræsi* ad *Cyrum* apud *Herodotum* oratio: *disce ô Cyre, humanarum rerum circulum esse, qui rotatus, semper eosdem fortunatos esse non sinit*; sed pauperum & vilium hominum casus vix sentiuntur, nec magnopere lædunt, cùm sedeant in humili, at ruinæ magnorum Virorum ex alto ruentium, & secum in casum vicina quæque trahentium, toto propè Orbe audiuntur, unde Regna & Provinciæ intremiscunt. *Superba Domina* est *Fortuna*, quæ ut vires suas ostendat, altissima quæque detrahit, & in solum præcipitat: multis hanc sententiam inculcat *Lucius Seneca*, maximè in Consolationibus, tum ad *Helviam*, tum *Polybium*, tum ad *Martiam, Fortuna*, inquit, etiam *Cæsarum lacrymas concupivit*, ibidem Imperatorum & maximorum Virorum exempla adducit, Cap. 33. 34. 35. & 36. aptissimè in rem nostram Cap. 33. *nulla domus in toto Orbe terrarum aut est, aut fuit sinè aliqua comploratione. Vides omnes has imagines, quæ implevêre Cæsareum atrium? nulla non harum aliquo suo incommodo insignis est &c.*

Herodotus in Clio seu L. 1.

Consol. ad Polyb. c. 34.

Sacer Orator non debet famam Principum publicè prostituere.

Sonantem colaphum Prædicanti infregit &c. Grande in prudentiam peccatum est, licet alia abessent omnia, in publico hominum cœtu Principum dignitatem prostituere, & maledicentiâ non ferendâ publicè Majestatem violare; monet hoc multis in locis Deus & homines Deo pleni, cùm prohibent *Principibus populi maledicere*: est enim Princeps divinitatis imago. Ego non modò Principis, sed nullius omninò viventium in loco sacro, quocunq; quæsito colore, vitia expresso nomine commemoranda esse censeo: quæ enim utilitas consequatur? induratio potiùs in reis, offensio nascetur in populis. Oritur hoc imprudens in Concionatore studium, plerumque ex vanitate, & perversâ placendi cupiditate; populus enim vitia Principum & Magnatum carpi audit libentissimè, & Concionator sibi placet, cùm ejus dictio populo placet, quasi unus ille pro veritate loqui audeat, cùm alij, ùt putant, adulentur Principibus; silentio tutissima est merces.

Necessitas acerrimum telum.

Omnia secum videbat ruitura, consensit &c. Verè dictum est: *necessitas legem non habet*; prudentis est, aliquid ex toto retinere, quàm totum amittere; vidimus hâc ætate nostrâ exempla, & doluimus; at aliqui stoico quodam rigore svadebant in discrimen adduci omnia, & perire, quàm iniquum aliquid hosti concedere. Ij persimiles mihi videntur, temerario militi aut Duci, qui cæsis aut fugientibus suorum copijs unus ille speraret hosti victoriam occursu suo extorquere, contra omnium Ducum exempla, qui turbâ fugientium ablati, quod vitari non posse videbant, fortunæ commiserunt, in aliud tempus sese reservantes: nam *qui fugit* (de fuga necessaria loquor) *pugnabit iterum*, ùt *Demosthenes* fugiens dixit, apud *Plutarchum.* Sed de hoc toto Religionis negotio, & quatenus & quid permitti Acatholicis possit, sapientissimè disserit ingeniosissimus Scriptor *Caramuel de Lobkovicz* in libro, cui titulum fecit: *Pax S. R. I. licita demonstrata.*

Plut. in vita Demosth.

Fortitudo cũ svavitate in gubernando jungenda.

Consistorium Inferius svavi ratione Archiepiscopo subjectum &c. Laudem meretur *Rudolfus Imperator* non eò tantùm, quòd *Consistorium Vtraquistarum Archiepiscopo* subjecerit (quo facto multas Religionis discordias sopivit, quæ in Religionis negotio esse solent gravissimæ & periculosissimæ) sed etiam quòd svavi quâdam

quâdam ratione, ut id consequeretur, usus sit conciliatis priùs, & in partes suas adductis *Administratoribus*; legi olim in *S. Ambrosio, favos apum Castra appellari*, ex quo *S. Doctor* ingeniosè docet svavitatem melleam, castrorum vices agere, & fortitudinem in gubernatione svavitati jungendam esse: *quid est*, inquit, *favus nisi quædam species castrorum?*

S. Ambr. l. 5. hexam. c. 21.

Belli tempore fugiendæ deliciæ.

Turcici belli tempore pietatis exercitia &c. Nunquam magis oratio necessaria est, quàm cùm bella geruntur; proprium enim est Deo, qui in sacris literis, *DEUS exercituum* appellatur, victorias & triumphos suis concedere; quòd si oratio etiam Deum vincit, ùt in Moyse, & in alijs Sanctorum orationibus *Sancti Patres* demonstrant, Deo votis nostris conciliato, facilè hostes superabuntur; sed bona vita, & à voluptatibus abstinentia, majorem ad Deum propitiandum vim habet; observavit id, idem ille *D. Ambrosius*, admirans cur in ingressu arcæ, *Noë* cum filijs primus intraverit, & in egressu primæ uxores; ipse & filij postremi? *apertè*, inquit, *Noë vocem quandam emittit, tempus illud non esse voluptatum, neque deliciarum, quo omnibus immineret (ex diluvio) interitus, unde in Evangelio Dominus reprehendit, quòd tempore Noë manducarent, & biberent, uxores ducerent, & filias nuptum traderent, & ideò propter intemperantiam eorum supervenisse diluvium.* Et adjicit: *quàm enim indecorum, ut quo tempore viventes morerentur, tunc perituri generarentur!*

D. Ambr. L. de Noë & Arca.

Artibus effloresci Patria.

Artes & scientias ex omnibus Europæ Regionibus &c. Perpetua hæc nota bonorum Principum est, Provincias suas omnibus scientijs & artibus, quantum fieri potest, instruere & exornare; caussæ cuilibet in promptu sunt: dignitas Regis & Regni, præsens populi utilitas domi habere in propatulo, quæ alij foris coguntur quærere: quòd si *multitudo Sapientum sanitas est orbis terrarum*, quis non malit apud se sanitatem hospitari, quàm procul peregrinari? laudatissimi quique Principes ultrò invitârunt artes, maximéque Liberales, earúmque Magistros Scholis & *Academijs* maximo pretio excitatis, Provincias suas doctis in omni arte & scientia viris implevêre; bonus Princeps Provinciam suam domum suam esse putat, quis autem incultam, inornatam, situ, pulvere, luto, & tenebris horrentem domum, præ læta, spaciosa, luminosa, ornata inhabitare velit? adde ipsos Sapientes, ex quibus in omni fortuna auxilium Princeps petere possit, unus sæpe ejusmodi Sapiens Rempublicam & Principem omnibus periculis eximere potest, & pluribus æquivalere censetur. Hoc vidit *Maximus Imperator Carolus V.* qui cùm audisset *Thomam Morum*, & *Joannem Roffensem in Anglia* occisos, *si in meis*, inquit, *Regnis talia duo lumina haberem, quamcunque munitissimam Civitatem mihi auferri paterer, nè his privarer.* Allusisse optimus *Imperator* videtur ad illud Nobile dictum *Darij Regis Persarum*, qui solebat dicere præoptaturum se ùt *Zopyrus* (erat is fidissimus in Consilio, cujus memorabile factum ab *Herodoto* celebratur) nihil damni passus esset, quàm viginti *Babylones*, ultra illam, quam haberet, acquirere. Quod de alio quoque Sapiente dicere Regem solitum accepimus: *malle se tot sibi esse Megabyzos, quàm Græciam subditam.*

Principes viros doctos habeant in comitatu.

Herodot. in Thalia seu L. 3. Bisciola T. 1. subsciv. l. 5. c. 22.

Nimiâ curiositate humani ingenij &c. *Principes* curiositas sæpe egit inpræceps, & in pericula æternæ salutis conjecit: non enim contenti naturam rerum investigare, & in omnes ejus abditos sinus penetrare, etiam quæ videri non possunt, videre, & cum spiritibus colloqui damnabili curiositate desiderârunt. Utinam *Scotus Parmensis*, cui *Rudolfi Cæsaris* curiositas imputatur, hujusmodi noxijs rebus sceleratè docendis abstinuisset! ridiculè & falsè tamen has Principum curiositates descripsit Author sinè nomine, libro cui titulum fecit: *Peregrini in Patria errores*, Tit. 33. *Zoroaster* & Tit. 4. *Præstigiæ* & tit. 8. tit. 46. ubi animarum indusia, & alia ridicula satyricè irrisit. Talem curiositatis genium imbibisse videtur is, qui in *Concilio Nicæno* quærere ausus est: *Quid Deus anteconditum orbem fecerit?* cui *Sanctus Spiridion* acutè

Magnus Principis lapsus est damnata curiositas.

respondit: *inferos pro curiosis hominibus condidisse*, quod responsum non facetum modò, sed salutare quærenti fuit.

Amor in subditos laudabilis.

Dominorum in Vetere Bohemia facilitas in subditos &c. Non facilè fidem habebunt, qui subditos mirè & miseris modis tractare solent, quàm benignè, & quàm leniter Majores nostri subditos atque etiam glebæ suæ adscriptitios habuerint, in libro 1. atque etiam 3. *Miscellaneorum* de *Rosensium* in subditos benignitate multa narravi. Quot Dominos nominare in antiquitate possum, qui subditis suis libertatem donârint! quot oppida, & Civitates liberas esse jusserunt! quod si libertatem non concesserant, jura Civitatum impetrârunt à Rege; non igitur mirum tanto vicissim Dominos amore & tot obsequijs cultos à subditis fuisse, ut propè liberorum in Patrem studia æquarent. Hodierna ætas quot subditos numerat, tot hostes sibi esse putat, & mancipiorum habet loco, quos miti & Christiano dominatu regere oporteret; cùm ut divini & humani juris scientissimi docent, in Christiana Religione Christiani Christianorum mancipia esse non possint.

Molina. Layman. Mariana &c.

Tempus in omnibus observandum.

Decretis acribus offendit &c. Thales inter septem Sapientes primus, *sapientissimum esse tempus* dicebat, ideò existimo, quòd & Sapientes faceret, & admissos errores corrigeret, & si observaretur, omnia sapientissimè procederent. Qui ante tempus aliquid aggreditur, & qui post tempus tum primùm agit, æquale damnum patitur; ut qui immatura poma, aliósque fructus decerpit, svavitatem fructûs amittit, qui autem serò nimis fructum capit, loco svavissimæ maturitatis, amarissimam putredinem degustat; idem in negotijs humanis accidere solet: eadem enim, quæ nunc populo odiosa & intolerabilia videntur, suo tempore, & mutatis quibusdam adjunctis, aut nomine molesto omisso & specioso imposito, non ingrata videbuntur.

Morosa est senectus.

Senis Rudolfi morositas &c. Rarum est hominem senem ab acida ætate, quæ senectus est, nihil acidi trahere: vita nostra vino persimilis videtur, quod cùm ad finem in vase devenerit, acescit. In *Epigrammatis Græcorum* pulchrè id expressum lego:

Anthol. L. 1. Sect. 13. c 16.

Si relictum sit pauxillum in vasis dulcis vini
In acetum mutatur hoc, quod relictum est;
Sic qui exantlavit totam vitam
Ubi ad profundam venit senectutem, fit austerus & morosus.

Aliud Symbolum morosæ senectutis ex floccis carduorum, qui *pappi* vocantur, ego petere soleo; pappi enim illi, senum caniciem referunt, qui utì cardui ex quibus nascuntur, nobis molesti sunt, & pungunt; atque ut similitudinem magìs agnoscas, *pappus* apud *veteres Poëtas* & nominatim apud *Ausonium avus* appellatur.

Non omnia ex Astrorum aspectu pendent.

Tycho prædixit ex astris Rudolfo cavendas amicorum insidias &c. Huic etiam curiositati mirum in modum dediti sunt Principes, qui omnia quæ geruntur in terra, stellis inscripta esse putant. Duos Sapientissimos Romanorum à partibus meis habeo, *Senecam* & *Tacitum*, qui illam credulitatem ingeniosissimis rationibus refutârunt: *Seneca* in *svasorijs*: *an ad bella Mars militem mittat, an negotiosum in quæstus Mercurius exceperit, an blanda arriserit nascenti Venus, an ex humili in sublime Jupiter tulerit, existimant tot circa unum caput tumultuantes Deos? dixère* (scilicet Astronomi) *victuros, & nihil metuentes oppressit dies &c.* Et iterum: *unicuique ista pro ingenio fingunntur, non ex scientiæ vi. Taciti* in *Astrologos* notissima sententia est: *genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in Civitate nostra, & vetabitur semper, & retinebitur.* Mediam quandam ingressus est viam doctissimus *Typotius*: *est quædam siderum vis, ut eleganter probavit Basilius, sed minor potestate Conditoris; nè Principes quidem his legibus se illigant, & irretiunt, quas populo circumdant, ut factis & scriptis Innocentius Papa observavit; & minùs sit liber Princeps universi, postquam sidera condidit, quàm fuerit antè, quàm condiderit?*

Seneca svasor. 1.

Tacit. l. 1. histor.

Iacob. Typot. l. 1. de Hierograph.

Affectus sæpe nos occidunt.

Rudolfus mœrore confectus &c. Grandia sunt tormenta magnorum Principum, in quorum capitibus tot coronæ regales sederunt. Has sibi ex vertice cum contemtu publico dejici, quantum supplicium esse putamus! nihil miserabilius virtute & Majestate afflicta! etiam privatis tristitia vitam adimit, & vitalem cordis succum exsiccat. De hoc tristitiæ morbo sapientissimè disseruit *Josephus Quercetanus* in aureo libro *Diætetico Polyhistorico*, ubi in originem hujus morbi inquirit, & remedia salutaria accumulat. Ibidem invenies mortes subitas ex tristitia, & contrà ab alijs fortiter tolerata, quæ intolerabilia videbantur adversorum genera. Sed ista mala ex toto vinci non possunt, & quanquam animus superior malis evadat, ignobiles tamen animæ facultates, & ipsum corpus atteritur, & hoc morbo in sepulchrum dejicitur, quod mille exemplis, si id ageretur, demonstrare mihi in proclivi est.

Sect. 1. c. 9.

Rudolfus Augusto Cæsar comparatur.

Objit gloriosissimus Imperator &c. Non facilè breviùs, & ut ita dicam, penetralius *Encomium* & laudationem *Rudolfi* me legisse existimo, quàm eam, quæ à *V. C. Jacobo Typotio* confecta est, in libro 3. de *Hierographia* N. 90. ubi *Rudolfum* & *Augustum Cæsarem* inter se contulit & comparavit; qui utpote ejus *Cæsaris Historicus*, facta ejus inspexit omnia, & sinè dubio majorem meretur fidem, quàm ij, qui sequentibus temporibus de *Rudolfo* quædam Majestate ejus indigna tradiderunt.

CAPUT IV.

Mathias ejus nominis I. Bohemiæ Rex, ac denique Imperator.



NUnquam magìs apparuit, quàm periculosum Regijs familijs sit jus, quod *primogenituræ* appellant, cùm uni filiorum legantur & donantur omnia, cæteris nihil; quo factum vidimus, ut *Maximiliani II.* posteritas in *quinque* aut *sex*, egregijs *Principibus* consistens, tota denique sit extincta. Nolo ego hîc incommoda ex Majoratu, ùt vocant, & jure primigeniorum nata recensere; imparem me his judicandis existimo & semper existimavi. *Mathias* igitur *Maximiliani II.* tanti *Imperatoris* tot Regnorum & tot Provinciarum Domini filius, cùm nihil suum in toto orbe terrarum videret, solâ spe, ùt & cæteri quoque fratres vivere cogebatur. Ac primùm Confœderatis *Belgij Ordinibus* se adjunxit, & ab ijs *Gubernatoris* titulo honestatus est ab Anno 1577. usq; ad 1581. quod factum exiguam ei laudem apud Augustissimam familiam, & omnes *Catholicos* comparavit. Reversus deinde in Austriam oblatum sibi à fratre *Rudolfo* militare adversus *Turcas* Imperium suscepit, & sin-

Maximiliani II. posteritas deficit.

ſingulari felicitate ſemel atque iterum *Turcarum* exercitum fudit; interea non ceſſabat ſpes ſuas extendere, & fidam aliquam ſtationem exiſtimationi & honori ſuo congruam quærere, & quantumvis *Rudolfus Imperator Auſtriam* ei gerendam commiſerit, non explebat ejus ſpem, quia inquies animi majora deſignabat; quas deſignationes ipſe frater *Rudolfus* non parum adjuvit ignavè & ſeniliter regnando, maximè An. 1608. ubi inſcio *Cæſare* cum Ordinibus *Ungariæ* & *Auſtriæ Confœderationem* quandam inivit, quâ etiam *Moravos* comprehendit, cùm quidvis credendi, & quamlibet ſectam amplectendi datâ libertate *Regnum Ungariæ* ad ſe attraxit. At priùs conſcripto exercitu in *Bohemiam* properavit, & multis tractatibus præmiſſis eò denique *Rudolfum* ab omnibus deſertum perpulit, ut 14. Junij in *Regni Bohemiæ* Comitijs *Rudolfus* poſtulatis *Mathiæ* conſenſerit, & ſubſcripſerit, ut rata haberetur *Mathiæ* cum *Ungaris*, *Auſtriacis*, & *Moravis Confœderatio*, *Poſonij* inita, ut corona *Ungariæ* ſibi à *Cæſare* traderetur (quam coronam *Cardinalis Ditrichſtein* in caſtra *Mathiæ* attulit) ut *Regni Bohemiæ Candidatus* poſt fratris mortem haberetur (quod poſtea deſiderio coronarum non expectavit) ut ſibi *Auſtriâ*, *Moraviâ* decederet; quod cùm factum eſſet, *Mathias Viennam* diſceſſit, magnâ pompâ ab omnibus Ordinibus ſuſceptus; *Brunam* 25. Julij ad *Comitia Moraviæ* venit, cui omne obſequium *Moraviæ* Status promiſerunt, neque *Ungari* inferiores obſequio videri voluerunt, ſed vocatum 16. Novembris Regem elegerunt, & 19. cum maximo triumpho coronârunt. *Ordines Bohemiæ* cùm imminutam *Rudolfi* potentiam viderent, præcipuè hæretici, eandem libertatem Religionis dari ſibi poſtulârunt à *Cæſare* A. 1609. quam cùm impetrare non poſſent, turbas maximas (quas hîc referre operæ pretium non eſt, & neque ad *Mathiam* res ſpectat) dederunt, & violentiâ Principi ſuo factâ extorſerunt veriùs, quàm impetrârunt. Unus Leopoldus Paſſavienſis *Ferdinandi II. Cæſaris* frater, cum ſex millibus peditum, & duobus millibus Equitum (quam militiam ex *Juliacenſi* bello reduxerat) *Rudolfum* defendere, & ſi poſſet in veterem gloriæ ſtatum reponere tentavit; ac primùm *Superiorem Auſtriam* in fine anni 1610. tum *Bohemiam* in Januario 1611. ingreſſus, ipſam *Pragam Minorem* vi occupavit, *Ordinibus Bohemiæ*, quò bellum hoc ſpectaret non ſatis intelligentibus, atque inter ſe diviſis, cùm alij veteri Regi ſubveniendum eſſe dicerent, alij *Mathiam* timerent, alij eundem ad auxilium *Bohemiæ* ferendum advocarent. *Mathias* qui hæc contra ſe geri ſuſpicabatur, è veſtigio collecto milite ex *Auſtria* & *Moravia* in *Bohemiam* duxit, & recedente *Paſſavienſi* exercitu *Pragam* intravit, 24. Martij; cúmq; deſertum ab omnibus fratrem videret, & arridentem ubique fortunam experiretur, *Rudol-*

Mathias fratrem evertit.

Rudolfum ad id denique compulit, & ſe in *Regem Bohemiæ Ordinum* voluntate præſertim accedente coronari pateretur, & id per *Delegatos* ſuos ad Comitia miſerrimus ſenex etiam poſtulare debuerit. Principiò reſtitiſſe *Rudolfum* invenio, & ſubſcribere omninò noluiſſe, at cùm pauci illi, qui aderant Proceres confirmarent: nihil eam ſubſcriptionem (quòd violenta foret) valituram, etſi etiam non ſubſcriberet, *Mathiam* tamen coronatum iri, prudentiùs facturum, & dignitati conſulturum ſuæ, ſi ex ſua voluntate factum oſtenderet, quod vitari non poterat, A. 1611. 24. Maij *Mathias* coronatus eſt. Coronatione hâc peractâ, cùm omnia fluerent ad votum; reliqua etiam ornamenta Regiæ dignitatis comparanda ſibi eſſe duxit: ac primùm in *Luſatiam*, inde *Wratislaviam*, *Glacium*, & 22. Septembris *Olomucium*, ac per *Niklspurgum Viennam* properavit, atque ibi 4. Decembris *Viennæ* eodem Anno cum *Anna Ferdinandi Archiducis* filia (qui *Ferdinandi I.* filius & *Maximiliani II.* frater fuit) nuptias celebravit. Tabeſcente *Rudolfo*, & anni ſequentis initio 14. Januarij mortuo, *Mathias* ad *Imperij Romani* Coronam aſpirare cœpit. Non eſt inſtituti mei hæc referre, in ſumma: 3. Junij electus *Francofurti* 24. ejuſdem creatus, & coronatus eſt *Imperator*, tertiâ pòſt die *Annâ* Conjuge ibidem in *Imperatricem* coronatâ, mox advolavit *Pragam*, & quâ potuit pompâ Fratris *Rudolfi* funus celebravit, 1. Octobris; altero menſe in Novembris initio *Viennam* reverſus. *Presburgi* deinde A. 1613. Comitia habuit, tum ad Comitia Imperij, quæ ipſe indixerat, acceſſit, ſuíque loco *Ferdinando Archiduci Auſtriam* regendam commiſit, cúmque prolem ex *Annæ* conjugio deſperaret, & de conſilio omnium *Auſtriæ Archiducum* (tranſactione etiam cum *Philippo III. Hiſpaniæ Rege* præmiſsâ, qui jus in *Bohemiam*, habere ſe dicebat, utpote ex *Anna Maximiliani II.* filia genitus) eundem *Ferdinandum* in filiũ adoptavit (videatur ea ſolennis tranſactio apud *Goldaſtum* in fine operis de Bohemia) An. 1616. 10. Januarij *Annæ Imperatrici* corona *Bohemiæ* impoſita eſt *Pragæ*, & conjugis ſuæ honori *Mathias* ludos & Equeſtria quædam certamina in area ante *Arcem Pragenſem* inſtituit, atque ipſemet decurrit, inde *Viennam* profectus, rurſúſque A. 1617. cum vere *Pragam* reverſus eſt, indictiſq; ad 6. Junij Comitijs Proceribus ultrò conſentientibus, paucis tantùm ac ferè exteris ut *Comite Turnio*, *Felſio &c.* muſſitantibus, nihil tamen apertè moventibus, *Ferdinandum II. die Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli* feſto, coronari in *Regem Bohemiæ* procuravit; poſt hæc *Dreſdam* ad *Electorem Saxoniæ* ſalutandum cum novo Rege & *Maximiliano* fratre ſuo *Generali Teutonici Ordinis* profectus, in *Moraviam* & inde *Viennam* ſuam repetijt, neque ampliùs *Pragam* vidit. Hoc jam & ſequenti Anno 1618. Evangelicorum (ùt

Mathiæ ultima conſilia.

(ùt illi se vocabant) Ordinum, mala mens adversus *Cæsarem* & Regem novum susceptа rebellionis consilia patuerunt. Huic Rebellioni abominandæ caussam dedisse *Cæsarem Mathiam Scriptores* hæretici, ac præcipuè *Stransky*, affirmant, quòd scilicet *Mathias*, quæ tam magnificè *Austriacis, Moravis, Bohemis, Silesijs*, promiserat, ut coronas, ad quas hiabat, obtineret, postea his obtentis, cùm ampliùs nihil sperare posset, immutatâ voluntate, novis & contrarijs decretis Regnorum statum convelleret, & manifestè eos, qui Catholicè non crederent, insectaretur, & ijs, qui eum præcipuè adjuverant, malam pro factis gratiam redderet, sed nimirum rarò bonâ fide perfidia mansvescit, & cùm semel Principis obsequium exuerit, ultima & inpræceps euntia consilia apprehendit. Primi rebellionis incentores & Duces, quos antè nominavi, primarios Proceres jam antè hæresi corruptos in societatem consiliorum & periculorum assumsêre. Volitabant quotidie ad *Cæsarem* literæ querelarum pleniſſimæ, quibus Catholicos incusabant, & sibi vim fieri in negotio Religionis vociferabantur. Falsa omnia & ridiculæ accusationes, cùm in tanta paucitate *Catholici* ab Ordinibus hæreticis circumscripti, qui multitudinem, arma, & belli nervum haberent in manibus, commovere se non possent, ùt paulò pòst re ipsâ patuit. Ergò A. 1618. initâ conjuratione cum ingenti tumultu 21. Maij in Conclave, quod *Cancellariam* vocant, in *Arce Regia Pragensi* sinè honore loci ingressi, post acerbissimas contentiones verborum, & exprobratam Religionis Evangelicæ infectationem, duos ex Regijs Locumtenentibus *Wilhelmum Slavatam*, *Jaroslaum de Martinicz* ex senaculi fenestris præcipites dejiciunt, addunt ex Actuarijs unum *Joannem Fabricium* nomine. Hoc fuit Rebellionis fædissimæ principium, cujus media variârunt, finis totius Regni ruinam, & tristissimam *Catastrophen* post se traxit. *Cæsar* ubi rem accepit plurimis literis tumultuantes, componere tentavit, sed frustra fuêre omnia; quare coactus est arma respicere, quæ cum vario Marte gererentur, in medio bellicorum consiliorum apparatu *Viennæ* extinctus est, An. 1619. 20. Martij à coronatione in Regem *Bohemiæ* An. 8. ætatis suæ 63. inchoato. *Princeps* magnanimus, sed in quo mobilitas animi deprehenderetur, in fratrem non satis pius, fortunam toto vitæ tempore sibi similem, id est variam & mutabilem expertus.

Rebellio hæreticorum in Bohemia.

Mors Mathiæ Cæs.

Animadversio pro Lectore.

QVò propiùs ad nostra tempora accedo, eò me in lubricum magìs & periculosiorem locum paulatim devenire sentio, ut propè *Horatianum* illud mihi occini possit:

Periculosæ plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per ignes:
Suppositos cineri doloso.

Omnes Scriptores de suis temporibus timidè, & cum anxia quadam cautela scripserunt, monuítque pridem sapientissimus Annalium & Historiæ Scriptor *Tacitus, Tiberij, Caij, Claudij, Neronis res ipsis florentibus ob metum falsas, postquam occiderant, recentibus odijs compositas esse*, alibi negat historiam scribi posse, si opprimatur Respublica, deesse enim libertatem Scriptori; mihi nihil tale timendum est sub mitissimo *Austriacæ Stirpis* dominatu, sed sæculum in quo vivimus timeo, & tempora, ùt idem *Tacitus* dixit: *inimica scribentibus*; sunt enim quidam, qui nihil neque falsum neque verum de suis ac vicinis temporibus scribendum esse autumant, ac pro inexpiabili audaciâ accipiunt, si quid usquam in ijs, quos novêre, reprehendatur; sen êre multi Scriptores hanc Judiciorum iniquitatem, ac silentio vitia omnia præsentium temporum transîêre. Istorum ego inposterum sequar exemplum, & cùm sub *Mathia Rege*, & alijs usque ad nos Principibus acta in manibus adhuc & memoria recenti mortalium versentur, & pleraque ex ijs adversus regnantes cum scelere, proditione, & perfidia gesta sint, commemorari nisi cum accusatione, & vituperio non possint, ab ijs nartandis abstinebo, nè offensionem eorum incurram, qui ad se vituperia Majorum, aut Amicorum suorum pertinere existimant. Tempus erit, neque illud abest procul, cùm hæc antiquabuntur, & securè sinè Authoris metu commendabuntur memoriæ; post octoginta elapsos annos jam audacter satis historiam scribi posse existimat *Bodinus*; nondum effluxerunt illi, tum *Veritatem* aperiet dies, & quia *Veritas filia temporis* est, nascetur in publicum; ità videmus, ut quæ adolescentibus nobis sinè periculo dici, & efferri non poterant, & pro falsis habebantur, jam & patienter audiantur, & longè tunc, subsidente scilicet veritate, & affectibus narrantium correctis vel mutatis, commemorentur. Itaque inposterum *Notis & Commentarijs* abstinebo, & obiter, velut si præter ripas navigarem, transibo. *Veritatem* nudam *Veteres* pingi voluerunt, mihi *Veritas* ùt *Matrona* induitur, quæ nec tota retegi ob pudorem, nec velari ex toto, & nihil ex formoso suo vultu apparere velit.

Tacit. lib. 1. hist. & lib. 1. Annal.

Periculosum & viventibus scribere.

CAPUT V.

Ferdinandus II. Bohemiæ Rex, & Romanorum Imperator.



FErdinandus II. *Imperator* optimus, omnes in se Christiani Principis virtutes expressit. Natus ex *Carolo* II. *Ferdinandi* I. filio, & *Maria Alberti V. Ducis Bavariæ* filia A. 1578. 9. Julij à pijs Parentibus in timore Divini Numinis educatus, ad ætatem legitimam pervenit, & *Mariam Annam* primam Conjugem *Wilhelmi Ducis Bavariæ* filiam A. 1600. sibi con-

Ferdinandi II. infa non satis læt

jugio junxit. *Mathias Imperator*, ùt antè dixi, cùm prole careret, *Ferdinandum* sibi in tempore adoptavit filium, & in *Bohemia* 1617. in Ungaria 1618. in Imperio 1619. coronari ab Electoribus obtinuit. Mortuo qui adoptârat *Cæsare*, *Ferdinandus* gravissimis periculis & ærumnis jactatus est: etsi enim in ipsis regnandi initijs omnia omnibus *Privilegia* amplissimis verbis confirmârit, tamen ij *Ferdinandi* in *Religionem Catholicam* studium apud suos, apud *Catholicos* verò alias causas, sed frivolas, obtendentes, tantùm abest ut *Ferdinandum* jam coronatum Regem suum receperint, ut etiam *Moravos* ad rebellionem concitârint, qui exemplo *Bohemorum* 30. sibi Directores, & fidei subleſtæ Defensores nominârunt; *Silesiæ Principes*, Ordines ac Civitates jam sub *Mathia* rebellionem exorsi erant, & exercitûs sui *Ducem Marchionem de Jegendorf* cum tribus peditum millibus *Comiti Mathiæ Turn*, qui universum Provinciarum rebellium regebat exercitum, ultrò submiserunt. Quæ gesta sint, tædet referre, quia toties à me & ab alijs Scriptoribus repetuntur; hoc universim dici potest: paucos extitisse Reges, qui à tot hostibus oppugnati fuerint, & tam feliciter hostes profligârint, quàm divinâ ope *Ferdinandus*, qui si omnes se conjunxissent, *Austriacam Domum* funditùs evertissent, sed per intervalla, & non simul omnes proruerunt ad bellum. Hostes habuit: *Regem Galliæ*, *Turcam*, *Reges Daniæ*, *& Sveciæ*, *Electores*, *Trevirensem*, *Palatinum*, *Saxonem*, *Brandeburgicum*, *Protestantes* omnes (excepto *Hasso Darmstadiensi*) omnes *Civitates Imperij Acatholicas*, *Transilvanum*, *Ungariæ & Bohemiæ Ordines*, *Moravos*, *Silesios*, *Lusatios* utrosq;, *Austriæ Superioris* Ordines, rusticos in *Austria*, Ordines item *Acatholicos* in *Inferiori Austria*, in *Italia Venetos*, *Sabaudum*, *Mantuanum Ducem*, ut taceam innumeros occultos, & qui se *Neutrales* dici voluerunt. Omnibus his superiorem *Ferdinandum* fecit Deus: in *Austria* tres in obsequio permanserant Urbes, *Vienna*, *Nova Civitas*, & *Cremsium*; in *Ungaria Jaurinum*, & *Comorinum*; in *Bohemia Budvicium* & *Crumlovium*, nihilque aliud, nam *Plsna* à *Mansfeldio* capta fuit; in *Moravia*, *Silesia*, *Lusatia*, nihil parebat *Ferdinando*. At cœlesti auxilio *Fridericus Rex Zephyrius* in *Albo Monte* 1620. 6. Novembris magno prælio victus est. Cum *Gabriele Betleno Principe Transilvaniæ* ab A. 1620. usque ad 1629. pro *Ungaria* bellum gessit fortunato exitu. Annus 1622. *Ferdinando* secundus & felix 27. Aprilis victoriam habuit adversus *Marchionem Badensem Durlacensem* (qui in exilio apud Helvetos obijt) ad *Wimpfenam*. Ad *Hôchstam* 2. Julij adversus *Ducem Christianum Brunsvicensem*, ad *Floreacum* 19. Augusti adversus *Mansfeldium*. Iterum An. 1623. 6. Augusti eundem *Christianum* in *Westfalia* vicit, qui machinæ muralis ictu brachio amisso ex vulne-

Hostes Ferdinandi II.

vulnere obijt; *Mansfeldium* 6. Decembris ad *Frisoltum* vicit. Rebellantes *Austriæ* rusticos A. 1625. iteratò. *Mansfeldium* ad *Dessaviam* 15. Aprilis A. 1626. 27. Augusti *Regem Daniæ*, cum quo postea pax coaluit. *Mantuæ Ducem Carolum* fregit A. 1630. Secuta sunt infelicia prælia adversus *Gustavum Adolfum Regem Sveciæ* ad *Lipsiam* An. 1631. 7. Septembris. Pugnatum iterum cum eodem Rege A. 1632. ad *Lutzen* 6. Novembris, in quo prælio Rex cecidit. Cæsus iterum *Cæsareus* exercitus ab *Georgio Duce Lunæburgico* 28. Junij ad *Hamelam* A. 1633. sed *Nôrlingana* Victoria omnia restituit, parta de *Svecis*, eorúmque socijs A. 1634. 6. Septembris. Clades etiam An. 1636. 24. Septembris accepta est. His victorijs inclytus *Princeps Imperator Ferdinandus* An. 1637. 15. Februarij excessit è vita, ætatis Anno 58. Mense & die 6. Ejus virtutes in *Libro IV. Miscellaneorum* obiter attigi, latiùs à *Gulielmo Lamormajni* commemorantur in Vita. Merita tanti *Principis* excedunt omnium Scriptorum diligentiam & facultatem, præcipuè *Religionem Catholicam*, *Ecclesiasticos* & *Religiosos fovebat*. In *Bohemia* hic Ordo, qui ante hæresim dignitate & suffragijs ferendis in Comitijs, Judicijs, aliisque solennibus actibus dignitate primus erat, sed jam apud corruptos hæresi Proceres nihil poterat, ordinem suum & dignitatem à *Ferdinando* recepit; apud *Moravos* secundam vocem, ùt vocant, idem Ordo habebat, primam illis *Ferdinandus* dedit; in *Austria* Ecclesiasticis quibuscunque fato suo functis omnia *Archiducibus* obveniebant; hunc perversum morem sustulit *Ferdinandus*, & ad Ecclesias, aliósque de jure hæredes pertinere rescripsit; de negotio Religionis taceo, innumera hominum millia Ecclesiæ restituta in Provincijs nostris numerare possumus. *Fundationes* in *Bohemia* quatuor *Episcopatuum*, item *Contractum Salis* consultò prætereo. *Slavata Cancellarius Regni*, *Austriacæ Domui* fidissimus (pro qua mori non recusavit, ex altissimis *Arcis Pragensis* fenestris in certam mortem præcipitatus) rem miram scribere ausus est: abusos esse tanti Principis justitiâ & probitate, qui aliquid in Aula valebant: monetam eos adulterâsse & sæpiùs pro libitu deteriorem fecisse; *Principem* pijssimum, Aulam impiam habuisse (disertè id affirmat) justissimum & incorruptum *Principem*, rapacium harpyiarum aduncas manus sæpius expertum fuisse; & pupillorum & viduarum oppressiones, eo nihil sciente perpetratas; eversos esse bonis omnibus, & proscriptos qui nihil peccârant, & per ætatem nihil peccare poterant; hæc *Slavata Ferdinandi* Cancellarius.

Prælia Ferdinandi.

Slavata Cancell. in Apologia adversus Turnium.

CAPUT VI.

Ferdinandus III. ejus nominis Bohemiæ Rex, Sapientissimus Imperator.



MOrtuo Patre filius *Ferdinandus III.* (vivo adhuc Patre, & Regna & Imperium consecutus) successit, & Fortunam bellorum in se à Patre transtulit, & primùm quidem Fortuna virtuti servivit, cùm, ùt dixi, ad *Nordlingam* ipso præsente magno prælio victi sunt Sveci. At sequentibus Annis, cùm *Ferdinandus* ob negotia publica exercitus suos sequi non posset, magnæ Clades infelicitate Ducum acceptæ sunt; præcipuè ab audacissimo & militiæ peritissimo *Duce Winariensi; Panir* quoq; Svecorum Dux *Bohemiam* ingressus A. 1639. omnes ferè *Cisalbinos Districtus à Litomericio Pragam* pervastavit, & incendit; sex millia pagorum tum temporis arsisse dicunt. Variâ dein fortunâ bellum gestum, *Archiduce Leopoldo Cæsaris* fratre cum forti & fortunato *Duce Octavio Piccolomini Svecorum* impetus feliciter propulsante. Annus 1642. infelix multis de caussis fuit, cæsus cum exercitu *Franciscus Albertus Saxolauenburgicus ad Svidnicium* à suis, ut ferebatur, occisus, certè ab Equitibus desertus; ingressi *Moraviam Sveci*, munita pleraq; loca cum *Olomucio Principe Regionis* Urbe occupârunt: mox *Silesiam* & *Lusatiam* transgressi, sequentibus *Cæsareis* constiterunt ad *Lipsiam*, ubi hoc Anno 1642. acerrimum commissum est prælium, & fugâ dissipatæ *Cæsaris* copiæ retro in *Bohemiam* palantes concesserunt. Sed quid attinet hæc tam tristia commemorare, quæ toties fieri vidimus, & qui in rem præsentem non venerunt, in omnibus hujus temporis Scriptoribus legere possunt? in summa: ad fugam impulsus ex *Dania* novus *Cæsaris* exercitus, magnâ sui parte imminutus in *Bohemiam* redijt; occupata munitoria *Bohemiæ*, *Moraviæ* & *Silesiæ* loca, & commisso ad *Jankow* in *Bohemia* An. 1645. infelici nobis prælio, nutabant omnia, & unus *Danubius* victorem exercitum *Svecorum* stitit; captæ *Cisdanubianæ Civitates*, *Retzium*, *Steina*, *Cremsium*, *Corneyburgum*, & plures aliæ. Rediêre deinde *Sveci* in *Moraviam*, & *Brunam* obsidione quindecim hebdomadarum arctissimè cinxerunt,

Svecorũ felices progress9 advers. Ferdinandum.

xerunt, quorum felicitatem *Bruna Ludovico Souches Urbi Præfecto* intercepit. Annis aliquot sequentibus, cùm Sveci in *Franconia* agerent, & *Herbipolensem* & *Bambergensem Antistites* vexarent, habuêre *Cæsarei* spatium, quædam in *Bohemia* & *Moravia* recuperandi, sed brevi post coronationem *Bohemicam Ferdinandi IV.* A. 1646. redeuntibus Svecis, *Wrangelio Duce*, arma Svecica iterum per *Provincias Cæsaris* volitârunt; capta est *Egra*, *Cæsareo* Exercitu, atq; ipso *Augustissimo Cæsare* propè inspectante, cujus præsentiâ animatus exercitus multa præclara in *Svecos* virtutis militaris edidit specimina, & cùm non fieret pugnæ universim copia, partibus hostes egregiè accîdit, maximè in eo conflictu, ubi *de Wert & Montecuculi* furiosum illum *Svecorum Ducem Wrangelium*, cum suis oppressêrunt. Anni 1648. initia Clades exercitûs *Cæsareani*, & cædes Ducis *Melandri* consignavit; *Königsmarkius Svecorum Ductor* proditione *Ottovaldij Equitis Franci* inobservatus, nocte iter faciens, die silvis sese obtegens, *Pragam* accessit, mediâ nocte *Ottovaldium* cum centum peditibus præmisit, qui valla, quæ tunc extruebantur, transgressus, vigiles occidit, & portas hosti aperuit, capta *minor Praga*, capta Arx, & *Sveci* per pontem ad *Antiquam Urbem* tendentes, unius potissimum operâ *Patris Georgij Plachy S. J.* qui & cataractas ferreas dejici socij sui auxilio fecit, & voce sublatâ Studiosos, ad arma vocavit, rejecti sunt; quæ deinde Pragæ gesta sint præclara, tum à Religiosis, qui defensionem Pragæ suscepimus, tum à *Studiosis*, *militibus*, ac *Civibus*, tot mortes & vulnera plùs nimio declarârunt: à Julij fine ad Novembris Mensis principium fortissimè repulsus est hostis, quamvis octodecim millibus globorum currulium Pragam verberâsset, & ad centenas plurésque orgias mœnia dejecisset, & in ipsis mœnibus murales machinas statuisset, sub hæc inexpectatè nova læta, de pace *Osnaburgensi*, quæ 24. Octobris inter *Cæsarem*, *Gallum*, & *Svecum*, coaluit, nunciantur; atque ita ab armis discessum est. *Cæsar* factâ pace, ut Provincias suas ab hostibus nuper vastatas recrearet, multa solatiorum genera invenire conatus est, A. 1652. principio Julij Pragam ad se Electores invitavit, comparuêre omnes, & cum multa significatione secundissimæ in *Cæsarem* suum voluntatis, omne genus hilaritatis libentes admisêre; itum deinde *Ratisbonam* ad Comitia, mox loco mutato *Augustam*, ubi ultimâ Maij *Ferdinandus* IV. *Bohemiæ & Ungariæ Rex* Romanorum omnium Electorum vocibus, salutatus, & iterum *Ratisbonæ* 17. Junij coronatus est; sed heu spes omnium incertas, quæ in vitæ incertitudine velut in lubrico & maligno solo fundantur! quarto decimo pòst Mense 9. Julij An. 1654. nondum vicesimo primo Anno expleto tollitur è vita, cui tantummodo in titulum sepulchri tot coronæ & honores

Bella eorum temporum & clades Cæsareæ.

Tollvvrangel.

Praga minor & Arx capitur.

Pax Osnaburgensis.

Ferdinandus IV. coronatur.

nores donati videntur. Ad alia igitur consilia suscipienda conversus est *Ferdinandus* Pater, atque ante omnia An. 1655. initio Januarij serenissimum filium *Leopoldum Ignatium*, omnium Provinciarum suarum hæredem publicavit, & Posonium cum eodem descendens *Regem Ungariæ* in Comitijs ab Ordinibus electum 27. Junij coronavit. Sub hæc *Gustavus* ex *Palatina* stirpe *Bipontina Sveciæ Rex Poloniam* cum exercitu ingressus 21. Julij toto illo anno, & sequenti variâ fortunâ cum Polonis bellum gessit; meliore tamen conditione suâ quippe plurimis *Urbibus Poloniæ* occupatis, *Regem Casimirum* in *Silesiam* extrusit, ac nisi *Cæsar Polono* decrevisset suppetias (quas primum *Cæsaris* post mortem mi êre qui *Gubernationi Austriacæ* præerant) forsitan Poloniæ vulnus lethale Svecus inflixisset. Jam nuper A. 1656. 14. Septemb. Pragæ Serenissimo *Leopoldo* corona Bohemiæ imposita est, itaque licet curis Paternis (quæ maximæ & præcipuæ sunt de coronatione filiorum, & securitate Provinciarum) levatus, tamen morbis excruciatus, jam antè se prodentibus, nunc verò invalescentibus, cùm omnia *Medicorum* auxilia malum superaret, audito SS. Missæ sacrificio, ritè expiatus, & cœlesti Viatico refectus, vitâ excessit, ætatis 49. Regni Bohemiæ 30. Ungariæ 32. Imperij Romano-Germanici 21. Princeps fuit magni consilij, fortitudinis & patientiæ in tot adversis admirabilis, sed consilia ejus præclara, quàm sæpissime fortuna enervavit; & nescio, quæ in exequendo aliorum tarditas prorsus evertit; sed quæ felicitas Patri non obtigit, eam læti spectamus & gratulamur *Filio Augustissimo Leopoldo* servatam esse.

Bellum Svecorum & Polonorum.

Mors Ferdinandi III.

CAPUT VII.

Ferdinandus IV. ejus nominis, Bohemiæ, Ungariæ, & Romanorum Rex.



Ferdinandum IV. ex albo Regũ nostrorum expungere nõ possumus, authoritate omnium Ordinum legitimè coronatum, etsi nullam Reipublicæ partem, quod in coronatione cavebatur, attigerit; nihil igitur in regnando ejus gloriæ & virtuti imputare possumus, præter innocentiam ætatis, & luctum, quem Provinciæ omnes ex ejus immaturo obitu perceperunt; mihi privatus luctus

luctus in publicum versus est, cùm *Justa Funebria Regius Comitatus Glacensis Principi* suo suo statim à morte persolveret, imperatum est, ut *Mausoleum* ornarem; ornavi pro ingenij modulo varijs picturis & Emblematis, & Elogia innocentissimo Principi, tria præcipuè (quæ Regius Magistratus id temporis, ut memini, commendavit) affixi; ea, quamvis *in Verisimilibus* meis recitaverim, tamen quia liber paucis notus est, ad memoriam tanti Principis conservandam hoc loco legentibus offeram, cùm jam ingenij & corporis viribus sideratione non leviter perstrictis & attritis, nova producere non valeam; sic igitur habent:

Elogia sepulchralia Ferdinandi IV.

ELOGIUM I.

Augustis Manibus Sacrum.
Ferdinandus quartus.
Romanorum, Bohemiæ, Ungariæque Rex Anno 1654.
Ante diem terris occidens.
Ante lucem cœlo (in Aurora diei) exoriens hoc clauditur sepulchro.
Soles mutavimus:
Dum *cœlestis* Sol mundo, *terrenus* cœlo illuxit.
Augustæ nuper creatus *Augustus*,
heu angustè nimiùm sepelitur!
Ratisbonâ minimè secundo Danubio Viennam devectus,
Ad mortem navigâsse & descendisse videbatur,
Nisi ad *Justitiam* in cœlum *pietate Austriacâ* enavigâsset.
O Ratis mala!
Quæ *Cæsarem, ejúsque Fortunam* (Filium) deorsum vehebas!
Hinc *illæ lacrymæ*! hinc *terræ motus*! hinc Eclipsis!
Tremuit Ferdinando moriente terra, ut sciremus:
Quanti ponderis Principem, dum viveret, portavisset.
Libravit tunc se *inæqualiter* Mundus,
Justo Principe occidente,
Et *trepidationis motu* concussus est.
Nutavit:
Quia *centrum Votorum & Cordium* mutavit,
Cùm amisit *Ferdinandum*;
Terræ motus mortem ejus *præcessit*,
Utinam non *sequatur*!
Ante *Eclipsin Solis* moritur:
Ut dum *Sole* carebit *Globus* Imperij,
ejus *cœlesti Gloriâ* illustretur.

O ino-

O inopinata *Eclipſis in Julio*!
Imò & in *Auguſto* Auſtriacæ Domûs Imperio!
O à nemine mortali prævisa!
Minimè ab ijs
Terræ motus mortem ejus præceſſit, & ingens Eclipſis.
Qui omnia *Ferdinando* felicia providerunt, & præviderunt.
Demonſtrâſtis non Aſtronomi, ſed *Medici*;
Heu! *Sol* noſter occidens repertus eſt in *Maculis*!
Ideo fortè *variolis* extinctus & ſub Auroram,
Ut ſpes omnes noſtras *dubiam* & malignam habere *lucem*,
Et *Fortunam variabilem* Mors ipſa monſtraret;
Venit ad Imperium,
Vidit Electorum Collegium,
Vicit Competitorum ſtudium,
Et *vixit*.
Minora fuerũt omnia Ferdinandi virtute, quæ *tribus* nõ contenta coronis,
(quibus *Ferdinandum* coronârat)
Quartam ei in cœlo impoſuit.
Sponſus erat *Ferdinandus*,
Jam ei cœleſtis *gloria deſponſatur*.
Rex amorum dicendus potiùs,
Quam *Romanorum*, aut *Armorum*;
Siquidem non eum *Roma*,
Sed verſo nomine, *Amor*, coronavit omnium *Electorum*;
Primus electus ab *Octo viris*,
Quaſi ultimus, & *octavus* eſſet *gradus amoris*;
Nunc *dulci Amore* mortuo:
Non mirum regnat *acerbus dolor* populorum.
Imperij Pomum, quod *Amor* & *Concordia* porrexit
FERDINANDO,
Diſcordia fruſtra parabat arrodere,
Mors fortior, velut olim *clavam Herculi* extorſit.
Cæca profectò *Mors*,
Quæ maturitate virtutis decepta,
Credidit eſſe *Senem*, quem feriebat,
Imò tam propera, & præceps,
Ut *tria numerare* neſciverit,
Nam *quartum* ſuſtulit *Ferdinandum*,
Tertium tranſtulijt,
Feliciter (atque utinam ſemper!) Orbi imperaturum!

O Fer-

O Ferdinande Rex bis ſecunde abis in cœlum!
Sed tot populorum tuorum vota contumulantur,
Et *corpus* tuum inter *ſanguineas & lacteas maculas*,
Immaculatus Cinis eſt.
Hos *mutos* Cineres *audivisti Viator*.
Diſce: *communes* è cinere generis humani *metas* reſpicere,
Et vel *Cinere* Romanorum Regis aſperſus, memento:
Quia pulvis es, & in pulverem revertéris.

Anno
FERDINANDI GLORIA CADIT.

ELOGIUM II.

FERDINANDUS QUARTUS,

Humani generis breve *delicium*,
Orbis *expectatio deluſa*,
Spes exſpirans;
Rex Romanorum,
in quo eligendo *vota* Populorum,
Corda omnium conſpirârunt Electorum,
In hoc ſecum loculo *Regnum* clauſit *Romanum*.
Plurimorum Cæſarum ſanguis,
Hæres tot Regnorum,
Etiam *Tranſmarinis Coronis* Regio vertici impendentibus,
Æternam ipſe prælegit
Ad *cœleſtem Sponſam Hieruſalem* profectus.
Quid mirum *titubâſſe* eo moriente *Terram*,
Cùm eam, ùt *ludicrum globum*
Rex innocens è manu projiceret?
Trepidabat ſcilicet *Orbis*, dum dubitat,
Quâ manu tangetur in poſterum,
Qui hactenus *Juſtitiâ & Pietate* Auſtriacorum Principum feliciter
aſſveverat contrectari.
Cùm *decimum quartum* Romanæ Regiæ Electionis Menſem
Ætatis *vigeſimum primum* attigiſſet,
(utrumque *Criticum*)
Eclipſi inexpectatâ
Non *Solem* ſed omnes propè *Germaniæ oculos* lacrymis obtenebravit;
Imò & *Solem* tenebris involvit:
Eclipſis eo anno formidabilis Regis motẽ ſecuta.

Quia *Magnum Cæsarem* Regnorum suorum *Solem*
Atram vestem coëgit induere,
Ut *Rex albus in atro* esset,
Et inter humanæ *vitæ calculos* in spectaculo sederet *atratus.*
O incertæ providentiæ nostræ!
Eclipsis duplex hoc anno peragi debuit:
Cælo altera, & altera *terris*;
Terrestrem soli *Cælites*
Cælestem nos terrestres prævidimus:
Cœlestis *minor* est:
Quia: *Soles occidere, & redire possunt.*
Nostra *Major*, & diuturnior:
Quia Ferdinando, *nox est perpetua una dormienda.*
Ad hujus *benefici Solis* aspectum, & ortum, incipiebat terra recreari,
Intremuit velut horripilans *ad occasum*,
plùs passa, quàm *in Eclipsi solari*,
Quia *plurium influentiarum Princeps* extinctus est.
Variolis oppressum Regis Cor est:
Sangvinis scilicet & lactis (paterni & materni, id est Austriaci) copiâ!
Nam *sangvinem* paratus erat *pro DEO fundere*,
Lac populo (ob clementiam) propinare.
Quod si in cœlum *via lactea est*, & liliata,
An non eam *Ferdinandus* visus est tenuisse?
Hinc etiam *cum lilijs in Julij mensis initio* evanuit;
Nè *tumulo lilia* deessent;
Ipse sibi *lilium* fuit.
Lilium tum alibi *coronabatur* in terris,
Cùm lilium nostrum *veste immortalitatis* indueretur,
Et *coronâ gloriæ coronaretur* in cœlis.
Profectò nec *Salomon in omni gloria sua*,
Sicut hoc lilium fuit *coopertum.*
Innocentissimum & verè liliatum *Principem* agnoscimus,
Qui etiam *Innocentium* morbo moriens laborârit.
Manus ejus *innocens*, *innocens Aquila*:
quia *nulla* adhuc *fulmina* misit, nisi *Amoris*
Timete, qui Orbem hæresi, & factionibus dividitis!
Aquila, quæ *Jovi porrigebat* fulmina, nunc *mittet*;
nisi fortassis *Aquila* transierit *in columbam.*

Regis Symbolum erat, *Pro Deo & populo.*

O FER-

O FERDINANDE!
Nos putabamus: *Te pro Deo & Populo* pugnaturum,
TU:
Deum pro Populo orare maluisti;
Non eris posthac noster *Imperator*,
Sed *Impetrator!*
Anno:
ReX RoManiVs, heV! VIennæ eX haC VIta abIVIt aD sVperos.

Elogium III.

D. M. S.
Si Te, ô Viator, magnæ *honorum umbræ*,
Et longa *Titulorum* Syrmata terrent,
gressum hinc celeriter amove,
In hoc Tumulo tantum inclusum est Titulorum,
Tantum gemituum, & lamentorum,
Tantum lacrymarum, & dolorum, & umbrarum,
Ut, si aperiatur,
Orbem universum possint implere & obtenebrare.
FERDINANDUS QUARTUS
Romanorum, Bohemorum, Ungarorum, &c. Rex quievit.
Hic Romani *Regis titulum*
Anno, & Mensibus duobus, gestum:
Aut Imperio restituit,
Aut tumulo clausit,
Aut in cœlum intulit.
A Venatione Ferarum ægrotus rediens
A *morte* crudeli Fera
quasi indagine exceptus est;
Hæc *coronas* in *Cupressum*
Sceptra in *ligones*,
Purpuram auro tinctam in *linteum mortuale* mutavit.
Lugebit tanti Regis *occasum* die constitutâ *Sol*,
Et *suspensis* per Orbem *tenebris Justa Justo* persolvet;
Nisi fortè unâ Imperiali *Eclipsi* contenta *Natura*
Solem ultra parcat vexare.
In Junio à summa Imperij Fortuna,
ad *Nativitatis Domum* redibat,
(quò revertimur omnes)

cùm *Sol in cancro* revertente luceret,
velut *Sidus* quoddam *retrogradum*
etiam *ex Oriente* ſibi fecit *Occaſum.*
Ad tanti, tamque ſereni ſideris caſum in tumulum
Viennæ ſolum intremuit,
Quod ad Turcarum millia immotum conſtiterat.
Vienna *tremuit & quievit:*
Quia alium *citò* nacta eſt *Leonem*
Leopoldum
Utinam & Imperium, ſi tremuit, conquieſcat!
Nunc ex *Leonis* ſidere *Agni* ſidus erit,
Agnum enim ſequetur *Agnus* immaculatus
FERDINANDUS;
Nam licèt corpus mortalitati obnoxium & ſparſum *maculis* fuit,
Animus perſtitit impollutus;
Nec *repertus eſt in maculis;*
Sed cùm *Sole* purior eſſet,
Orbis ei noſter viſus eſt *maculatus.*
Certè Medici,
Cùm nullam *immortali Principi moriendi* cauſſam invenirent,
in Variolis ſummam Fortunæ inconſtantiam
& *vitæ & mortis varietatem* invenerunt.
Nimirum etiam Auguſtas Domos Mors intrat;
Conſilia invenit Sapientia,
Princeps implet,
Mutat Deus.
Quid ultrà expectas, qui hæc legis, ô *Viator!*
Seu felicitatem, ſeu calamitatem ſpectes?
Non ibis, *ultrà!*
In *ara ſepulchri* componemur omnes ad victimam.
Sed jam, *ô Viator! nemo te tenet,*
Si non *tenet* ſuſpenſum tanti Regis mortalitas,
Tene tamen *ſuſpirium,*
Nè Regios *cineres* flatu *perturbes,*
Vide quanta humanæ gloriæ *levitas!*
Abi, & regijs manibus bene precare!

CAPUT

CAPUT VIII.

Leopoldus I. Bohemiæ Rex, Auguſtiſſimus Romanorum Imperator.



HUjus inclyti *Monarchæ* Regias virtutes, & gloriam ſecuturis ætatibus deſcribendas relinquo, deſperatione ſuperatus: nam etiam ingenij tenuitate, ùt alicubi cecinit *Horatius:* laudes Clarorum Virorum deteruntur, & quem laudare velis, niſi tua laudatio gloriam Viri adæquet, propè eſt, ut commendationis loco vituperium ſcribatur. Natus eſt *Princeps Auguſtiſſimus* An. 1640. 9. Junij, & *Leopoldus, Ignatius, Franciſcus, Balthaſar, Joſephus, Felicianus* nomen accepit; indolem generoſam & Regiam (etſi non ad Regna, ſed ad ſacra deſtinaretur à Patre) ſemper oſtendit; fratre mortuo, tum primùm ſapientiſſimus Pater curis, & negotijs filium aſſvefacere cœpit, An. 1655. 26. Januarij declaratus eſt Patris Succeſſor, eodem Anno 27. Junij *Ungariæ Rex*, Anno ſequenti 1656. 14. Septembris *Rex Bohemiæ* coronatur. Mortuo poſt hæc *Ferdinando* Patre, morâ aliquâ neſcio unde injectâ protracta eſt ejus *Imperialis* coronatio *Francofurti* ad An. uſque 1658. 5. Auguſti. Imploratus à Regibus *Daniæ* & *Poloniæ* (poſtquam id bellum ad ſe pertinere ex Arcanis literis & deſignationibus hoſtium clarè didiciſſet) primum bellum pro ijs geſſit, & *Svecos Poloniâ* feliciter ejecit, bellúmque in *Pomeraniam* tranſtulit, An. 1659. Poſthæc magnorum Regum exemplo A. 1660. Provincias ſuas inſpicere cœpit, nec *Styriam, Carinthiam,* & extremam *Carnioliam* omiſit, cùm ecce inexpectato bello à *Turcis*, qui fœdus & fidem juratam abruperant, petitur; An. 1663. à *Mahumete IV.* qui cæsâ aliquâ militiæ parte ad *Barcânum novas Arces* occupârunt, & permunierunt; quos tamen egregiè contudit, & apud *Serinvar* in *Croatia* egit in fugam; dein *Comitia Imperij Ratisbonæ*, auxilia petiturus An. 1664. celebravit; mox reverſus *Inferiorem Ungariam Turcicam* perterruit, & *Canisâ* fruſtra tentatâ *Nitriam* ex Turcis recepit; victoriæ minores ſecutæ ſunt multæ ad *Gernovicium* 16. Maij ad *Serinvar* iterum 6. Junij ad *Levenczam*, quam fugatis Turcis Duce *Sucheſio* recepit,

cepit, tandem omnium Christianorum copijs, *Gallorum*, aliorúmque auxilijs memorabilem de Turcis victoriam ad *S.. Gotthardum* reportavit Anno 1664. victi tanto prælio Turcæ perlibenter ad annos viginti in pacis leges consensêre, munera dein ultrò citróque, ùt mos est, *Viennam* & *Constantinopolim* Annno 1665. missa; pace fruente *Cæsare*, ecce ultimus *Tyrolensium Archidux Sigismundus, Franciscus* An. 1665. 25. Junij emoritur; omni ejus ditione ad *Augustissimum* devolutâ, factúmque est, ut unus LEOPOLDUS omne *Domûs Austriacæ Patrimonium* obtineret. Post bellum Turcicum, aliud non minùs periculosum gestum est: pro defensione Imperij susceptum, quod hodiéque ardet, utì etiam adversus Turcas fœdifragos, quod ut gloriosè & feliciter ad honorem Dei & Ecclesiæ cedat, omnes boni, quibus Religio cordi, & quibus Fides Christiana Regnis potior est, apprecantur.

Tabula I. Genealogica Augustissimæ Stirpis Hispanico-Austriacæ à Maximiliano I. ad usq; nostra tempora.

Tabula II. Genealog: Austriacæ Domûs, à Ferdinando I. exhibens etiam lineam Tyrolens.

Tabula III. Genealog: exhibens Maximiliani II. Austriaci posteritatem, quæ tota perijt.

Tabula IV. Genealog: Caroli II. Archiducis Austriæ, quæ linea tota interijt.

Tabula V. Genealog: à Ferdinando II. Imperatore descendentium.

TABULA I. Genealogica Auguſtiſſimæ Stirpis Auſtriaco-Hiſpanicæ, à Maximiliano I. uſque ad Carolum II. cognomento Philippum Regem Hiſpaniæ nunc regnantem.

Maximilianus I. Friderici Imperatoris filius, natus An. 1459. 23. Martij, Belgij Provincias omnes per conjugium An. 1477. adjunxit Domui Auſtriacæ. Electus Romanorum Rex Francofurti 16. Februarij, & Aquisgrani coronatus 9. Aprilis An. 1486. declaratus Imperator An. 1508. 10. Februarij. obijt Welſij An. 1519. 12. Januarij, ætatis 59. ſepultus Neoſtadij. Regnavit annis 32.

ψ
1. Maria Caroli Pugnacis Burgundiæ Ducis filia & hæres, nata An. 1457. 12. Februarij, nupſit 1577. 10. Auguſti. obijt 1482. 6. Martij Brugis, ſepulta ibidem.
2. Anna Franciſci ultimi Ducis Britanniæ filia unica, hanc ei rapuit Carolus VIII. Galliæ Rex pergentem ad ſponſum.
3. Blanka Maria Galeacij Mariæ Ducis Mediolanenſis filia, nupta An. 1494. 16. Martij Oeniponti. obijt ibidem An. 1511. ſinè prole.

Philippus I. natus Anno 1478. 23. Junij per conjugium Rex Hiſpaniæ 1505. obijt An. 1506. ætatis 28. regnavit anno uno & 9. Menſibus. ſepultus Granatæ.

ψ Johanna Ferdinandi V. Catholici & Iſabellæ Regum Hiſpaniæ filia, nata 1479. 8. Novemb. obijt 1555.

Margareta nata 1480. Bruxellis, uxor primò Joannis filij Ferdinandi & Iſabellæ Regum Hiſpaniæ A. 1597. in Aprili. ſed is obijt 2. Octob. Secundò nupſit Philiberto II. Duci Sabaudiæ, qui obijt 1504. ætatis 24. Margareta fuit Gubernatrix Belgij obijt 1530.

Franciſcus natus Anno 1481. obijt eodem anno.

Eleonora nata An. 1498. nupſit primò Emmanueli Regi Portugalliæ A. 1519. ſecundò, Franciſco I. Regi Galliæ 1530. obijt in Hiſpania A. 1558.

Carolus V. Rom. Imperator natus A. 1500. Gandavi in Flandria 24. Febr. Rex Hiſp. coronatus Valliſoleti A. 1518. electus Imperator Francofurti A. 1519. coronatus Aquiſgrani A. 1520. capit Franciſcum I. Galliæ Regem ad Ticinum 1525. capit Romam per ſuos 1527. coronatur Rom. Imperator à Clemente VII. 1530. Bononiæ, capit Tunetum in Africa 1532. cædit Proteſtantes ad Mülbergam 1547. cedit Imperio 1556. obijt in Hiſpania An. 1558. ætatis 59.

ψ Iſabella Emmanuelis Regis Luſitaniæ filia nata A. 1503. nupta 1526. obijt An. 1539. 1. Maij.

Iſabella nata A. 1501. ψ Chriſtierni II. Regis Daniæ A. 1515. obijt 1525. 19. Januarij.

Ferdinandus I. Romanorũ Imperator cui, genus adferetur Tabula ſequenti.

Maria nata 1505. uxor Ludovici Regis Bohemiæ & Ungariæ 1521. fuit Gubernatrix Belgij, obijt in Hiſpania Anno 1558. ætatis 53.

Catharina poſthuma nata in Hiſpania Anno 1407. fuit ſponſa primò Friderici Electoris & Ducis Saxoniæ An. 1518. deinde uxor Joannis III. Regis Luſitaniæ Anno 1525. obijt Anno 1577.

Philippus II. natus A. 1527. Rex Neap. & Sicil. 1543. Rex Angliæ 1554. Gubernator Belgij A. 1555. Rex Hiſpaniæ 1556. cædit Gallos ad S. Quintinum An. 1557. & ad Gravelingam 1559. Turcas ad Melitam fugat An. 1565. & iterum per Joannem ab Auſtria fratrem 1571. Rex Luſitaniæ, amittit partem Belgij 1581. obijt An. 1598. ætatis 72.

ψ
1. Maria Joannis III. Luſitaniæ Regis filia A. 1543. obijt 1545.
2. Maria Henrici VIII. Angliæ Regis filia A. 1554. obijt 1558.
3. Iſabella Henrici III. Galliæ Regis filia 1560. obijt 1568.
4. Anna Maximiliani II. filia, nupta 1570. obijt 1580.

Maria nata A. 1528. nupta Maximiliano II. Cæſari, obijt 1603. de qua Tabula ſeq.

Johanna Joannis III. Principis Luſitaniæ uxor. obijt 1578.

Ferdinandus obijt puer An. 1545.

Joañes ab Auſtria nothus ex Barbara de Blomberg. natus 1545. Turcas profligavit 1571. fuit Gubernator Belgij, obijt An. 1578.

ψ
Diana Phalanga Nobilis de Surrento.
2. Maria de Mẽdoſa.

Margareta notha ex quadam de Plumbes, nata 1522. nupſit primò Alexandro de Medices Duci Urbini, qui occiſus eſt 1537. ſecundò Octavio Farneſio Duci Parmenſi, & genuit Alexandrum A. 1544. ipſa obijt 1586.

ex Maria I.
Carolus III. natus An. 1545. obijt 1568.

ex Iſabella 3. conjuge.
Iſabella Clara Eugenia nata 1566. nupſit Alberto VII. Archiduci Anno 1599. obijt 1633.

ex Iſabella.
Catharina nata 1567 nupſit Carolo Emanueli Duci Sabaudiæ cui 5. filios genuit. obijt 1630.

ex Anna 4. conjuge.
Philippus III. Rex Hiſpaniarum nat. 1578. expulit Maurorum 900000. ex Hiſpania 1599. ob. 1621.

ψ Margareta Caroli Archiducis filia, nata 1584 obijt 1611.

Maria obijt triennis.

Ferdinandus obijt infans.

Jacobus natus Anno 1573. obijt A. 1582.

Carolus obijt puer.

Johanna uxor Franciſci Buteri in Sicilia obijt An. 1530.

Anna Abbatiſſa Burgenſis in Hiſpania obijt Anno 1630.

Anna Maria Mauritia nata 1601. nupſit Ludovico XIII. genuit Ludovicum XIV. nunc regnantem & Philippum Ducem Aurelianenſem, obijt Anno 1666.

Maria obijt infans An. 1603.

Maria nata 1606. nupſit Ferdinando III. Imper. 1631. obijt A. 1646. de qua Tab. V.

Philippus IV. Dominicus Victor, Rex Hiſpaniæ nat. 1605. facit pacem cũ Gallis 1660. ob. 1665.

ψ
1. Iſabella Henrici IV. Galliæ Regis filia, obijt 1644.
2. Maria Anna Ferdin: III. fil: n. 1643.

Carolus nat. an. 1607. obijt an. 1632.

Ferdinandus V. infans Hiſpaniæ natus 1609. Archiepiſc. Toletanus Cardinalis, Gubernator Belgij obijt 1641.

Margareta obijt in puellari ætate.

Alphonſus obijt infans.

ex Iſabella.
Maria Margareta obijt infans Anno 1621.

Margareta Catharina ob. infans.

Maria ob: infans.

Iſabella Tereſia obijt infans.

ex Iſabella.
Balthaſar Carolus Dominicus Lucas Philippus natus 1629. ob. 1646.

Maria Anna obijt infans.

ex Iſabella.
Maria Tereſia nata 1638. nupſit Ludovico XIV. Regi Galliæ 1660.

Don: Ivan de Auſtria fili, natur.

ex Maria Anna.
Margareta nupſit Leopoldo Cæſari nata 1651.

Maria obijt infans.

Philippus Proſper obijt puer.

Thomas Carolus obijt puer.

ex Maria Anna.
Carolus II. cognom: Philippus nat. 1661. Rex Hiſpan. 1665.

Tabula II. Genealogica Auſtriacæ Domûs à Ferdinando I. continens etiam Lineam Tyrolenſem.

Ferdinandus I. Philippi I. Hiſpaniæ Regis ſecundò genitus, Caroli V. frater, natus Alcalæ Anno 1503. 10. Martij. fit Rex Bohemiæ 24. Februarij An. 1527. & eodem anno Rex Ungariæ. pellit Joannem Scepuſienſem. defendit Viennam Anno 1529. contra Solimannum Turcam. cum eo bellum gerit uſque ad Annum 1562. poſtea pacem facit. amittit Budam An. 1526. & 1529. amittit Albam Regalem An. 1543. Rex Romanorum electus Coloniæ & coronatus Aquisgrani An. 1531. componit pacem Religionis Paſſavienſem An. 1552. & Auguſtanam 1555. fit Romanorum Imperator An. 1556. confirmatus An. 1558. reparat Eccleſiam S. Viti, & erigit Clementinam Academiam Societatis Jesu. obijt Viennæ A. 1564. Pragam ad Regum ſepulturam devectus.

⚭ Anna Wladislai Ungariæ & Bohemiæ Regis filia nata Anno 1503. obijt An. 1547. in partu. ſepulta Pragæ. genuit quindecim proles. fuit amantiſſima Nationis Bohemicæ, quam moriens marito ſuo commendavit.

—Johanna nata Pragæ An. 1547. uxor Franciſci Ducis Florentiæ. obijt Anno 1578.

—Helena nata A. 1543. Hallis Veſtalis obijt 1574.

—Urſula obijt infans.

—Carolus II. Auſtriaco-Styriacæ Familiæ Parens, de quo in Tabula ſequenti IV.

—Barbara nata A. 1539. uxor Alphonſi II. Ducis Ferrariæ. obijt A. 1572.

—Joannes obijt infans.

—Margareta nata A. 1536. facta Monialis. obijt 1566.

—Eleonora nata An. 1534. uxor Wilhelmi Ducis Mantuæ. obijt 1594.

2. Anna Catharina Ducis Mantuæ filia. obijt Anno 1620.
1. Philippina Welſerina filia Franciſci Welſeri Liberi Baronis de Zinnenberg. obijt An. 1580.

⚭

—Ferdinandus II. Comes Tyrolis natus A. 1529. obijt 1595.

—Catharina nata A. 1533. uxor primò Franciſci Ducis Mantuæ. ſecundò Sigiſmundi Auguſti Regis Poloniæ. obijt An. 1572.

—Magdalena nata Oeniponti A. 1532. Hallis vitam egit cœlibem.

—Maria nata Pragæ Anno 1530. uxor Wilhelmi Ducis Juliacenſis. obijt Anno 1584.

—Anna nata Pragæ A. 1528. uxor Alberti V. Ducis Bavariæ, ex qua hodiéque poſteritas. obijt A. 1587.

—Maximilianus II. Imperator, de quo in ſequenti Tabula III.

—Eliſabetha nata An. 1526. nupſit Sigiſmundo Auguſto Regi Poloniæ A. 1543. obijt 1545.

ex	Maria obijt infans.

Phi	Philippus obijt infans.

lip	Andreas ab Auſtria n. 1558. factus Cardinal: Tit. S. Mariæ Novæ & Epiſcopus Conſtantienſis & Brixinenſis, Gubernator Belgij. obijt Romæ An. 1600.

pi	Carolus ab Auſtria Marchio Burgav: nat. A. 1560. militavit præclarè in Ungaria & Belgio. obijt 1618.

na.

⚭ Sibylla Wilhelmi Ducis Juliacenſis filia, vidua Philippi Marchionis Badenſis. ob. 1628.

ex	Anna nata An. 1585. nupſit Cæſari Mathiæ. obijt 1618.

Au	Martha obijt puella.

na.

Anna Catharina facta Monialis.

Tabula III. exhibens Maximiliani II. poſteritatem, quæ tota perijt in prole virili.

Maximilianus II. Ferdinandi I. filius natus Viennæ Anno 1527. educatus in Hiſpania, interfuit pluribus bellis. fuit Prorex in Hiſpania 1548. electus Rex Bohemiæ An. 1549. coronatus An. 1562. electus Romanorum Rex & coronatus Francofurti An. 1563. & eodem anno Rex Ungariæ coronatus Poſonij. fuit ab aliquibus electus Rex Poloniæ An. 1575. quod ipſe contempſit. obijt Ratisbonæ An. 1576.

⚭ Maria Caroli V. Cæſaris filia nata Anno 1528. artulit marito quindecim proles. obijt in Hiſpania An. 1603. ætatis 75,

—Eleonora nata Anno 1568. obijt Pragæ Anno 1579.

—Margareta nata An. 1567. facta Monialis S. Claræ Madriti. obijt 1633. ætat. 66.

—Carolus obijt infans.

—Maria obijt infans.

—Fridericus obijt infans.

—Wenceslaus natus An. 1561. Eques Melitenſis. obijt An. 1578.

Iſabella Clara Eugenia, de qua ſuprà Tab. I.

⚭

—Albertus II. nat. 1559. Card. Tit. S. Crucis, Prorex Luſitaniæ, Archiepiſc. Toletanus, Gubernator Belgij, obijt 1621.

—Maximilianus III. n. 1558. ab aliquibus Rex Poloniæ electus. ſed captus & poſtea dimiſſus. fuit Generalis Magiſter Ord: Teutonici. obijt 1620.

Anna Ferdinandi Archiducis filia nata Anno 1585. obijt 1618.

⚭

—Mathias natus A. 1557. Gubernator Belgij. poſtea Ungariæ; ubi bis Turcas cecidit. Rex Ung. 1608. Rex Boh. 1611. Roman: Imper. coronatus Francofurti An. 1612. obijt 1619. 20. Martij.

—Maria obijt infans.

—Eliſabeth nata Anno 1554. uxor Caroli IX. Regis Galliæ. obijt 1592.

—Erneſtus II. natus An. 1553. Gubernator Belgij. obijt An. 1595.

—Rudolfus II. Imperator natus A. 1552. educatus in Hiſpania, Rex Ungariæ & Bohemiæ, eodem anno 1572. Rom. Rex, coronatus A. 1575. bellum geſſit cum Turcis ab A. 1591. continuis annis 15. à fratre ſuo Mathia vehementer afflictus. ob: An. 1612.

—Ferdinandus obijt infans.

—Anna nata An. 1549. uxor Philippi II. Regis Hiſpaniæ. obijt 1580.



TABULA IV. Genealogica Caroli II. Archiducis Auſtriæ, quæ linea tota perijt in alijs, in ſolo Ferdinando II. perennat poſteritas, ùt dicetur Tab: ſeq:

Carolus II. Ferdinandi I. Cæſaris filius natus 3. Junij Anno 1540. Gubernator Styriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ. obijt Græcij An. 1590. fundavit Univerſitatem Græcenſem. ⚭ Maria Alberti V. Ducis Bavariæ filia. obijt Anno 1608. Mater quindecim prolium.

—Carolus V. poſthumus natus Anno 1590. Epiſcopus Wratislavienſis & Brixinenſis, Magiſter Ordinis Teutonici. obijt Anno 1625.

—Maria Magdalena nata An. 1589. uxor Coſmi II. Magni Ducis Florentiæ. obijt Anno 1631. relictis quinque filijs & quatuor filiabus.

—Conſtantia nata An. 1588. uxor Sigiſmundi III. Regis Poloniæ, poſt ſororem ſuam Annam obijt Anno 1631. relictis octo filijs & unâ filiâ.

Claudia filia Ferdinandi I. Magni Ducis Florentiæ, vidua Friderici Ubaldi Ducis Urbinacium. obijt An. 1648.

→

—Leopoldus V. natus An. 1586. Titularis Epiſcopus Argentinenſis & Paſſavienſis. Paſſavienſium copiarum Ductor An. 1609. Fundator Collegij Molshemienſis Soc. J. obijt Anno 1632.

—Margareta n. 1584. uxor Philippi III. Regis Hiſpaniæ. obijt 1611. reliquit octo Principes, quæ enumeratæ ſunt Tabula I.

—Maximilianus IV. Erneſtus natus An. 1583. obijt An. 1616.

—Eleonora nata Anno 1582. Veſtalis Hallis, obijt Anno 1620.

—Gregoria Maximiliana nata A. 1581. ſponſa Philippi III. Regis Hiſpaniæ. ob. 1597.

—Carolus obijt infans.

—Ferdinandus II. Romanorum Imperator, de quo Tabula ſeq: V.

—Eliſabetha n. An. 1577. obijt 1586.

—Catharina Renata n. An. 1576. obijt 1595.

—Maria Chriſtierna nata Anno 1574. uxor Sigiſmundi Principis Tranſylvaniæ, ſed diremptum eſt conjugium, illa obijt 1621. in Parthenone Hallenſi.

—Anna nata 1573. uxor Sigiſmundi III. Regis Poloniæ. obijt 10. Febr. 1598.

—Ferdinandus obijt infans.

Maria Eleonora obijt infans.

Iſabella Clara nata An. 1629. vidua Caroli II. Ducis Mantuæ.

Ferdinandus VI. Carolus natus Anno 1628. obijt Anno 1664.

⚭ Anna Coſmi II. Magni Ducis Florentiæ filia.

Sigiſmundus II. Franciſcus natus 1630. Tit. Epiſcopus Auguſtanus, ob. 1665.

Deſponſata ei fuit Maria Hedvigis Auguſta Chriſtiani Auguſti Comitis Palatini in Sultzbach filia, quæ poſtea deſponſ: fuit Franciſco Julio Duci Saxoniæ Lauenburgico.

Maria Leopoldina n. A. 1636. ſecunda uxor Ferdinandi III. Imper. obijt 1649. ex qua Carolus Joſephus nat, fuit.

Claudia Felicitas nata 1653. conjux Auguſtiſ: Leopoldi. de qua in ſeq:

N. filia ſimul nata ſimul mortua Anno 1654.

Maria Magdalena nata Anno 1656.

Tabula V. à Ferdinando II. Imperatore descendentium.

Ferdinandus II. Caroli II. filius natus An. 1578. Rex Bohemiæ 1617. Ungariæ 1618. Romanorum Imperator coronatus Francofurti 1619. cecîdit Fridericum V. Palatinum A. 1620. æmulum suum & alterum Gabrielem Betlemum Principem Transilvaniæ, & Georgium Fridericum Marchionem Durlacensem, & Christianum Ducem Brunsvicensem & Mansfeldium A. 1622. & Rusticos Austriæ 1625. & Christianum IV. Daniæ Regem 1626. humiliavit Carolum de Nevers Ducem Mantuæ 1630. fugatus ipse à Rege Sveciæ Gustavo Adolpho ad Lipsiam 1631. prælium cum eodem Rege ad Lutzen commisit 1632. in quo Rex Sveciæ perijt. iterum cæsus est à Duce Luneburgensi An. 1633. obtinuit ingentem victoriam ad Nördlingam An. 1634. obijt An. 1637.

ψ 1. Maria Anna Wilhelmi Ducis Bavariæ filia nata 1574. obijt An. 1606. mater sex prolium.
2. Eleonora Vincentij Mantuæ Ducis filia. obijt 1655.

- Christina obijt puellula.
- Joañes Carolus natus 1605. obijt 1619.
- Ferdinandus III. Ernestus n. 1608. Rex Ung: 1625. Rex Boh: 1627. expugnavit Ratisbonam & cecîdit Svecos ad Norlingam 1634. electus Rex Rom: & coronatus Ratisbonæ 1636. cæsus ad Lipsiam 1642. & ad Jankow in Boh: 1645. cecîdit Gallos 1643. & 1645. facit pacem cum Sultano Ibrahim A. 1642. cum Mahomete IV. ad 20. annos An. 1649. cum Gallis & Svecis Osnaburgi 1648. & Norimbergæ 1650. obijt 1657.
- ψ Maria Philippi III. Regis Hispaniæ filia, quæ obijt 1646.
  - 2. Maria Leopoldina Leopoldi V. Tirolensis filia obijt 1649.
  - 3. Eleonora Caroli II. Duc: Mantuani filia nata 1629.
- Maria Anna nata 1610. uxor 2. Maximiliani I. Duc: Bava: ob: 1665.
- Cæcilia Renata n. An. 1611. uxor Wladislai 4. Reg: Pol: ob: 1644.
- Leopoldus VI. Wilhelmus n. 1614. Episcopus Argentinensis, Passaviensis, Halberstadiensis, Olomucensis, Magister Generalis Ordinis Teuthonici, Gubernator Belgij ab A. 1646. usque ad A. 1656. obijt 1662.

- Ferdinandus Aloysius Josephus natus 1657. obijt anno sequenti.
- Serenissima Archiducissa Maria Anna Josepha nata Anno 1654. nupta Anno 1678. Joanni Wilhelmo Comiti Palatino Duci Juliacensi.
- Serenissima Archiducissa Eleonora Maria nata Anno 1653. nupsit primò Regi Poloniæ Michaëli. secundò Serenissimo Duci Lotharingiæ Carolo Leopoldo An. 1678. ex qua Leopoldus & Carolus Duces Lotharingiæ, cæteræque proles.
- Theresia Maria Josepha obijt infans A. 1653.
- Carolus Josephus natus Anno 1649. Episcopus Passaviensis & Olomucensis, Magister Generalis Ordinis Teuthonici. obijt Anno 1664. 27. Januarij.
- Maria obijt infans.
- ψ 3. Eleonora Magdalena Theresia Philippi Wilhelmi Ducis Neoburg: filia, quam duxit Passavij eodem anno.
- ψ 2. Claudia Felicitas Ferdinandi Caroli Archiducis Austriæ filia, quam Græcij duxit 1673. obijt 1676.
- Anna Maria Josepha obijt infans.
- Maria Josepha obijt infans.
- Josephus Jacobus Ignatius nat: 26. Julij Anno 1678.
- Maria Elisabetha nata An. 1680.
- Leopoldus Josephus nat: A. 1682. 12. Junij. obijt 1684.
- Carolus Josephus natus An. 1685.

- Leopoldus I. Ignatius Franciscus Balthasar Josephus Felicianus, natus Anno 1640. Rex Ungariæ 1655. Rex Bohemiæ 1656. Romanorum Imperator coronatus Francofurti An. 1658. auxiliatur Regi Poloniæ & Daniæ. pugnat cum Turcis 1663. multas clades accipit, & victorias contra Turcas obtinet, maximè ad S. Gotthardum insigni prælio Turcas vincit Anno 1665. pacem facit cum Turca ad viginti annos 26. Septembris. Oenipontum pergit ad accipiendum homagium. Imperium armis defendit &c. iterum Turcico bello involvitur, multis victorijs gloriosus &c. quem nobis servet Deus!
  - ↴
  - 1. Margareta infans Hispaniæ nata A. 1651. nuptias habuit An. 1666. obijt 1673.
- Maximilianus Thomas obijt infans.
- Philippus Augustinus obijt infans.
- Maria Anna Regina Philippi IV. Regis Hispaniæ uxor, nata 1634.
- Ferdinandus IV. Franciscus natus An. 1633. Rex Bohemiæ 1646. Ungariæ 1647. Romanorum Rex Ratisbonæ coronatus An. 1653. obijt A. 1654. fundavit Collegium Swidnicense.
- Ferdinandus natus Anno 1667. obijt anno seq:
- Maria Antonia Josepha nata A. 1669. hodiéq; superstes, ψ Serenis: Ducis & Electoris Bavariæ.
- N. natus An. 1670. obijt infans.
- Mariana Josepha obijt infans.

INDEX
In Librum de Regibus Bohemiæ,
ab ipsomet Authore confectus.

A.

ADulari Principi grave scelus. pag. 206
Affectus nimij pariunt stultitiam. 97
Alberti Imperatoris in Bohemia breve Regnum. 193. à Sigismundo adoptatur. ibid. Ejus virtus bellica. 194. Uno anno ter coronatur. ibid. Ejus virtutes. 195. Semper gladiatus incedebat. 195
Albertus II. Dux ex Subdiacono maritus. 208
Alphonsi Magni humanitas capit populos. 235
Amazones Bohemicæ. 14
Ambitio periculosa. 31
Andreas Episcopus Pragensis pro libertate Ecclesiastica cum periculo vitæ decertat. 112. Excommunicat Regem. 113
Angela S. in Bohemia quæ sit. 139
Animalia quæ mitissima, fœcundissima. 177
Antonini Imperatoris de vanitate rerum omnium nobilis sententia. 203
Astrologorum judicia damnantur. 260
Attila Slavicæ Gentis amicus. 2
Aula fabrile fortunæ. 113
Aulici sæpe fraudulenti. 89. 134
Aulicorum falsa principia enumerantur. 129
Aurifodinæ apud Sinas prohibitæ. 129
Austriæ Dux captivus in Krziwokladó. 150
Avaritia est quasi idololatria. 128

B.

BArbara Sigismundi Cæsaris uxor, Athea. 190
per Barbam jurare maximum Juramentum Ottonis I. Imper. 206
Belli tempore fugienda voluptas. 259
Bellum, in eo celeritas quæritur. 76
Bellum, est etiam in illo moderatio. 102
Belli Duces plerumque eloquentissimi. 183
Bellum in hosticum transferendum. 197
Bellum Passavienſe. 256
Beneficentia propria Regum virtus. 216
Bilinæ Urbis origo. 11
Boczek cur dicti Cunstadæi. 218
Bohemiæ calamitates sub Henrico Inter-Rege. 136
Bohemiæ Duces cur gestârint Ahenũ. 17
Bohemiæ Regni candidati septem. 211
Bohemi unde Czechi dicantur. 1
Bohemi Ladislao Regi conservant Hungariam. 200
Bohemorum sub Carolo IV. felicitas. 152
Boleslai I. Imperium. 60
Boleslai II. Imperium. 62
Boleslai III. Imperium. 64
Borzivojus primus Christianus, & ejus Imperium. 41
Borzivojus quando sit baptizatus. 70
Brzetislai I. Imperium. 73. rapit sponsã. ibid. Victor Polonorum. 74. & Imperatoris. ibid. Fundator Cœnobiorũ. ibid. & 103
Brzetislaus Episcopus & Princeps. 98
ejus in regendo virtutes. 99

C.

CÆcitas magnum malum. 114
Caroli IV. Imperatoris & Regis Imperium. 151. fuit verus Patriæ Pater. ibi. Ejus laudatissima opera. 152
Academia, Nova Praga, Archiepiscopatus

patus, Legati nati titulus, Basilica Pragensis &c. condita. ibid. Bulla aurea edita &c. ibid.
Caroli IV. Index Fundationum. à p. 153. usque ad 169. Ejus virtutes. 156. Justitia. ibid. Pietas erga Deum. 157. Amor Doctorum. 158. Accusationes ejus diluuntur. 158. De Gunthero Schwartzburgico. 159. Quinam ejus vitam scripserint. 161
Carolus in monte S. Laurentij constituit Artifices aureorum pannorum. 161. Carolus IV. in sepulchro incorruptus 162. Caroli IV. vitam Gamansius Societ: nostræ orditur, sed non absolvit. 163
Caroli IV. Conjuges & filiæ. 187. & 191
Casimirus Poloniæ Rex ducit uxorem civem Pragensem. 189
Cerevisiæ coctio prohibetur in Bohemia, in fame. 250
Chronologia Hagecij perturbata. 25
Chronologia & Genealogia Principum nostrorum à Borzivojo. 68
Cimburgæ Ducissæ in manibus fortitudo. 208
Clementia Principi necessaria. 246
Clypeus Scach. 12
Comitia cruenta in Bohemia. 135
Comitia laudantur, & cur? 206
Concordia omnibus Regnis necessaria. 234
Concionatores non debent famam Principis prostituere. 258
Conjugij secura sunt bona. 130
Conjugio inæquali Princeps vilescit. 139
Consiliorum duæ alæ, prudentia & celeritas. 138
Consilia mutare aliquando expedit. 198
Consilia mutantur tempore. 204
Consiliarij nimis ingenioſi & subtiles, à consilio Principis removendi. 120
Conscientiæ malæ tormenta. 128. 129
Coronam Regiam Hungariæ furto sustulit Elisabeth. 199
Domini de Cunstad, eorum Genealogia. 218. & seq.
Curiositas Principi noxia. 259. vide Princeps.
Crachus an Grachus. 7
Craci II. Imperium. 8
Cracorum Genealogia. 10
Croci I. Imperium. 6. ejus in regendo astutia. ibid.
Crzezomisli Imperium. 26
Czechi I. Dux Bohemorum, unde Czechi. 1. cur abierit ex Illyrico. ibid. Insignia Czechi. ibid.
Czechi Fratres tres. 2
Czechi amabile Regimen & prudens. 3
Czechi Comites Illustres Familiæ. 4. ejus Genealogia. 2. & 5
Czechi sepulchrum. 5
de Czechi adventu. 36
Czerninij Regius Sangvis. 106

D.

DEUS liberales Principes ditat, & cur? 120
Deus amicis suis multa revelat, 174. & 175
Desperatio victoriam obtinet. 184
Docti Viri sunt munitiones Patriæ. 259
in Dolore fortitudo laudatur. 185
Dolus in Principe reprehensus. 215
Duces meliores qui ex militibus. 205
Dux militiæ æquivalet exercitui. 228

E.

ECclesiasticæ opes raro Principibus profuerunt. 184
Educatio mollis noxia Principibus. 29 ejus diversitas in Wenceslao & Boleslao. 57. & 59
Educatio Principi bona necessaria. 133 apud Persas qualiter educentur Reges. 133
Educatio altera natura. 234. & seq.
Educatio Principum difficilis. 251
Elisabeth Joannis Regis uxor, amantissima Bohemorum. 186
Elisabeth Alberti Imperatoris filia, neptis &c. 192
Euphrasia S. quæ sit. 139
Eventus stultorum Magister. 124

F.

FAmes in Bohemia. 250
Fama non semper mentitur. 205
Fatalia quædam sunt certis hominibus. 120
Fæminarum in Aulis certamina. 59
Fæminæ Apostolicæ. 63
Felicitas multos perdit. 90
Felices quidam nascuntur. 98
Felicitas bonos Principes comitatur. 119
Felicitas Timothei. 128
Ferdinandi I. Regnum. 240. Gesta. ib: sub eo Vienna à Turcis obsessa. 241. sodinas deserit.. 242
Ferdinandus Judicium Cameraticũ ordinat. 242
Ferdinandus I. nimiæ severitatis damnatur. ibid. Ejus merita in Bohemiam. 243. Ejus gloriosa exceptio. 244. Ejus piæ designationes. ibid. Ejus cunæ in Alcala. 245
Ferdinandi II. Regnum. 260. Ejus victoriæ & clades. 267. Ejus merita in Bohemiam. ibid. Sub eo magna Justitia. 267
Ferdinandi III. Regnum. 268. Felix & infelix. ibid. & seq. Ejus mors. 270
Ferdinandus IV. coronatur. 269. 270
Fortuna Juvenum amica. 93
Fortuna inconstans. 94
Fortunæ rete. 128
Forma bonum fragile. 132
Fortuna omnia habet sub ictu. 257. & sequ. Etiam Cæsarum lacrymas petit. 258
Fortitudo cum svavitate jungenda. 258
Fortunæ varietas. 185
Fortuna maximè in bellis regnat. 196
Fratrum odia maxima. 60
Fraterni amoris symbolum. 97
Fridericus III. Imperator ex octo peponibus comesis moritur. 209. Ejus filij & filiæ. ibid.
Furtum Coronæ Regiæ. 204. Quidam furatus est orbem terrarum. ibid.

G.

GEnealogia Przemysli. 49
Genealogicæ Tabulæ Principum & Regum nostrorum explicatæ. 139
Gemma pretiosa Elisabethæ. 194
Gemma Smaragdus ubi colatur pro Deo. 196
Georgij Podiebradij Regnum. 210. & seq. Fuit verus Rex Bohemiæ. ibid. Ejus prudentia mirabilis. ib. Prudentiæ dolum adjungit. 210. Quomodo sibi viam ad Regnum straverit. ibid. Demeretur sibi ante omnes Cæsarem. 212. In morte resipiscit. 214. Per militiam ascendit ad Regnum. 215. Ejus summa laus ex bona moneta. 218 Quæ familiæ ex Georgij Regis sangvine participent. 219
Georgij gesta compendio. 219, 220. Ejus posteritas. ibid. Filij, nepotes. ib. & seq. Ejus de filijs solicitudo. 235
Giskra magnus belli Dux. 200. Ejus laus. 205
Guttensteinij Alberti grande meritum in Patriam. 247

H.

HÆresiarchæ plerique auxilio fæminarum usi. 177
Hæretici. vide Piccardi.
Hæreticorum rebellio in Bohemia. 264
Hazmburgici. 12
Henrici Carinthi Interregis Bohem: fæda nundinatio. 136. Ejus Genealogia. 137
Henrici IV. Imperatoris gesta. 185
Heroum filij degeneres. 28. & 30
Heroicorum Virorum vitia magna & virtus. 60
Historia apud nos à fide Christi accepit exordium. 52
Historia Taciti plena suspicionibus. 150
Hypocrisis damnatur. 119
Homines quidam semper felices, alij infelices. 185
Honores mutant mores sapienter dictũ est. 175
Hostiviti Imperium. 32
Hospitalitas commendat Principem. 33
Humanitas exercitus est. 259

Hunnorum irruptiones. 55
Hus hæresin suam per fœminam promovet. 177

I.

IAromiri Imperium. 64. Fraternus amor. 72
Ingenium acquiritur potu in fabulis. 130
Interregna periculosa cur? 173
In Interregnis periculosum est unum omnia posse. 215. 216
Ingratitudo cur hodie in pretio. 217
Joannis Bohemiæ Regis Imperium. 144
Joannes Rex varius & mutabilis. ibid. Ejus coronatio gloriosa. 145. Donat auream sellam Coronatori. ibid. Ejus vitia & virtutes. ibid. Primus tributa incerta inducit. 146. Ejus militaris virtus. ibid. Amittit oculorum usum. ibid. In acie pugnans cadit. 146. Ejus merita in Bohemiam magna. 147
Joannes Rex quasi privatus esset, pugnabat. 150
Joannis Regis Bohemiæ gesta. 186. Et mors. ibid.
Joannes Henricus frater Caroli IV. de eo. 187
Joannes Albertum I. Patruum occidit, & ejus pœnitentia. 207
Jodocus seu Justus brevis Imperator. 189
Iracundia dedecet Principem. 96
Judices nummarij quàm noxij Principibus. 150
Juvenes ab Juvenibus facilè seducuntur. 133

K.

KLen filius Czechi ineptus. 3
Kolowrat Albertus Cancellarius, ejus curâ pacantur Provinciæ. 225
Kostka an Cunstadæus. 219

L.

LAdislai Regis Regnum. 199
Ladislai pueri Regia Indoles. 200. Ejus nuptiæ morte eversæ. 201. An veneno sit sublatus. 203
Ladislai Regis historia. 209
Leopoldi I. Imperium. 277. Ejus bella & victoriæ. ibid.
Litomericij origo. 11
Libussæ Imperium. 13, Sybilla Bohemiæ. 14. Ejus rana magica. 15. Ejus vaticinia. ibid.
Libussa quæ condiderit. 15
Libra symbolum considerationis. 115
Literati Regna conservant. 121
Lucemburgensium Ducum in Imperio munus. 188
Ludovici Regis Regnum 231. Omnia in eo præmatura. 231. Ejus humanitas. 232. Ejus clades & mors. ibid.
Ludovici Regis ingeniũ. 233. Gesta. 239

M.

MAchiavelli principium an verum sit: *divide ut imperes.* 234
Magia Ethnicorum maxima scientia. 8
Maria Deipara Regnorum Patrona. 129 & 174
Mathias Rex Hungariæ adversarius Georgij Regis. 213. Ejus fraus. ibid.
Mathiæ Imperatoris Regnum. 261. Fratrem evertit 262. Ejus consilia perpræceps euntia. ib. & 263. Ejus mors 264. Ejus severitas. 226
Maximiliani I. duces duæ, *Curiositas & Invidia.* 252
Maximiliani II. Imperium. 247. Educatio. ibid. Quomodo mortem evaserit 248. Ter in anno coronatur 249. Est mollis in hæreticos amore pacis 249. Pecuniæ avidus 250. Ejus mors. ibid.
Magnificentia innata Principibus. 252
Memoria magna signum ingenij. 205
Milenka uxor Marcomiri. 7. & 10
Milessow. 12
Milites humani inter amicos. 28
Militiæ Duces meliores qui senes. 119. & 120
Milites desperatione victoriam obtinent. 184
Mnatæ Imperium. 20
Moneta Bohemiæ signata effigie Sancti Wenceslai. 61
Moneta proba, probi Principis signum. 129. 217
Mors bonus Præceptor. 217
Mors magna consilia abrumpit. 84
Mors docet orare 207. Intervenit maximis negotijs. ibid.
Mulierum judicia corruptissima. 21
Mulierculam amores faciunt crudelem Principem. 176
Mulieres plerumque hæresin promovent. 177

N.

NEcessitas legem non habet. 258
Neklani Imperium. 28
Nezamysli Imperium. 18
Nero triennio primo optimus Imperator & cur? 138
Nobilitas Bohema condit Urbes in Prussia. 121
Nobilitas Bohemiæ delet hæreticorum exercitus. 181
Nutricum curæ majores quàm Matrum. 254

O.

OCulus est carnea mens juxta Ambrosium. 114
Olomucensis Ecclesia Cathedralis. 107
Omina dari probatur exemplis 150. & seq. & 174.
Ominosa in coronationibus Regum. 233 & 234.
in Orbe omnia alternant. 118

P.

PArvi cur magnanimi? ex Aristotele. 27
Patrij homines in patria præferendi. 78
Patriam amare non est vitium. 245
Patria efflorescit artibus & scientijs. 259
Pauperes homines cur fœcundi? 177. & 178
Pecunia telum maximum. 86
Pecunia solum est labile. 100
Persarum humanissima lex. 115
Piccardorum Papissa. 229. Quinam fuerint. ibid.
Plutarchi Christiana sententia. 120
Populi cur migraverint. 5
Poloniæ Regum tabula. 235
Pragæ fidelitas. 93
Præsentia Reges commendat Proceribus & populo. 137. Eorum puritia ostendit futura. 138
Princeps amet milites & Nobilitatem. 29. 84
Principi solitudo noxia & utilis. 54
Princeps qui Provinciam suam exhaurit. 101
Principis subditorum amor summa custodia. 113
Primogenitura familijs sæpe noxia. 261
Principes meliores qui nascuntur. 114. qui varij sunt, periculosi. ibid.
Princeps debet amare clerum. ibid.
Principibus aliquando solitudo necessaria. 118
Princeps malus populo, bonus in seipso. 119. Liberalis sit. 120
Principem nihil dedecet magis, quàm amare pecuniam. 127
Principis felicis Typus. 128
Principis boni signum bona moneta. 129. 217
Princeps non unam gentem suam amare debet, sed omnes subditos. 130
Princeps non inchoët, quæ non potest perficere. 132
Princeps filio bonos Magistros præficiat. 133
Princeps nihil novi excogitans. 19
Principes mali boni fiunt propter æmulos. 138
Principum indoles in parva ætate agnoscitur. 148
Principes boni maximè latrocinia impediunt 149. & cur? ibid. Antiqui Principes in portis dabant judicia. 149
Principes vagi vituperantur. 150
Principes Ecclesiasticum statum defendere debent. 151
Principis boni symbolum tarandus animal. 153
Principes qui se tales finxerunt. 160
Principibus curiositas noxia. 175. & seq.
Principes socordes nullam laudem merentur. 176. 177

Principem ſterilem faciunt crudelitas & libido. 177
Principes multa diſſimulare debent, maximè initio Regni. 184
Princeps de ſucceſſione cogitet. 195
Principes amicis maximè egent. 198
Princeps injuſtus per ſæcula infamis. 204
Princeps debet ſibi cõciliare vicinos. 216
Principi neceſſaria conſilia 227. Neceſſaria Principi reflexio. ibid.
Principis uno exemplo magno capiuntur ſubditi. 235
Pragenſis Arx tota ardet. 242
Pragenſis Urbs gloriosè excipit Ferdinandum I. 244
Principi duæ artes fovendæ. 246
Princeps eſt ſervus publicus. 252
Principes boni ſunt ædificatores. 253
Praga à Svecis capta 269. Pax Oſnaburgenſis. ibid.
Pretio an milites concitandi in hoſtẽ. 197
Qui ſalvis ordinibus diſcedit ex campo, non cenſetur victus. 197
Przemyslus, ejus Imperium. 14
Przemyslus an Nobilis. 15. Ejus ſtirps perſeverat hodiéque. 15. 16. Ejus inſignia tres lineæ. 16
Provinciæ plerumq; certis limitibus locorum finiuntur. 24
Przemyslai Ottogari Regnum. 111. Ejus intractabile ingenium. ib. & 112. fuit varius Princeps. 112. Cur dictus Ottogarus, ib. Bohemiæ Coronã obtinuit. ibid. Ejus in Eccleſiaſticos violentia. Ejus fundationis literæ. 112. Vexat Clerum. ibid. Czerninos expellit Bohemiâ. ibid.
Przemislai Ottogari II. Imperium. 121. Victorioſus dictus. ibid. Pruſſorum Apoſtolus. ibid. Ejus tragica mors. 122 Ejus laudes. ibid. Dominatur à mari ad mare. 123
Pueri nimis ingenioſi non habent longam vitam. 233

R.

Regna hæreditaria ſecuriora. 34
Regna an munienda? 123
Regna duobus conſervantur. 129
Regnandi pulcherrima præcepta ab Ænea Silvio data. 130
Regibus neceſſaria cognitio lingvarum. 133. ad regendũ inepti mercatores. 138
Reges non debent mutare decreta. 147
Reges debent præmiare virtutem. 148
Reges debent conſpicui eſſe populo 149 nè imponant Præfectos avaros. ibid. & ſeq. Omnia in Regibus notantur. 173. Reges debent aliquando Regna ſua inviſere. 175. Reges ſæpe ſuſpicioſi. 176. Reges non occupentur ſtudijs inutilibus. 205. 206. Reges, qui per militiam aſcendunt laudati. 215 Regum propria virtus beneficentia. 216. Regum manuales labores. 229
Regnum crudelitatis triſtiſſimum. 176
Regnare labor maximus. ibid.
Regnum turbatum ſimile currui Phaëtontis. 177
Regnare ars difficillima. 251
Regum infantium Coronationes rarò bene ſuccedunt. 118
Rex V. Princeps. Liber de Regibus laudatiſſimus. 124
Rex quomodo decipiatur ab Aulicis. 134
Repulſam pati durum. 185
Rudolfi II. Regnum. 253. Felix & infelix Princeps Rudolfus. ibid. Zelus in Catholicam Religionem, ejus geſta pro Religione. 254. Artium amator & alia ejus laudatiſſima geſta, 255. 256 Deſeritur à ſuis, 256. Ejus ingens calamitas. ibid. & 257. Mors ex triſtitia, 257. Rudolfus Auguſto Cæſari comparatus. 261

S.

Sacerdotes hiſtorici. 52
Scriptura Veterum in ſalicibus. 9. de Sybillis. 15
Seditiones cur ab improbis excitẽtur. 128
Senectus moroſa. 260
Sileſia Bohemis tributaria. 82. 83
Sigiſmundi Imperium, 178. Ejus pericula, 179. Schiſma in Eccleſia tollit, ib: Initio Regni durus ſibi Regna turbavit. ibid. & 180. ſerò ſuæ duritiæ eum pœnitet. 180. & ſeq. Infeliciter expendit theſauros Eccleſiæ, 180. Recipitur in Regnum, 181. Regnum bene ordinat, ib. & ſeq. Præclarus Princeps ſed infelix. 182. Omnes Europæ lingvas callet, ibid. Princeps eloquentiſſimus, 183. Ejus vita compendio, 190. Ejus facilitas, ibid. Ejus filius fueritne Hunniades. 190
Sigiſmundus adoptat Albertum. 196
Silentium ſæpe pro reſponſo eſt. 252
Slavi ab Attila amati. 2
Slavatæ ex Principibus Lucenſ. 35. 36
Slavorum Apoſtolus S. Amandus. 40
Slavatæ ex ſangvine Imperatoris Sigiſmundi per fœminas. 192
Sobieslai I. virtus & fortitudo. 87
Spitihnæi Imperium. 77
Sternbergicorum gloria ex Tartaris cæſis. 177
Sterilitas crudelium maledictio. 178
Studioſi in Bohemia non poſſunt à Dominis impediri, ità Comitia. 241
Subditi omnes in Bohemia ſtudere in Univerſitate poſſunt. 129
Subditi clementer regendi. 260
Suſpiciones multa opera immortalia impediunt. 247
Sſwihovij Regius ſangvis, 106. 108. Eorum Genealogia. 109

T.

Tacitus prudens Scriptor, malus gubernator, 120. Tacitus ob ſuſpiciones in hiſtoria reprehenſus. 150
Tartari invadunt terras Chriſtianorũ. 117
Tempus ſapientiſſimum, 23. & 260
Triſtitia morbus gravis. 261
Tyrannis eſt ſuſpicioſa. 176

U.

Udalrici Imperium, 66. Ejus virtus bellica, 67. Ejus fraterna conciliatio. 72
Venatio multis Principibus fatalis. 118
poſt Victoriam agendæ Deo gratiæ. 124
Venatio Domui Auſtriacæ propria. 198
Venatio cur Nobilitati grata. 252
Veneno ſublati Principes. 128. Natura nobis ipſa venena manifeſtat. ibid.
Vienna à Bohemis defenſa. 241
Vitæ brevitas. 300. & 203. compenſatur rectè factis. 101. Vitæ brevis ſymbola. 233
Vitus S. corrigit Principem. 72
Vitus S. Imperatorum Patronus. 244

W.

Wenceslai Sancti Imperium, 57 Wenceslaus Rex. 59
Wenceslai I. Regis Imperium. 115. ab eo Vienna capitur. ibid. Fundationes ſacræ. ibid.
Wenceslai II. Regis Imperium, 125. Ejus calamitates, ibid. deinde gloria, ibid. Ejus merita in Regnum patrium, 126. Ejus coronatio ſolennis, ibid. Bona Eccleſijs & Fundationes, ibid. Ejus merita in Poloniam. 127
Wenceslai III. ejus nominis Imperium, 131. bene educatus diſſolutè vivit, ib. Occiſus Olomucij. ibid.
Wenceslai IV. Boh. Regis, & Imperat: Imperium, 170. Eo nato tantum pondus auri, quantum ponderavit filius miſit Pater B. Virgini, 170. Ejus coronationem conatur impedire Arneſtus Archiepiſcopus Pragenſis, ibid. Mala præſagia de eo nato, ibid. Ejus educatio bona, ibid. Corrumpitur, 171. Violentus in Ordinem Eccleſiaſticum. ib. Cur ei abrogatum Imperium, ibid. Bis captivus, 172. Eſt cauſa diſſidiorum, ibid. Hæreſeos Huſſiticæ non parva cauſa, ejus aliqua defenſio, ibid. Moritur apoplexiâ, ibid. Wenceslaus magicis artibus infatuatur. 175
Wenceslaus Princeps ex utero Matris exciſus ſalvâ matre & filio. 186
Wenceslai Pigri mors infelix, 189. Ejus uxores. ibid.
Wladiboij Imperium. 64
Wladislai I. Principatus, 87. Wladislaus I. Rex, 91. Ejus ſacræ Fundationes, 92. Leonem bicaudatum Bohemorum exercitui obtinet, ibid. Mors triſtiſſima. ibid.
Wladislai II. modeſtia, qui ceſſit Principatum fratri. 111

Wladislai II. Regnum, 223. Ordinat optimè Regnum & Tribunalia, ibid. Coronatur Rex Ungariæ. 224
Wladislao apparent Patroni Regni Boh: 226. Ejus Fundationes, ibid. Princeps pacatissimus, & Rex *bene* dictus, 228. Ejus pietas. 230
Wnyslai Imperium. 24
Wogeni Imperium, 22. Pragam fundat Veterem. 23
Wratislaus I. Rex Bohemiæ. 80. missa ei à Papa mitra Episcopalis & cur? 81. super ejus tumulũ corona pendens. ib.
Wrssowecij Comites ex stirpe Czechi. 4
Wrssowecij de Patria bene meriti. 21.

Finis Indicis.

Protestatio Authoris.

CUm Sanctissimus D. N. URBANUS Papa VIII. *die* 13. *Martij, Anno* 1625. *in Sacra Congregatione S. R. & Universalis Inquisitionis Decretum ediderit, idémque confirmaverit die* 1. *Julij, Anno* 1634. *quo prohibuit imprimi Libros, hominum, qui Sanctitate seu Martyrij famâ celebres è vita migraverunt, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia tanquam eorum intercessionibus à DEO accepta continentes, sinè recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sinè ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata; Idem autem Sanctissimus die* 5. *Junij, Anno* 1651. *ità explicaverit, ut nimirum non admittantur Elogia Sancti vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, bene tamen ea quæ cadunt supra mores, & opinionem cum Protestatione in principio vel fine, quòd ijs nulla adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes Authorem. Huic Decreto, ejúsque confirmationi, & declarationi, observantiâ & reverentiâ quâ par est insistendo, profiteor me haud alio sensu, quidquid in hoc Libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humanâ duntaxat authoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur; ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes, Sanctorum, Beatorum aut Martyrum Catalogo adscripsit.*

Bohuslaus Balbinus, è Soc: JESU.

Errata sic corrigenda.

Pag. 24. lin. antepen. Antonio, cor. Antonino. pag. 35. lin. ult. illusit cor. illuxit. pag. 41. lin. penult. Craci I. cor. II. pag. 45. lin. 5. dec. II, cor. dec. I. pag. 75. Lib. VI. cor. Libr. IV. pag. 77. lin. 18. Tamerlaneus cor. Tamerlanes. pag. 85. lin. 30. Principes, cor. Princeps. pag. 146. lin. 27. Procerem cor. Procerum. pag. 170. lin. 24. retinente cor. tenitente. pag. 174. lin. 24. omnia, cor omina, & ibid. post lin. 6. omnia, cor. omina. pag. 217. lin. 15. Antonium cor. Antonianum. pag. 219. lin. 23. Origenus cor. origines. ibid. lin. 34 de Duba cor. de Dube. pag 220. lin. 14. Frehreo cor Frehero. pag. 234. lin. 35. confixerint cor. confixerunt. pag. 240. lin. 20. sicut, cor sic, ut. pag. 241. lin 7. obsistebant. cor. absistebant. pag. 245. lin. 5. ut eum in locum, dele in. pag 139. S. Ecclesiam, cor. S. Euphrasiam.

Minora errata hæc ferrè sunt, quæ Lector Erud. facilè per se corriget iisque pro benignitate sua ignoscet.

Pag. 20. fuilus pro fugil us. p. 22. liberom pro liberũm. p. 23. nose pro nosce. p. 38. omuem pro omnem. p 34 idijtant pro indijtant. Ibid. id pro ad p. 40. assipulantut pro adstipulantur. p. 43. acuratius pro accuratius. p. 44 Scriptotes pro Scriptores. p. 61. abbreviaurunt pro abbreviârunt. probaba pro probata. p 65. diametro pro diametro. p. 70. teram pro terram. p. 71. entm pro enim. p. 72. Boleslaut pro Boleslaus. p. 74. volunte pro voluntate. p. 75. copulaut pro copulatur. p. 81. jestaret pro gestaret. p. 81. mulum pro multum. p. 137. Jonni pro Joanni. p. 164. Eremitaram pro Eremitarum. p. 164. Frisingensis pro Frisingensis. p. 179. li. 25. & pro at. p. 180 Medioloni pro Mediolani. p. 183. quadrino pro quadrimo. p. 226. lin. 25. Marttij pro Mattij. p. 248. ptæter pro præter. p. 255. Brachæo pro Brahæo. p. 258. lin 22. infignis pro insignis.

FINIS.

MISCELLANEA HISTORICA REGNI BOHEMIÆ:

DECADIS I.

LIBER VIII.

EPISTOLARIS.

VOLUMEN. I.

CONTINENS

LITERAS PUBLICAS

DE BOHEMIA

Selectiores & Authenticas Summorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Electorum S. R. I. ac aliorum Principum & Antistitum, &c.

COLLECTORE:

BOHUSLAO BALBINO SOCIETATIS JESU.

Opus plurimorum Annorum labore, ex varijs Archivis, Comitiorum Actis, Regni Tabulis & Authenticis, in hunc Librum congestum, nunquam antehac typis editum; ex quo Historia Epistolaris Bohemiæ confici possit;

Nunc

SUMMO R. BOHEMIÆ CANCELLARIO

dedicatur.

VETERO-PRAGÆ: Typis Georgij Labaun, 1688.

IN ARMA GENTILITIA ILLUSTRISSIMÆ & EXCELLENTISSIMÆ FAMILIÆ CHINSKIORUM DE WCHINICZ & TETTOW.

Clypeus sanguineus cum dentibus lupinis trisulcis, quem Clypeum cingit aurea torquis cum aureo Vellere.



In Clypeo dentes *video prostare* lupinos,
Aurea *quos vigili* Torque *coërcet* Ovis;
Annè lupo *se credet* Ovis? *qui Bella repressit*,
Ille sciet varias pacificare Feras, *
Hoc FRANCISCE Tuum *est! fors* Aurea sæcla *redibunt:*
Quando Lupi dentes *læta videbit* Ovis.

* Alluditur ad Pacem Neomagensem, cujus Minister Comes fuit.

De temporibus beatis, & aureis sæculis Isaias: * *Habitabit Lupus cum Agno. &: Lupus & Agnus pascentur simul. Is. C. 15. & C. 65.*

ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO DOMINO DOMINO

FRANCISCO UDALRICO CHINSKY,

S. R. IMP. COMITI DE
WCHINICZ & TETTAU,
DOMINO IN CHLUMECZ &c.
EQVITI AUREI VELLERIS,
S. C. M. ACTUALI INTIMO
CONSILIARIO,
CAMERARIO,
SUPREMO REGIS BOHEMIÆ
CANCELLARIO,
CURIÆ REGIÆ IN BOH:
PRÆFECTO,

DOMINO MIHI PLURIMUM COLENDO.

DIU anceps hæsi, cùm VOLUMEN hoc LITERARUM PUBLICARUM in clarissimo nomine Tuo apparere, & ut plausibilius foret, Tuo honori inscribere statuissem, unde potissimùm principium dicendi capere, & Dedicationem auspicari me oporteret: omnes mihi Leges, & Locos dedicationum, quos Magistri Rhetorum trade-

re ſolent, primò Naturæ Tuæ Celſitudo, & ſublimis Genius, tum Virtutes, deinde Literæ interiores ac Scientiarum, & Doctrinæ copia (ex his enim partibus Perſona Tua, EXCELLENTISSIME COMES, componitur) denique ipſum munus & dignitas, quam laudatiſſimè à pluribus annis ſuſtines, conturbant; ſola Humanitas Tua, ut aliquid audeam, invitat, & ſecuritatem veniæ (etſi Te laudari à me vetueris) promittit. Valere illud in Te quadam proportione poſſet, quod Romanus Orator ad Cæſarem dixit: ô CÆSAR (ô Doctiſſime COMES) *qui ad Te dicere audent, magnitudinem Tuam ignorant, qui non audent, ignorant humanitatem.*

In primis igitur NATURÆ TUÆ EXCELSITAS laudationes omnes odit, & refugit, conſcientiâ rectè factorum contenta; & tamen hoc ſcribere & prodere vetamur: hoc imperio ſtudia omnia Tua Philoſophica, Politica, Hiſtorica, Juridica, Lovanienſia (ubi poſt confectum Juris utriuſque curriculum totius glorioſæ Univerſitatis illius vivâ voce laudatus, rarum præconium ſcripto teſtimonio retuliſti: *poſſe Te hoc ingenio & hac juris ſcientiâ Magiſtris tuis paria facere, & jura publicè profiteri*) hæc omnia inquam, quia laudationem continent, Te ita volente tacebuntur. Nec de virtutibus quidquam adferri poterit: eâdem ex cauſâ, LEGATIONES TUÆ omnes, Saxonica, Polonica, ac præcipuè Neomagenſis &c. magnâ in Cæſarem fide, & in populos commodo peracta, (per quam

Clauſæ ſunt Belli portæ, & Furor impius intus
Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremit horridus ore cruento &c.

dele-

delebuntur. De officijs publicis & dignitatibus Regnorum & Aularum, quibus Tuam MAGNUS CÆSAR ultrò honoravit virtutem, eásque Tibi detulit, prohibeor dicere: VICE-CANCELLARII primùm, tum PRÆSIDIS APPELLATIONUM dignitas, inſigni innocentiâ, & munerum abſtinentiâ, prudentiâ admirabili & omnibus probatâ, ac denique fortitudine adverſus gratiam omnem & pretium geſſiſti, ut (quod conſtat omnibus) neque ante, neque poſt ſententiam ex partibus, vel æruſculo factus ſis ditior; audivi cùm diceres: *ſi juſta adferuntur, abſque pretio bona cauſa vincat, neceſſe eſt; ſin minùs, nè Attalicis quidem Conditionibus adducar, ut liceat prævaricari.* In hoc abſtinentiæ judicialis genere, exempla Tua, Tua inquam, quæ Tu edidiſti & quorum ipſe conſcius ſum, adferre modeſtia Tua non ſinit. Neque hæc à Te, ut aliquando factum ab alijs vidimus, violentè & cum aliqua pugna naturæ (quæ ad aurum pallere ſolet) ſed ut numeris omnibus virtus ſibi conſtet, lætè & hilariter peraguntur: juſtè & ex virtute ſentire, judicare, pronuntiare, jam Tibi in naturam vertit. Eſt profectò in Te, eſt, quod me ſæpius in educatione juventutis tuæ in admirationem rapuit, non dicam Stoicus rigor, ſed Catonianus, & Romanæ gravitatis animus, contemtor opum & munerum, nunquam adulatione, nunquam gratiæ, nunquam injuſtis precibus ſubſerviens. Revertor ad inſtitutum: ipſa ſcientiarum & doctrinæ copia non parvam huic Dedicationi remoram injicit: cùm enim Tu, EXCELLENTISSIME COMES, omnes venas & nervos Oratorum teneas, & in ſcribendo, quaſi in regno tuo habites, *quis*, ut ait ille,

Roſcio præſente ſeſe audeat commovere? deinde, ſi Eloquentia non præferenda, ſed tegenda ſit, (*eloquentiæ enim magna pars eſt*, Senecá teſte, *eloquentiam abſcondere*) quis Eruditiſſimo, & in Scientiarum Tropicis verſato ſubrepere poſſit, qui longè plura pervideat, quàm is, qui ſcribat, aut dicat?

Ultima laudationum remora eſt, ipſâ Cancellarij dignitas, quæ non modò me à Tui laudatione abſterruit, ſed prorſus quod parabam ſcribere, totum in ortu ſuo delevit, &, ſi ità loqui licet, cancellavit, nè videlicet meâ garrulitate bonum publicum, & Regnorum ac Provinciarum negotia interturbem: oportet (ut monebat Laërtius Philoſophorum Hiſtoricus) ad Reges, Principes, Regiorum Arcanorum conſcios, & Aularum Dynaſtas breviſſimè ſcribere vel diſſerere, & ſi fieri poſſit, non *modò ſententias, & verba, ſed etiam ſyllabas brœves eligere.*

Diog. Laër. in vit. Philoſoph.

Sola Humanitas Tua ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME COMES, quæ mihi tot annis perſpectiſſima eſt, audaciam addidit ut eâ ſcriberem, quæ Tua modeſtia, ſi priùs vidiſſet, ſine dubiò ſcribi vetuiſſet; feci quod Legatum Thebanorum apud M. Alexandrum feciſſe commemorant: cùm enim Monarcha ille Thebanis iratus juráſſet, nihil ſe eorum, quæ Legatus adferret, conceſſurum, & omnino contraria facturum; Legatus ingenio uſus, petijt, ut Rex cum Thebanis æternum bellum gereret, Thebas deleret, Cives necaret, aut aliò tranſferret, vel etiam venderet, denique exempla ederet extremi furoris &c. Delectatus ingenio viri Alexander, remiſit omnia, & pacem dedit. Idem ego ſecutus ILLUSTRISSIME COMES, de Tuis veris laudibus aliquid attigi prætereundo, néve imperium Tuum præteriiſſe me dicere poſſis, dixi de Te paucula, imò nihil dixi: quia, ut Rhetores ſolent, omnia præterij. Accipe igitur, non ingenij mei, ſed diligentiæ ſenilis partum: nulli, ut reor, aptiùs, quàm ſummo Cancellario Volumen hoc à Cancellarijs Regum, & Principum compoſitum offeretur. DEUS TE ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME COMES Divinæ Gloriæ, & Religionis incremento, MAGNI CÆSARIS & Regnorum bono, Amicorum & Servorum tuorum votis, quàm diutiſſimè conſervet incolumem, & conſilia, quæ pro nobis ſuſcipis, fortunet!

ita vovet

ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ

Antiquiſſimus Servus

Bohuslaus Balbinus S. J.

BENEVOLO LECTORI SALUTEM.

PAuca mihi BENEVOLE LECTOR præfanda sunt, ut quid propositum in hoc & sequenti Libro habuerim, scire possis. I. Nihil te oportet terreri *Literarum publicarum* titulo: cavi sedulò, nè præjudiciosum aliquid Regnantibus contineret Liber, sed neque tale aliquid invêni; nihilominus, ut sunt Lectorum judicia diversa, & quot capita tot sententiæ, erunt, qui desiderabunt, quod nesciunt; alij contrà optabunt, parciùs hæc tractari oportuisse; alij alia reprehendent, at quis præstare potest, ut sua omnia Lectori probentur? eò jam perventum est, ut quidam hypercriticus dixerit: *hoc se unum in Scriptore disertissimo reprehendere, quod nihil reprehensione dignum invenerit*, & attulisse Ovidij dictum: *decentiorem esse vultum, in quo aliquis nævus appareret.* II. Quæcunque in hoc Volumine, velut audacia cuipiam videbuntur, ea omnia me ex *Goldasto* mutuatum esse, cujus liber *de Juribus Regum Boëmiæ*, jussu Augustissimi, & gloriosissimi Cæsaris *Ferdinandi II.* scriptus, & ab Aula Cæsarea universa probatus & Publici juris factus est. III. In reliquis hoc monendum putavi, nactum me esse quarundam literarum exempla, tam mendosè antiquitus conscripta, ut tertio quoque verbo resistere, ego & Amanuenses mei cogeremur, & quia aliunde adjuvari non poteramus, reliqua omittere & silentio transmittere debuerimus. Est in manibus meis grandis Literarum publicarum *Codex*, antiquâ manu scriptus, quem nec ego, qui satis assvetos vetustis characteribus oculos habere gloriari possum, neque alij, qui in rem præsentem venerunt, legere potuerimus; & tamen utilissima quæque & scitu digniſſima continere *Codicem*, nemo dubitat & quidam tituli rem satis ostendunt. IV. Ad commendationem hujus Operis pertinet, quod præsens *Liber Epistolaris* vocetur, talis scilicet, unde (quòd sit ex summorum Principum mente scriptus, qui illâ vixerunt ætate) certior & securior Veritas peti possit, quàm quæ ex plurimis Scriptoribus hauriatur, qui ut plurimum remota à temporibus suis narrant, atque etiam ea sæpe adferunt, quæ Chronologiæ adversantur, & temporibus non congruant. Vidit hoc diligentissimus Baronianorum Annalium Continuator *Odoricus Raynaldus*, qui in Præfatione ad Tomum nonum sic loquitur: *moneo me, pro virili parte daturum operam, ut Baronium suis vestigijs persequar, atque adeò Epistolarem, quam vocat, ex Romanorum Pontificum, aliorúmque Præsulum, ac Principum Virorum Literis repetitam intexam Historiam, quam ipse frequenter in Annalibus suis, cæteris omnibus anteferendam esse censet.*

Paulò pòst idem Odoricus probat, utilitatem ejusmodi *Historiæ*, tum subjicit: *ut rebus major sit fides, malui Baronij exemplo, Historicorum verba* (addo Principum) *quamvis obsoleta relinquere, cùm in veritate consectanda, majoris sint authoritatis oculatorum testium dicta, quàm aliorum tersa, & polita.* Hæc erant præfanda: Vale Benevole & Erudite Lector, Deúmque ora, ut mihi ante complures annos Apoplexiâ prostrato vires adjiciat, ut ea quæ pridem in Patriæ commodum, & gloriam paravi & affecta jam apud me sunt, perficiam. Iterum

VALE!

FACULTAS
REVERENDI PATRIS
PROVINCIALIS
BOH: SOC: JESU.

Cùm Libros duos Epistolares, quibus literæ Pontificum, Cæsarum, ac Principum, &c. de Regno Bohemiæ continentur à P. Bohuslao Balbino Societatis Jesu collectos, tres ejusdem Societatis Jesu Theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint, ac in lucem edi posse probaverint, potestate acceptâ â P. Nostro Joanne Paulo Oliva Societatis Præposito Generali, Facultatem concedo, ut typis mandentur. In quorum fidem hasce literas manu meâ subscriptas, & sigillo officij munitas dedi. Wratislaviæ 10. Novembris. An: M. DC. LXXXI.

(L.S.)

Wenceslaus Sattenwolff.

PROTESTATIO
AUTHORIS.

Etsi non meminerim, me in hisce duobus Epistolarum Publicarum Voluminibus cuipiam Titulum Beati vel Sancti meâ authoritate tribuisse (præcipuè, cùm totus Liber non meis, sed maximorum Principum verbis conscriptus sit) non alia de causa, quàm Veneratione sanctæ Sedis Apostolicæ, ejus decretis insistendo profiteor, omnia quæ in hoc libro retuli, humanâ duntaxat Authoritate niti, & ita esse accipienda, ut ab Historico & collectore literarum conscripta, & collecta fuerunt.

Ita profiteor & contestor.

Bohuslaus Balbinus S. J.

ERRATA

In principio adducuntur, qvia in principio corriguntur.

Pag. 12. lin. 6. *imbi*. cor. inibi ibid l. 21 *Regis*. cor. Reges. ibid. l. 22. *produceudem*. cor. præcedentẽ. P. 14. l. 37. *dictis duobus*. cor. dictos duos. ibid. l. 40. *dicti*. cor. dictos. P. 19. l. 34. id *fecerint*. deleatur. P. 21. l. 26. *tempore*. cor. temporum. P. 25. l. 31. omnia feuda. adde: quæ aceepit P. 27. l. 30. *concordiæ*. adde: ad concordiæ. P. 29. l. 33. *Bavarit*, cor. Bavariæ. P. 32. l. 27. *nostroq;* cor. nostrosq; P. 40. l. 6. *Austriæ*. cor. Apuliæ. ibid. l. 36. *continuis*. adde: intenta. P. 41. l. 23. *nominatum*. cor. nominatim. P. 46. l. ult. *Regnitur*. cor. Regnitz. P. 47. l. 26. *authoritate*. cor: authorizare. P. 52. l. ult. *legatos*. cor. ligatos. P. 59. l. 34. *confirmata*. cor. confinant. P. 70. l. 14. *freti*. cor. fruiti. P. 89. l. 29. *Principibus*. cor. Provincijs P. 110. l. 36. *post qvo*. cor. post 300. P. 163. l. 18. *pertinentias*. cor. pertinentijs P. 165. l. 32. *scienia*. cor. scientia. P. 169. l. ult. *de endere*. cor. defendere: P. 171. l. 23. *emererit*. cor. emerserit P. 189. l. 7. *succesoribus*. cor. succesſibus. sicut etiam pag. 191. *succesſoribus*. cor. succesſibus. P. 195. l. 16. *abliqvalis*. cor. aliqvalis. P. 212. l. 27. *si qvod*. cor. si qvos. P. 214. l. 29. *uniar*. cor. uniat. ibidẽ l. penult. *beneficio*. cor. beneficia. P. 223. l. 31. *adlibemus*. adhibemus. cor. P. 224. l. 5. *taliâ*. cor. taliã. ibidẽ l. 11. *transire*. cor. transigere. P. 227. l. 21. *captivos*. cor. captivis. P. 231. l. 1. *Oppolienſis*. cor. Oppavienſis. P. 236. l. penult. *plooniæ*. cor. Poloniæ. P. 239. l. 27. *designandes*. cor. resignantes. P. 245. l. 15. *Judicijs*. cor. Judicij. P. 250. *spræ* cor. Spiræ. ibid. *Marecharum* cor. Marcharum. P. 268. l. ult. *Budiſſinenſi*. cor. Budiſſinenſis. P. 277. l. 30. *proimpe*. cor. proinde. P. 278. l. antepenult. *sveosibilla*. cor. consveto sigillo. P. 279. l. 25 *Hungaeiæ*. cor. Hungariæ. P. 280. l. 12. *sumus*. cor. simus. P. 281. l. 1. *redditibus*. cor. redditus. P. 282. l. 40. *Vice Officiabibus*. cor. Vice Officialibus. P. 293. l. 14. *censem*. cor. censum. P. 301. l. 9. *oppidi*. cor. oppido. P. 303. l. 19. *Joannis*. cor: Joanni. P. 314. l. 13. *arbitros*. cor. in arbitros.

Sunt alij plures (ut Eiscopus, Bohumiæ, Promisio, inperpetum, Auchidux, pro Archidux, Marckio, duæis, pro ducis, Wrazislavia, Eccellentia, & similia) quæ Lector Eruditus & benignus facilè corrigere poterit, paucos libros legit, qui meorum typographorum indignatur erroribus.

LITERARUM PUBLICARUM BOHEMIÆ REGNUM CONCERNENTIUM VOLUMEN I. PARS I.

EPI-

EPISTOLA I.

Literæ Gregorij Papæ VII. ad VVratislaum Bohemiæ Ducem, quibus commendat ejus in Apostolicam sedem observantiam; & confirmat privilegium gestandi infulam Episcopalem, quam Bohemiæ Ducibus novo exemplo concesserat gestandam Alexander Secundus Pontifex; ob Ducum Bohemiæ Zelum proferendæ Religionis Christianæ. Quo honore inusitato ostendere voluerunt Pontifices, Bohemiæ Duces in Provincia sua, Apostolica, & Episcopalia munera gloriosè & Apostolicè obvisse.

Gregorius Episcopus servus servorum DEI, Wratislao Duci Bohemiæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex T. III. Conciliorum P. 2. Epist: 38.

LOnga jam temporis intervalla transacta sunt, ex quo & Nobilitas tua *B. Petro Apostolorum Principi* non modicæ devotionis animum spopondit, & studium, & tibi in Apostolica Sede inter cæteros Principes larga benignitas præ multis etiam singularis, & egregia fuit, astricta charitas. Cujus rei fidem & indicium ex benevolentia Domini, & antecessoris nostri *Alexandri Papæ* satis percepisse potes, qui petitionibus tuis, non unquam sine sua, & filiorum *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ* solicitudine & labore condescendit, & ad signum intimæ dilectionis, *quod laicæ personæ* tribui non consvevit, *mitram quam postulâsti, direxit;* Neque verò nos in nostris temporibus tantæ dilectionis gratiam (providente DEO) labefactari volumus, imò si quid est, in quo comitante justitiâ, firmiùs conglutinari valeat, hoc nostra apud DEUM solicitudo impetrare valde desiderat. At te quidem erga *Apostolicam Reverentiam*, quàm sis in votis constans, quàm in promissis perseverans, non modò pro dignitate, verùm etiam pro salute tua fideliter oportet attendere, scriptum est enim. *Vovete & reddite*: Quæ autem illa, vel qualia sunt, â tui ipsius conscientia satìs te commonitum esse putamus; Causas verò, & negotia, quæ in partibus illis ad audientiam discussionémque Legatorum nostrorum perlata, peccatis impedientibus congruâ determinatione diffiniri non poterant, sicut officij nostri cura nemine nos rogante, compellit, ad eum quem justitia postulaverit finem (adjuvante Domino) perducere procurabimus. Porrò quæ ipsi itidem statuerunt, interim donec ad nos negotia perferantur, immota manere volumus, atque Apostolicâ auctoritate præcipimus. DEUS autem *Omnipotens*, qui bonorum omnium dator & auctor est, talem vos in votis vestris & actibus esse faciat, ut cùm ante cœlestes judices, videlicet *Petrum & Paulum*, in futuro examine veneritis, nulla vos in-

Circa An: 1080.

Alexander II. Duci Boëmiæ cõcessit gestare infulâ seu mitrâ Episcopalem.

Admonet Wratislaũ D. Boh: ut impleat, quæ promisit.

illorum oculis, nisi, quæ remuneratione digna sit, conscientia denotare, vel ostentare valeat. Data Romæ sexto decimo Kalendas Januarij, Indictione duodecimâ.

EPISTOLA II.

Literæ Gregorij VII. *Gregorius VII. Pontifex Boëmorum genti ad Christum conversæ scribens, hortatur, ut se Christiano nomine dignos præstent.*

Ex T. 3. Cõciliorũ P. 2. Epist. 1. 2. Ep. 72. Gregorius Episcopus servus servorum DEI, universis in Boëmia constitutis, majoribus atque minoribus, salutem & Apostolicam benedictionem.

1. Cor. 14. EX consideratione sedis, cujus licèt indigni administrationem gerimus, *debitores*, sicut scitis, *sumus fidelibus & infidelibus*: fidelibus, ut quod bene proponunt, perseveranter teneant; infidelibus, ut ad Creatorem suum credendo, & præterita facinora puniendo convertantur; unde quia relatione *Episcoporum* patriæ vestræ *Limina Apostolorum* visitantium accepimus, quosdam vestrûm per viam mandatorum DEI incedere, quosdam verò non nullis periculis malè vivendo subjacere, studuimus vos paternâ charitate commonere, quatenus & boni meliores fiant, & qui reprehensibiliter vivunt, irreprehensibiles se exhibeant, primùm scilicet vos *ex toto corde, & ex tota anima, & ex omni virtute* vestra DEUM & proximum, sicut vosmet ipsos diligere; pacem, *sine qua DEUM nemo videbit*, inter vos constituere; non solùm Clericos sed & Laicos castitatem servare; decimas DEO, à quo tam vitam, quàm vitæ sustentationem suscipitis, fideliter dare; Ecclesijs vestris debitum honorem impendere, eleemosynis, atque hospitalitati devotè insistere. Hæc & his similia, quæ ad salutem animarum vestrarum pertinent, licèt Pontifices vestros sufficienter scire vobis insinuare, non ignoremus; tamen quia verba nostra ex reverentia *Beati Petri* constat vos charius, atque avidiùs recipere, ipsa vestra audiendi aviditas, quæ ab alijs dari possunt, documenta nos dare compellit, ut tantò sollicitiùs vobis debitum reddamus exhortationis, quanto *Beatum Petrum* in eadem nostra exhortatione devotius attenditis. Vos igitur dilectissimi carnalia desideria fugite, ad Cælestia, & semper duratura patriæ Cœlestis gaudia mentes erigite, *Beatum Petrum*, cui à DEO potestas principaliter, & in terra ligandi, atque solvendi data est, devotissimi servitij fidelitate debitorem facite; quatenus post dissolutionem terrenæ habitationis nostræ, cui quotidie volentes nolentésque propinquatis, nec multò post in vermes & cinerem redigendi, ejus præstantissimum ante districtum judicem Patrocinium sentiatis. Datum Romæ Decimo Septimo Calendas Maij. Indictione decimâ tertiâ.

Hinc appareret nõ solis Boëmis hãc Epist: scriptã esse, cum plures Episcopi tũ nõ fuerint in Bohemia.

Christianorum obligatio, maximè novorũ.

EPISTOLA III.

Gregorij VII. Apostolicæ literæ ad VVratislaum Ducem Boëmiæ.

Commendat *Fridericum* ejus nepotem, ut beneficium à suo patre relictum illi concedat, vel aliud tribuat. Monet, ut dissidijs sublatis pacem in sua ditione servandam curet.

Grego-

Gregorius Episcopus servus servorum DEI, Wratislao Boëmorum Duci, salutem & Apostolicam benedictionem.

Tom. III. Concil. p. 2. Epist: 71. lib. 2. *Fridericus* nepos vester, & Romanæ Ecclesiæ fidelis, nos humilibus precibus flagitavit, quatenus tuæ Nobilitatis prudentiam rogaremus, ut beneficium, quod sibi pater suus reliquit, eum permitteretis habere, & in omni pacis quietudine possidere: cujus supplicibus orationibus flexi, nobilitatis vestræ serenitatem obnixè rogamus, & si scitis eum habere justitiam, tum *quia os tuum & caro est*, ductus proprietate sangvinis, tum quia ad refugium Apostolicæ miserationis confûgit, aut beneficium illud sibi reddatis, aut contra cambium tribuatis, quod sibi sit acceptabile, & tui condecet generis dignitatem. Quòd si justitiam non videtur habere, rogamus tamen, ut pro charitate & reverentia *Beati Petri Apostolorum Principis*, cujus præsidia humiliter postulavit, aliquod sibi beneficium, quo possit honestè vivere, tribuatis. Non pigeat itaque nobilitatem tuam in hoc nostras preces audire, beatúmque *Petrum* in hoc tibi debitorem facere, quoniam nos parati sumus favere tibi in quibus possimus justitiâ duce. Præterea monemus, ut studeatis terram vestram, & vestri honoris regimen firmissimæ pacis fœdere undique præmunire, scilicet ut nullius litis scandalum in tuo regimine versari permittas, præcipuè inter te & fratres tuos, & Pragensem & Holomucensem Episcopum: quoniam sicut qui discordiæ & litibus vacant, proculdubio Diaboli sunt filij, sic qui paci dant operam, filij DEI vocantur, ipsâ veritate attestante, quæ ait; *Beati pacifici, quoniam filij DEI vocabuntur.* Omnipotens DEUS mentem tuam illuminet, sicque te faciat per bona transire temporalia, ut merearis adipisci æterna. Dat: Romæ XVIII. Kal: Maij, Indictione decima quarta. Matth. 5.

NB. *Notandum, Fridericum de quo agit Pontifex, non vixisse sub Gregorio VII. quia ille (scilicet Fridericus) non vixit sub Wratislao, qui fuit ejus Abavus, sed sub Wladislao II. Patre suo & sub Wladislao I. Avo suo aliquantulo tempore, qui Ob: Anno 1125. & Pater ejus 1174. si credimus Historicis; hic autem, scilicet Gregorius VII. Pontifex esse cœpit An: 1073. & mortuus est 1085. debet ergo esse Gregorius VIII. ut Chronologia subsistat.*

EPISTOLA IV.

Quòd Duces Bohemiæ in certis Festivitatibus circulum aureum in capite gestare, & censum de terra Poloniæ percipere possunt.

IN NOMINE SANCTÆ & INDIVIDUÆ TRINITATIS. 1157.

FRIDERICUS Divinâ Favente Clementiâ Imperator Romanorum semper Augustus.

Ex Privilegijs Regni f. 32. CUm tam Lege naturæ, quàm scriptâ, *bonum operari* moneamur *ad omnes*, præcipuè eos, qui in administratione Imperij & Regibus, veraci consilio, & indefesso laboris studio nobis assistunt, & pro Gloria Imperij propaganda strenuissimè decertando omnibus Inimicorum incursibus, & quibuslibet periculis se se objiciunt, specialis prærogativâ honoris sublimare dignum duximus, ut de virtutum præmijs & gloria coronæ diffidere non debeant,

Wladislai Ducis & Bohemorũ merita erga Sacr. Impe:

beant, qui legitimè certaverint. Noverit igitur omnium Christi Imperijque nostri fidelium, tam præsens ætas, quàm succeſſura posteritas, qualiter Nos *Wladislao Illustri & strenuissimo Duci Bohemorum* ob insignia servitij, ac devotionis tam ejus, quàm *omnium Boëmorum merita* honoris insigne, quo nos, & cæteri Progenitores ejus *Duces Bohemiæ*, beneficio Imperialis excellentiæ *cæteris Ducibus* præminebat, *circulum* videlicet gestandum concessimus, & per eum omnibus successoribus suis in perpetuum decernimus; itaque & infragabili Lege statuimus, ut liceat præfato *Duci Bohemiæ Wladislao* illis temporibus, quibus Nos Coronam & Diadema gloriæ portamus *in Nativitate Domini* videlicet, & *in Paſcha*, & in *Pentecoſte circulum* portare, & amplius in Festivitatibus videlicet *Sancti Wenceslai glorioſi Martyris, & Sancti Adalberti*, eò quòd illas Solennitates propter *Patronos* suos majori Reverentiâ & celebritate tota *Boëmia* venerentur; Sicuti itaque celebratio & impositio coronæ Nostræ, non debet fieri nisi per manus Archi-Episcoporum & Episcoporum, ita præfato *Duci Bohemiæ* à nullo hominum *Circulus* imponatur, nisi à dilecto nostro *Daniele* Venerabili Pragensi Episcopo, & *Joanne* Olomucensi Episcopo, eorúmque successoribus. Quod si fortè *Olomucenſis* defuerit, nihilominus *Pragenſis* pro Sede & Dignitate excellentiore vices compleat amborum; Similiter autem *Olomucenſis* si fortè Pragensis defuerit.

Quibus diebus circulũ gestare posſit Wladislaus Dux:

Poloniæ nomine hoc loco Sileſia, ut putamus accipienda eſt:

Ad hæc prædicto *Duci Boëmiæ* & successoribus ejus addimus & concedimus *Censum de terra Poloniæ*, quem Antecessores ejus *Duces Boëmiæ à Polonia* retroactis temporibus accipere solebant. Ut autem hæc nostra donatio, & confirmatio suprà nominato Duci *Wladislao* Charissimo nostro ejúsque Successoribus omni tempore rata & inconvulsa permaneat, præsentem inde paginam conscribi, & Sigillo nostro insigniri jussimus adhibitis idoneis Testibus, Quorum nomina hæc sunt: *Eberhardus* Salczburgensis Archi-Episcopus, *Wiemannus* Magdeburgensis Archi-Episcopus, *Henricus* Ratisbonensis Episcopus, *Eberhardus* Bambergensis Episcopus, *Conradus* Patavienſis Episcopus, *Otto* Frisingensis Episcopus, *Daniel* Pragensis Episcopus, *Henricus* Dux Austriæ, *Fridericus* Dux Svevorum, *Ludovicus* Landgravius Turingiæ, *Albertus* Marchio Saxoniæ, *Otto* Marchio Misnensis, *Otto & Fridericus* Palatini Comites.

Testes suprà dicti Privilegij.

Quid ſit circulus vide Epitom: noſtram.

Signum Domini Friderici Invictissimi.
Romanorum Imperatoris

Ego Reinhaldus Cancellarius Vice Arnoldi Moguntin: Episcopi, & Archi-Cancellarij recognovi. Datum Ratisbonæ decimo quinto Calend. Februarij. Indictione quinta Anno Dominicæ Incarnationis: Millesimo Centesimo quinquageſimo ſeptimo. Regnante Romanorum Imperatore Domino *Friderico* Glorioſissimo, Regni ejus Sexto; Imperij verò tertio, &c.

EPI-

EPISTOLA V.

Literæ Innocentij III. Papæ ad Proceres Bohemiæ; quibus gratulatur de victoria parta adverſus Philippum Sveviæ Ducem pro Othone Imperatore Romanorum deſignato.

A.C.1203.

Innocentius III. Papa Iappanis Bohemiæ salutem.

DEvotionem vestram in Domino commendamus, quòd sicut veridicâ multorum relatione comperimus, Venerabilem fratrem nostrum Prænestinum nostrũ, Apostolicæ sedis legatũ ob reverentiam DEI, & nostram humiliter recepistis, & curastis honorificè pertractari, ità quòd ad commonitionem ejus relictis uxoribus, & filijs vestris in forti manu, & brachio extento cum Domino vestro *Bohemiam* exeuntes, Charissimo in Christo filio nostro Illustri *Regi Othoni* in Romanorum Imperatorem electo potenter, & viriliter astitistis; in accessu autem vestro ei plurimum honoris accessit, cùm congressum ejus, ipsius fugerit inimicus, nec coram vobis ausus fuerit comparere, sed disparuerit potiùs, & ad propria redierit relicto exercitu, & dispersо. Super hoc igitur Nobilitatem vestram prosequentes actionibus gratiarum, monemus, & exhortamur attentiùs, quatenus sicut benè cæpistis eidẽ Regi de cætero fideliter, & fortiter assistatis, & faveatis, ac promoveatis taliter partem ejus, quòd ipsius negotium in brevi dante Domino feliciter consummetur. Nos enim reputabimus nobis ipsis impensum, quicquid gratiæ, & honoris ei duxeritis impendendum. Datum &c.

Raynald. T.XIII.

Virtus bellica Bohemorum laudatur à Papa.

EPISTOLA VI.

Literæ Ottogari promittentis cum juramento assistere Ottoni deſignato Imperatori, cui tum Innocentius III. ſtudebat.

Ibid: apud Raynald.

Sanctissimo Patri, & Domino Innocentio Divinâ Providentiâ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Othogarus DEI gratiâ Illustris Regis Bohem: Filius, Dux Austriæ, & Stiriæ, & Marchio Moraviæ cum debita reverentia pedum oscula beatorum.

SIgnificamus Sanctitati vestræ, quòd nos ad requisitionem Venerabilis Viri Fratris *Valaſti Ordinis Fratrum Minorum Pœnitentiarij, & Nuncij vestri* promisimus, & juravimus, tactis Sacrosanctis Evangelijs, bonâ fide, & sine ullo malo ingenio in manibus ejusdem nuncij, in præsentia venerabilium patrum videlicet *Conradi* Frisingensis, *Alberti* Ratisbonensis, & *Bertholdi* Patavienſis Episcoporum, præsentibus etiam *Friderico* Guardiano Fratrum Minorum de Stein, & Fratre *Menhardo* Subpriore Fratrum Prædicatorum de *Chrenis*, & etiam sub nostro juramento Paternitati vestræ tenore præsentium promittimus, quòd nos assistemus, per nos, & nostros, cum terris, castris, & civitatibus nostris, & cum toto posse nostro, Romanæ Ecclesiæ, & summo Pontifici, qui pro tempore fuerit, & *Othoni Wilhelmo* Illustri Regi Romanorum, quamdiu

1203.

in gratia, & devotione ejusdem *Romanæ Ecclesiæ* perstiterit, & juvabimus eum, fideliter, & sincerè, & ad ipsius *Regis* requisitionem, quàm citiùs commodè poterimus, adibimus præsentiam ejus, & recipiemus ab eo regalia, & sibi homagium ligium præstabimus, & hæc omnia, quæ promisimus, & juravimus, in hac parte servabimus purè, & sincerè, & sine fraude toto tempore vitæ nostræ; In cujus rei testimonium, & evidentiam pleniorem præsentes literas sigillis prædictorum Nuncij, ac Pœnitentiarij, & Episcoporum, Guardiani, & Subprioris, ac nostro fecimus sigillari. Datum in *Chrenis* 15. Kal: Octob: Anno Domini M. CC. III. &c.

EPISTOLA VII.

Literæ Innocentij III. Papæ; quibus Przemislaum Ottogarum, licèt ab hoste Apostolicæ Sedis Philippo Cæsare designatum, nominatum, ejúsque auctoritate coronatum, agnoscit pro Rege Bohemiæ.

An. 1204.

Raynald. T. XIII. Bullarium T.1.Innocent. III.

LIcèt ante tuæ promotionis tempora multi fuerint in Bohemia Regio diademate insigniti, nunquam tamen potuerunt à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus obtinere, ut *Reges* eorum in suis literis nominarint. Nos quoque tum prædecessorum nostrorum vestigijs inhærentes, tum considerantes solicitè, quòd à nobili Viro *Philippo Duce Sveviæ*, te feceras coronari, qui cum coronatus legitimè non fuisset, nec te, nec alium poterat legitimè coronare, Regem te hactenus non duximus nominandum. Verùm cùm ad commonitionem Apostolicæ Sedis, & nostram relicto *Duce Sveviæ* ad Charissimum in Christo Filium nostrum Illustrem Regem Othonem in Romanorum Imperatorem electum te converteris, usus consilio saniori, & ipse habet te pro Rege, tam intuitu precum ejus, quàm tuæ devotionis obtentu, Regem te de cætero reputare volumus, & vocare. Tu igitur taliter gratiam tibi factam agnoscas, & sic ingratitudinis vitium studeas evitare, ut tua devotio mereatur, quòd & gratia tibi detur ex gratia, & data gratis perpetuò conservetur, provisurus attentiùs, ut quantocyus poteris ab eodem *Rege Othone* te facias solenniter coronari. Datum *Later:* decimâ tertiâ Kalendas Maij, Anno Septimo.

EPISTOLA VIII.

DE ELECTIONE, CORONATIONE, & LIBERTATE Regum, ac Regni, & quibus sunt obligati Reges Bohemiæ Imperatoribus Romanorum, & de Ecclesia Pragensi.

FRIDERICI II. ROMANORUM IMPERATORIS Literæ sub Aurea Bulla, quibus Ottogarum in Bohemia Regem confirmat, & concedit, ut omnibus exactionibus pecuniarum, & Justitiæ Curiæ Imperialis Regnum Bohemiæ in perpetuum liberum sit.

Gold. in App. Document. f. 21. Haberfeld. f. 83.

FRI-

FRIDERICUS Divinâ favente Gratiâ, Romanorum Imperator Electus, & semper Augustus, Rex Siciliæ Ducatûs Apuliæ, & Principatûs Capuæ.

Hanc auream Bullam Friderici interpretatus est Carolus IV. ut legitur in seq. ad An: 1348.

CÙm decor, & potestas Imperij nostrum præcesserit statum, ut non solùm cæterorum Principum dignitates, verùm etiam sceptra Regalia à Nostra conferantur Majestate, gloriosum reputamus, ac magnificum, quòd in tanto nostræ largitatis beneficio, & alijs crescit Regiæ dignitatis augmentum, nec ob hoc Eminentia Nostra aliquod patitur detrimentum. Inde est, quòd Nos attendentes præclara devotionis obsequia, *quæ universa Bohemorum gens ab antiquo tempore Romano exhibuit Imperio tam fideliter, quàm devotè*, eò quòd Illustris Rex eorum *Ottogarus* à primo inter alios Princeps specialiter præ cæteris, *in Imperatorem Nos elegit*, & Nostræ Electionis perseverantiæ diligenter, & utiliter astiterit, sicut dilectus Patruus noster piæ memoriæ *Rex Philippus*, omnium Principum habito consilio per suum privilegium instituit, ipsum *Regem instituimus*, & confirmamus, & tam sanctam, & dignam institutionem approbamus, *Regnúmque Bohemiæ liberaliter, & absque omni pecuniæ exactione, & consvetá Curiæ nostræ justitia sibi, suásque successoribus in perpetuum concedimus. Volentes, ut quicunque ab ipsis in Regem electus fuerit, ad Nos vel Successores Nostros accedat, Regalia debito modo recepturus.* Omnes etiam terminos, qui prædicto Regno attinere videntur, quocunque modo alienati sint, ei, & successoribus suis possidendos indulgemus; *Jus quoque, & Authoritatem investiendi Episcopos Regni sui* integraliter, sibi, & hæredibus suis concedimus, *ità tamen, quòd ipsi ea gaudeant libertate, & securitate, quam à Nostris Prædecessoribus habere consveverunt.* De Nostra autem liberalitatis munificentia statuimus, quòd *Illustris Rex* prædictus, vel hæredes sui ad nullam Curiam nostram venire teneantur, nisi quam Nos apud *Bamberg, & Norinberg* celebrandam indixerimus, vel si apud *Merseburg* curiam celebrare decreverimus, ipsi sic venire teneantur. Quòd si *Dux Poloniæ* vocatus accesserit, ipsi sibi ducatum præstare debeant, sicut Antecessores sui quondam *Bohemiæ Reges* facere consveverunt, sic tamen, ut spatium sex hebdomadarum veniendi ad prædictas Curias eis antè præfigatur, salvo tamen, quòd si *Nos*, vel Successores Nostros *Romæ coronari* contigerit, ipsius prædicti *Regis Ottogari*, vel Successorum suorum relinquimus arbitrio, utrùm ipsi nobis *trecentos armatos* transmittant, vel *trecentas Marcas* persolvant. Ad hujus autem constitutionis, & confirmationis nostræ memoriam, & robur perpetuò valiturum, præsens *Privilegium* per manus *Henrici de Parisijs* Notarij, & fidelis Nostri, scribi, & *Bullá Nostrá aureá* jussimus communiri, Anno, Mense, & Indictione subscriptis. Hujus rei testes sunt isti: Archiepiscopus Barensis, Episcopus Tridentinus, Episcopus Basilienſis, Episcopus Constantiensis, Episcopus Curiensis, Abbas Augensis, Abbas S. Galli, Abbas de Viterbio, Bartoldus de Niephen Regalis Curiæ Protonotarius, Comes Huldricus de Chiburgk, Comes Rudolfus de Habsburg, & Landgravius de Alsatia. Comites Ludovicus, & Hermannus de Friburk, Comes Vernerus de Hohenburg, Arnoldus Nobilis de Wart, Rudolfus Advocatus Noster, Rudolfus de Ravensburg, Albertus de Tanhausen Camerarius, & alij quàm plures Magnates, & Nobiles, & Liberi, quorum testimonio hoc Privilegium constat esse confirmatum. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis 1212. Mense 26. Septembris. Quindecimâ Indictione, Regni verò Domini Nostri Friderici Illustrissimi Romanorum Imper: Electi, & semper Augusti Regis Siciliæ quindeci-

Merita Ottogari erga Imp: Rom:

Bohemis Proceribus quid contulerit Imp: Frider: II.

Boëmiæ Reges quò teneantur ac cedere ad Curiam Imperialem.

Testes Privilegij.

Gold. legit Wissenburgial. Viceberg.

decimo. Datum in Nobili Civitate *Basilea*, per manus Ulrici Vice-Protonotarij sexto Calend: Octobris feliciter. Amen.

EPISTOLA IX.

FRIDERICUS II. confirmat Electionem VVenceslai I. Regis Bohemiæ.

FRIDERICUS II. Divinâ favente Clementiâ Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ.

1216. SI specialibus, & expertis fidelibus, & dilectis nostris gratiam facimus specialem, non est indignum, sed consonat omnimodis æquitati. Eapropter universis *Imperij fidelibus* tam præsentibus, quàm futuris, in perpetuum notum esse volumus: quòd misso ad præsentiam nostram *Benedicto Venerabili Archidiacono Belinensi* exposuerunt Celsitudini nostræ dilecti fideles nostri, *Henricus Marchio Moraviæ, & Universitas Magnatum, & Nobilium Bohemiæ*: quòd communi voluntate, & adsensu dilecti nostri *Odacrij Illustris Regis Bohemiæ*, elegerunt in *Regem eorum Wenceslaum, filium ipsius Regis Bohemiæ primogenitum*; propter quod Majestati nostræ attentiùs supplicârunt; ut electionem ipsius *Wenceslai* ratam haberemus, & firmam, & eidem nostrum benignum impertiremur assensum. Nos autem, quia votivæ hujus supplicationis affectum ex magnæ fidelitatis ardore novimus provenire, considerantes sinceritatem fidei, & puræ devotionis ipsius *Odacrij Regis Bohemiæ*, quam erga Majestatem Nostram hactenus habuisse dinoscitur, attendentes etiam obsequia filij sui *Wenceslai, dilecti sororij nostri*, quæ *Nobis, & Imperio* fideliter poterit exhibere, de solita gratia nostra, & consilio Principum, & Magnatum Imperij, qui tunc circa nos existebant, *Electionem præfatam* ratam habemus, & firmam; & concedimus eidem *Wenceslao totum Regnum Bohemiæ*, cum terminis, & omni jure, & honore, ac rationibus eidem *Regno* pertinentibus, sicut ipsum *Regnum* Pater suus, & alij Prædecessores sui, tam Duces, quàm Reges antea tenuerunt. Mandamus itaque, & firmiter statuimus, ut quæcunque Persona Ecclesiastica, vel sæcularis hanc nostram confirmationem, & concessionem infringere, vel evacuare præsumpserit, mille libras auri puri componat: quarum medietas Curiæ Nostræ, altera verò injuriam passis persolvatur. Ut autem hæc rata, & firma in perpetuum perseverent, præsens Privilegium scribi, & Bullâ aureâ Typario nostræ Majestatis impressâ, præcepimus communiri. Hujus rei testes sunt: *Syffridus Augustensis* Episcopus, *Ulricus* Abbas S. Galli, *Cono* Abbas Elvvacensis, *Henricus* Abbas Campidonensis, *Rodulphus* Palatinus Comes de Tungen, Comes *Ludovicus* de Ottingen, *Bertholdus* de Nyfen, *Anselmus* de Justingen Marescallus, *Valterus* de Sypf Pincerna, & alij quàm plures. Ego *Conradus Metensis*, & Spirensis Episcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Domini *Syfridi, Moguntinensis* Sedis Archiepiscopi, & totius Germaniæ Archi-Cancellarij recognovi. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis 1216. 7. Kalend: Augusti, Indictione quartâ. Regnante Domino nostro *Friderico II.* DEI gratiâ Romanorum Rege semper Augusto, & Rege Siciliæ. Anno Romani Regni ipsius quarto, & Siciliæ octavodecimo, feliciter, Amen. Datum apud *Ulmam* per manus *Bertholdi de Nyffen*, Imperialis Aulæ Protonotarij, Anno, Mense, & Indictione prætitulatis.

Hasce

Hasce *Friderici Secundi* Literas vidit & suâ Cæsareâ Authoritate *aureâ Bullâ* confirmavit *Carolus Quartus Imperator* Anno 1348. Septimo Idus Augusti *Pragæ*. Quæ *Bulla Caroli* legitur in privilegijs Regni Bohemiæ.

EPISTOLA X.

Investitura VVenceslai I. super Regno Bohemiæ, Anno 1231.

1231.

IN NOMINE SANCTÆ & INDIVIDUÆ TRINITATIS.

FRIDERICUS II. Divinâ favente Clementiâ, Romanorum Imperator semper Augustus, Jerusalem, & Siciliæ Rex.

TUnc Imperiale fastigium suâ rutilat dignitate, ac potentiæ suæ sceptra clarificat, cùm ad *Reges, & Principes*, suo subjectos Imperio, suæ radios claritatis effundit, & ipsis paterna Regna munificâ largitione confirmat. Hinc est igitur, quòd per præsentem Augustalem paginam notum esse volumus tam modernis, quàm posteris universis: Quòd, cùm olim vivente dilecto Principe nostro *Ottokaro Illustri Bohemorum Rege*, recepto à dilecto Principe, & affine nostro *Waczlao juniori Rege*, filio ejus, homagio juxta morem, concesserimus ei, tanquam primogenito, de innata liberalitate nostra, *Regnum Bohemiæ*, post ejusdem Patris sui obitum ab Imperio possidendum: attendentes, ad præsens Rege prædicto *Ottokaro* Patre ipsius rebus humanis exempto; qualiter ipse, dum vixit, Nobis, *Illustri Romanorum Regi Henrico, Charissimo filio nostro, & Imperio devotus* extiterit; & memoratus filius ejus *Waczlaus* Rex junior, paternæ devotionis erga Nos, dilectum *Regem filium nostrum*, & Imperium, imitator, & successor existat, atque jugiter grata, & ardua servitia exhibeat, & in antea exhibere poterit gratiora; nec non etiam ob majoris dilectionis gratiam, quâ suo incremento tenemur, cùm Illustrem *Reginam Catharinam*, dilectam consobrinam nostram, habeat feliciter in consortem; concessionis dudum habitæ munera liberaliter persequentes, *Regnum Bohemiæ* cum omni honore, ac dignitate, Civitatibus, Castris, Villis, & Terris eidem *Regno* pertinentibus, & cum omni jure, quo dictus *Rex Pater ejus* idem Regnum rationabiliter noscitur possedisse, Imperialis Authoritatis munimine confirmamus, præfato *Waczlao juniori Regi* tenendum, & possidendum, sicut tenere debet à Nobis, & Imperio: præsentis privilegij authoritate mandantes, *quatenus nullus Princeps, Dux, Marchio, Comes, Legatus, nullâque sublimis persona, vel humilis, Ecclesiastica, vel mundana, contra præsentis confirmationis nostræ divalem paginam venire præsumat.* Quod qui præsumpserit, pœnam mille librarum auri se compositurum agnoscat: quarum medietatem Curiæ nostræ, & reliquam parti passæ injuriam se noverit soluturum. Ad hujus itaque nostræ confirmationis memoriam, & robur perpetuò valiturum, præsens privilegium fieri, & *Bullâ aureâ* typario nostræ Majestatis impressâ jussimus communiri. Hujus autem rei testes sunt: *Lando* Reginus, *Ig:* Capuan: & *Marnius* Baruensis Archi-Episcopi, familiares, & fideles nostri: *Salnicanus*, & *Petrus Brundusinus* Archiepiscopi: *R. Melfiensis*, & P. *Ravelensis* Episcopi: Frater *Hermannus, Magister Hospitalis S. MARIÆ Teutonicorum in Jerusalem*: *Gebardus* de Arneistein, Legatus in Italia: *Landgravius* de Luckimberc: Comes *Gerardus* de Saumes: *Fridericus* de Karo, & *Conradus* de Smidilvelt: *Manfridus* Marchio Lanz: *Thomas*

Goldast: in App: Doc. f. 24.

Causa cur Wenceslao I. tribuat investituram Fridericus II.

Fors Salernitanus.

mas Comes Acerrarum: *Ricens* Mareſcallus: *Ricardus* Camerarius: *Henricus* magnæ Curiæ Imperialis Magiſter Juſtitiarius, & alij quamplures. Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis 1231. Menſe Julio, quartæ Indictionis, Imperante Domino noſtro *Friderico* DEI Gratiâ Illuſtriſs: Rom: Imperatore ſemper Auguſto, Jeruſalem, & Siciliæ Rege. Anno Imperij ejus XI. Regni Jeruſalem VI. Regni verò Siciliæ 34. feliciter. Amen. Datum in Civitate *Melfie*, Anno, Menſe, & Indictione prætitulatis.

Signum Domini *Noſtri Friderici II.* D. G. Invictiſſimi Roman: Imp. ſemper Aug: Jeruſalem, & Siciliæ Regis.

EPISTOLA XI.

OTTOCARI & VVENCESLAI Bohemiæ Regum Atteſtatio, quòd Reges Bohemiæ debent conſecrari & coronari ab Archi-Epiſcopo Moguntino, Regni Metropolitano, Anno 1228.

1228.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

OTTOCARUS & WENCESLAUS Reges inclyti, univerſis Chriſti fidelibus præſens ſcriptum intuentibus ſalutem perpetuam.

Goldaſt. in App. Doc. & Odoric° Raynald° T. XII. Annalium Eccleſ. ad A. C. 1228. *Archiepiſc: Moguntin° coronat Reges Boh:*

COnfitemur, & publicè proteſtamur, quòd tam nos, quàm omnes Succeſſores noſtri, conſecrationem Regalem & Diadematis impoſitionem, *de Sacro-Sanctæ Sedis Moguntinæ Archiepiſcopo*, terræ noſtræ Metropolitano, in perpetuum tenemur recipere. Si verò idem Archiepiſcopus requiſitus pro motu animi ſui ſubtraxerit, alteri Epiſcopo, quem nos vel Succeſſores noſtri poſtulaverint, vicem ſuam ad id exequendum committat. Ut autem hoc ratum & inconvulſum permaneat, hanc paginam de conſenſu Venerabilium *Pragenſis & Olomucenſis Epiſcoporum* Sigillorum noſtrorum appenſione firmavimus. Datæ *Pragæ* Anno Dominicæ Incarnationis M. CC XXVIII. Indictione primâ.

Nota: hoc Jus Conſecrationis & Coronationis à Moguntinis *Præſulibus ad* Archiepiſcopos Pragenſes & Epiſcopos Olomucenſes *translatum eſſe, Pontificum Romanorum & Cæſarum Conſtitutionibus, ut Libro VI.* Miſcellaneorum *probatum eſt.*

EPISTOLA XII.

ALEXANDRI IV. Papæ ad Regem Ottogarum, *qui aſſumptâ Cruce, adverſus Barbaros cum exercitu perrexit, & VVatblandiam, Ingriam & Careliam perdomuit, Chriſto q; adjunxit.*

1255. Reynh: in Anal. Eccl: *Pontificiæ de his literæ.*

Illuſtri Regi Bohemiæ.

REgis æterni benignitas magnitudinem ſuæ gratiæ circa te multipliciter noſcitur effudiſſe, ſed in eo potiſſimùm, quod Te in pijs operibus reddidit ſtudioſum: ex quibus datur plenitudo fiduciæ, quòd tu in præſenti vita regiâ dignitate præfulgens, & copioſus in proſperis, tandem cœleſtis coronæ gloriam apud ipſius Regis Clementiam conſequêris; tuo claro nomine, ob illam tamen in multis partibus interim relucente, quòd Tu olim pro fide Catholica, in *Pruſſiæ* partibus, ad honorem divini nominis, magnificè promovenda, crucis aſſumto ſignaculo, illuc perſonaliter cum magna, & famoſa bellatorum multitudine proceſſiſti, paganos in terra *Sambiæ* conſtitutos conterendo taliter virtute tui brachij, quòd ipſam per DEI gratiam Chriſtiano Domino ſubjugaſti. Proceſſu verò temporis Tu piè conſiderans, quòd ex multiplicato ſtudio beatorum operum major proveniat cumulus præmiorum perennium, denuo crucis characterem tuis humeris affixiſti, ut Divinâ tibi ſuffragante potentiâ Majeſtatis, fideles *Chriſti* defendas à diſcrimine quod eis poſſet per ſævitiam paganorum, aut aliorum infidelium imminere.

De Sambienſibus debellatis. De ſecunda Othocari expeditione pro ijs ſuſcepta.

De tanta ſiquidem tuorum excellentia meritorum nos in Domino multâ jucunditate perfuſi ſerenitatem tuam affectuosè rogandam duximus & monendam, in remiſſionem tibi peccatorum injungentes, quatenus deliciosum tibi conſtituens, quod ſemper feruens, & ſtabilis in ijs, quæ DEO ſunt placita, & opportuna ſaluti fidelium, habearis; dilectis filijs Fratribus Hoſpitalis *S. Mariæ Teutonicorum*, quorum plurimi pro defenſione fidei Catholicæ per manus infidelium in ejuſdem Pruſſiæ partibus denuo crudeliſſimè ſunt occiſi, reliquâ parte ipſorum mortis periculum habente præ oculis propter obſidionem duriſſimam, quam ſuſtinent à paganis dextrâ triumphali ſine dilatione ſubvenias, & tui laboris priſtini fructum amæniſſimum de paganorum ipſorum ſpurcida poteſtate reſumas, ità quòd & nos, qui te filium benedictionis gratiæ, paternâ in Domino ſinceritate diligimus, ad ea, per quæ Tibi ſecundùm DEUM, honoris, & proſperitatis augmentum, provenire valeant, eſſe promtiſſimi gaudeamus, & pietatis regnantis in ſæcula Domini *JESU Chriſti*, qui effectum placendi, ac ſerviendi ſibi diligenter tibi contulit, poſt decurſum feliciter præſentis vitæ ſpatium te Clementer aggreget collegio *Principum* ſupernorum.

Apoſtolicæ adhortationes.

Magna Regis Ottogari laudatio.

EPISTOLA XIII.

Narratio Cæleſtis Victoriæ de Ungaris &c. ab Ottogaro II. Rege Bohemiæ partæ.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri ac Domino Alexandro DEI Gratiâ Sacro-Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici Ottogarus eâdem gratiâ Dominus Regni Bohemiæ, Dux Auſtriæ, & Styriæ, & Marchio Moraviæ &c.

1260.

QUia pium Paſtorem ſuarum à Lupis liberatio ovium delectat, ac benignum Patrem jucundum reddit, cum ſalute proſperitas filiorum; ejus belli, quod adverſus *Belam*, & natum ejuſdem *Stephanum Ungariæ Reges* illuſtres, & *Danielem Ruſſiæ Regem*, & filios ejus & cæteros *Ruthenorum* ac *Tataros*, qui eidem in auxilium venerant, & *Boleslaum Cracovienſem*, & *Leſconem* juvenem *Luſciæ Ducis*, & innumeram multitudinem inhumanorum hominum *Cumanorum & Ungarorum*, & diverſorum *Sclavorum Siculorum*, quoq; & *Walachorum Bezzerminorum*, & *Hyſmahelitarum*, Schiſmaticorum etiam; ut-

Ex M.S. Codice Capitulari S. Eccleſ: Prag. aliud M. S. loco ejus, habet: *gravis belli* quid &c. *Hoſtium potentia.*

pote *Græcorum*, *Bulgarorum*, *Ruscienſium*, & *Boſnenſium Hæreticorum*; auctore Domino geſſimus, & victoriæ nobis datæ Cœlitus, & poſt victoriam inter nos, ex parte una & dictos Reges ex altera, concordiæ reformatæ proceſſum non absre Paternitati Tuæ duximus prævia veritate præſentibus declarandum. Sanè cùm ad flumen, qui *Moravva* dicitur circa locum à caſtro & opppido *Heimburk*, duobus milliaribus diſtantem, Ungariæ ac Auſtriæ confinia imbi terminantem cum noſtris exercitibus veniſſemus, dictos reges, & exercitus eorundem illic caſtra metatos in oppoſita parte ripæ invenimus ex adverſo. Sícque factum eſt, ut noſtra & adverſariorum caſtra ſolus dumtaxat divideret fluvius memoratus. Cùmque ſic loci poſitio ſe haberet, ut ad adverſarios ſine irremediabili Noſtrorum jactura, votivum non poſſemus conſequi acceſſum, & pro reformanda inter nos, & eoſdem Reges pace, fuiſſet utrinque aliquoties multipliciter attentatum; Ipſis verè Regibus de die in diem, de hora in hora in horam, ſuas indiverſas variantibus voluntates, non reſtaret aliquis paci locus; Haud dubium adinſtar *Pharaonis* corda illorum induraute Domino ultionum, noviſſimè unius duorum, parti adverſæ, obtulimus optionem, ut videlicet vel illa nobis cederet, quatenus ad eandem gerendi belli causâ tranſire poſſemus, vel nos id parti adverſæ concederemus. Equibus disjunctè partibus, alteram pars adverſa elegit, ut videlicet nos cederemus, & noſtrâ ceſſione eiſdem locum transeundi daremus, & ut id poſſe fieri videretur quovis impedimento ceſſante *dicti Regis*, & eorum *Bani & Comites* trevgas conſtitutas & ſuis juramentis firmatas per totum diem *Beatæ Margaretæ* feſtum proximè producentem & medietatem ipſius feſti diei nobis mediantibus idoneis nuncijs remiſerunt; Verùm hi ijdem ſua pacta, & juramenta ſoliti violare, pervada inventa, & ſibi aprata olim, noctu ad noſtram partem eum omni ſuo exercitu tranſierunt; Et cùm diceretur *pax & ſecuritas*, ſubitò cum inenarrabili multitudine contra nos improviſos apparuerunt in campo: Et cùm inſpe trevgarum vix decima pars noſtri exercitûs penes nos pro noſtræ perſonæ cuſtodia remanſiſſet, eò quòd plures de noſtris tranſito Danubio oppidum Heimburk intrârant, alij verò cum curribus deſcenderant ad ſtationes, & loca caſtrorum, hoſtes noſtri, fraude pleni, in modum ſemicirculi per ordinatas acies nos cingentes, niſi Dominus adjuviſſet, nos vivos forſitan deglutiſſent. Igitur in tam inenarrabili neceſſitatis articulo conſtituti, attendentes poteſtatem eſſe Cœleſtem, & quoniam non multitudine exercitûs, ſed de cœlo victoria datur, munere magni DEI, totam in adjutorio Altiſſimi ſpem ponentes, noſtros adjutores, commilitones primitus adhortati, in plurimos adverſariorum cuneos datâ nobis de cœlo fiduciâ irruimus confidenter. Quos Dominus per manus noſtras, & noſtrorum, immò ſuorum militum exterruit, & proſtravit, & in fugam convertit; Ità, ut fugientibus cum impetu, & ſeſe invicem comprimentibus, dictus fluvius *Moravva* juxtà ſui præſagi nominis ethymologiam, tanquam mare rubrum Ægyptijs multo cæſorum ſangvine rubricatus factus ſit in ſe ſubmerſis, & intereuntibus mortis via. Siquidem in eodem fluvio fugientium à facie DEI peccatorum tanta perijt multitudo, quòd per cadavera hominum, & equorum, quaſi per factos pontes, non nulli ex noſtris adverſariorum caſtra intrarent, & occupantes currus, tentoria, & expenſas quoque precioſa ſpolia acceperunt. Quamvis igitur poſt triumphum divinitus nobis datum, quemadmodum communiter videbatur *Regnum Ungariæ* noſtræ ditioni potuerimus ſubjugare, & idem in perpetuam premere ſervitutem, advertentes tamen quòd melius ſit bonum vicinum habere concor-

Clarigatio prælij.

Fraudulenta vis Hoſtium.

Victoria Ottogari Cæleſtis.

Nota.

cordem, quàm ſuperare, & exterminare rebellem, penſantes etiam quoniam *Imperator Conſtantinus* ait: *crebrò ſuaviores fiunt amicitiæ poſt inimicitiarum cauſas ad concordiam reſtitutæ*, cum principibus & proximis alti ſangvinis noſtri dictis ſcilicet *Ungarorum Regibus*, & Dominâ Reginâ, & juvene Rege *Belâ* ſecundùm oblatam nobis à magno Comite *Rulando* in *Poſonio* formam maluimus pacis fœdera reformare, quàm vaſtando, & debilitando magnum *Ungariæ Regnum* ad idem & noſtri terras Dominij Tataris aditum reaperire. Prænotatæ itaque compoſitionis forma prædictorum *Regum, Reginæ & Ducis Belæ* ſigillis ſignatam Veſtro Apoſtolatui tranſmittentes, ſuppliciter petimus eandem à ſede Apoſtolica confirmari; & ut operæ precium eſt Apoſtolico in ævum patrocinio communiri.

Itaque talis, ac tanta victoria dignè ſoli DEO, & Sanctis ejus eſt cum condignis gratiarum actionibus & laudibus aſſcribenda. Quod etiam ex quibuſdam revelationibus comprobatur: Siquidem à multis fertur, quòd quidam viri, qui à tergo ad cuſtodiam exercitûs fuerant deputati imminente prælio referunt ſe vidiſſe, quandam avem, in lineamentis admodum aquilæ figuratam, ſed in colore nive candidiorem, habentem aureum caput, & collum, vexillum *Beati Wenceslai* quondam *Ducis*, ſemper verò proni *Bohemorum inclyti Martyris* inſeparabiliter proſequentem, quæ paſſim viſa eſt eiſdem creſcere, quoadúſque ad pugnam procedentem univerſum corpore & plumis cooperuit exercitum Chriſtianum. Eodem etiam die vir Nobilis, & devotus omnimodis fide dignus *Joannes Miles filius Swvoislai* cum in domo propria ægrotaret circa horam tertiam vidit in extaſi, ſe quaſi in campo certaminis cum exercitu ſuo conſtitutum, quem cùm cerneret eſſe modicùm, & inordinatum, ſimul vidit *Patronos Bohemiæ* glorioſos ad quemdam campum lucidum tali ordine procedentes: Primum conſpicit procedentem *Sanctum Wenceslaum* loricâ indutum, habentem galeam ſuam in capite geſtantem, gladium ſuum in vagina auro, & gemmis ornata ſub aſcella ſiniſtra, in dextra vero manu proprium vexillum præferentem. Quem immediatè *Sanctus Adalbertus* veluti vir magnus & robuſtus, decenter ornatus pontificalibus ſequebatur. Poſt hæc, vidit *Beatum Procopium*, quaſi Abbatem cum ſuo baculo paſtorali *Sanctum Pontificem* è veſtigio comitantem, noviſſimè cernit ſequi *quinque Fratres Martyres* quaſi proprijs tunicis veſtitos. Ac idem Miles audivit *Sanctum Wenceslaum* prædictis gloriæ ſuæ conſortibus ſic clarâ voce dicentem: *Debilis eſt noſter exercitus ad DEI potentiam tendamus.* Quo dicto vexillum ſuum contra hoſtes extendit. Qui ſtatim in fugam univerſaliter viſi ſunt converti.

Miraculæ quæ durante prælio cõtigerunt.

Sancti Patroni Bohemiæ juvant exercitum Bob.

Hæc cùm ab ægrotante audiſſent, qui adſtabant, dixerunt: hoc ægri viſum aliud nihil ſignificare, quàm quòd D. DEUS Regi ipſorum victoriam dederit de ſuis inimicis. Quæ hoc loco Veſtræ Sanctitati ſcribo, omnia veriſſima ſunt, & ſine omni dubio acceptanda. Itaque prætereundum non eſſe judicavi, quin Veſtræ Sanctitati, tanquam Religionis Chriſtianæ Apici ſignificarem, propter ſingulare ſolatium, ut DEI Domini noſtri gloria per hoc miraculum amplificetur. D. *Pragæ* 8. Octobr. An. 1260.

Hucuſque Regis Ottogari Literæ. Viſa Cœleſtia quæ ſequuntur ex vetuſtiſſimo Codice Pragenſis Eccleſiæ deſcribenda curavi, eademque recitant Hagecius *in Annalibus Bohemiæ*, & Pontanus *in Bohemia Pia*

Exterioribus quoque oraculis interior conſolatio concordavit: Nam ſicut ſæpe dictus *Princeps Bohemiæ*, & alij principes, Barones, & milites communiter retulerunt: Quòd quamvis paulo antè penè emortui, & totis viribus de-

destituti, in prima tamen hora conflictûs inexperta Spiritûs & corporis lætitiâ intra semet ipsos de assequenda victoria ferè universi, & singuli acceperunt responsum; Parati non solùm irruere, verùm etiam muros ferreos audacter irrumpere. *Iaroſſius* etiam *Purgravius Pragensis* vir fide dignus coram *Episcopo Pragensi & Præposito, & Decano, & Canonicis in Capitulo Pragensi* retulit, vivâ voce, quòd exercitus ejus, in cujus medio ferebatur vexillum *S. Wenceslai Martyris* nullam læsionem, aut jacturam sustinuit, in equis & hominibus; sed quovis locorum se divertebat, adversarij à facie eorum terga vertebant fugientes. Ferrum etiam hastilis ejus in quo dependebat prædicti Martyris vexillum, visum est à pluribus splendere velut radius solis perlucidus. Nuncij Regis Ungariæ, qui missi fuerant ex parte ejus ad *Principem Bohemiæ*, retulerunt coram eodem *Principe*, & *Baronibus* ejus, quòd horâ congressionis exercituum ad invicem *Bohemi* valido clamore in cœlum exaltato canentes hymnum à *Sancto Adalberto* editum, quem populus singulis diebus dominicis & alijs festivitatibus ad processionem cantant, equi adversariorum invitis sessoribus fugam arripuerunt.

S. Wenceslai Vexillum.

EPISTOLA XIV.

Investitura Regis Ottocari super Bohemia, Moravia, Austria & Stiria.

1262. RICHARDUS Dei Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus. Universis Christi, & Sacri Imperij Romani Fidelibus ad quos præsentes Literas pervenire contigerit, habere notitiam rei gestæ.

Gold. in Appen: Document: Hasce literas Carolus IV. suis literis inseruit, ut leges in frà ad An: 1348.

Cùm Regalis Divinitas potestatis quandam quodam modo divinæ in terris Majestatis Imaginem repræsentet, & quanto quis divinæ voluntati magis innititur, tantò copiosioribus gratiæ suæ donis, & insignioribus illustratur, decens & congruum æstimamus, ut ad imitationem illius, qui omnibus dat & nulli improperat, illi nostra benignitas gratiosior, atque benignior semper illuceat, qui nostro beneplacito voluntatis cum majori libertate, & promptitudine se conformat. Hinc est, quòd cùm Illustris *Ottogarus Boëmorum Rex* nullius gratificationis muneribus, sed propriæ duntaxat virtutis, & liberalitatis instinctu pellectus liberaliter ad nostri cultum Dominij sit conversus, & promittat legaliter se deinceps nostræ devotionis obsequijs, & mandatis constanter & fideliter adhæsurum; Nos ipsum ob hoc condignioribus honoribus, & gratioribus beneficijs prosequi cupientes; Nosse Vos volumus universos quòd eundem Regem de Principatibus *Regni Bohemiæ, & Marchionatûs Moraviæ*, ac omnibus fevdis dictis duobus Principatus attingentibus, quos, & quæ claræ memoriæ *Pater & Progenitores* ejusdem justè & rationabiliter ab Imperio tenuerunt authoritate præsentium investimus, eiq; dicti *Principatus* & fevda simpliciter Authoritate Regiâ confirmamus. Et quia non multum gratiæ tantæ potentiæ & claritatis viris per ista videmur impendere, quæ constat claros Progenitores suos officiosis laboribus, & gloriosis actibus meruisse; Nos ipsum pro suæ devotionis meritis pleniùs, & insigniùs honorare volentes eidem Regi, & suis legitimis Hæredibus, qui ei in bonis fevdalibus secundùm Jus, & consvetudinem Sacri Imperij de Jure poterunt, & habebunt pro Nobis & Nostris Successoribus *Imperatoribus & Regibus Romanorum* illos duos Nobiles Principatus, *Ducatum* videlicet *Austriæ, & Marchionatum Stiriæ* ad manum Imperij, & ad Nostram de Jure liberè devolutos cum omnibus fevdis ad dictos duos pertinentibus Principatus ab omni Imperio debitis, & consvetis teneri integraliter & simpliciter in fevdum concedimus, eique, & hujusmodi suis Hæredibus in perpetuum præsentis scripti Patrocinio stabilimus, ab ipso & suis hæredibus quemadmodum est præscriptum Jure & Titulo fevdali perpetuò possidendos. Nulla igitur Persona sublimis, vel humilis, Ecclesiastica, vel mundana præsumat hujus Nostræ investitionis, confirmationis & concessionis Nostræ paginâ infringere, vel ei ausu temerario contraire; Quod si quis fecerit, ipso facto se noverit bannum Imperij, & Nostræ offensam Celsitudinis incurrisse. In istorum autem omnium Testimonium, & Evidentiam pleniorem, præsens scriptum exinde describi, & Sigillo Majestatis Nostræ jussimus communiri. Datum *Aquisgrani* nonâ die Augusti. Indictione quintâ. Anno Domini: Millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, Regni verò sexto.

Merita Ottogari in Imperium.

Nota.

EPISTOLA XV.

ULRICUS II. Dux Carinthiæ &c. Ottogarum Regem Bohemiæ omnium Provinciarum suarum hæredem constituit.

Nos ULRICUS Dei gratiâ Dux Carinthiæ, Dominus Carniolæ & Brzedslaviæ &c.

Causæ hujus donationis.

Cùm ex Divina dispositione hæredibus careamus, Dominum *Ottocarum Serenissimum Regem Bohemorum, Ducem Austriæ, & Styriæ, ac Marchionem Moraviæ &c.* præsertim cùm sit nobis consangvinitatis vinculo alligatus, multâque amicitiæ beneficia, ac indefessæ diligentiæ argumenta perceperimus ab eodem, *Hæredem* nostrum constituimus, ità quòd post mortem nostram, si sine filijs & filiabus decesserimus, per nos legitimè generatis, terras nostras proprietates, ac fevda, seu alia Bona nostra quæcunque nunc possidemus, possidere debeat libere, & quietè &c. In cujus rei testimonium ipsi dedimus præsentes literas Sigilli Nostri munimine roboratas. Testes autem sunt: *Albericus* Comes Goritiæ, & Tirolis, Magister *Petrus Præpositus Wissehradensis Regni Bohemiæ Cancellarius*, *Ulricus* Comes de Hornenberg, *Henricus* Comes de Hardek, *Ulricus* de Rosenberg, *Jaroslaus* Frater Galli, *Smilo* de Brumovv, *Harchleb* Camerarius Moraviæ, *Conradus* Præpositus Brunensis, & alij plures fide digni. Datum in *Podiebrad* An: 1267. Pridie Non: Decembris. Indictione XI.

Terræ illæ fuerût: Carinthia, Carniola, Marchia Slavonica, & Portus Naonis. Silv: histor. Boh. C. 27. Dubrav. l. 17. Roo inhist. Austr. l. x.

Hasce Literas in Originali extare in Archivo Ecclesiæ Metropolitanæ Pragensis, illæsis Sigillis affirmat Pessina in Marte Moravico *lib. 3. C. 7. & in Sigillo* Ulrici *spectari* Draconem.

EPI-

EPISTOLA XVI.

URBANUS IV. Ottogaro Bohem: Regi scribens, laudat ejus fidei Zelum, & hortatur ad Crucem iteratò sumendam; eidémque quidquid sibi terrarum apud Ruthenos & Litvanos subjugârit, Apostolicâ authoritate attribuit.

A. 1264.

Regi Bohemiæ Illustri.

AGimus DEO laudes, & gratias, quòd sicut famæ tuæ præconium patenter insinuat, tu velut fidelis athleta Christi solerter intendis ad ampliandum inter barbaras nationes cultum nominis Christiani; Unde tibi, velut Catholico, & devotissimo Principi, cum fiducia scribimus, super his maximè, quæ augmentum orthodoxæ fidei continere dignoscuntur. Accepimus enim quod *Rutheni*, Schismatici, & *Lituani*, ac alij habitantes in eorum confinibus, qui DEUM non colunt, sed blasphemant potiùs nomen ejus; unà cum *Tartaris* eorum complicibus, quibus sunt fœdere damnato conjuncti; *Poloniam* hostiliter frequenter invadunt, eis nemine resistente, ipsi etiam quidquid est in *Prussia* per dilectos filios *Fratres domûs hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Jerosolymitanorum* auxilio Sedis Apostolicæ Christique fidelium, non absque plurima effusione Sangvinis acquisitum, conantur destruere, intendentes fidem Christianam exinde totaliter extirpare. Ideóque *Serenitatem regiam* rogamus, & hortamur attentè, tibi nihilominus in remissionem peccaminum svadentes, quatenus ad ejusdem fidei tuitionem, & sui cultûs ampliationem contra Schismaticos, & alios prædictos potenti manu procedas; *Nos* enim Apostolicâ tibi auctoritate concedimus, ut terræ *Ruthenorum & Lituanorum*, quas per ministerium tuum ad Christianam fidem favente clementiâ divinâ converti, vel per te expugnari contigerit (dummodo prædictis Fratribus, seu quibuscunque alijs Catholicis jus in terris eisdem non competat) collocatis in eis Christi fidelibus in tuo, & hæredum tuorum Dominio perpetuò debeant permanere. Dat: apud *Urbem Veterem* 11. nonas Junij Anno III.

Odor. Raynald. T. 14. ad A. 1264. N. 44.

Poloniã & Prussiam à Schismaticis & infidelibus vastatam exponit Pont.

EPISTOLA XVII.

CLEMENS IV. Ottogaro Regi Crucem adversus Barbaros assumenti donat occupandas Regiones Barbarorum, & præficiendi Principem quem velit.

Regi Bohemiæ Illustri.

IN Tui magnificentia culminis, Mater Ecclesia quàm plurimum delectatur, dum intentis & devotis studijs elaboras, statum magnificare fidelium, & procurare Christianæ Religionis augmentum. Hoc igitur providentia Sedis Apostolicæ dignè considerans, Tibi per suas Literas olim dicitur concessisse, ut terras, quas de manibus *Lituanorum* & aliorum infidelium; Si tamen *Tartaris*, vel alijs Christiani nominis inimicis se prout ferebatur,

Raynald. ad A. 1267. N. 46. *Conjunxerãt Litvani arma cum Tartaris.*

tur, damnabiliter copularant, eriperes, illis dumtaxat exceptis, quæ ad dilectos filios *Magistrum & Fratres hospitalis S. Mariæ Theutonicorum*, vel ad alios Christi fideles pertinebant; ad manus tuas liberè posses, ac licitè retinere. Unde cùm, sicut asseris, signo vivificæ crucis assumto, proponas in brevi, favente Divina Clementia, extento potentiæ tuæ brachio procedere contra illos, ac tandem in finibus locorum, quæ prædictis infidelibus remanere contigerit, magnum constituere præsidium bellatorum, ad infidelium eorundem locorum populum, saltem per vexationis angustias *ad caulam Domini* reducendum, *Nos* Zelum tuæ devotionis, quâ circa cultum orthodoxæ fidei ampliandum fervere dignosceris, tuumq; pium in hac parte propositum, utpote laude dignum, multipliciter in Domino commendantes, & intendentes te prosequi favoris gratiâ plenioris, Regijs supplicationibus inclinati, & fratrum nostrorum Consilio, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut si terram *Letovviæ* de qua prædictæ Sedis auctoritate *Regnum* extitit, constitutum, præsidente illi claræ memoriæ *Mindotâ* qui post receptum baptismatis Sacramentum auctoritate Apostolicâ coronatus in Regem, fuit tandem â quibusdam perditionis filijs crudeliter interfectus, de manibus inimicorum, tuo ministerio eripi Domino præstante contigerit; in illa Regni solium, sicut priùs, erigere liberè valeas, ac illius Regimini personam fidelem & Ecclesiæ Romanæ devotam præficere, prout bono statui fidelium & augmento Catholicæ fidei videris utiliùs expedire. Nolumus tamen per hoc prædictis *Magistro & Fratribus hospitalis S. Mariæ Theutonicorum* quo ad terras, bona & jura spectantia ad eosdem, sive ea teneant, sive ab alijs etiam infidelibus teneantur, in aliquo præjudicium generari. Nulli ergo, &c. Dat: *Viterbij* XIII. Kalendas Februarij Anno III.

Mindotæ Rex occisus.

EPISTOLA XVIII.

Fœderis Leges post bellum maximum inter Ottogarum Bohemiæ, & Stephanum Ungariæ Reges.

OTTOGARUS Dei gratiâ Rex Bohemiæ, Dux Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, Marchióque Moraviæ; Dominus Carniolæ, Marchiæ, Ægræ, & portûs Naonis; universis præsentium notitiam habituris, salutem in salutis auctore &c.

Reyn: ad An. 1271. N. 22.

NOverint universi, quòd post longa guerrarum discrimina, quæ inter Dominum *Stephanum Regem Ungariæ Illustrem*, *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, *Ramæ*, *Serviæ*, *Galliciæ*, *Lodomeriæ*, *Cumaniæ & Bulgariæ*, *Ducem totius Sclavoniæ*, charissimum cognatum nostrum ex una parte: & *Nos* ex altera fuscitata fuerant, suggerente humani generis inimico: cùm nos pro votivæ pacis puritate reformanda dilectos fideles, nostros Dominos *Brunonem Venerabilem Episcopum Olomucensem*, Fratrem *Hartpinum ministrum Ordinis Fratrum Minorum* per Austriam, Hartlibum Camerarium, Buhulchonem Marschalcum, Noczan, Izlonem, Pincernam Moraviæ, Barones Regni nostri misissemus, dato eisdem pleno, sufficienti, & legati mandato, ut convenientes cum prælatis, & Baronibus Regni Ungariæ Domino *Paulo Venerabili Episcopo Vesprimiensi*, *Ægidio summo Camerario Rolando*, *Bano*, & *Magistro Benedicto* Præposito Oradiensi

Illius forma promulgata ab Othogaro.

Qui proceres pro eo conciliãdo interpretes adhibiti.

Vice-Cancellario, â prædicto *Rege Ungariæ* similiter cum pleno mandato destinatis, tractare, ordinare, & diffinire possent omnia ad reformationem pacis facientia, quæ nos ipsi, si præsentialiter cum ipso *Rege Ungariæ* convenissemus, ordinare & diffinire possemus, pro nostri quiete animi, & nostrorum tranquillitate subjectorum. Ijdem Barones nostri, considerantes cum prædictis Baronibus *Ungariæ*, ordinaverunt & assumserunt juxta mandati traditi sibi formam, ut de cætero perpetua pax inter *Regem Ungariæ*, *ac nos* debeat observari; nec eidem *Regi*, vel suis turbationes, vel molestias inferremus, vel inferri per nostros pateremur: includentes eidem paci, & eadem volentes, Regnum nostrum *Bohemiæ*, terrasque nostras, *Austriam*, *Styriam*, *Carinthiam*, *Moraviam*, *Carnioliam*, *Marchiam*, *Ægram*, *& portum Naonis* cum omnibus attinentijs, eorundem, secundùm signa, distinctiones & metas antiquas, prout etiam progenitores nostri *Reges Boëmiæ & Marchiones Moraviæ*; nec non antecessores nostri Duces Austriæ, Styriæ, & Carinthiæ, Domini Carniolæ, Marchiæ, Ægræ, ac portûs Naonis usquè tempus vitæ *Domini Belæ* inclytæ recordationis patris dicti Domini *Stephani Regis Ungariæ* possederunt & tenuerunt. Verùm si termini hinc inde fuissent avulsi, vel mutati, venerabiles patres Dominus *Archiepiscopus Strigonienſis*, *& Episcopus Olomucensis*, Deum & justitiam habentes præ oculis, super ipsis terminis & limitibus cognoscent: & id, quod legitime definiverint, per censuram Ecclesiasticam partes faciant observare; hoc adjecto, ut occasione terminorum, seu limitum, de quibus dicti *Archiepiscopus & Episcopus* cognoscent, pacis puritas inter *Regem Ungariæ*, & nos non turbabitur; nec nos cum eodem Rege relabemur in guerrarum discrimina recidiva.

Quæ regis Boh: terræ pacis tracta tu cõprehen sæ.

Qui sint de earum limi tibus cogni turi.

Pace igitur hujusmodi inter ipsum *Regem & Nos* reformata, & cautionibus tam literarum autenticarum, quàm jurisjurandi religione firmatâ, ut eadẽ robore subsistere valeat firmiori, infra terminũ inter Illustrem *Regem Ungariæ & Nos* statuendũ seu moderandũ pro pacis multiplici firmitate eidẽ *Regi Ungariæ* dari procurabimus, & faciemus literas magnificorum virorum Domini *Henrici Misenensis*, *& Domini Othonis Brandeburgensis inclytorum Marchionum*, cognatorum, & amicorum nostrorum, præsenti paci ex parte nostra inclusorum: Super eo quòd, ijdem paci, conventioni, seu compositioni nunc factis per nos, & Barones adhibebunt consensum, conniventiam, & opitulationem commodam, inviolabiliter observandis, eo expressum cauto tam in literis Marchionis Henrici Misenensis, quàm Domini Othonis Marchionis Brandeburgensis prædictorum; ut si nos pacem contingat, quòd absit, infringere, vel turbare, ex tunc ijdem *Marchiones* nobis non assistent auxilio, consilio vel favore, sed se à nobis penitùs separabunt, *Rex autem Ungariæ* sub eadem, seu consimili forma nobis dari faciet literas magnifici Domini *Caroli* Illustris Regis Siciliæ, Ducatûs Apuliæ, Principatus Capuæ, & Comitis Fulcalquerij; nec non literas Domini *Henrici* inclyti *Ducis Bavariæ*, & amicorum suorum sub ea forma; ut si *Rex Ungariæ* aliquid contra pacem fecerit, vel attentârit, violando seu infringendo eandem; ex tunc ijdem *Rex & Dux* à societate & amicitia *Regis Ungariæ* se penitùs retrahentes; eidem contra nos non impertientur consilium, auxilium, & favorem; & hoc expressim continebitur in eorundem *Regis & Ducis* patentibus literis, sigillis eorum authenticis pendentibus consignatis, quæ ut dictum est, infra terminum per *Dominum Regem Ungariæ* & nos moderandum nobis debent similiter assignari.

Vincula ad fœdus ad stringendũ adhibita.

Promittimus & assumimus, ut si aliqua temporum processibus successivis contingeret suboriri hinc inde, quæ turbare possent pacis & concordiæ, unionem, pace eàdem nunc factâ in suo robore permanente; super gravioribus, quæ ex parte omnium nostrorum contra homines *Regis Ungariæ* attentata fuerint, sive facta, *Episcopus Olomucensis* tam ex ordinaria jurisdictione, quàm ex ipsius jurisdictionis in eos, qui eidem Episcopo subjecti non sunt, prorogatione nunc factâ, cognoscet, & quæ judiciaria maturitate servata, invenerit perperam attentata, seu facta in *præjudicium Regis Ungariæ* & hominum suorum, prolatâ difinitivâ sententiâ reformabit; postquam de causæ meritis cognoverit, ut est juris: & quod difiniverit, per censuram Ecclesiasticam faciet observari, cum ipsius *Regis Ungariæ & nostri Barones* ordinaverint juxta traditam sibi formam; & ipse *Rex Ungariæ* ac *nos* assumpserimus, approbaverimus, & emologaverimus præmissa omnia & singula spontaneâ voluntate.

Quâ ratiõne nascituræ controversiæ sint dirimendæ.

Si verò aliqua graviora per homines *Regis Ungariæ vel Barones* ejusdem attentata fuerint sive facta, per quæ nobis & hominibus Regni terrarúmque nostrarum posset præjudicium generari: super ijs Venerabilis Pater Dominus *Philippus Strigonienſis Archiepiscopus* ex ordinaria Jurisdictione, quam omnes Barones & homines *Regni Ungariæ* in se prorogaverunt, cognoscet juxta formã articuli proximè expressi; & quod difiniverit, executioni mandabit, contradictores per Censuram Ecclesiasticam districtùs compescendo. Et in hujusmodi cognitionibus causârum procedent ijdem *Archiepiscopus & Episcopus*, Deum & Justitiam habentes præ oculis; postpositis gratiâ, timore, odio & favore. Iidem quoque *Archiepiscopus & Episcopus* in Personam *Regis Ungariæ*, atque nostram singuli singillatim promulgandi excommunicationis sententiam plenã habeant facultatem: cùm ipse & nos in præmissis subjecerimus personas nostras jurisdictionibus eorundem. In minoribus verò causis, quæ hinc inde inter ipsius *Regis*, & nostros homines emerserint circa confinia *Moraviæ*; duo ex parte ipsius *Regis Vngariæ* videlicet *Comes Posonienſis & Comes Nitrienſis*, ex parte nostra *Camerarius Moraviæ*, *& Purchravius de Brumove*; circa confinia *Austriæ* ex parte *Regis Ungariæ Comites Sopronienſis & Musunienſis*, ex parte nostra *Castellanus de Haselovue & Castellanus novæ Civitatis* judices provinciales; circa confinia *Styriæ*, ex parte *Regis Ungariæ*, *Comites Castri ferrei & de Zala*, ex parte nostra *Capitaneus & Notarius Styriæ*; circa confinia *Carinthiæ*, *Carniolæ*, *Marchiæ*; ex parte *Regis Ungariæ* Banus totius *Sclavoniæ*; ex parte nostra *Capitaneus Carinthiæ & Carniolæ* deputabuntur: qui querelantibus hinc inde justitiæ facient complementum: & id fecerint, tam ipsius *Regis Ungariæ* quàm nostra auctoritate facient observari. Quòd si aliqui ex ipsis fuerint defuncti, successores ipsorum dignitatis, hæreditarij, vel per alterutrum *Regum* substituti, fungentur vice, & partibus eorundem.

sui Præfecti utriusq; Regni limiti dati.

Item si inter amicos *Regis Ungariæ & nostros* aliqua fuerit discordia suscitata pro causâ hujusmodi, contra pacem promittimus non venire; sed discordantes studebimus, si poterimus, ad pacem & concordiam revocare; alioquin causâ inter ipsos discordantes exortâ *Archiepiscoporum & Episcoporum* judicio, vel ordinationi relinquetur: quam ipsi recipient, & eidem parebunt, seu stabunt. Quod si *Amici nostri* hæc renuerint adimplere, nullum Cosilium & auxilium eisdem impendemus contra *Regem Ungariæ* supradictum. Si verò, quod absit, *Rex Ungariæ*, pacis violator ex quavis causâ, propriâ vel amicorum suorum ac hominum *Regni* sui, inventus fuerit, vel turbator; ipso facto incidet *in sententiam excommunicationis*, quam ex nunc *Venerabiles patres Archiepiscopi Strigonienſis*, *& Colocensis*, eorúmque *Suffraganei Episcopi Ungariæ* tulerint in scriptis solemniter: & quòd eadem sententia teneat & astringat

Ob privatorũ contentiones pax nõ violanda.

Constitutæ in fœdifragos cẽsuræ.

violatorem pacis, & concordiæ, cum effectu ipſe *Rex Ungariæ* ſubjecit ſe juriſdictioni ipſorum *Archiepiſcoporum & Epiſcoporum* non obſtantibus aliquibus literis, indulgentijs, ſeu privilegijs *à Sede Apoſtolica* impetratis, vel in poſterum impetrandis.

Adjecta alia pœna.

Præterea, ut multiplicatus funiculus pacem faciat pleniorem, Venerabiles Patres electus *Salzeburgenſis*, *Patavienſis*, *Friſingenſis*, *Ratisbonenſis*, *Pragenſis*, *Olomucenſis*, & *ſecovvienſis Epiſcopi* Regni terrarúmque noſtrarum juraverunt, quantum in eis eſt, pacem præſentem inter ipſum *Regem* & nos ordinatam tenere, ac ſervare; & nos inducere juxta promiſſionis à ſe factæ formam, ad eandē mutuò obſervandā, & tenendum ea, quæ in præſentiarū promiſimus & promittimus, ſpopondim⁹ & ſpondem⁹, ſicut in ipſorū literis pleniùs continetur. Promiſerunt etiam per idem juramentum, & promittunt, quòd ſi nos, (quod abſit) pacem infringere contingeret, vel ea, quæ in præſens placitum ſunt deducta, violare; ijdem *Salzeburgenſis electus Eccleſiæ & Epiſcopi nominati*, *Regnique noſtri Barones nos deſerent*, & *Regi Ungariæ* adhærebunt ex debito præſtiti juramenti. Verùm ſi *Regem Ungariæ* pacem, vel ea, quæ in placitum devenerunt, infringere contigerit, vel turbare, *Archiepiſcopi & Epiſcopi Regni ſui*, & *Barones ac Comites* ijdem juxta formam præſentis compoſitionis & ordinationis eum deſerent, & nobis adhærebunt ſimiliter ex debito præſtiti juramenti, ſicut in ipſorum patentibus literis continetur. Item *Electus Salzeburgenſis*, & Venerabiles Patres *Patavienſis*, *Friſingenſis*, *Ratiſponenſis*, *Pragenſis*, *Olomucenſis*, *Secovvenſis Epiſcopi* de noſtra & Baronum noſtrorum voluntate ex nunc ſententiam excommunicationis promulgarunt, quam, ſi nos, quod abſit, pacem transgredi contigerit, ipſo facto incurremus, & nihilominus ijdem *electus & Epiſcopi* totum Regnum, terráſque noſtras *Eccleſiaſtico* ſubijcient, in ſuis Diœceſibus *interdicto*; non obſtantibus Literis, ſeu Indulgentijs impetratis, vel inpoſterum impetrandis. *Archiepiſcopus* etiam *Strigonienſis* qui Ordinarius *Regis Ungariæ* exiſtit; & *Archiepiſcopus Colocenſis* ipſius *Cancellarius ac Suffraganei* ac eorundem Prælati *Regni Ungariæ* conſimilem excommmunicationis ſententiam inſcriptis ſolemniter tulerunt, quam ipſe *Rex Ungariæ* ipſo facto incurret, ſi tranſgreſſor pacis exiſteret, vel turbator. Et ſi in hac parte *Archiepiſcopi & Epiſcopi* prædicti tam Regnorum *Regni Ungariæ*, quàm *Regni noſtri* & terrarum noſtrarum negligentes in exequendis præmiſſis extiterint, vel remiſſi, punientur à *Dominis Cardinalibus*, quorum juriſdictioni ſe in hac parte ſubjecerunt, tamquam juramenti præſtiti tranſgreſſores.

Provinciæ Juris Boh: effectæ.

Inſuper Dominus *Stephanus Rex* Ungariæ renunciavit omni juri & actioni, quod & quæ ſibi videbuntur competere, ſeu etiam competebant *in ducatibus Styriæ*, *Carinthiæ*, & *Dominiis Carniolæ*, *Marchiæ*, nullam de cætero ſuo, vel hæredum ſuorum nomine contra nos & hæredes noſtros ſuper illis moturus materiam quæſtionis.

Nota.

Renunciavit etiam *Rex Stephanus Vngariæ* ſæpe dictus juri & actioni ſibi, & ſuis hæredibus competentibus de inſignijs regalibus, *Coronâ* videlicet *gladio*, *monili*, *ſellâ*, *ſcutellis*, & *alijs clenodijs*, *ac Theſauro delatis per Dominam Annam Socrum noſtram in Regnum Bohemiæ.*

Qui Reges Ottogari ſæderati.

Item prædictæ ordinationi, & paci includi volumus & includimus excellentes dominos & illuſtres *Regem Hiſpaniæ*, *Regem Angliæ*, *Dominum Richardum Fratrem* Regis *Angliæ electum in Imperatorem* Romanorum, cum filijs eorundem; venerabiles Patres Dominos *Archiepiſcopum Moguntinum* cum ſuis Suffraganeis, Archiepiſcopum *Magdeburgenſem* cum ſuis Suffraganeis, Archiepiſcopum *Salzeburgenſem* cum ſuis Suffraganeis; *Dominum Ludovicum Comitem Palatinum* Rheni, *Dominum Henricum Marchionem Miſenenſem*, *Dominum Ducem Saxoniæ* cum fratribus & filijs ſuis, Ducem *Brunſvvicenſem* & fratrem ſuum, Dominum Ducem *Brabantiæ*, Dominum Ducem de *Lympurch*, Dominum *Albertum Landgravium Turingiæ*, Dominum Theodoricum *Marchionem de Landtſperg*, Dominum *Othonem Marchionem de Brandburgk* cum fratribus ſuis, chariſſimis avunculis noſtris; Filiolis Domini *Joannis Marchionis*, videlicet Dominum Joannem Marchionem *Brandburgenſem* cum fratribus & filijs ſuis, Dominum *Wolezlaum* Ducem Sileſiæ, & ſuum Ducem *Henricum* ac alios filios ſuos, Dominum *Chunradum Ducem Sileſiæ* cum pueris ſuis, Dominum *Henricum* filium Ducis *Henrici de Wratislaviva*, Dominum *Jezkonem* & Fratrem ejus *Ducem Cuiaviæ*; aliósque fideles, fautores, & familiares noſtros cum filijs omnibus, terris, regnis, ducatibus, juribus, ac poſſeſſionibus eorundem.

De impetrãda pactionũ confirmatione à Sede Apoſtolicâ.

Inſuper promiſimus & promittimus juxta ipſorum Baronum noſtrorum ordinationem, quod â Dominis *Cardinalibus*, vacante nunc Sede Apoſtolicâ, obtinebimus tranſmiſſis noſtris nuncijs confirmationem pacis nunc factæ: hoc adjecto quòd ipſius *Regis Vngariæ & noſtri Nuncij* circa feſtum *S. Michaëlis* nunc venturum iter arripient, & in feſto Omnium Sanctorum proximè ſubſequenti ſe Dominorum Cardinalium conſpectui præſentabunt, & confirmationem noſtris ſumptibus, & expenſis obtentam faciemus ipſi *Regi Vngariæ* aſſignari.

Item etiam *Rex* per ſuos proprios nuncios impetrabit, conſimiles, confirmationis literas ſuis expenſis & ſumptibus nobis dandas. Creato verò Papâ confirmationem eandem ſub ſimili viciſſitudine alterutri noſtrum dandam faciemus, largiente Domino, impetrari; damna autem illata hinc inde compenſatione mutuâ ſunt ſublata juxta ordinationem ſæpius memoratam. Ut igitur præmiſſa, & ſingula inviolabiliter obſerventur; nec ſucceſſivorum tempore mutatione infringi valeant; vel aliqualiter vacillare, juravimus, & juramus tactis corporaliter *Sacro-Sanctis Evangelijs*, multorum Sanctorum Reliquijs, & vivificæ crucis ligno: adjicientes ut tranſgreſſor præmiſſorum præter infamiæ notam, quam tranſgreſſione juramenti incurret, divinæ acrimoniam ſentiat ultionis, & cum *Chore*, *Dathan*, & *Abiron* recipiat portionem, *Dei Omnipotentis* & glorioſiſſimæ Virginis, & Sanctorum Omnium ſuffragijs deſtitutus. In cujus rei teſtimonium ad perpetuam memoriam ac munimen præſentes conceſſimus literas duplicis Sigilli noſtri munimine roboratas. Datum & actum Pragæ, Anno Domini M. CCLXXI. coronationis noſtræ Anno X. 2. Id. Julij.

Remiſſa utrinq; damna

EPISTOLA XIX.

Inveſtitura Regis Ottocari ſuper Regno Bohemiæ & Marchionatu Moraviæ, cum ſuis attinentijs; Anno 1276.

1276.

RUDOLPHUS Dei Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus; univerſis Sacri Romani Imperij fidelibus præſentes Litteras inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum. Gold. f. 30.

TEnore præsentium recognoscimus publicè profitentes, quòd nos Illustrem *Ottocarum Bohemiæ Regem, Principem nostrum charissimum, de Regno Bohemiæ suisq; attinentijs*, nec non *de Marchionatu Moraviæ*, cæterisque omnibus, quæ à nobis & Imperio in fevdum obtinere de jure dignoscitur, ex regali dignitate consvetâ investimus, ac eidem Principatus prædictos cum omnibus ipsorum attinentijs duximus concedendos à nobis & Imperio in fevdum perpetuò obtinendum. In cujus rei testimonium præsens scriptum Majestatis nostræ Sigillo jussimus communiri. Datum in castro ante *Viennam*, VII. Calendas Decembris, Indictione V. An: Domini M.CCLXXVI. Regni verò nostri Anno IV.

1283. *Declar: Rudolfus Imp: Wenceslaũ Regẽ nihil esse obligatum Ottoni Brandeburgico, qui à Rege puero extorsit plurima.* Ex Privil: Regni Bohem.

EPISTOLA XX.

De Oblationibus Vi Extortis.

RUDOLPHUS Dei Gratiâ Rom: Rex semper Augustus. Universis Sacri Romani Imperij fidelibus præsentes Literas inspecturis Gratiam suam & omne bonum.

Satus Quæstionis.

AD Universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, quòd nobis judicio præsidentibus in Vigilia Bartholomæi Apostoli apud Friburgam *in Orlandia* nuncij Illustris *Regis Wenceslai Bohemiæ*, Nostram Celsitudinem accesserunt cum instantia postulantes, ut per Sententiam vellemus inquirere, utrùm Princeps aliquis, vel alius cujuscunque conditionis vi, vel metu inductus expers propriæ libertatis fidejussionibus stipulationibus, vel quibuscunque alijs obligationibus se posset constringere vel arctare, ita quòd imposterum super hujusmodi obligationibus extortis posset impeti vel aliquatenus conveniri, tanquam efficaciter obligatus, quod ad instantiam dictorum nunciorum per sententiam postulavimus definiri, & sententiatum extitit à Principibus, Comitibus, Nobilibus & alijs Imperij Fidelibus, qui ipsi judicio præsentes aderant, quòd *Princeps*, vel quilibet alius ad ea, quæ vi metúve coactus promitteret, vel quibuscunque factis obligatorijs se adstingeret, factus sui compos nullatenus teneretur, & tales pactiones obligatoriæ qualescunque censendæ forent irritæ penitùs & inanes. Quâ verò sententia nostrâ approbatione sequente prolatâ, prædicti nuncij ad speciem descendentes Nostro culmini supplicarunt, si inclytus *Wenceslaus Hæres Regni Bohemiæ* prænotatus, quem *Illustris Otto Marchio de Brandeburg* aliquo tempore contra propriam detinuit voluntatẽ, deinde fretus propriâ libertate ad completionẽ illorũ pactorũ taliter extortorum, atq; consumationẽ obligationum quarumcunq; sub quibus eidem *Marchioni* pro viginti millibus marcarũ obligavit Civitatem *Sitaviæ* & Castrum *Tronovv*, cum eorũ pertinentijs, Castrum *Scharfenstein*, & Civitatem cum omnibus alijs attinentijs; Castrum *Bezdcky* cum suis pertinentijs, Castrum *Deczein* cũ suis pertinentijs, Civitatem *Ust*, & *Castrum* cum eorum attinentijs, Civitatem *Brüx* & Castrum cum eorum attinentijs, nec non Castrum *Snaderæ* cum suis pertinentijs universis, sub quibus etiam promissionibus taliter extortis, nisi *Marchioni* pro duobus millibus Marcarum fidejussores permodum extorsionis coactus posuit, & pro *quinque millibus Marcarum* quas se daturum promisit, aliqualiter teneatur. Maximè cùm inter nos & dictum *Marchionem* cùm ejus

Locus corruptus.

curæ ante hæredem Bohemiæ, cum suo Regno usquè ad certum tempus committeremus, intercessit certa conventio digna in suo robore observari, videlicet quòd expirante certo tempore, quod conventioni adjectum fuerat, prænominatum *Hæredem Regni Bohemiæ* unà cum suo *Regno* sinè quolibet damno, vel dispendio, vel quantalibet injuria, sinè petitione quarumlibet expensarum juxta legem conventionis restitueret pleno Jure; cujus tamen conventionis legibus dictus *Marchio* obvians minùs justè pactiones, obligationes, fidejussiones extorquens, indebitè quæ promisit penitùs violavit; atque singula superius expressa Principes, Comites & Nobiles, qui eodem aderant judicio per nos requisiti sententiando protulerunt, quòd sæpe dictus *Heres Regni Bohemiæ* ad completionem dictorum pactorum, promissionum, fidejussionum, nec non quarumcunque obligationum ab eo taliter extortarum per dictum *Marchionem* nullatenus sit astrictus, sed à prædictis omnino per sententiam debeat liberari, & utique penitùs absolvi, obligationes, & dictorum bonorũ promissiones, fidejussiones, ipso Jure nullæ debent pro cassis, & irritis æstimari. Unde nos videntes, & providâ meditatione pensantes ipsam sententiam de bono & æquo *Jure* subnixam eam Authoritate Regiâ approbantes obligationes dictorum bonorum, seu pignorum fidejussiones, promissiones, prout superiùs expensum existit, cùm contra Jus & æquum sint extortæ à dicto *Marchione* in dicti hæredis præjudicium aggravamen per sententiam prout coram nobis extitit sententiatũ irritantes fidejussores à suis promissionibus absolventes, Cives Brüxenses & alios quoscunque homines dictorum Castrorum, Oppidorum seu Civitatum à Sacramentis seu promissionibus dicto *Marchioni* ad mandatum dicti Hæredis, vel alio quocunque modo præstitis etiam absolvendo, mandamus vobis universis & singulis, quatenus ipsum Hæredem *Regni Bohemiæ*, quem mediante dictâ sententiâ ab obligationibus dictorum bonorum & alijs pactis fidejussionibus cum fidejussionibus datis, absolvimus, & denunciamus absolutum à prædictis omnibus & singulis dicto modo præstitis habeatis penitus absolutum; scientes eum ad perfectionem seu consumationem dictarum obligationum aliqualiter non teneri. Testes, qui præmissæ Sententiæ interfuerunt, sunt: *Wenc:* Argent. *H.* Basilien: Episcopi Romanæ nostræ Aulæ Cancellarius. Nobiles Viri. *H.* Marchio Hahperck Burggravius de Nurmberg. Al. de Hohenberch. Eg: Fürstemberch. Comites de Nifen. B. de Geroldsecke. Nobiles, & alij quàm plures. Datum & Actum *Friburg* in Orlandia, decimo Calend. Septemb. Indictione undecimâ. Anno Domini: 1283. Regni verò nostri Anno decimo.

Sententia Imperialis.

EPISTOLA XXI.

De Voce in Electione Romanorum Regum, & Archipincernarum in Imperio Regum Bohemiæ.

Nos RUDOLFUS Dei Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus.

1289. Ex privil. Reg: Boh.

AD universorum Sacri Romani Imperij fidelium notitiam cupimus pervenire, quòd *Nos* ex officio Nostræ Celsitudini divinitus injuncto, cupientes jura quorumlibet salva (nam veræ Justitiæ virtus hæc est, alterum

rum non lædere, unicuiq; tribuere, quod est suum) maximè tamen Virorum Illustrium dispendijs præcaventes, quorum insudare nos semper perdecet comodis, & honori Inquisitionis circumspectæ præhabito scrutinio, quid, quantúmve Juris in Romanorum competat Imperio, *Inclyto Regi Bohemiæ Wenceslao Principi Nostro*, & Imperij Pincernæ charissimo, nec non suis hæredibus, licèt de ipsius Juribus verissima notitiâ nobis constet, ad majorem tamen cautelam, & evidentiam indagantes, ac indagari facientes, ut *dicti Regis* Jura luciduis patefierent, universis comuni testimonio, & assertione comperimus assonante, quòd Rex supradictus *jus, ac officium Pincernatûs*, pariter & ejus hæredes, in Romano obtineat Imperio, nec non in *Romanorum Regis Electione* instar aliorum Principum, in ipsâ Electione habentium jus, & vocem, quoad idem jus, & vocem eligendi potestate parili potiantur, quæ Jura ipsis competere profitemur præsentibus, & authoritate Regiâ approbamus, præsentium testimonio literarum. Datum *Ægræ*, quarto Nonas Martij. Indictione secunda. Anno Domini 1289. Regni nostri Anno sexto decimo.

EPISTOLA XXII.

RUDOLPHUS I. Imperator confirmat Regi Bohemiæ Privilegium Pincernatûs, & Electoriæ dignitatis, Anno 1290. iterato.

Goldast. in App. Doc.

RUDOLPHUS Dei Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus. Universis Sacri Imperij Romani fidelibus præsentes Literas inspecturis gratiam suam & omne bonum.

QUantò jura personarum prodierint in lucem notitiâ clariore, tantò liquidius posteritati successuræ materia altercandi tollitur. Inquisitionis igitur circumspectæ præhabitâ indagine, scrutinióque solerti scire desideravimus, quid, quantúmve juris in Romano competat Imperio, & in electione Romanorum Regis, futuri Imperatoris, *Inclyto Regi Bohemiæ, Principi & Filio nostro charissimo*, & hæredibus ipsius. Quo facto, Principũ, Baronum, Nobilium, & procerũ Imperij nec nõ veteranorũ comuni assertione, & concordi testimonio comperim⁹ assonante, ipsũ *Regẽ Boh: Imperij* debere *pincernam* existere, & jus ac officiũ *Pincernatûs* apud eũ, nec nõ ejus hæredes jure hæreditario residere. Extitit etiã dilucidè declaratum, prædictũ *Regem Bohemiæ* & suos hæredes in *electione Regis Romanorum* futuri Imperatoris, cum cæteris Electoribus habere debere, ad similitudinem aliorum Electorum *eligendi plenarium jus & vocem*. Hæc verò jura *Pincernatûs & Electoratûs*, nè dum dicto Regi & suis hæredibus didicimus competere, sed etiam *suis Progenitoribus, Abavis, Atavis, Proavis, Avis* purè plenissimè competebant. Volentes itáque dicti *Regis* & hæredum suorum dispendijs cavere, *jus & officium Pincernatûs* in Imperio sibi & hæredibus suis, & non alijs competere, & in electione *Regis Romanorum*, futuri Imperatoris habere jus & vocem clarè recognoscimus, approbamus, & præsentium testimonio profitemur. Si quid autem diminutionis vel calumniæ, quod non credimus, cavillosè, malitiosè, vel subdolè possit opponi, supplemus de plenitudine potestatis. In cujus rei testimonium præsens scriptum Majestatis nostræ Sigillo fecimus communiri. Datum *Erfordiæ* VI. Kal: Octobr. Indictione III. Anno Domini M. CC. XC. Regni verò nostri XVII.

Examinatũ diligenter Jus Regis Bohẽm: in Electione Imperatorum.

Declaratur Rex Boh. habuisse & habere jus Electorale & Pincernatûs.

EPISTOLA XXIII.

Infeudatio & investitura Regis Bohemiæ per Adolphum Anno 1292. A. 1292.

ADOLPHUS Dei Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, inclyto Wenceslao Regi Bohemiæ Principi suo dilecto salutem, & synceræ Regiæ benignitatis affectum cum desiderio complacendi.

Goldast. in Beylagis.

Laudatio Regis Wenceslai.

MUltarum virtutum amica societas, morum ac vitæ laudabilis conversatio & commendabilis fidei tuæ præsentia, quibus te præeminenter adornari comperimus, nos inducunt ut te tanquam *Principem Imperij præinsignem* amplioribus præ cæteris nostræ beneficentiæ radijs illustremus: Hinc est, quòd ex speciali favore ad provehenda tui honoris auspicia, omnia feuda, quæ à nobis & Imperio debes susc̃ipere & tenere, per Virũ spectabilem *Rubinum de Coronee* affinem & fidelem nostrum dilectum, tibi transmittenda duximus & transmittimus præsentium serie literarum. Volentes tamen, ut cùm commodius nostris possis præsentari conspectibus à nobis personaliter susc̃ipere debeas feuda memorata. In præmissorum igitur omnium testimonium ac evidentiam præsentes literas nostræ Majestatis Sigillo fecimus communiri. Datum *Francfurt* III. Idus Maij Indictione V. Anno Domini M. CCXCII. Regni verò nostri Anno primo.

alias de Taverna.

Investitura per interpositam Personam super omnibus feudis Regis Bohemiæ Anno 1292.

ADOLPHUS Dei Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, universis Sacri Imperij fidelibus gratiam suam & omne bonum.

Goldast. in Beylagis.

Persona interposita Rubinus.

OB suorum meritorum insignia glorios̃a, quibus erga nos & Imperium Sacrum *Illustris Dominus Wenceslaus Rex Bohemiæ, inclytus Princeps noster & Pincerna* multipliciter relucet, suis cupientes parcere laboribus & expensis, omnia feuda quocunque sita, seu quocunque nomine censentur, quæ *à nobis & Sacro Romano Imperio* dictus *Rex* per Nobilem virum *Rubinum de Toverna* affinem nostrum exhibitorem præsentium ex speciali gratia nostræ Regiæ Majestatis quamquam absenti duximus porrigenda. Volumus tamen & annectimus hanc formam, ut *Rex Illustris* jam prædictus, cùm commodè præsentiam nostri habere poterit personalem, personaliter nos accedat, jura suorum feudorum, prout mos expostulat, accepturus. Dat: apud *Francfort* IV. Idus Maij Anno Domini M. CCXCII. Indictione V. Regni nostri Anno primo.

al: de Taverna.

EPISTOLA XXIV.

ALBERTI ROMANORUM REGIS LITERÆ, QUIBUS fatetur Reges Bohemiæ in solemni Curia Imperiali Rogatos existentes, si Imperatores vel Reges Romanorum Coronam gestaverint, & eos quoque gestare posse.

1298. ALBERTUS Dei Gratiâ Rex Romanorum semper Augustus, universis Sacri Romani Imperij fidelibus præsentes Literas inspecturis gratiam suam & omne bonum.

Ex Privil: Reg: Boh: SIc nos decet Principum & amicorum nostrorum spontaneis uti servitijs, ut si quid per eos nobis honoris & obsequij propter debitum de prompta benevolentia exhibetur, eis vel eorum hæredibus aut Successoribus in suis Juribus nullum per hoc imposterum præjudicium generetur. Eapropter scire *Vos* facimus, & tenore præsentium protestamur, quòd licèt Illustres *Reges Bohemiæ* dum rogati, vel per Reges, vel Imperatores Romanorum, eos ad solemnem eorum Curiam venire contingit, prædictis Rege vel Imperatore Coronam Regalem gestantibus cum eisdem, & eis præsentibus coronâ Regiâ uti possint, non tamen in Corona Regia debent prædicti Reges Bohemiæ prædictis Regi vel Imperatori ministrare in officio Pincernatûs. Quòd autem magnificus *Wenceslaus Rex Bohemiæ, Princeps & Frater Noster* charissimus nobis apud *Nurmberg* in solenni nostra Curia proximo die Dominico post Festum Beati Martini sedentibus in Corona, coronatus ad preces nostras ministravit, in officio pincernatûs, hoc non de jure, sed ex mera dilectione, quam ad nostram gerit personam, tum eum fecisse dicimus, & ad serviendum, sive ministrandum in eodem officio sub Corona Regia nobis vel successoribus nostris, Regibus vel Imperatoribus Romanorum prædictum Regem, & omnes Successores suos *Reges Bohemiæ* testamur & volumus de cætero non teneri; nec aliquod eis exinde præjudicium generari. In cujus rei testimonium & prædicti Regis Bohemiæ & Hæredum, & Successorum suorum cautelam præsentes fieri, & Sigillo Nostro Regio jussimus communiri. Actum & Datum in *Nurmberg*, Anno Domini, Millesimo ducentesimo nonagesimo octavo. Decimoquinto Calendas Decembris. Indictione duodecimâ, Regni nostri Anno primo.

EPISTOLA XXV.

Generalis Confirmatio omnium Privilegiorum & Jurium Regis VVenceslai, Anno 1305.

1305. ALBERTUS Dei Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, universis Sacri Romani Imperij fidelibus, præsentes Literas inspecturis, gratiam suam & omne bonum.

Quanquam

QUamquam nostræ benignitatis Regia *Celsitudo* quoslibet, quos Romanum ambit Imperium, teneatur dulcorosis favoribus & benignis promotionibus amplexari, tamen dignum judicat nostra serenitas, & congruum arbitratur, ut eorum, quos nobis carnalis unit affectio, & identitas sangvinis propagat & sociat, honoribus adaugendum, & commoditatibus procurandis ferventiùs & vigilantiùs intendere debeamus. Ad hoc itaque consideratione habitâ & respectu in Illustrem *Wenceslaum Bohemiæ & Poloniæ Regem*, avunculum & Principem nostrum charissimum, ampliori benevolentia & gratiosiori affectu præ cæteris prosequi cupientes, omnia privilegia, fevda, jura, libertates & gratias illustri quondam *Wenceslao Regi Bohemiæ*, genitori suo, ac sibi, & ipsorum hæredibus, prædictis *Regibus Bohemiæ* à nobis & nostris prædictis Imperatoribus & Regibus Romanis concessa & concessas approbamus, innovamus, ratificamus, & præsentis scripti patrocinio confirmamus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc nostræ confimationis paginam infringere, vel ei in aliquo, ausu temerario, contraire: quod qui facere præsumpserit gravem nostræ Majestatis offensam se noverit incurrisse. In cujus nostræ approbationis, innovationis, ratificationis & cõfirmationis testimonium, hoc scriptum exinde fieri, & Majestatis nostræ Sigillo jussimus communiri. Datum apud *Nürmberg* XIII. Calend: Septemb: Indictione 3. Anno Domini M. CCCV. Regni verò nostri Anno VIII. Gold. f. 34. Priv. Reg: f. 39.

EPISTOLA XXVI.

ALBERTI Imperatoris Aug: Decretum de Absolutione Regis Bohemiæ à Banno Imperiali, Anno 1305. 1305.

Nos ALBERTUS Dei Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, ad universorum notitiam tenore præsentium volumus pervenire.

QUòd super discordia, quæ inter nos ex una parte, & illustrem quondam *Wenceslaum Bohemiæ Poloniæq; Regem* ex altera, vertebatur, dum advixit, cum ejus filio illustri *Wenceslao Bohemiæ Poloniæq; Rege*, avunculo & Principe nostro charissimo, concordiæ, quam cum eo cunctis diebus vitæ nostræ servare bonâ fide promittimus, devenimus unionem. Primò quòd omnis excessus, si quos ipsius avunculi nostri *Bohemiæ & Poloniæ Regis* genitor prædictus in nos, vel imperium quocunque modo commisit, propter quos in ipsum genitorem suum nostra legalis sententia lata, vel bannum promulgatum fuissent, quæ ejus se extenderent ad hæredes, prædictum *Wenceslaum Bohemiæ, & Poloniæ Regem* avunculum nostrum, prædicti quondam *Wenceslai Bohemiæ & Poloniæ Regis* filium heredem & successorem ac heredes suos, ab ipsis excessibus suis & bannis absolvimus, & in perpetuum authoritate regiâ reddimus & esse volumus omnimodè absolutos. Gold. f. 35.

Promittimus præterea in Regia fide, prædictum *Wenceslaum Bohemiæ & Poloniæ Regem*, avunculum nostrum, heredes & successores suos, *Bohemiæ & Poloniæ Reges* in ipsis *Bohemiæ & Poloniæ Regnis*, & omnibus alijs Principatibus, & terris, ac juribus, ac omnibus alijs, quæ ad ipsum *Wenceslaum Bohemiæ & Poloniæ Regem*, avunculum nostrum, ex successione paternâ, vel quocunque alio titu- *Confirmat omnia Regna & Provincias Regibus Boh:*

titulo pervenerunt, nec de jure, nec de facto, totovitæ noſtræ tempore aliquatenus impedire, etiamſi aliquod jus, quod vulgariter dicitur Anſpruch, nobis, vel imperio in eis competeret, vel diceremus competere, vel nobis aut Imperio aliqua competere videretur. Sed ipſe *Wenceslaus & Bohemiæ Reges*, prædicta regna, Principatus, terras ac omnia ſupradicta cum pleno Dominio, & omnibus regnorum, Principatuum & terrarum ipſarum titulis, honoribus, juribus, juriſdictionibus, utilitatibus, in terra, & ſupra terram in regnis, Principatibus, ac omnibus prædictis, & ex eis provenientibus, fevdalia jure fevdi, propria verò & hereditaria jure proprietatis & hereditario debent obtinere in perpetuum, & ea liberè & pacificè poſſidere.

Fœderatos Regum Bohemiæ eodẽ Jure includit.

Illuſtres prætereà *Otthonem & Stephanum Duces Bavariæ*; *Ottonem*, *Hermannum*, *Joannem & Valdemarum Marchiones de Brandeburg*, qui in gverra & diſcordia prædicta, quæ inter nos, & prædictum quondam *Wenceslaum Bohemiæ & Poloniæ Regem* vertebatur, ipſius *Regis Bohemiæ* & fautores & adjutores fuerint; inſuper omnes alios, qui notabiliter, & actualiter adjutores, vel fautores prædicti *Regis Bohemiæ & Poloniæ* contra nos in eadem diſcordia ſunt vocati & inventi, ſive ſint banniti, ſive proſcripti vel ablitigati per nos, vel per alios, prædictæ concordiæ & unioni includimus, & incluſos eſſe volumus præſentium tenore, & eos omnibus bonis in prædicta concordia, propter præſtitum contra nos prædicto *Regi Bohemiæ* adjutorium, vel favorem eis ablatis, & honoribus & juribus eorum reſtituimus, & eſſe volumus, plenè & integrè reſtitutos, nec quod eis ex hoc in ipſis bonis & eorum juribus, & honoribus ulla diminutio, vel læſio aut præjudicium aliquod generetur.

De Wratislavienſi Principatu.

Promittimus inſuper ſuper terris, hominibus, bonis & juribus terræ *Wratislavienſis* ſtare dictis, & ordinationi ſpectabilium virorum, *Bertoldi* Comitis de Hennenberg & Burckhardi Burggravij *de Magdeburg* per nos & prædictum *Wenceslaum Bohemiæ & Poloniæ Regem*, avunculum noſtrum ad hoc concorditer electorum.

De Munitionibus Regis Boëmiæ.

De *munitionibus* autem, ſi quas ipſius *Wenceslai Bohemiæ & Poloniæ Regis*, avunculi noſtri, progenitores intra *Egrenſi*, quam cum ſuis pertinentijs ipſe *Wenceslaus Bohemiæ & Poloniæ Rex*, avunculus noſter, eâ integritate, quâ ipſa terra genitori ſuo, per felicis memoriæ *Adolphum Romanorum Regem*, præceſſorem noſtrum, olim fuit, compromiſit reſtituere, ſuâ pecuniâ comparamus,* inter *nos* & ipſum *Wenceslaum Bohemiæ & Poloniæ Regem*, avunculum noſtrum, taliter eſt ordinatum, ut eædem munitiones diſcuſſioni juris ſubjacerant: utrum videlicet ad nos vel ad ipſum *Wenceslaum Bohemiæ & Poloniæ Regem*, avunculum noſtrum, debeant pertinere, nisi ipſas idem *Wenceslaus Bohemiæ & Poloniæ Rex* avunculus noſter, à nobis in fevdum voluerit obtinere. In cujus rei teſtimonium præſentes exinde conſcribi, & Majeſtatis noſtræ Sigillo juſſimus communiri. Datum apud *Nürmberg* XV. Cal. Septemb. Indictione III. Anno Domini M. CC. V. Regni verò noſtri Anno VIII.

* *ſenſus obſcurus & aliquod mẽdum ſubeſt.*

EPISTOLA. XXVII.

Homagium Civitatis in Gurzim Henrico Regi Bohemiæ, & Annæ ejus Uxori præſtitum.

Nos

Nos Judex, jurati, & univerſitas Civium in Gurzim, ad univerſos tam præſentium, quàm futurorum notitiam tenore præſentium volumus pervenire. 1308.

Nota Henrico Carintho nulla fuit fidelior Civitas, quàm Kaurzimium.

QUòd nos Sereniſſimo & Chariſſimo Domino noſtro *Henrico Germaniæ, & Poloniæ Regi*, *Duci Carinthiæ*, *& Comiti Tyrolis*, & Illuſtri Dominæ *Annæ, Bohemiæ, & Poloniæ Reginæ* conſorti ſuæ ac futuris *Hæredibus ſuis* ſi quos eis ſimul clementia Divina donaverit, nec coacti, nec vi, aut metu aliquo inducti; ſed bonâ, liberâ, & ſpontaneâ voluntate noſtrâ, omni fraude, dolo malo, occaſione, cauſâ, & excuſatione quibuslibet excluſis præſtitimus fidelitatis debitum Sacramentum, promittentes *noſtro, & hæredum noſtrorum nomine*, quòd ipſum Dominum *Henricum ac Hæredes ſuos* futuros, ſi quos cum prædicta Domina *Anna Regina* noſtra habuerit, quos ex nunc *Reges Bohemiæ*, & Dominos noſtros veros, ac legitimos eſſe aſſerimus, pro noſtris Dominis habere perpetuò volumus, & eis ac cuilibet ipſorum, qui pro tempore *Regno Bohemiæ* præfuerint obſequi obedienter, promptè, & fideliter, ipſique aſtare & eos contra omnem hominem juvare, quandocunque & quotieſcunque mandaverint totis noſtris viribus atque poſſe, & nihil contra ipſos aut eorum aliquem, nunquam occaſione, vel cauſa acceptare, vel facere per nos vel alium, aut alios verbo, vel facto publicè, vel occultè. In cujus promiſſionis noſtræ teſtimonium præſentes literas Sigillo Civitatis noſtræ duximus ſigillandas. Datum in *Gurzim* Anno Domini 1308. Calend. Aprilis. Indictione ſextâ.

EPISTOLA XXVIII.

JOANNES XXII. Papa teſtatur hiſce literis, ſe nunquam cogitâſſe de mutandis Electoribus, & Statu Romano Germanici Imperij. 1324.

Joanni Regi Bohemiæ Illuſtri.

INfauſti rumoris aſſertio noſtris pertulit auribus his diebus, quòd quidam iniquitatis filij, ſub veſte humili religionis exterius geſtantes habitum, ſed interiùs à religionis veritate vacui, iniquitate pleni, & malitiâ non carentes, ejus qui ab initio mendax eſt, & Pater mendacij, opera nequiter imitando, *tibi fili chariſſime*, ac quibuſdam alijs Regis Romanorum promovendi in *Imperatorem Coëlectoribus* tuis falsò & mendaciter ſuggeſſerunt, quòd circa proceſſus, quos contra magnificum virum *Ludovicum Ducem Bavarid*, dudum in diſcordia in *Regem Romanorum* electum, propter varios exceſſus execrabiles contra DEUM, nos, & Romanorum Eccleſiam, reíque publicæ utilitatem per eum perpetratos, nuper habuimus, ad hoc noſtra ferebatur intentio, & dirigebantur ſtudia mentis noſtræ, ut tandem te *& Coëlectores* alios eligendi jure hujuſmodi privaremus; Et licet credamus te, tuoſque Coëlectores hujuſmodi falſis ſuggeſtionibus aures non accommodaſſe faciliter ad credendum; tamen ad confundendum omnino nequitiam hujuſmodi detractorum, ſatagentium inter matrem & filios ſcandala ſuſcitare, præmiſſa tuæ Celſitudini providimus deſcribenda, quam tenere volumus indubiè, quòd noſtræ intentionis nequa-

Raynald. *T. XV.*

quam extitit, nec existit per processus prædictos tuis & aliorum Cœlectorum juribus in aliquo derogare: indecens enim esset, quòd inde sequerentur injuriæ, unde jura nascuntur; & illi de paterna manu nocumentà sentirent, qui per eam ad gratiam meruerunt attolli. Quocirca Serenitatem regiam attentiùs deprecamur, quatenus tuum animum ad cujuscumque finistræ suggestionis instantiam super his non inclines, sed potiùs suggestores eosdem Fabricatores mendaciorum reputes, & mendaces. Datum Anin: VII. Kalend: Junij Anno VIII.

EPISTOLA XXIX.

Renunciatio Successionis Moravicæ, facta per Leopoldum Ducem Austriæ, Anno 1324.

1324. Nos LEOPOLDUS Dei Gratiâ Dux Austriæ & Stiriæ, ad universorum notitiam tenore præsentium cupimus devenire.

Gold.f.37. QVòd, qvia mediante Illustri Principe, D. *Carolo Hungariæ Rege*, Fratre nostro Charissimo inter Magnificum Principem D. *Johannem Bohemiæ & Poloniæ Regem ac Comitem Lucemburgensem, & Nos ac* Illustres Principes, Duces Austriæ & Stiriæ, Fratres nostros Charissimos, super omnibus discordijs, litibus, & controversijs, quæ hincindè vertebantur, compositio amicabilis & firma concordia intervenit; Spontè & liberè, & ex maturo, & deliberato consilio, nostro & hæredum nostrorum nomine, renunciamus omni juri, omniq; actioni, & qvæstioni, quod vel qvæ in *regno* vel *Marchionatu* seu terra *Moraviæ*, in toto, vel in parte, ex qvacunq; caussa, qvocunq; jure, vel titulo, aut modo, nobis & hæredibus nostris competebant hactenùs, competeret in præsenti, vel posset qvomodolibet competere infuturum, & nihil juris vel actionis fatemur in eisdem, dicimus & recognoscimus, nos habere: & si qvid iuris vel habere potuissemus in ipsis, de hoc Spontaneâ, & Liberâ voluntate nostrâ, & etiam maturo & deliberato consilio præhabito Super hoc sæpiùs cum *Baronibus & Nobilibus nostris*, totaliter concessimus & concedimus *D. Regi* Bohumiæ antedicto ita, qvòd nunqvâm sibi, vel hæredibus, aut successoribus suis, de hoc aliqvam brigam movebimus, nec aliqvam qvæstionem. Imò potiùs ipsum *Dominum Regem* Boëmiæ *& hæredem & Successores* suos, de eo semper qvietos stare & pacificos, promittimus: Promittentes sub corporali præstito juramento, & omni fraude, ac dolo exclusis, ipsi *Domino Regi Bohemiæ*, omnes Literas, omniáque privilegia, & instrumenta quæ habemus seu habere dignoscimur, sub quibuscunque formis, seu tenoribus verborum, super quibuscunque concessionibus, & donationibus, obligationibus, vel alijs quibuscunque modis ac contractibus, nobis & hæredibus nostris, per quascunque personas, cuiuscunque statûs, conditionis, vel præeminentiæ extiterint, etiamsi Imperiali, vel regali præfulserint dignitate, & per *Dominum Regem Bohemiæ, de Regno ipso Bohemiæ*, vel *Marchionatu Moraviæ*, vel aliquà parte ipsorum factis, statim sibi resignare, & in suam tradere potestatem, sic quòd nullam de ipsis literis, seù privilegijs nobis unquam reservabimus, vel retinebimus quo quo modo: & nihilominus cas-

Recitant hasce literas plurimi Scriptores, atque inter eos Goldast: qui Ferdinando II. Cæsari opus suum dedicavit.

cassantes, annullantes & irritantes, accassas, nullas, & irritas decernentes & esse volentes, huiusmodi literas & privilegia, & instrumenta, ita quòd nunquam nobis, vel hæredibus nostris aliquid juris, utilitatis, commodi vel honoris, in iudicio, vel extra judicium, alicuius roboris obtineant firmitatem, nec etiam nobis afferant vel conferant, aut afferre, vel conferre possint, aliqualiter ullo tempore suffragari, nec non à nobis & hæredibus nostris astrinxerunt, pro quibus nos, vel ipsorum aliquos, vel aliqvem, nos vel hæredes nostri possemus quocunque modo impetere vel movere, etiam per qvæ possemus, quomodolibet nobis vel heredibus nostris, sibi vel nobis, *in Regno Bohemiæ & terra Moraviæ*, *vel* aliquâ parte ipsorum, jus aliquod vendicare. Cæterum promittimus sub debito præstiti juramenti, & sinè omnis doli & fraudis admixtione, procurare fideliter & efficere cum effectu, quòd *frater noster*, *Dominus Fridericus*, *Dux Austriæ*, postquam à captiuitate dimissus fuerit, intrà duos menses immediatè seqventes, rata & firma habebit omnia & singula supradicta, & nihilominus super his omnibus per eum inviolabiliter observandis, & plenariè adimplendis, suas speciales consimiles, & patentes Literas, suo sigillatas sigillo dabit *D. Regi Bohemiæ* antedicto, & nihilominus jurabit tactis Sacro sanctis Evangelijs corporaliter omnia & singula supradicta, omni fraude & dolo semotis, perpetuis temporibus tenere firmiter & servare. Præmissa autem omnia & singula, proùt superiùs exprimuntur, promittimus sub virtute proximi juramenti, & etiam omni fraude & dolo exclusis, semper tenere, ac inviolabiliter observare, & contra ea, vel eorum aliquod, ullo unquàm tempore, de jure, aut facto non facere nec venire; renunciantes spontè & expressè in his omnibus & singulis, nostro & hæredum nostrorum nomine, exceptione doli mali, & in factum actioni, beneficio restitutionis in integrum, constitutioni, & consvetudini cuilibet in omnibus literis Apostolicis, & alijs ab Imperatoribus seu *regibus Romanorum*, vel ab alijs quibus cunque nobis concessis, vel concedendis, omnìque Iuris *tam Canonici* quàm *Civilis* auxilio, quod & contrà promissa vel eotum aliquod possent nobis, aut nostris hæredibus, quomodocunque modo vel tempore, in aliquo suffragari. In quorum omnium testimonium, & robur perpetuò valiturum Literas præsentes nostro sigillo fecimus communiri. Datum Bruka, die Dominica, quâ cantatur, *Esto mihi*, Anno Domiui. M. CCC. XXIV.

Irritat omnejus quod posset habere, in Provincias Joannis R. B.

EPISTOLA XXX.

JOANNES XXII. Papa commendat in Joanne Rege Bohem: propositum expeditionis adversus Barbaros suscipiendæ.

JOANNES &c. Joanni Regi Bohemiæ. 1325.

CÙm Nuncij te, *fili clarissime*, ad transfretandum Zelo fidei catholicæ *in subsidium terræ Sanctæ*, & ad certos honores nostros, & eiusdem ecclesiæ toto cordis affectu sub eadem credentia coram nobis asseruerint aspirare, personam & bona tua propterea te paratum exponere nihilominus asserentes; Nos oblationem huiusmodi, quam Deo gratam, tibíque honor-

Rayn: T. XV. N. 30.

Laudat Joannis Regis propositum.

honorabilem, & nobis placitam admodum & acceptam indubitanter supponimus, tuúmque in hac parte laudandum propositum gratiarum actionibus uberibus prosequimur, & dignâ laude in Domino comendammus. Et licet Supplicatis proparte tua peripsos nuncios, qualitate supplicatorum ipsorum, & alijs pluribus obsistentibus, per nos præfatis nuntijs expositis & tibi referendis per eos, non anuerimus usquè quaque; eadem de illis quæ secundum Deum & honestè potuimus, ad exauditionis gratiam admittenda favorabiliter duximus, sicut in literis confectis super hoc regiæ patebit magnitudini, & ipsi nuncij referre poterunt vivâ voce. *Hortatur ad constantiam.* Rogamus igitur excellentiam regiam & obsecramus in *domino JESU Christo*, quatenus in eodem proposito, exhibitione fructuosi operis, cùm opportunum fuerit, prosequendo constanter, & indefessè perseverare studeat regia Celsitudo: tenemus enim indubiè, quòd perseverantia ipsâ grata divinæ majestatis accidet oculis, & honoribus profectibus regijs existere poterit multipliciter opportuna. Dat. Avin: Kal. Aprilis Anno IX.

EPISTOLA XXXI.

Liga, & promisio inter Carolum Regem Hungariæ, & Carolum Marchionem Moraviæ, quòd si Rex Casimirus Poloniæ decederet Rex Hungariæ Regnum ipsius obtinebit cum subsidio prædicti Marchionis ec. Anno Domini, Millesimo Sexcentesimo Trigesimo Octavo.

Nos CAROLUS DEI gratiâ Rex Hungariæ, tenore præsentium quibus expedit, significamus universis, & memoriæ commendamus.

1338. Goldast. in Append. Docum.

QVòd cùm nos ex novæ parentelæ contractu inter Excellentem Principem Dominum *Carolum*, *Inclyti Principis Domini Joanns Boëmiæ Regis primogenitum*, *Marchionem Moraviæ*, hæredes suos ab una, & nos nostróque filios parte ex altera, pró *Domino Ludovico nostro primogenito*, & ejus persona nunc inito, & firmato, exaltationem, & augmentum honoris ipsius *Domini Caroli Marchionis heredumque suorum*, ut nostrum commodum proprium, id est è converso ipse nostrum, & hæredum nostrorum similiter ùt suum Proprium, meritò reputemus, quia nobis & nostrisque hæredibus bonâ, & sincerâ fide promisit, sub virtute ad sancta DEI Evangelia per eum præstiti juramenti, quòd si quandóque magnificum Principem *Dominum Casimirum Regem Poloniæ* absque heredibus masculis &c. cedere contigerit ab hac vita, quòd tunc pro suis viribus omnibus, & posse nobis *Regi Hungariæ*, nostrisque hæredibus suum exhibebit, & præstabit auxilium, & juvamen ut nos, nostrique hæredes ipsum *Regnum Poloniæ*, ex eò nobis debitum, seu debendum suo adjuti subsidio assequamur, ut nostram deveniat in potestatem, ac pleno jure nostro, vel hæredum nostrorum Regnum sit subjectum. Et quia etiam sub eodem præstito juramento nobis promisit, quòd si adcessionem prædicti Domini *Casimiri* absque hærede, ante consummationem matri-

De Matrimonio Casimiri Regis Poloniæ.

matrimonij inter *Dominum Ludovicum* nostrum Primogenitum præfatum & præcellentem Virginem Dominam *Margaritam* filiam suam de novo firmati fieri contingat, non minùs ad præmissa obtinenda suum Posse exponet, quibus jam ipsum matrimonium esset consummatum. Nos è converso pro *nobis nostrisque filijs, & hæredibus* memoratis, sub virtute per nos sibi præstiti juramenti similiter promittimus, & sincerâ fide assumimus: quòd si præfatus *Dominus Casimirus Rex Poloniæ*, residentes, Principes, & Vasallos, Civitates, castra, homines, seu quæcunque jura suo genitori, & sibi, ac inclyto Principi Domino *Joanni Duci Carinthiæ*, ac fratri ejusdem Marchionis, in ipso *Regno Poloniæ*, quoad ipsos Duces, Principes, & Vasallos, competentia, quibuscunque censeantur nominibus, sibi vendicare, & attrahere conarentur, ipsos forsitan Duces, & Vasallos *Regis Poloniæ*, & *Domini Marchionis*, ac fratris sui prædicti, seu homines Hostiliter invadendo; Et si ab his conatibus ad diligentem requisitionem nostram, quam cum diligentia nos inter ponere promittimus, desistere non curarent, ex tunc nos præfato Domino *Casimiro Regi Poloniæ*, hæredibus, & successoribus ipsius, adversum Duces, Vasallos, & homines prædictos, nullum debemus dare auxilium, & juvamen. Præterea nos pro nobis, & nostris hæredibus ipsi *Domino Marchioni* suisque hæredibus, sub eodem fidei juramento sincerè promittimus, quòd si processu temporis *Regnum Poloniæ*, ùt præmittitur, in nostram, aut successorum suorum vel nostrorum deveniret Potestatem, quòd tunc Nos, vel nostri hæredes dictos Duces præfato Domino *Joanni Regi Poloniæ Genitori ejusdem Marchionis*, sibi & suo fratri subjectos, Civitatesque, Castra, homines, & Vasallos, seu alia jura, quæcunque ipsis Ducibus, Principibus, & Vasallis competentia, *in dicto Regno Poloniæ*, quibus cunque distingvantur nominibus, nobis vel nostris hæredibus vendicare, usurpare, & attrahere non debeamus per nos, vel alios quovis ingenio, publicè vel occultè; Imò, si sæpe dicti Duces, Principes, & Vasalli, Civitates, Castra, & homines, memorati *Regis Boëmiæ Marchionis & Fratris* ejusdem prædicti, se nobis, aut nostris hæredibus *Regnum Poloniæ* tunc habentibus, subijcere vellent, & appeterent eorum Propriâ voluntate, hos in Vasallos, & homines nostros acceptare, & recipere non debebimus, nec quidquam cum eisdem disponendo quoquo modo in eorundem *Regis Boëmiæ*, ipsius *Marchionis*, ac fratris sui præjudicium & gravamen; hoc specialiter adjecto, quòd nos, nostríque hæredes, nulli penitùs Principum, seu hominum, cujuscunque conditionis existant, nostrum impendemus, seu exhibebimus auxilium, qui prædictos Duces, Principes, & Vasallos, Patronos ipsius *Marchionis*, & fratris sui, ab ipsis, & eorum potestate alienare, qvomodolibet attentarent, imò ipsos Dominum *Regem Boëmiæ*, Marchionem, & suum Fratrem in juribus in dictis Ducibus, Principibus, & Vasallis, ipsis competentibus favorabiliter prosequemur. Hæc igitur omnia, & singula, & quodlibet præmissum, prout de Verbo ad Verbum præsentibus sunt inserta, sub virtute priùs præstiti juramenti ad sancta DEI Evangelia attendere, & custodire promittimus, & firmiter, ac inviolabiliter observare. In cujus rei gestæ memoriam, nostrum sigillum præsentibus duximus appendendum. Datum ùt suprà in Wissegrad, Dominicâ *Invocavit* Anno Domini. 1338.

De Silesia quæ adhuc Poloniæ nomine intelligebatur.

EPISTOLA XXXII.

Recognitio Generalis & renunciatio Casimiri Regis Poloniæ, quòd nullum jus habeat, nec sibi competat perpetuò in Ducatibus Silesiæ & Poloniæ, qui hîc exprimuntur Anno 1339.

1339. Gold.f.40. Casimirus DEI Gratiâ Rex Poloniæ, &c. Vniversis præsentes literas inspecturis, salutem & notitiam subscriptorum.

SAlus, vita & perennis tranquillitas, benedictio pacis irradiata claris fulgoribus, per orbis clariùs refulget climata, dum Regnorum subditis & terrarum incolis providetur de commodis, & inter Principes desiderata gratiæ unio, ac indissolubilis caritatis fœdera gratiosiùs amplexantur; cum ita, sicuti status præcedentium temporum demonstrat, inter Magnificos Principes *Dominos Joannem Bohëmiæ Regem, & Carolum ipsius primogenitum, Marchionem Moraviæ* illustres, fratres nostros carissimos, ac progenitores & prædecessores ipsorum, parte ex una; *nosque ac progenitores nostros*, parte ex altera, nonnullæ seductiones, afflictiones, & multiplices calamitates, cædesque personarum ac rerum hinc inde per tempora agitatæ noscantur, ac damna perpetrata, propter quæ & regnorum & terrarum gubernacula utrobique gravia pertulêre dispendia, & jacturas innumeras quotidie habuerunt: nosque his tot & tantis cupientes salutiferè obviare periculis, & eis finem imponere salutarem affectantes, attentis affectibus, cum iam dictis *Dominis Rege & Marchione firmam*, & perpetuam amicitiæ gratiam, ac fraternæ dilectionis vinculum irrefragabiliter colligare, in hoc votis eorum & nostris satisfacientes, libenti animo recognoscimus, dicimus & publicè protestamur: *Nos* in magnificis Principibus, Dominis Ducibus, *Boleslao Lignicensi, Ioanne Stinavienſi, Silesiæ Ducibus, nec non Bolckone Opoliensi, Bolckone de Falckenberg, Alberto de Strelitz, Vladislao Teschinensi, Ducibus: Vladislao Cozlensi & Butensi, Principe Masoviæ, Domino in Plotzek, Leskone Ratiborij, & Ioanne Osvicienſi, Ducibus: & Vasallis* eorum, cum ipsorum *Ducatibus & Dominijs*, terris, districtibus, iurisdictionibus, pertinentijs, metis, appendijs, limitibus antiquis quibuscunque; nec non *Civitatibus Vratislavia & Glogovia*, cum districtibus, limitibus, affinibus & pertinentijs earum universis, nullum jus, proprietatem, vel dominium, possessionem aut titulum habere, aut habuisse, competere vel competijsse aliqua in eisdem, promittentes ipsos Dominos *Regem & Marchionem*, aut heredes, coheredes vel successores eorum, super prænominatis Ducibus & Ducatibus eorum, seu etiam Civitatibus *Vratislavienſi, & Glogovienſi*, cum pertinentijs suis, per nos vel heredes, coheredes & successores nostros, aut alios quoscunque nullo unquam tempore impedire, molestare, vel impetere, nec *Duces ac Ducatus ipsos*, & ipsorum pertinentias, nobis aut heredibus nostris vendicabimus, aut etiam assumemus in ipsorum *Regis, Marchionis* vel heredum eorum præjudicium, vel gravamen: quinimo placet nobis, & optimè favemus eis ineosdem; renunciantes insuper & cedentes pro nobis, & heredibus, coheredibus, & successoribus nostris, omni juri, actioni, quæstioni, proprietati & titulo in perpetuum, si quæ nobis aut hæredibus, vel successoribus nostris competebant, competerent, vel competere possent quomodolibet in futurum; promittentes etiam sub fide præstiti iuramenti

Bella inter Reges Boh: & inter Reges Ungariæ & Poloniæ.

Rex Polon: quosdam Principatus Silesiæ confirmat Regibus Bohemiæ.

menti, tactis sacrosanctis Evangelijs, & nihilominus sub pœna excommunicationis prolatæ sententiæ, contrà hanc nostram renunciationem, cessionem & promissionem, aliquâ actione, impetitione, suggestione, studio, ingenio, jure, facto, atque verbo nequaquam venire. Non obstantibus aliquibus pactis, pactionibus, statutis, reformationibus, ordinationibus, consvetudinibus, præscriptionibus, conventionibus, munimentis, indulgentijs, privilegijs vel literis Apostolicis, Imperialibus, vel alijs quibuscunque scripturis, impetratis seu impetrandis in posterum; nec non juribus quibuscunque tam juris Canonici quàm Civilis, aut etiam Municipalis, sub quacunque forma verborum & prolatione conceptis, vel in posterum concipiendis: Et etiamsi talia forent, in quibus de verbo ad verbum specialem & expressam oporteret fieri mentionem. Quæ omnia & singula, & quodlibet eorum, cassa & irrita, vacua, inania, esse & intelligi volumus, nulliusque fore efficaciæ penitùs & momenti: ipsis etiam ex certa nostra scientia per omnia derogamus. in quorum testimonium omnium atque robur perpetuum præsentes scribi fecimus nostrorum sigillorum munimine roborari. Datum *Cracoviæ*, in octava Purificationis D. Mariæ Virginis, Anno Domini 1339.

EPISTOLA XXXIII.

Liga Regis Poloniæ Casimiri, quòd nullum Matrimonium velit contrahere absque Licentia Caroli Marchionis Moraviæ. Anno 1341.

In nomine Domini, Amen. 1341.

Gold.f.42. LAudabile fore probatur permaximè honestúmque, ubi vota Principum ad concordiæ flectuntur unionem, per quam pax nutritur commodis providetur subditorum providè. Nos *Casimirus DEI Gratiâ Rex Poloniæ*, indissolubile vinculum inter *nos & Serenissimum Principem Dominum Carolum, Marchionem Moraviæ* illustrem fratrem & sororium nostrum carissimum, perpetuis permanere temporibus, & ipsum in visceribus gerentes caritatis, ac nostro toto conamine prosequi inomnibus cupientes: non obstante quòd ejusdem *Domini Marchionis soror, Domina Margaretha Comitissa Palatinatûs Rheni, Ducissa Bavariæ, &c.* quæ nobis Matrimonialiter debuit copulari, sit universæ carnis viam ingressa: & nè propter hoc Liga dilectionis, & amicabilis conjunctio, & fidei puritas videatur disjungi inter nos & dissolvi, sibi animo ingenti ac desiderabili, perpetuæque unionis sic factæ, promittimus bonâ fide, *tanquam fratri uterino*, in omnibus consilijs, auxilijs, placitationibus & tractatibus adhærere, & maximè in contrahendis amicicijs matrimonialibus, quas DEVS nobis concedet, faciendis, de nostra propria persona, & puerorum nostrorum ipsum prosequi, & sine ejusdem voluntate nihil facere & attentare quoquo modo, nisi priùs ipsius consilio, auxilio, consensu, ac speciali super hoc requisitâ voluntate: quæ omnia promittimus, & singula in his scriptis inviolabiliter observare. Actum Pragæ Anno Domini 1341.

EPISTOLA XXXIV.

Privilegium Ducum Bregenſium & Lignicenſium à Rege Bohemiæ, Anno 1343.

Nos Carolus Domini Regis Bohemiæ primogenitus, Marchio Moraviæ, recognoſcimus, & ad univerſorum notitiam
1343. volumus pervenire:

Gold.f.43. Quòd quia per facti evidentiam bene conſtet, Illuſtrem Principem, Dominum *Boleslaum Ducem Sleſiæ*, *Dominum Bregenſem*, *Sororium noſtrum* cariſſimum, ſuas terras, caſtra, Civitates, munitiones & oppida, quas & quæ habet & habuit, cum ſuis diſtrictibus, territorijs, villis, hominibus, Nobilibus, Militibus, feudalibus & vaſallis, necnon alijs pertinentijs & appendijs univerſis, ab Excellentiſſimo & magnifico Principe, Domino *Joanne Boëmiæ Rege* Genitore noſtro cariſſimo & à *Regno Boëmiæ*, ſuo ac hæredum ſuorum nomine dudum ſuſcepiſſe, ſibíque de ſervando perpetuæ fidelitatis homagio præſtitiſſe ſolitum juramentum, proùt in Literis ſuper hoc peripſum Dominum genitorem datis pleniùs continetur. Ideoq; promittimus bonâ fide, vice & nomine juramenti, prædictum Ducem *Boleslaum*, nec non *Jlluſtres Principes*, *Dominos Wenceslaum & Ludovicum Duces Sileſiæ*, *Dominos Lignicenſes* ipſorum filios & hæredes Legitimos, avunculos noſtros cariſſimos, nec non terras, bona, poſſeſſiones & homines eorundem, quas habent, & obtinent, aut obtinebunt in poſterum & habebunt circa quaslibet dignitates, honores, gratias, Libertates & jura, quibus progenitores ipſorum, ac ipſi ſunt uſi pridem quomodolibet & gaviſi: & ſpecialiter circa puncta, clauſulas & articulos, ut in dicti Domini Genitoris Noſtri Litteris continetur, quantum noſtri ad præſens intereſt, aut intererit in futurum, ubilibet conſervare & nunc ut antea manutenere, nec non proſequi favorabiliùs & tueri, ipſis & cuilibet in eorum opportunitatibus, & neceſſitatibus, noſtris conſilijs & auxilijs, proùt decet & expedit aſſiſtendo. In cujus rei teſtimonium præſentes fieri & ſigillorum noſtrorum voluimus appenſione muniri. Actum & Datum *Pragæ*, Anno Domini M.CCCXLIII. 3. Calend. Auguſti.

Principes Brigenſes Coronæ Bohemiæ obnoxij.

Confirmantur eorum Privilegia à Carolo.

EPISTOLA XXXV.

Caroli IV. Cæſ. confirmatio literarum Rudolfi I. Cæſ. qvibus cedit omnibus Feudis Imperij, quæpoſſet habere in ditionibus Ducis VVratislavienſis, & illa Feuda confert Regibus Bohemiæ.

CAROLUS DEI Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.

1290. & 1348. INnata cordi noſtro benignitas circa fidelium, & devotorum noſtrorum honores, & commoda continuis intenta vigilijs, votis ipſorum anuere jugiter nos inducit, quoties poſcentium vox eſt juſta: in hoc enim liberalitatis

litatis noſtræ non errat intentio, ſed regalis ſceptri faſtigium extollere ſalubriter arbitratur. Sanè ad noſtræ Celſitudinis Venerabiles: *Archiepiſcopus Pragenſis*, *Olomucenſis*, *Wratislavienſis*, *& Luthomislenſis Epiſcopi*, nec non Illuſtres *Joannes Carinthiæ*, Coméſque Tyrolis, & Goriciæ, Germanus noſter cariſſimus, ac *Nicolaus Oppaviæ*, *& Ratiboriæ* Duces, cæteríque Prælati, Duces, Principes, Barones, Proceres, & Nobiles Regni noſtri *Bohemiæ*, & pertinentiarum ejuſdem præſentiam accedentes, nobis humiliter ſupplicârunt, ut quaſdam Literas *Rudolfi Divi Romanorum Regis* Prædeceſſoris Noſtri, nobis per ipſos exhibitas, quarum tenor, & ſeries ſequitur in hæc verba:

Rudolfus DEI Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

Confirmatur à Rudolfo I. feudi Wratislavienſis Ducatûs.

AD univerſorum ſacri Romani Imperij fidelium notitiam cupimus præſenti paginâ pervenire. Quòd nos attendentes multiformia meritorum inſignia, virtutum & fidei præmia pretioſa, quibus Illuſtris *Wenceslaus Rex Bohemiæ* Princeps, & Filius noſter cariſſimus, erga nos, & Romanum Imperium ſe conſtituit multiformiter generoſum; omnia feuda nobis, & Imperio per mortem Illuſtris *Ducis Wratislavienſis* vacantia, dicto *Regi Bohemiæ*, nec non ſuis hæredibus, tenenda, habenda, poſſidenda, titulo feudali duximus conferenda. In cujus rei teſtimonium præſentes literas conſcribi, & Noſtræ Majeſtatis ſigillo juſſimus roborari. Datum *Erfordiæ* 6. Calendas Auguſti, Anno Domini: 1290. Indictione tertiâ; Regni verò Noſtri Anno 17.

Noſtrâ confirmare authoritate Regiâ dignaremur. Nos itaque præfatorum Prælatorum, Ducum, Principum Bohemorum, Procerum, & Nobilium, quos honoris, & felicis ſtatûs Romanorum Regni, & ſacri Imperij fideles, & ſollicitos præ cæteris novimus Zelatores, *ipsúmque Regnum Bohemiæ Romanorum Regni membrum fore nobilius*, ſupplicationibus benigniùs inclinati; præfatas literas, ac omnia, & ſingula in eiſdem contenta laudamus, ratificamus, approbamus, confirmamus, & de novo, ex certa ſcientia, de noſtræ Romanæ Regiæ plenitudine poteſtatis, præfato Regno, Prælatis, Ducibus, Principibus, Baronibus, Proceribus, & Nobilibus, ac Univerſitati Regni ipſius, & pertinentiarum ejuſdem, ad uſum, & opus Regum Bohemiæ in perpetum damus tenore præſentium, conferimus, & donamus; omnem diminutionem, & defectum, ſi quis in præmiſſis fuerit, reparantes omnimodè, & ſupplentes, ac omne dubium, & obſcurum, pro parte, & in favorem ipſorum *Regni*, *& Regum Bohemiæ*, de uberiori dono Majeſtatis Romanorum Regni, & plenitudine poteſtatis, interpretantes, & etiam declarantes, non obſtantibus legibus, conſvetudinibus, uſibus, obſervantijs, Iuribus, municipalibus, vel communibus ſtatutis, ſeu edictis factis, & editis in contrarium quibuſcunque, quas & quæ, quantum ad hæc, ac ſi forent nominatim, & de verbo ad verbum inſcripta præſentibus, & inſerta, revocamus, caſſamus, irritamus, annullamus, & de dicta Romanorum Regiæ plenitudine poteſtatis decernimus firmitatis fore nullius penitus, vel momenti.

Nulli ergo omnino liceat hanc noſtræ laudationis, ratificationis, approbationis, confirmationis, donationis, reparationis paginam infringere, vel ei auſu temerario in aliquo contraire. Contrarium verò facientes, ſi qui fuerint, quod abſit, ultra indignationem Noſtræ Celſitudinis Roma-

norum, quam ob hoc se noverint graviter incursuros, mille Marcas auri puri nostro, & Romanorum Regni fisco componant, ipsorum videlicet, nostræ, & Successorum nostrorum Romanorum Regum, & Imperatorum Curiæ, seu Cameræ, & reliquam passis injuriam irremissibiliter applicandum. In quorum omnium testimonium, & ad certitudinem pleniorem præsentes fieri jussimus, & Bullâ aureâ Typario nostræ Majestatis impressâ præcepimus communiri. Hujus rei testes sunt: *Gerlacus* Archiepiscopus Maguntinensis sacri Imperij per Germaniam Archi Cancellarius, *Rudolphus* senior Dux Saxoniæ sacri Imperij Marescalcus, *Rudolpus* Iunior Saxonensis, & *Fridericus* de Deck, *Joannes Burgravius* Nurnbergensis, *Ulricus* Landgravius de Leichtenberg, & *Fridericus* de Orlemund, *Vlricus* de Helffenstein, & *Rudolphus* de Werthein Comites, *Petrus* de Hebbij, *Crafto* de Holoch, *Gotfridus* de Pruneck, *Eberhardus* de Wallise *Eglof de Friberg*, & *Purchardus de Elebach Romani Regni Præfati, Principes*, & *Barones*. Datum *Pragæ* Anno Domini 1348. Indictione primâ. 6. Idûs Aprilis. Regnorum nostrorum Anno secundo.

Bulla aurea & ejus testes Imperij Principes.

EPISTOLA XXXVI.

Caroli VI. Confirmatio Privilegij Friderici I. De Immunitate, Exemptione & electione Regum & Incolarum Boëmiæ, Anno 1348.

Gold.f.44. Carolus D. G. Romanorum Rex, Semper Augustus, & Bohemiæ Rex.

1348. AD perpetuam rei memoriam. Innata cordi nostro benignitas, circa fidelium & devotorum nostrorum honores & commoda continuis intenta vigilijs, votis ipsorum anuere jugiter nos inducit, quoties poscentiũ vox est justa: In hoc enim Liberalitatis nostræ non errat intentio, sed regalis Sceptri fastigium extollere salubriter arbitratur. Sanè ad nostræ Celsitudinis Venerabilis Archiepiscopus *Pragensis*, *Olomucensis*, *Wratislaviensis*, *Litomischlensis Episcopi*, nec non illustres Ioannes *Carinthiæ*, Comésque Tyrolis & Goriciæ, germanus noster Chariſſimus, ac Nicolaus *Oppaviæ & Ratiboriæ* Duces, cæteríque Prælati, Duces, Principes, Barones, Proceres, & Nobiles *Regni nostri Boëmiæ*, & pertinentiarum ejusdem præsentiam accedentes, nobis humiliter supplicarunt: ut quasdam Literas *Friderici Divi Romanorum Imperatoris Electi* Prædecessoris nostri nobis per ipsos exhibitas, quarum tenor & series sequitur in hæc verba;

FRIDERICUS Divinâ Favente clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus Rex Siciliæ, Ducatûs Apuliæ, & Principatûs Capuæ.

hæ literæ Friderici Imp. recitatæ sunt supr à. pagina 7.

CÙm decor & potestas Imperij nostrum præcesserit statum, ut non solùm cæterorum Principum dignitates, verùm etiam sceptra regalia â nostra conferantur Majestate &c.

Nostrâ confirmare auctoritate regiâ dignaremur: Nos itaque præfatorum

fatorum Prælatorum, Ducum, Principum, Baronum, & Nobilium, quos honoris & felicis statûs *Romani Regni & S. Imperij* fideles & solicitos præ cæteris nouimus zelatores, ipsumque *Regnum Bohemiæ, Romani Regni membrum fore nobilius*, supplicationibus benigniùs inclinati, præfatas Literas, ac omnia & singula contenta in eisdem, Laudamus, ratificamus, approbamus, confirmamus, & de novo, ex certa scientia, de nostræ Romanæ Regiæ plenitudine potestatis, præfatis Regni Prælatis, Ducibus, Principibus, Baronibus, & Nobilibus, ac *Vniversitati Regni* ipsius & pertinentiarum ejusdem, ad usum & opus *Regum Bohemiæ* in perpetuum damus, tenore præsentium conferimus, donamus: Omnem diminutionem, & defectum, si quis in præmissis fuerit, *de uberiori dono Majestatis Romanæ Regiæ* & plenitudine potestatis, reparantes omnimodè & supplentes. Verumtamen si circa contenta in præfatis Literis nonnulli calumniari, aut ea interpretari sinistrè, seu in sensum reprobum declarare, imò veriùs obscurare forsitan niterentur: ad tollendum de medio omne dubium vel obscurum, quibus dictarum series aspergitur literarum: ut *Regni Bohemiæ* præfati, ipsiúsque incolarum status, in sincera Imperij dilectionis perseveret concordia, & unitatem in vinculo pacis servet, ac *Incolæ* dicti regni, quæ dissidentiæ materia possint esse temporibus futuris, & animarum ac corporum indè nascituris periculis, rerumque dispendijs proventuris, solerti præventione, antequam oriantur, tam prudenter quàm salubriter præcisis, tanquam mansveti terram hereditent, & in pacis multitudine delectentur, *Electionem Regis Bohemiæ* in casu duntaxat & eventu, quibus de Genealogia, progenie, vel semine-aut *Prosapiæ Regali Bohemiæ* masculus vel femella superstes Legitimus (quod DEUS avertat) nullus fuerit oriundus, vel per qvemcunque alium modum vacare contigerit *dictum Regnum, ad Prælatos, Duces, Principes, Barones, Nobiles, & communitatem Regni præfati & pertinentiarum ejusdem*, habitâ cum nonnullis *Regis Romani* futuri *Imperatoris* Coëlectoribus, ac alijs *Principibus*, qui tunc temporis nostræ Celsitudinis præsentiæ assistebant, deliberatione maturâ, ipsorúmque sano digesti consilio, volumus, decernimus, pronunciamus, interpretamur, & præsentis scripti patrocinio declaramus: ritè, justè & legitimè in perpetuum pertinere, Ipsiusque *Regis Bohemiæ Electionem*, in casu & eventu prædictis, & non alijs, præfatis Prælatis, Ducibus, Principibus, Baronibus, Nobilibus, & Communitati dicti regni & pertinentiarum ejusdem de nostræ *Regiæ Romanæ* plenitudine potestatis, ac ex certa scientia damus, concedimus, conferimus, & donamus, dictámque *Electionem* meliori, salubriori, & saniori, quo potest modo fieri, confirmamus, & transferimus in eosdem: volentes etiam, ut quicunque in *Regem Bohemiæ* electus fuerit, ad Nos & successores nostros *Romanorum Reges & Imperatores* accedat, sua â Nobis & successoribus nostris, modo debito & solito regalia recepturus; non obstantibus legibus, consvetudinibus, usibus, observantijs, juribus, municipalibus, vel communibus statutis, seu edictis factis & editis in contrarium quibuscunque, quas & quæ quantum ad hæc, ac si forent nominatim & de verbo ad verbum scripta & præsentibus inserta, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & de dicta *Romanæ Regiæ* plenitudine potestatis decernimus, firmitatis fore nullius penitùs vel momenti. Insuper ad universorum & singulorum cupimus notitiam pervenire, Quòd prædictæ literæ bullâ aureâ typario Majestatis præfatæ Friderici Rom: Imp. electi impressâ, qvâ ipse *Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ ante* Coronationis Regni Romani solennia vtebatur, prout nobis constat, & sumus

Interpretatio Caroli IV.

ſumus plenariè informati, & ſicuti glorioſæ memoriæ *Henricus* avus noſter, quondam *Romanorum Imperator*, ſigillo Comitatûs Lucemburgenſis, & cæterorum titulorum, *Nóſque* etiam *Marchionatus Moraviæ* ſigillo, ante ipſorũ & noſtræ coronationis ſolennitatem uſi fuimus. In cujus bullæ aureæ circumferentia â parte Majeſtatis ſcripta ſunt verba iſta: *Fridericus D. G. Siciliæ* Rex, *Ducatûs Auſtriæ*, *Principatus Capuæ*: & ab alia parte, ubi eſt impreſſio cujuſdam Caſtri; *Chriſtus vincit*, *Chriſtus regnat*, *Chriſtus imperat*: exiſtunt ſanæ & integræ, nullo vitio communitæ.

Pœnæ in Violatores hujus Privilegij conſtitutæ.

Nulli ergo hominum liceat, hanc Noſtræ laudationis, ratificationis, approbationis, confirmationis, donationis, reparationis, ſupplementi, interpretationis, declarationis, revocationis, caſſationis, irritationis, & annullationis paginam infringere, vel ei auſu temerario in aliquo contraire. Contrarium verò facientes ſi qui fuerint (quod abſit) ultra indignationem noſtræ *Celſitudinis Romanæ*, quam ob hoc ſe noverint graviter incurſuros, mille marchas auri puri noſtro, & *Romani Regis* fiſco componant; ipſam videlicet medietatem noſtræ, & Succeſſorum noſtrorum *Romanorum Regum & Imperatorum Curiæ ſeu Cameræ*, & reliquam paſſis injuriam irremiſſibiliter applicandam. In quorum omnium teſtimonium, & ad certitudinem pleniorem præſentes fieri juſſimus, & bullâ aureâ typario noſtræ Majeſtatis impreſsâ præcepimus communiri. Hujus rei teſtes ſunt, *Gerlæus* Archiepiſcopus Moguntinenſis, S. Imperij per Germaniam Archicancellarius, *Rudolphus ſenior Dux Saxoniæ*, S. Imperij Mareſchalcus: *Rudolphus junior* Saxoniæ & *Fridericus* de Teck Duces: *Joannes* Burggravius Nürembergenſis: *Ulricus* Landgravius de Leichtenberg: *Fridericus* de Orlemund, *Vlricus* de *Herſi* & Rudolphus de Wertheim, Comites: *Petrus* de Hevvy, *Crafto* de Hohenloch: *Gotfridus* de Prunek: *Eberhardus* de Waltſe: *Fridericus* de Waltſe: *Eglof* de Friberg, & *Burchardus* de Elibach, Romani Regni Præfati Principes & Barones. Datum *Pragæ*, Anno Domini Milleſimo, Trecenteſimo, Quadrageſimo octavo, Indictione primâ, VII. Idus Aprilis Regnorum noſtrorum Anno ſecundo.

EPISTOLA XXXVII.

Confirmatio Generalis Feudorum, Jurium, libertatum & Privilegiorum Regni Bohemiæ Anno 1348.

1348.

Ex Goldaſto in Append. Documentor. f. 50.

CAROLUS DEI gratiâ Romanorum Rex. &c. ad perpetuam rei memoriam.

INnata cordi noſtro benignitas circa fidelium & devotorum noſtrorum honores & commoda, continuis vigilijs, votis ipſorum annuentes jugiter nos inducit, quoties poſcentium vox eſt juſta; In hoc enim liberalitatis noſtræ non errat intentio, ſed Regalis ſceptri faſtigium extolli ſalubriter arbitratur.

Sanè ad noſtræ Celſitudinis, Venerabiles Archi-Epiſ. *Pragenſis*, *Olomucenſis* & *Wratislavvienſis* & *Luthomislenſis* Epiſcopi; nec non Illuſtres *Joannes* Carinthiæ, Comésque Tyrolis & Goritiæ, Germanus noſter chariſſimus ac *Nicolaus* Opaviæ & Ratiboriæ Duces; cæteriſque Prælati, Duces, Principes, Barones, Proceres, & Nobiles Regni noſtri *Boëmiæ* & pertinentiarum ejuſdem, præ-

præſentiam accedentes nobis humiliter ſupplicârunt, quatenus *Privilegia*, jura, feuda, & libertates cæteráque â Nobis & *Divis Regibus & Imperatoribus Romanis*, Prædeceſſoribus noſtris, *Regibus Bohemiæ* conceſſa & conceſſas confirmare, & approbare auctoritate Romanâ Regiâ dignaremur.

Bohemiæ membrum præcipuum Imperij.

Nos itaque præfatorum Prælatorum & Ducum, Principum, Baronum, Procerum & Nobilium, quos honoris & felicis ſtatûs Romani Regni & ſacri Imperij fideles ſollicitos & ſedulos præ cæteris novimus zelatores, *ipſúmque Regnum Bohemiæ Romani Regni præfati*, *fore membrum nobilius* ſupplicationibus benigniùs inclinati, omnia & ſingula Privilegia, feuda, jura, libertates, Oppida, Caſtra, donaria, & gratias â nobis & Divis Regibus & Imperatoribus Romanis, Prædeceſſoribus noſtris, Regibus Bohemiæ conceſſa & conceſſas, ſub tenore & ſerie quibuscunque de noſtra auctoritate Romanâ, regiâ & plenariâ poteſtate ac ex certa ſcientia innovamus, approbamus, ratificamus, confirmamus, & Præſentis ſcripti patrocinio denovo conferimus, & donamus, omnem diminutionem & defectum, ſi quis in præmiſſis fuerit reparantes omnimode & ſupplentes omne dubium & obſcurum *proparte & in favorem Regni & Regum Bohemiæ* de uberiori dono noſtræ *Majeſtatis* Romanæ Regiæ, & plenitudine poteſtatis interpretantes & etiam declarantes; non obſtantibus legibus, conſvetudinibus, obſervantijs, juribus communibus, municipalibus, ſtatutis ſeu edictis, factis & edictis in contrarium quibuſcunque, & cujuſcunque tenoris exiſtant, quas & quæ in quantum præſentibus vel effectu præſentium forent contraria aut contrariæ, ac ſi forent nominatum de verbo ad verbum ſcripta & ſcriptæ, inſerta præſentibus vel inſertæ, & de quibus præſentibus oporteret fieri mentio ſpecialis, revocamus, caſſamus, irritamus, annihilamus, & de dictæ Rom: Regiæ plenitudine poteſtatis volumus & decrevimus firmitatis fore nullius penitùs vel momenti. Nulli ergo omnino liceat hanc noſtræ laudationis, ratificationis, approbationis, confirmationis, donationis, reparationis, ſupplementi, interpretationis, declarationis, revocationis, caſſationis, irritationis, & annihilationis paginam infringere vel auſu temerario in aliquo contraire. Contrarium verò facientes, ſi qui fuerint (quod abſit) ultra indignationem noſtræ Celſitudinis Romanæ quam ob hoc ſe noverint graviter incurſuros, *mille marcas auri puri* noſtro & *Romani Regni* fiſco componant: ipſarúmque videlicet medietatem noſtræ & Succeſſorum noſtrorum *Romanorum Regum & Imperatorum*, *Curiæ* ſeu *Cameræ*, & reliquam paſſis injuriam, irrevocabiliter applicandam. In quorum omnium teſtimonium & ad certitudinem pleniorem præſentes fieri jùſſimus, & noſtræ Majeſtatis ſigilli muniri appenſione. Hujus rei teſtes ſunt *Gerlacus* Archiepiſcopus Moguntinenſis S. Imperij per Germaniam Archi-Cancellarius; *Rudolphus* ſenior Dux Saxoniæ, ſacri Imperij Mareſcalcus; *Rudolphus* junior Saxoniæ, Fridericus de Tek, Duces; *Joannes* Burgravius Norimbergenſis: *Ulricus* Landtgravius de Leichtemberg: *Fridericus* de Orlemund, *Ulricus* de Helfenſtein, & *Rudolphus* de Werthein, Comites: Petrus de Herſij, Craffto de Hohenloh, *Godfridus* de Bruneck, *Eberhardus* de Walſe, *Eglof* de Fridburg, *Burckhardus* de Erlbach Romani Regni præfati *Principes* & Barones. Datum *Pragæ*, Anno Do. M.CCCXLVIII. Indictione primâ, VII. Idus Aprilis, Regnorum noſtrorum II.

EPISTOLA XXXVIII.

Caroli IV. Imp: Confirmatio investituræ Richardi Cæsaris super Regno Bohemiæ, & Ducatu Austriæ. Anno. 1348.

CAROLUS DEI Gratiâ Romanorum Rex, ad perpetuam rei memoriam.

Gold. f. 46. hanc ipsam Caroli confirmationẽ recitat in Opere suo ad Ferdinandum II. Cæs. directo.

INnata cordi nostro benignitas, circa fidelium & devotorum nostrorum honores & commoda continuis intenta vigilijs, votis ipsorum annuere jugiter nos inducit, quoties poscentium vox est justa. In hoc enim Liberalitatis nostræ non errat intentio: sed regalis sceptri fastigium extollere salubriter arbitratur. Sanè ad nostræ Celsitudinis, Venerabilis Archiepiscopi *Pragensis & Olomucensis, & Luthomislensis Episcopi*, nec non Illustres *Joannes* Carinthiæ Comésque Tyrolis & Goritiæ, Germanus noster charissimus, ac *Nicolaus* Opaviæ & Ratiboriæ Duces, Prælati, Duces, Principes Barones, Proceres, & Nobiles regni nostri Boëmiæ, & pertinentiarum ejusdem, præsentiam accedentes, nobis humiliter supplicarunt: ut quasdam literas *Richardi Divi Romanorum Regis* Prædecessoris nostri nobis per ipsos exhibitas, quarum tenor & series sequiter in hæc verba: *Ricardus D. G. Romanorum Rex semper Augustus, universis* Christi & Sacri Imperij Romani fidelibus. &c.

Hujus Richardi Romanorum Regis literæ initio hujus libri recitatæ sunt. pag: 14.

Nostrâ confirmare authoritate regia dignaremur: *Nos* utique præfatorum Prælatorum, Ducum, Principum, Baronum, Procerum & Nobilium, quos honorum & felicis statûs *Romani Regni, & Sacri Imperij* fideles & sollicitos præ cæteris novimus Zelatores, ipsúmque *Regnum Bohemiæ, Romani membrum ferè nobilius, supplicationibus* benigniùs inclinati, præfatas literas ac omnia ac singula contenta in eisdem laudamus, ratificamus, approbamus, confirmamus, & de novo, ex certa scientia, de nostræ Romanæ Regiæ plenitudine potestatis damus, tenore præsentium conferimus & donamus, volentes de uberiore dono gratiæ *Romanæ Regiæ*, & concedentes expressè: quòd tam in judicio quàm extra, ubicunque necessarium fuerit, aut etiam opportunum, nostris præsentibus, velut prædictis originalibus literis, adhibeatur ab omnibus & singulis plenè fides, nostrasque præsentes dictis æquipollere originalibus per omnia, decernimus, præcipimus, & mandamus. Hujus rei testes sunt: *Gerlacus* Archi-Episcopus Mogunt: S: Imperij per Germaniam-Archi-Cancellarius, *Rudolphus* senior Dux Saxoniæ sacri Imperij Marescalcus, *Rudolphus* Iunior *& Fridericus* de Teck, Duces; *Joannes Burgravius* Nurnbergensis, *Ulricus* Landgravius de Leichtenberg: *Fridericus* de Orlemund, *Vlricus* de Helffenstein, & *Rudolphus* de Werthein Comites, *Petrus* de Hersi, *Crafto* de Holoch, *Gotfridus* de Pruneck, *Eberhardus* de Wallise *Eglof de Friberg, & Burchardus de Elebach Romani Regni Præfati, Principes, & Barones.* Datum *Pragæ* Anno Domini, Millesimo, Trecentesimo, Quadragesimo Octavo, Indictione primâ, Septimo Idûs Aprilis. Regnorum nostrorum Anno secundo.

hæc verba sæpius repetit Carolus. IV.

EPI-

EPISTOLA XXXIX.

Gratulatoriæ literæ Clementis sexti Papæ, de Victoria adversus Comitem Guntherum de Schvvartzburg Carolo IV.

CLEMENS &c. CAROLO Romanorum & Bohemiæ Regi Illustri. A. 1349.

EXcelsus super omnes gentes Dominus, qui humilia respicit & alta de longè cognoscit, sicut humilibus gratiam suam benignus impendit, sic profectò superbis cogitantibus alta resistit, & prava studiâ eorum annihilat, ac adversos perversósque conatus elidit. Probavit hoc in humilitate tua, *charissime Fili*, potentiæ suæ mira dignatio his diebus, dum *Guntherum* Comitem Schvvartzburg, qui ad instar luciferi superbiâ nimiâ intumescens, sedem ad ruinam potiùs, quàm ascensum ab Aquilone ponere, solium tuum evertere satagens, temeritate damnabili præsumebat; & *Henricum* olim *Archi-Episcopum Moguntinum*, qui non attendens ad petram, de qua scissus fuerat, sed in superbiam leviter elevatus, immemor beneficiorum â Romana Ecclesia perceptorum, tergum ei vertit, non faciem, nè superbus humili DEO sacerdotio fungeretur, meritò reprobatus, & dum elevaretur abjectus est, nec non filium & Nepotem damnatæ memoriæ *Ludovici* de *Bavaria* Dei & ipsius Ecclesiæ persecutoris, & hostis, qui tanquam squammæ, per quas non transit vitæ sepes & vitulum se invicem colligarânt, & se tibi ut erigerent idolum, quod conflarant, superbè nimis opponere tuisque obviare processibus conabantur; sicut nobis per Celsitudinis tuæ literas, quas cum ingenti lætitia, & exultatione magna recepimus, intimasti, in Manu tua mirâ omnipotenti suâ virtute sine humani sanguinis effusione concluserit, de quo ei, per quem datur regnare Principibus, & â quo est omnis Victoria, laudes & gratias referentes, & immolantes, pro triumpho tantæ Victoriæ vitulum labiorum, serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, attentiùs deprecantes, quatenus tantæ tibi gratiæ collatæ â Domino in Victoria hujusmodi, quæ non viribus tuis, sed ipsius potiùs ascribetur Potentiæ, gratus & devotus acceptor, sic te ante ipsum Creatorem tuum semper humilies, & tua devoveas vota sibi, sícque tuos gressus in semitam suorum dirigas mandatorum, quòd ipse, qui fidelibus suis potenter assistit, & eos favore prosequitur opportuno, sic actus tuos & opera dirigat, sícque tuis propitius processibus faveat, quòd ad ejus & ipsius Ecclesiæ suæ Sanctæ honorem & Gloriam & collapsi statûs, in virtute reparationem Imperij, ac pacem & tranquillitatem populi Christiani, confringas in virtute sua elata cornua superborum eísque sub potentiæ suæ dextera humiliatis & domitis, de bono semper in melius prospereris. Cæterùm super eo, quòd de adducendo, ut litterarum tuarum verbis utamur, eodem filio dicti *Ludovici* pro honore ipsius Ecclesiæ ad nostram præsentiam prædictæ literæ continebant, tuæ erga nos & eandem Ecclesiam sinceræ ac solitæ devotionis affectum dignis prosequimur actionibus gratiarum, tu tamen fili, qualitate negotiorum grandium incumbentium tibi, quorum prosecutioni favit & favet Divina potentia, & præsentium temporum conditione pensatis, attentè prospicias, & provideas diligenter, qualiter Alamanniæ partes (quæ utpote præteritorum fluctuum conquas-

Raynal. T. XVII.

 satione

satione lassatæ ad ægrotantium instar in recidivum, quod DEUS avertat, possent relabi) facilè sis hoc tempore sinè periculo, quod ex absentia tua posset eisdem forsitan imminere negotijs, quæ felicibus cupimus successibus provehi dimissurus. Datum, *Avin:* Decimâ Quartâ Kalendas Junij An. Octavo.

EPISTOLA XL.

A. 1350. *Clemens Pontifex agit gratias Carolo IV. de intercepto Nicolao Laurentio, Romano, postulatque, ut vinctus Romam mittatur.*

CLEMENS &c. Carolo Regi Romanorum Illustri.

Raynald. T. XVI.

OMnipotenti DEO gratias agimus, quòd ipse intumescentes fluctus adversus Ecclesiam suam sanctam, quam solus ipse fundavit, & rexit, comprimens, tempestivè, illum filium Belial, neqvitiæ Patrem, *Nicolaum Laurentij Civem Romanorum*, pernicioſum utique, ac nocivum (qui contra eandē Ecclesiam & fidē Catholicam, sed contra se potiùs erronea, multa, procaci linguâ impudenter monens, per Venerabilis fratris nostri *Bertrandi* Sabinensis, (titu.) tunc S. Marci Presbyteri Cardinalis, & bonæ memoriæ *Annibaldi* Tusculanensis Episcoporum, tunc *sedis Apostolicæ* legatorum, sententias, quæ nullâ prorsus appellatione suspensâ in Judicatam rem transiverunt, de hæresi meruit condemnari) in manibus tuis miraculosè conclusit. sed & serenitatem tuam quæ illum detinere ac tandem Venerabili Fratri nostro *Ernesto Archi-Episcopo Pragensi* assignari mandavit & fecit, eò vberioribus prosequimur actionibus gratiarum, eóque attollimus laudis præconio potiori, quò devotio, quâ Nos & eandem revereris Ecclesiam, in hoc sincerior puriórque resplenduit, quóve Creatori tuo, per quem vivis & regnas, ac nobis, & eidem Ecclesiæ majus, & gratius acceptiúsque obsequium præstitisti. Cùm autem præfato Archiepiscopo per alias nostras literas injungamus, ut eundem *Nicolaum* ad nos sub fida & tuta Custodia mittere, vel ipsum cautè custodire procuret, nobísque indilatè rescribat, quidquid egerit in præmissis, ut vel pro illo huc perducendo securè mittamus aliquos, vel eidem *Archiepiscopo* destinemus articulos, super quibus contra *Nicolaum* inquisitionem formet & faciat ante fatum, *serenitatem* tuam attentè ac affectuosè precamur, quatenus eidem Archi Episcopo super præmissis sic tuum impertias auxilium & favorem, quòd idem filius Belial, nullius fraudis astutiâ, vel aliâ viâ qualibet libertatis beneficium consequatur. Datum XVI. Kal. septembris. Anno IX.

Nicolaus Romanus Hæreticus declaratus.

Arnesto Episco: Pragensi demandatur Iudicium de Nicolao prædicto.

EPISTOLA XLI.

Ludovicus Rex Hungariæ renunciat omni juri sibi competenti in Ducatu Svvidnicensi, Anno 1353.

Gold.f.60

Nos LUDOVICUS DEI gratiâ Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Serviæ, Galliciæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex, Princeps Salernitanus, & Honor. Montis S. Angeli Dominus.

No;

NOtum facimus universis: quòd nos ob amoris sinceri puritatem, quo serenissimum & invictissimum Principem & Dominum, Dominum *Carolum Romanorum Regem semper Augustum, & Boëmiæ Regem*, specialis dilectionis favore prosequimur, ipsi tanquam *Regi Boëmiæ*, heredibus & successoribus *Boëmiæ Regibus*, & ejusdem Regni Coronæ in perpetuum, Ducatus *SWidnicensem & Jaurensem* cum omnibus eorum appendentijs, dominijs & pertinentijs, nec non omnia jura, quæ nobis, *Regno seu Coronæ Hungariæ* in dictis *Ducatibus* quàvis ratione competunt, seu valebunt competere, ritè dedimus, & præsentibus spontè & Liberaliter erogamus, *renunciantes expressè pro nobis, fratribus, heredibus & successoribus nostris Regibus Hungariæ*, omni juri, impetitioni, jurisdictioni, sanctioni, & omnibus simpliciter respectibus *nobis & Regno ac Coronæ Hungariæ* competituris, & competentibus in eisdem. Promittimus etiam bonâ & sincerâ fide supradicto Rom. semper Augusto & *Boëmiæ Regi*, *tanquam Regi Boëmiæ*, fratri & amico nostro, heredibus & successoribus suis *Boëmiæ Regibus*, dum & quoties requisiti *seu* moniti fuerimus, adversus quoslibet invasores seu æmulos eorundem, qui eos in prædictorum Ducatum, appenditiorum, Dominiorum, jurium & pertinentiarum possessione impedire seù molestare contenderent, opportunum impendere auxilium & juvamen, præsentium sub nostræ Maiestatis sigillo testimonio literarum. Datum *Budæ*, Anno Domini 1353. Calend: Iunij Regni autem nostri 12.

Renunciatio super Ducatu Svvidnicensi.

EPISTOLA XLII.

Ludovicus Rex Hungariæ dat Regi Boëmiæ Oppida Beuten, & Creutzburg cum Vasallis, & districtibus: & è converso Rex Boëmiæ dat Regi Hungar: Ducatus Plotzen & etiam Mazoviæ; & Rex Hung: quitat omnia debita, quæ Dux Svvidnicensis Regi Poloniæ quomodolibet teneatur, Anno 1353.

Nos Ludovicus DEI Gratiâ Hungariæ, &c: Rex &c.

Gold.f.61.

NOtum facimus Vniversis: quia Serenissi: ac Invictiss: Princeps & Dominus, Dominus *Carolus* Rom: *Semper Augustus & Boëmiæ* Rex, occasione sinceræ dilectionis & favorosi affectus, quo personam nostram, nec non Magnifici Principis Domini *Casimiri* Regis *Poloniæ*, Illustris, fratris nostri dilecti, piâ benignitate prosequitur, nobis ambobus, heredibus & successoribus nostris *Hungariæ & Poloniæ* Regibus, *Ducatum Plocensem cum appendicijs*, Dominijs & pertinentijs suis, nec non omnia jura, quæsibi in prædicto *Plocensi* Ducatu, & alijs Principatibus *Masoviæ* competunt, ritè donavit, sicut in literis factis desuper lucidius continetur; *Nos* tanto favori volentes rependere vicem, & benignis ac fraternis exhibitionibus ipsius relativæ dilectionis studio respondere, sibi, heredibus & successoribus suis, Regibus *Boëmiæ*, & ejusdem Regni Coronæ, Oppida *Beuten & Creucenburg*, cum Vasallis, districtibus, metis, Dominijs & circumferentijs suis, deliberatione prævià, & sano fidelium nostrorum accedente consilio, auctoritate procuratoriâ, qua in hoc & in omnibus infrà insertis, & eorum quolibet, nomine et vice dicti

Carolus IV. renunciat quæ possidebat in Polonia, pro quibusdam partibus in Silesia.

Regis Poloniæ, Noſtri fratris, plenè potimur, reddimus & reſtituimus univerſos, & ſingulos Vaſallos, cives, homines, & inhabitatores oppidorum & pertinentiarum huiuſmodi noſtri & dicti *Regis Poloniæ* nomine ab omni fidelitatis & ſubiectionis homagio, iuramentis & promiſſionibus nobis utrobique præſtitis virtute præſentium abſolventes, ipſumque *Regem Rom. & Boëmiæ* nec non Illuſtrem Principem Dominum *Bolkonem Ducem Svvidnicenſem*, conſangvineum noſtrum fide juſſores & Compromiſſores ipſorum ab omnibus debitis, in quibus præfato *Regi Poloniæ* per litteras ſeù alio quovis modo obligati noſcuntur, nomine & vice, quibus ſuprà, liberos & quitos dimittimus, & penitùs abſolutos; nominatim & expreſsè *cives Svvidnicenſes* ſeu alios quoſcunque homines Ducatûs ejuſdem, ab omnibus promiſſis, quæ occaſione talium debitorum pro parte *Ducis* præfati *Regi* prædicto *Poloniæ* fecerunt voce vel ſcripto, præſentibus abſolventes. Inſuper promittimus nos, efficaciter obligantes, prædicto fratri noſtro *Rom: & Bohemiæ Regi*, omninò facere & actualiter procurare, quòd Præfatus frater noſter *Poloniæ Rex*, infra ſpatium quatuor menſium à dato præſentium computandum hanc ordinationem, compoſitionem, donationem, ceſſionem, & omnia alia & ſingula per nos ordinata, & facta, & donata, ſive ceſſa, cum dicto fratre noſtro *Rom: & Boëmiæ Rege*, noſtro proprio & ejuſdem fratris noſtri *Regis Poloniæ* nomine & vice ratificabit, acceptabit, & approbabit, & in nullo penitùs contradicet, vel faciet, ſeù etiam deviabit: Imò prædictis omnibus & ſingulis ſe conformando ſuum conſenſum & aſſenſum expreſsè adhibebit, ac ſuper præmiſſis eidem fratri noſtro *Rom: & Bohemiæ Regi* Literas ſuas dabit, & exhibebit qualibet occaſione revelatâ. In quorum omnium teſtimonium & evidentem firmitatem præſentes fieri fecimus literas, ſigillique noſtri & authentici appenſione muniri: Datum *Budæ*, Anno Domini. 1353. 6. Calend: Iun: Regni autem noſtri 12.

EPISTOLA XLIII.

Renunciatio Iurium ſuper Terris Bavariæ Anno 1353.

1353. Nos Rupertus DEI gratiâ Comes Palatinus Rheni &c.

Gold. in Appendice Document. f. 63.

NOtum facimus tenore præſentium univerſis, quòd nos animo deliberato, amicorum noſtrorum conſilio, & de certa noſtra ſcientia ſereniſſimo Principi, & domino Domino *Carolo Romanorum ſemper Auguſto, & Bohemiæ Regi, Domino* noſtro gratioſo, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis *Regibus Bohemiæ*, & ejus *Regni Coronæ* hæreditario, & perpetuo pro 12000. marcarum puri argenti, quibus ipſe Illuſtrem Principem Dominum *Rupertum juniorem* filium noſtri fratris à captivitate ſua *de partibus Saxoniæ* liberavit, infrà ſcriptas munitiones *Neunſtat, Sternſtein, Hirſchav, & Liechtenſtein*, & demũ pro 20. millibus marcarum puri argenti, quas in uſus congruos felicis memoriæ Illuſtris Principis Domini *Rudolphi olim Comitis Palatini Rheni & Ducis Bavariæ Patris noſtri dilecti*, de certa noſtra ſcientia impendiſſe, & mutuâſſe dignoſcitur infraſcriptas munitiones *Neunſtat, Sternſtein Sulzbach, Roſenberg, Hertenſtein, Neidſtein, Thurndorff, Hilpoldſtein, Hohenſtein, Lichteneck, Franckenberg, Lauffen, Eſchenbach, Hersbruck, Averbach, Velden, Regnitur, & Bleth*, &quid-

Rupertus Com: Palatin: vendit certa Opida in Palatinatu coronæ Bohemiæ.

& quidquid prædictus frater uoſter in *Bavaria* tenuit, & poſſedit cum omnibus villis, hominibus, dominio, bonis, judiciis, bannis, teloniis, conductibus, Foreſtariis, inhibitionibus, ferina, reditibus, cenſibus, utilitatibus, pœnis, ſylvis, rubetis, venationibus, aucupationibus, pratis, piſcinis, aquis, molendinis, aquarúmque decurſibus, piſcaturis, montibus, vallibus, planis, metis, circumferentijs, diſtrictibus, & omnibus utilitatibus ſuper, & ſub terra, quibus etiam nominibus exprimantur, militibus, clientibus, vaſallis, vaſallagiis, feudis, feudatariis, bonis feudalibus, juribus Patronatûs Eccleſiarum, collationibus beneficiorum, ſervitoribus, proprietariis, pignoribus ab Imperio, ſeu quocunque alio modo, nec non omnibus pertinentiis, hæreditates, & proprietates ſeu jura, pignora, & obligationes ſub omnibus conditionibus, & modis, ſicut eadem *prædictus frater noſter* poſſedit, & tenuit, & ſicut ad nos per mortem ipſius fuerunt hæreditariè devoluta, renunciantes expreſsè pro nobis, & ſucceſſoribus, ac hæredibus noſtris, in perpetuum atteſtationibus, ſi qua nobis ad prædictas munitiones, civitates, oppida, & pertinentias, ſicut exprimuntur ſuperiùs, competierunt, hactenus competunt, ſeu poſſent competere, quomodolibet in futurum renunciantes omni canonum, & legum auxilio, legibus, conſtitutionibus, ſanctionibus, decretis, & decretalibus Imperatorum, vel Apoſtolicorum conſuetudinibus, ritibus, & obſervantiis quarumlibet provinciarum, ſive terrarum, quibus præſenti contractui in toto, vel in aliqua ſui parte poteſt aliquo modo derogari. Quibus etiam omnibus pro nobis, hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris præfato Domino noſtro *Regi Bohemiæ*, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis *Bohemiæ Regibus*, quod ipſis, & *Coronæ Regni* præfati omnes prædictas munitiones, civitates, oppida, & pertinentias, ſicut exprimuntur ſuperiùs, autoritate, quarentire, & tueri volumus, & tenemur nominatim, & expreſsè ab impetitione patruorum noſtrorum filiorum divæ memoriæ *Imperatoris Ludovici, Ducis Ruperti junioris filii noſtri fratris*, ab omni atteſtatione univerſitatis, & perſonarum quarumlibet, quibus etiam appellentur nominibus, ſicut in terris, ſive provinciis juris eſt, & conſuetudinis generalis. Et ad amplioris caurelæ præſidium, *Reverendos Principes, & Dominos Dominum Gerlacum Archiepiſcopum Moguntinum, Dominum Albertum Herbipolens. Dominum Gerardum Spirens. Epiſcopum: & Illuſtres Principes, Dominum Rudolphum Ducem Auſtriæ, Dominum Albertum Comitem Palatinum Rheni, & Ducem Bavariæ*, patruum noſtrum; nec non Viros nobiles *Joannem* de Catzenelenbogen, *Ludovicum*, & *Fridericum* de Ottingen Comites, & *Luzonem* de Hohenlohe attentè rogavimus, quòd ad perpetuam rei memoriam, & in teſtimonium contractûs hujus ſigilla ſua unà cum noſtro vellent præſentibus applicare.

Teſtes hujus venditionis.

Et nos *Gerlacus DEI gratiâ Archiepiſcopus Moguntinus*, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, *Albertus* Herbipolenſis, *Gerardus* Spirenſis Epiſcopus, *Rudolphus* Auſtriæ Dux, *Albertus* Comes Palatinus Rheni, & Dux Bavariæ DEI gratiâ ſupradictâ, *Johannes* de Catzenelenbogen, *Ludovicus & Fridericus* de Ottingen Comites, & *Lutzo* de Hohenlohe expreſsè recognoſcimus, quòd ad Illuſtris Principis Domini *Ludovici Senioris Comitis Palatini Rheni, & Ducis Bavariæ*, Sacri Romani Imperii Archidapiferi &c. prædicti ſpecialis petitionem, inſtantiam, ſigilla noſtra præſentibus de certâ ſcientiâ appendenda duximus, ad perpetuam rei memoriam, & in evidens teſtimonium præmiſſorum, præſentium ſub noſtris ſigillis teſtimonio literarum.

terarum. Datum *Hagenoviæ* Anno Domini 1353. feriâ tertiâ proximâ ante festum Omnium Sanctorum &c.

EPISTOLA XLIV.

Innocentii Sexti Literæ Gratulantis Carolo Quarto, de fausto adventu in Italiam & excusantis, quòd ipsemet ad coronandum venire non possit, eam Provinciam Legatis suis demandatum iri.

A. 1354.

Innocentius &c: Charissimo in Christo filio Carolo Regi Romanorum Illustri.

Rayn Th. XVI.

LIcet fama prænunciâ, quæ Venerabilis fratris nostri *Theodorici Episcopi Mindensis* adventum, & literarum tuarum præsentationem anticipans, optabilem nobis tuum in Italiam transitum per dies aliquot divulgaret, animum nostrum vehementer ad gaudium excitâsset, & continuis incrementis ad acta sic fidem astrueret, ut de rei non deberet ambigi veritate; tamen quia hoc humanæ cupiditatis inest affectui, hoc habet communiter proprium, quòd in desideratis quibusque rebus moras non patitur, immo celeritatem ipsam quasi reputat tarditatem, suspendebat, & augebat in nobis quodammodo considerationibus alterius conceptam lætitiam, tuarum expectatio literarum. Cumque in re hujusmodi mens avida, variis opinionibus æstuaret; Et nunc his rationibus victa consentiret famæ relatibus, nunc verò considerationibus mota contrariis in ambiguum declinaret; tandem supervenit idem *Episcopus*, qui nos de ipso tuo transitu, quem DEUS faciat esse felicem; literarum tuarum (quas & eundem *Episcopum* lætanter ad modum placidéque suscepimus) ac vivæ vocis attestatione certificans, & adunctionis, consecrationis, & coronationis tuæ in *Basilica Principis Apostolorum de Urbe* (auctore DEO) feliciter juxta imitandas antiquorum traditiones celebranda solemnia concedimus magnitudini tuæ Cardinales aliquos, modestè, solicitè, ac prudenter exposcens, velut bonus de longinqua terra nuncius animum nostrum, successus prosperos, amantissimi filii, ac Patroni & defensoris Ecclesiæ concupita præsidia sitientem, quodam quasi potu aquæ frigidæ, tui scilicet, desideratj cunctis gentibus venientis occursu, dulcissimè recreavit; tantóque nos ampliori gaudio, & copiosiori exultatione perfudit uberiùs, tantóque petitionis hujusmodi favorabiliùs & promptiùs exauditionis impetravit effectum, quanto hinc universorum generalia commoda largiente DEO, nascitura probabili ratione confidimus, & Particularia Ecclesiæ memoratæ compendia, quæ nihilominus communem utilitatem respiciunt, ipso propitio proventum sine dubitatione speramus. Post gratias igitur in humilitate Spiritus devotè redditas, & laudationum vota debita persoluta ei, per quem Reges regnant, Principes imperant, & à quo omnis potestas est, quique te ad Imperii Romani culmen evexit, quòd præstante ipso dies nobis desideratus, dits qui expectationibus nostris terminum posuit, serenus illuxit, quosdam ex Fratribus nostris sanctæ *Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus*, quos honoris & statûs tui & tuorum experientiâ multâ

Legatio Theodorici Mindensis Episc:

Grata fuit Pontifici.

Designantur Coronatores Caroli IV. Romæ.

multâ palpâsti sinceros & feruidos zelatores, ad hujusmodi unctionis, consecrationis, & Coronationis, auspice DEO, celebritatem agendam, feliciter duximus statuendos, ut quod urgentibus negotiis variis præpediti, nequimus contra desiderii nostri vota personaliter exequi, hoc ministerio eorum agentium nostri vices officii suppleatur, & nihilominus dilecto filio nostro *Ægidio* tituli S. Clementis Presbytero Cardinali Apostolicæ sedis legato per alias nostras literas, quas tibi deferet idem *Episcopus*, efficaciter scribimus & mandamus eidem, ut efficacibus tibi adsit auxiliis, opportunis assistat favoribus, præsidiis faveat, & consiliis te salutaribus dirigat, & informet.

Votum Pontificis pro Carolo IV.

Deum itaque bonorum operum directorem suppliciter exoramus & petimus, ut ipse in adjutorium tuum propositus propitius dignetur intendere, & ad tanti ponderis sarcinam ad laudem ejus, ipsius honorem Ecclesiæ, ac Prosperum statum Christiani populi portandam utiliter, humeris potentiæ tuæ robur adiiciat, mentis tuæ oculos gratiâ suæ visitationis illustret, te in viam dirigat prosperitatis & pacis; angelum suum, qui comitatus est *Tobiæ* filium, tibi comitem tribuat; cuncta tibi adversa summoveat, concedat prospera, aspera convertat in plana, ante te contumacium cervices humiliet, conterat elata cornua superborum, subjiciat jugo tuo colla rebellium in manu tua, quæ bella volunt, dissipet gentes, subditas tibi faciat omnes ipsius nationes imperii augeat fidem, perfidiam tollat, cunctis mundum purget erroribus, diésque tuos & langævos faciat, & in optata mentis & corporis pace disponat.

Adhortatio Pontificis ad Carolum IV.

Eja ergò, *Inclyte Princeps*, excita Cæsarei Throni potentiam in manu forti, & excelso brachio conculcatam, erige Ecclesiasticam libertatem, Romanæ ac aliarum Ecclesiarum jura custodi: personis earum pro reverentia illius, cujus ministri sunt, Honorem impende, & jura earum eripe de manibus direptorum, ut proberis Charitate filius, Patronus effectibus, & operibus nomen impleas Defensoris. Resarcire lacerata ejusdem *Imperii* latera, satage, nempe vincula tyrannicæ potestatis: leva in nationibus signum virtutis tuæ, virgam emitte: *fac Populum tuum salvum*, & protege plebem, ut ipsi potentiæ tuæ salutari præsidio de jugo inveteratæ servitutis erepti, & consecuti quasi novæ beneficium libertatis ac pacis, lætentur coram te corde perfecto, & non sit timor ulteriùs in finibus eorundem. Deduc in semitam *mandatorum Domini* gressus tuos, & in ipsius, qui sanctus permaneat in seculum seculi, timore persistens, esto *in Justitiæ administratione sollicitus!* esto pietatis amicus! esto, quà *Thronus Regius* roboratur, *Clementiæ custos!* esto *misericordiæ observator!* esto *adjutor Orphano & pupillo*, indigentibus subveni, succurre egenis, oppressos releva, gravatos allevia, afflictis compatere, refove debiles, miseros consolare, & considerans quòd ad bonorum laudem, malefactorúmque vindictam gladium â Domino suscepisti, adjuva bonos auxilio, prosequere favoribus justos, adesto præsidiis mansuetis; ac in facinorosos & reprobos, temperante clementiâ, zelum tuæ accendas & acuas ultionis, ut *juvante DEO* sic terreni *Regni Gubernaculis* præsidere possis utiliter, quòd post hujus occiduæ vitæ cursum exceptus Abrahæ sinu interesse choris Angelicis, cum *Beatissimis Spiritibus* Gloriæ conditoris assistere, ac Præsentem Majestatis divinæ intueri faciem, in quo summa consistit nostræ beatitudinis, merearis. Ceterùm ad honoris & statûs tui promovenda jugiter paternis studiis incrementa ex affectu Charitatis intimæ promptiores eidem *Episcopo* commisimus aliqua magnitudini tuæ VIVÆ vocis ministerio

Bonis præceptis Carolus informatur.

Maximè ut Pauperes & Afflictos relevet.

exponenda, rogantes, ut ipsius *Episcopi*, pro parte nostra relatibus adhibeas plenam fidem. Datum Avin: Undecimo Kalendas Decembris Anno Secundo.

EPISTOLA XLV.

Cùm Carolus IV. Imperator promisisset se ultro adventurum cum Exercitu, ut recuperaret & restitueret Papæ Pontificias ditiones, hâc Epistolâ eidem Carolo Pontifex egit gratias.

Innocent. VI. A. 1355.

Innocentius &c. Charissimo in Christo filio Carolo Regi Romanorum illustri.

Raynal. T. XVI.

DIlectus *filius noster Ægidius tit: S. Clementis Presbyter Cardinalis A. S. L.* per suas literas scripsit nobis, quod cùm ipse ad magnitudinem tuam pro auxilio revocando circa recuperationem terrarum *Ecclesiæ Romanæ* matris tuæ, quas *Malatestæ & Galeoti de Malatestis militum Ariminensium*, & quorundam aliorum rebellium & proditorum ipsius Ecclesiæ tyrannica occupavit ambitio, recursum fiducialiter habuisset, Tu filialis devotionis ardore succensus erga Ecclesiam antefatam, licèt consiliariorum tuorum deliberatio responsionem super hoc differendam in diem aliam suaderet, in-

Meritа Caroli IV. in Ecclesiam.

respondendo moram non patiens, & consilium non exspectans, post grates redditas de recursu habito, & multa verba quæ de armario pectoris tui educebat sincera devotio, & quæ te filium gratitudinis, filium utique benedictionis, & gratiæ indicabant, respondisti gratanter & placidè, quòd cùm negotia ipsius *Ecclesiæ tuæ* propria reputares, intendebas illa non solùm Gentium tuarum destinando præsidio dirigenda suscipere, sed potentiæ tuæ virtute in persona propria promovere; & patentiùs explicans Catholici animi tui zelum adjecisti; quòd in iis & quibuslibet aliis necessitatibus ipsius Ecclesiæ sic adesse propitius, sícque favorabiliter assistere proponebas eidem, quòd etiam tua differres promovenda negotia, ut eidem Ecclesiæ incumbentibus quibuscunque promotionis operam adhiberes. Hæc sanè, *Christianissime Princeps*, quanta sit tuæ sinceritas devotionis *ad Deum*, patenter insinuant: Hæc quanto ad eandem Ecclesiam affectu charitatis attenderis manifestant: hæc in nobis multiplicant gaudia, lætitiam augent, & ad laudes *Creatori nostro*, qui hanc tibi mentem formavit, exhibendas indesinenter accendunt, &c. Datum Avin. III. id. Februarii. Anno III.

EPI-

EPISTOLA XLVI.

De Revocatione Novorum Statutorum & Jurium Regni Boëmiæ per Carolum Romanorum Imperatorem & Regem Boëmiæ.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. AMEN.

1355. Ex Privilegiis Regni Boh.

CAROLUS IV. Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus & Boëmiæ Rex:

NOtum facimus tenore præsentium Universis. Quòd licet jam dudum de Consilio, voluntate, scientiâ & consensu, Nostrorum & *Regni Nostri Boëmiæ Principum & Baronum* Jura quædam adinvenienda duxerimus, & etiam statuenda quorundam *Principum & Baronum Prædictorum* accedente Consilio ac expresso consensu in scriptis redacta & in uno volumine fuerint sigillata, prout hoc in notoriam & publicam notionem prodiit; quia tamen præfatum volumen, quod videlicet sicut præfertur, fuerat inde confectum unà cum sigillis eidem appensis fortuito casu fuit igne combustum in nihilúmque redactum & quia nihilominus tam Nos quàm Præfati *Principes & Barones* jam dicta Jura servare non promisimus, nec aliqua super his præstitimus Juramenta & adhuc *in Nostro & Principum ac Baronum* eorundem libero pendebat arbitrio, si jura ipsa promissionibus & juramentis in talibus opportunis confirmare, approbare & valere vellemus, quod usque hodie non est factum à *Nobis*, vel *Principibus Baronibus* antè dictis, dictáque Jura à tempore quo illa condidimus usquè modo nunquam publicata, intimata, seu nunciata fuerunt, nec in *Terris Civitatibus* seu foris publicè proclamata; ideoque decernimus & authoritate Regiâ ex certa scientia declaramus: *Nos & omnes Principes Barones Nostros & Regni ac Coronæ Boëmiæ antèdictos* Nostrósque & insuper ipsorum *Hæredes & successores* perpetuò ad dictorum jurium observantiam non esse ligatos quomodolibet vel astrictos, sed potiùs solutos esse ac liberos ab eisdem nec non ab omnibus sententiis punctis & articulis, quæ & qui in dictis erant, Juribus comprehensi, quodque tam Nos, quàm ipsos *seu Nostros & ipsorum Hæredes & successores* sicut præmittitur in honore, statu, Personis vel bonis quæcunque pœnæ in ipsis Juribus, seu dicto volumine olim, ut præmittitur, promulgatæ contingere vel notare non possint, aut debeant, ullo unquam tempore quovis modo, ullúmve *Nobis vel ipsis nostris & eorum hæredibus & successoribus* in Honore, statu, Personis aut bonis præjudicium generare quomodolibet vel afferre; *Nos enim Principibus, Baronibus sæpèdictis*, eorúmque *Hæredibus & successoribus* promittimus *pro Nobis & Hæredibus ac successoribus Nostris, Boëmiæ Regibus bonâ fide & Authoritate Regiâ statuimus*, & hac præsenti constitutione perpetuò duraturâ sancimus, *ut Nos & prædicti Principes & Barones Nostri & Regni, & Coronæ Boëmiæ subditi & Fideles, Nostrique & ipsorum Hæredes & successores* perpetuò antiquis & consuetis Juribus omni impedimento cessante frui pacificè & perpetuis gaudere temporibus debeamus.

Irritantur & annullantur nova statuta in Bohemia.

Nihil novi imponere vult Carolus IV. sed antiqua confirmat.

Signum Sereniſſimi Principis & Domini Domini Caroli Quarti Romanorum Imperatoris Invictiſſimi & Glorioſiſſimi, Boëmiæ Regis.

TEſtes hujus rei ſunt: *Illuſtris Rudolphus Senior Saxoniæ Dux Sacri Imperii Archi-Marſchalcus. Venerabilis Prezlaus Wratislavienſis Aulæ Noſtræ Cancellarius. Joannes Argentinen: Theodoricus Mindenſis, Fridericus Ratisbonenſis & Henricus Lubecenſis Epiſcopi; ac Illuſtris Rudolphus Junior Saxoniæ Dux & ſpectabiles Henricus de Schvvartzburg; Joannes Magdeburgenſis; Ulricus de Helfenſtein & Albertus de Anhalt Comites* & alii quàm plures.

Præſentium *ſub Noſtræ Imperialis Majeſtatis ſigillo Teſtimonio Litterarum.* Datum *Pragæ* Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Quinquageſimo Quinto. Indictione Octavâ 2 Nonas Octobris. Regnorum Noſtrorum Anno Decimo. Imperii verò primô.

In ſimili ſunt decem Litteræ ejuſdem *Caroli* de Eadem Re.

EPISTOLA XLVII.

Atteſtatio Joannis Marchionis Moraviæ de Abrogatione Codicis Carolini Bohemici, Anno 1355.

Gold.f.64. Nos Joannes DEI gratiâ Marchio Moraviæ, Notum facimus tenore præſentium univerſis.

QUòd licet jam dudum *Sereniſſimus ac invictiſſimus Princeps & Dominus, Dominus Carolus, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, Dn: noſter gratioſus*, de conſilio, voluntate, ſcientiâ & conſenſu ſuorum, noſtrorum & aliorum regni ſui *Bohemiæ Principum, & Baronum*, jura quædam adinvenienda duxerit, & etiam ſtatuenda: eademque, quorundam *Principum & Baronum prædictorum* accedente conſilio, ac expreſſo conſenſu in ſcriptis redacta, & in uno volumine fuerint ſigillata; prout hoc in notoriam & publicam prodiit notionem. Quia tamen præfatum volumen, quod videlicet, ſicut præfertur, fuerat indè confectum, unà cum ſigillis eidem appenſis, fortuito caſu fuit igne conſumptum, in nihilúmque redactum; Et quia nihilominus, tam præfatus *Dominus noſter Imperator Bohemiæ Rex*, quàm nos alii *Principes, ac Barones*, prædicta jura ſervare non promiſimus, nec aliqua ſuper his præſtitimus juramenta: Et adhuc in præfati *Domini noſtri Imperatoris & Regis Bohemiæ noſtro, & aliorum Principum ac Baronum Libero pendebat arbitrio*, ſi jura ipſa promiſſionibus, & juramentis in talibus opportunis confirmare, approbare & valere vellemus: quod uſque hodie non eſt factum, à præfato *Domino Imperatore & Rege Bohemiæ, Domino noſtro*, nobis vel aliis *Principibus ac Baronibus* antedictis, dictáque jura à tempore, quo illa præfatus *D. noſter Imperator & Bohemiæ Rex* condidit, uſque modo nunquam publicata, intimata ſeu nunciata fuerunt, nec in terris, civitatibus ſeu foris, publicè proclamata; Ideóque idem *Dominus noſter, Imperator & Rex Boëmiæ*, ritè decrevit, & auctoritate Regiâ ex certa ſcientia declaravit, ritè ſemetipſum, *nos*, & omnes *Principes ac Barones ſuos, ac Regni & Coronæ Bohemiæ* antedictos, ſuos, noſtróſque inſuper *& ipſorum Hæredes & ſucceſſores*, perpetuò ad dictorum jurium obſervantiam non eſſe legatos quomodolibet vel

vel aſtrictos, ſed potiùs ſolutos eſſe ac Liberos ab eiſdem, nec non ab omnibus ſententiis, *punctis & Articulis*, quæ & qui in dictis erant juribus comprehenſi: Quódque tam eum quàm nos, & alios *Principes ac Barones, ſuósque ac noſtros & ipſorum hæredes & ſucceſſores*, ſicut præmittitur, in honore, ſtatu, & perſonis, & bonis, quæcunque in ipſis Juribus ſeu dicto *Volumine* olim, ut præmittitur, obligare contingere, vel notare non poſſint aut debeant, ullo unquàm tempore, quovis modo, ullúmve ipſi *Domino noſtro Imperatori & Regi Boëmiæ, nobis & aliis Principibus ac Baronibus*, nec non ſuis, noſtris, & eorum *hæredibus & ſucceſſoribus ſuis, Bohemiæ Regibus, & auctoritate Regiâ* ſtatuit, & ſuâ Regali conſtitutione perpetuò duratura ſancivit, ut ipſe *Dominus noſter Imperator*, nosque & alii prædicti *Principes & Barones ſui*, ac Regni, *& Coronæ Bohemiæ* ſubditi & fideles, ſuique, noſtri *& ipſorum hæredes & ſucceſſores*, perpetuò antiquis & conſuetis juribus, omni impedimento ceſſante frui pacificè, & perpetuis gaudere temporibus debeamus, ſicut in literis præfati *Domini noſtri Imperatoris & Regis Bohemiæ*, quas ſub *Imperialibus ſignis & teſtibus* de conſuetæ benignitatis munere erogaſſe dignoſcitur, pleniùs ac lucidiùs eſt expreſſum. *Nos* igitur, de cujus conſilio, voluntate & conſcientiâ, omnia prædicta ſic geſta ſunt, proùt exprimitur ſuperiùs, prædictis omnibus, & eorum cuilibet, prout in literis præfati *Domini noſtri Imperatoris, & Regis Bohemiæ* datis deſuper, ſicut prædicitur, inveniuntur expreſſa, noſtrum voluntarium conſenſum grato animo præſentibus adhibemus; gratum, ratum, firmum & incommutabile volentes habere perpetuò, quicquid præfati *Domini noſtri* ſancivit auctoritas, vel ſua prudentiâ ſtabilivit. Et hoc ipſum bonâ fide *cæteris Principibus Regni Bohemiæ* præfati & ipſius *Coronæ* fidelibus, duximus promittendum, præſentium ſub noſtro ſigillo teſtimonio literarum. Datum *Pragæ* Anno Domini M. CCCLV. Indictione octavâ, II. nonas Octobris.

In eandem ſententiam extant novenæ literæ ejusdem Joannis Marchionis Moraviæ per omnia ſimiles.

EPISTOLA XLVIII.

Fœdus Regis Franciæ cum Rege Bohemiæ perpetuò.

1355.

Joannes DEI Gratiâ Francorum Rex.

Ex M. S. Cod. Privileg.

NOtum facimus Univerſis tam præſentibus, quàm futuris. Quòd ſicut pridem animo deliberato, dum adhuc eſſemus in minoribus conſtituti, *cum Sereniſſimo Principe Carolo IV. Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, & Bohemiæ Rege Illuſtri fratre noſtro præcariſſimo* ſub Anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo, dum adhuc ipſe in minoribus conſtitutus foret pro nobis, nec non filiis & liberis noſtris videlicet *Carolo Primogenito noſtro Duce Normandiæ, & Delphino Viennenſi & Philippo ultimogenito noſtro*, tum ratione Genealogiæ, tum ratione ſinceriſſimæ dilectionis, quâ perſonam ipſius ex affectu ſincero proſequimur, fœdera circa colligationes, promiſſiones, & uniones inivimus, prout litteræ utrinque datæ deſuper clariùs atteſtantur, ſic & nunc eadem promiſſa & colligantias ad inſtar promiſſorum fœderum *in DEI Salvatoris noſtri*

Fœdus paternum Regum Galliæ & Bohemiæ

ſtri nomine, pro conſolatione Regnorum & grata ſalute ſubjectorum nobis ex utraque parte fidelium, ſicut ex præcedentibus pactis ritè quidem teneri dignoſcuntur innovamus, firmamus & corroboramus ſub tenoribus infrà ſcriptis. Inprimis *ſiquidem promittentes bonâ noſtrâ fide, ſinè omni dolo & virtute juramenti, quod deſuper ad Evangelia ſancta juravimus* pro nobis nec non dictis filiis, & liberis *noſtris hæredibus & ſucceſſoribus noſtris Regibus Franciæ*, ſeu quorumcunque aliorum titulorum extiterint præfato *Sereniſſimo Principi Carolo Romanorum Imperatori & Regi* Bohemiæ, *hæredibus & ſucceſſoribus ſuis* Bohemiæ *Regibus*, quòd amodo inantea, ac etiam in perpetuum, ipſorum & cujuslibet ex eis Regales & boni atque perfecti amici erimus & honorem, uberem, ſtatum commodum, & profectum eorum ſemper promovebimus, omnibus modis adjutoriis & ingeniis, ſicut unquam meliùs poterimus ac univerſum damnum ipſorum quod eis in perſonis, honore vel rebus irrogari poſſet, dum ad noſtrî notitiam pervenerit, fideliter avertemus ipſósque & eorum quemlibet ad reſiſtendum omnibus eorum adverſariis, & hoſtibus, qui talia damna contra eos, ſeu eorum alterum in præjudicium honoris, ſtatûs & conditionis eorum quomodolibet molirentur, *ipſoſque prædictos Imperatorem & Regem* Bohemiæ *adjuvabimus & fortificabimus totâ noſtrâ potentiâ conſilio*, auxilio & alio modo, quo poterimus meliori & realiter, & effectivè adverſabimur, & opponemus *nos omnibus Regibus, Principibus* & aliis, cujuscunque ſtatûs, eminentiæ, aut dignitatis exiſtant, qui ipſorum diſpendium, jacturam, ſeu verecundiam procurarent; & honorem profectum, & ſtatum eorum cuſtodiemus Regaliter juxta poſſe. Et nè poſt amicabilis hujuſmodi unionis & amicitiæ gratam concordiam aliquæ dubietates inter nos utrobique quacunque ratione conſurgant, & ut futuris ſcandalis via ſeu materia præcludatur, deliberatione maturâ ritè promiſimus, videlicet, *quòd nos ac dicti noſtri filii & hæredes ſuprà dictum Imperatorem* in poſſeſſione omnium & ſingulorum, *Civitatum, Terrarum, Caſtrorum, Jurisdictionum, Dominiorum* pertinentium & Jurium *ad Imperium Romanum* quomodolibet ſpectantium, ubicunque talia fuerint conſtituta, non impediemus aut invademus, ſeu de talibus prædictis Juribus & poſſeſſionibus ſicut exprimuntur ſuperiùs, non intromittemus, vel invadi, moleſtari aut ſe de his intromitti conſtituemus, patiemur & ſuſtinebimus verbo, facto, vel ſuggeſtu imò veriùs eum ſub fide & juramento, quibus ſuprà ad manutenendum prædicta, & eorum quodlibet totâ noſtrâ potentia tenebimur fideliter promovere, ſicut idem *Imperator Romanorum & Bohemiæ Rex, nobis ac dictis filiis & liberis noſtris* vice verſâ promiſit fide & juramento, quibus ſuprà, *Nos & dilectos filios, & liberos noſtros, in omnibus Civitatibus, Caſtris, terris, Jurisdictionibus, Dominiis, pertinentiis & quibuslibet Juribus ad* Regnum Franciæ ſeu quævis ipſorum Dominia ſpectantibus promovere fideliter, & in eorum ſeu earum poſſeſſione non impedire, aut moleſtare ſeu invadere, vel nos moleſtari, aut invadi conſtituere, imò veriùs promiſit fide & juramento, quibus ſuprà, nobis ad manutenendum poſſidendum & conſervandum prædicta, auxilio, favore, & conſilio modis expreſſatis ſuperiùs fideliter ſubvenire ac ſupradictas uniones, confœderationes, & colligantias ſub omnibus conditionibus expreſſatis ſuperius, inviolabiliter obſervare. Quod ut firmum & ſtabile permaneat in futurum, ſigillum noſtrum præſentibus litteris duximus apponendum. Datum *Pariſiis*, Anno Domini M. CCCLV. Menſe Maji per Dominum Regem, ad Relationem Domini Ducis.

Juramentum deſuper factum.

Defenſio Juriun Regis Bohemiæ promittitur à Rege Franciæ.

EPI-

EPISTOLA XLIX.

Caroli IV. Imper: Auguſt: Conſtitutio de Incorporatione Ducatuum Poloniæ & Sileſiæ & Marchionatûs Luſatiæ, quòd perpetuò Regno Bohemiæ ſint indiviſibiliter couniti, uti & terra Glacenſis.

Anno 1355. Priv. R. f. 119.

IN NOMINE DOMINI SANCTÆ & INDIVIDUÆ TRINITATIS.

Carolus DEI Gratiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, &c. Gold. f. 66.

AD perpetuam rei memoriam. Inſignes laudabilis famæ titulos moderni temporis meretur glorioſa poſteritas, ſi quod prædeceſſorum Illuſtrium circumſpecta pridem inſtauravit proviſio, vigilanti curâ proſequitur, & gratæ ſolicitudinis munit officio, ut fructuoſi laboris ſolertiâ perenni ſucceſſorum commendentur memoriæ, & ex perfectione bonorum operum, quaſi ex relucenti ſpeculo vetuſtatis ſurgat de felicibus mortuis felix memoria rediviva. Sanè licèt pridem recolendæ memoriæ *Divus Fridericus Romanorum Imperator Auguſtus, prædeceſſor noſter*, de ſingulari ſuæ benignitatis munere, claræ recordationis *Illuſtri Uladislao* quondam *Boëmiæ Duci*, qui *Regnum Bohemiæ* ante *Coronationem* ſuam regebat, & ſuis *hæredibus Bohemiæ Regib. cenſum de terra Poloniæ*, quem *anteceſſores* ejus *Duces Bohemiæ à Polonia* multis temporibus accipere conſueverant, quemque *Poloniæ & Sileſiæ Duces Sacro Imperio* ſolvere tenebantur, proùt in *litteris Imperatoris* præfati evidenter exprimitur, liberaliter duxerit erogandum. Ipſi quoque *Duces Poloniæ & Sileſiæ* eundem cenſum *Illuſtribus Progenitoribus, & prædictis noſtris Bohemiæ Regibus*, in ſignum ſubjectionis debitæ, & in recognitionem ſui *ſuperioris Dominii* ritè perſolverint multis temporibus retroactis: tamen ad abundantioris cautelæ præſidium tractu temporis dicti *Duces* ſuorum *heredum, & ſucceſſorum* nomine atque vice, *Principatus, terras ac dominia* ſua à Claræ memoriæ *Illuſtri Joanne quondam Bohemiæ Rege, genitore noſtro cariſſimo* defuncto, & à *Corona Regni Boëmiæ* præſtiterunt ſolemnitatis, obedientiæ, homagii, ſubjectionis, & fidelitatis debitæ juramenta corporalia.

In Archivo Carliſteinenſi referuntur Omnium Sileſiæ Ducum in particulari literæ, Bohemicæ Coronæ ſeſe ſubjicientium.

Nota, De cenſu Sileſiatico Regibus Bohemiæ pendendo.

Nota Sileſiæ Duces juramento ſe obligarant Regibus Bohemiæ.

Et licèt inſignis *Ducatus Uratislavienſis & Sileſiæ*, cum ſuis omnibus pertinentiis, ad utilem & immediatum *Dominum Illuſtrem*, quondam *Boëmiæ Regem, progenitorem noſtrum, & Coronam Regni Boëmiæ* ſpectaverit ab antiquo, ſicut hoc literæ recolendæ memoriæ *Domini Rudolphi Romanorum Regis, prædeceſſoris noſtri*, oſtendunt. In quarum prima quandam ordinationem inter *Illuſtrem Ottocarum*, quondam *Boëmiæ Regem, proavum noſtrum cariſſimum* ex una, & *Henricum Ducem Uratislavienſem* parte ex altera: videlicet quòd dictus *Ottocarus Rex* eidem *Henrico Duci* jam ſublato de medio, prædictum *Regem Ottocarum* heredes & ſucceſſores ſuos, *Reges Bohemiæ, de Ducatu Uratislavienſi & Sileſiæ*, terris & dominiis præfatis, tanquàm actu vacantibus, propter multa grata ſervitia, quæ *Illuſtres Bohemiæ Reges Sacro Romano Imperio* fecerant, ſolenniter inveſtivit, lucidiùs atteſtantur: tamen Illuſtris quondam *Joannes Bohemiæ Rex, genitor noſter* præfatus cum *Henrico ſeptimo* & ultimo *Uratislaviæ & Sileſiæ Duce*, ſororio noſtro, dum uterque ipſorum

De Ducatu Uratislavienſi ſolennes tractationes referuntur.

ipsorum vitam ageret in humanis, quandam ordinationem iniit & tractavit: videlicet quòd dictus *Dux Henricus* terram & *Districtum Glacensem* cum vasallagiis, feudis, dominiis & aliis omnibus pertinentiis suis, de consensu dicti *Genitoris nostri*, ad vitæ duntaxat tempora habere deberet, ut tamen eo moriente, *Ducatus sui*, puta *Uratislavienſis & Silesiæ* ac prædictum *Glacense Dominium*, ad usum, & possessionem *Genitoris nostri*, *heredum & successorum* ipsius *Regum*, *& Coronæ Regni* Boëmiæ, sine difficultate qualibet revenirent. Sic hoc processu dierum ad finem pervenit intentum. Eoque dictus *Genitor* noster dum viveret, moriente Duce præfato, *Ducatum Uratislavienſem & terram Glacensem* præfatam tenuit & possedit, & nos utrumque de præsenti, velut *Bohemiæ Rex*, in possessione tenentes, utrobiliber dominamur.

De Marchia Budissinensi & Görlicensi.

Et quamvis *Marchia Budissinensis & Görlicensis*, quæ cum cæteris civitatibus', oppidis & pertinentiis suis ad regnum & *Coronam Bohemiæ* ab antiquo pertinuerunt, per *Illustrem Ottocarum* quondam *Bohemiæ Regem proavum nostrum*, in personas quondam *Illustrium Brandeburgensium-Marchionum* ex certis causis & rationibus alienata fuerit: aliquando tamen *Marchionibus* prædictis, absque sexûs masculini heredibus, decedentibus ex hac vita, *Nobiles*, *Milites*, *Clientes*, *Cives*, Universique incolæ *Marchiæ Budissinensis & Görlicensis* præfatæ, animadversione debitâ cognoscentes, qualiter ad *Coronam & Regnum Bohemiæ*, tanquam ad immediatum & naturalem Dominum, dudum pertinuerant, ad subjectionem & obedientiam illustris *Johannis*, quondam *Bohemiæ Regis*, *genitoris nostri*, tanquâm ad ordinarium, legitimum, & naturalem Dominum suum, & ad *Coronam Regni Bohemiæ*, de cujus gremio jam dudum constiterant, ùt præfertur, deliberatione non improvidâ redierunt.

Enumerantur Principatus Silesiæ Regno Bohemiæ obnoxii.

Nos igitur indefessam solicitudinis operam, & diligentiam exquisitam quam sæpedicti *proavus*, *Pater* ac progenitores nostri carissimi *Boëmiæ quondam Reges*, ad obtinendum subjectionis vasallagium, & obedientiam *Illustrium Silesiæ & Poloniæ Ducum*, videlicet *Lignicensis*, *Brigensis*, *Munsterbergensis*, *Olsnensis*, *Glogovienſis*, *Saganensis*, *Opoliensis*, *Falckenbergensis*, *Strelicensis*, *Teschinensis*, *Olsnensis*, *Buthunienſis*, *Stenavienſis*, *Osuetiensis*: *Principatus Massoviæ & Ducatus in Plotzka Principum & fidelium nostrorum*: *Principatus seu Ducatus Uratislavienſis & Silesiæ*: *nec non Civitatis videlicet Uratislaviæ*, *Novum forum*, *Franckenstain*, *Stinaviam*, *Gravv*, *& mediam partem Glogovviæ* & pertinentiarum ipsius, & etiam *Budissinensem & Görlicensem Marchiam*, ut præfertur, non absque magnis impensis & infinitis laboribus habuerunt, *in nostræ Majestatis* acie continuò revolventes, ut virtutum ipsorum frequentia & solicitudo laborum, præteriti sub felici nostro regimine solidetur, sicut dudum de plenitudine *Romanæ Regiæ potestatis* statuendum duximus, ità & nunc ex certa scientia statuimus de *nostræ Imperialis* plenitudine potestatis', quòd omnes supradictæ sententiæ, & *Clementiæ Imperialis*, *& Regalium literarum*, quas ad probationem dictarum intentionum adduximus, semper & ubique in judicio & extra, & in singulis actibus publicis, & privatis', quoties tenorem præsentium legi & publicari contigerit, ejusdem efficaciæ, vigoris & auctoritatis existant, ac si in signis propriis originalia viderentur; & præcipuè cùm eadem originalia per nos ac nonnullos *Sacr: Imper: Principes*, *Barones*, *Proceres*, auscultata & examinata fuerint diligenter, & demum communicato super omnibus præmissis nonnullorum *Sac: Imper: Principum*, *Baronum*, *& Nobilium Consilio* speciali prædictis omnibus de Verbo ad Verbum, proùt superiùs exprimitur intellectis, & in examine deliberatè & providè

providè discussis adductis, nè ex interpretatione sinistra quorumlibet, *nostris heredibus*, *& successorum nostrorum Regum Bohemiæ*, *& Coronæ Regni* ejusdem, juribus, hominibus & statui valeat in posterum derogari: auctoritate imperiali dictos *Silesiæ*, *Poloniæ*, & cæteros prædictos *Duces*, nostros *Principes & Vasallos*, cum Principatibus, feudis, & vasallagiis ipsorum, præsertim cùm à *Corona Regni* præfati immediatè dependeant: dictum quoque *Ducatum Uratislavienſem*, *cum Civitate Uratislavia*, *Noviforenſi*, *Franckenſtein*, *Stinavienſi*, *Gorenſi*, *Glogovienſi* & cæteris oppidis ibidem: nec non *Marchiam Budissinensem & Görlicensem*, *cum Vasallis*, *vasallagiis*, *feudis*, *feudatariis*, *utilitatibus*, *fructibus*, *obventionibus*, *jurisdictionibus*, *judiciis*, *honoribus*, *juribus*, *consuetudinibus*, & omnibus dictorum *Ducatuum & Marchiæ* pertinentiis, velut utile & *immediatum Dominium nostrum*, *& Regni Boëmiæ* præfati, eidem Regno & ejus *felici Coronæ*, in perpetuum adjungimus, incorporamus, inviscceramus, adscribimus, appropriamus, & indivisibiliter conjungimus', coûnimus.

Principes Silesiæ vasalli Regum Bohemiæ.

Speciali etiam ex nomine interpretamur, pronuntiamus, definimus, protestamur & dicimus, ac de certa nostra scientia declaramus, quòd præfati *Duces Silesiæ & Poloniæ*, *heredes & successores* ipsorum, in perpetuum, quoties *Ducatus* eosdem aut alterum ex eis vacare contigerit, ipsos vel ipsum nobis, *heredibus & successoribus nostris Bohemiæ Regibus*, *& Coronæ ejusdem Regni*, homagii, obedientiæ, fidelitatis, subjectionisque debitæ teneantur ac debeant præstare & facere corporalia juramenta, supplentes omnem defectum, si quis in literis, vel privilegiis dictorum *Imperatorum & Regum Romanorum* memoriæ recolendæ, aut etiam in ordinatione seu tractatu dicti *genitoris nostri*, quem cum præfato *Henrico* septimo & ultimo *Uratislavienſi & Silesiæ* Duce habuisse dignoscitur, seu in reditu *Nobilium*, *Militum*, *Clientum*, *civium & incolarum Budissinensis*, *& Görlicensis Marchiæ*, *qui ad Regnum Bohemiæ*, ut præmittitur, ex causis legitimis redierunt, vel in præsentibus nostris literis verborum defectu, interpretatione dubiâ, sententiarum obscuritate vel aliâ quavis occasione, compertus fuerit, de certa nostra scientia, ac de prædicta imperialis plenitudine potestatis, non obstantibus legibus, consuetudinibus, usibus, observantiis, juribus municipalibus, vel communibus', statutis seu edictis, publicis vel privatis, factis & editis in contrarium quibuscunque; quas & quæ, quantum adhæc, ac si nominatim de verbo ad verbum præsentibus inscripta & inserta consisterent, etiamsi de his jure vel consuetudine deberet fieri mentio specialis, revocamus, cassamus, irritamus, annihilamus, & de prædictæ Imperialis potestatis plenitudine decrevimus firmitatis fore nullius penitùs & momenti.

Pœnæ transgressorum.

Nulli ergo hominum liceat hanc nostræ adjunctionis, appropriationis, conjunctionis, incorporationis, invisceationis, adscriptionis, interpretationis, pronunciationis, definitionis, protestationis, declarationis', decreti, defectûs suppletionis, revocationis, cassationis, irritationis & annihilationis paginam infringere. Contrarium verò facientes, si qui fuerint, quod absit, ultra indignationem nostræ *Celsitudinis*, quam ob hoc se noverint incursuros', *mille marcas auri puri* nostro & *Romani Regni* fisco componant: ipsarum videlicet medietatem nostræ, seù successorum nostrorum Curiæ seu Cameræ, reliquam passis injuriam irremissibiliter applicandam.

Signum ſereniſſimi Principis ac Domini, Domini Caroli IV. Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti.

Teſtes ad prædicta.

TEſtes hujus ſunt Venerabilis *Arneſtus Pragenſis Archi-Epiſcopus: Illuſtris Rudolphus Senior Dux Saxoniæ, Sacri Imperii Archimarſchallus, avunculus noſter, ac Venerabilis Pretzlaus Uratislavienſis Cancellarius aulæ noſtræ, Joannes Olmicenſis, Joannes Luthomiſslenſis, Theodoricus Mindenſis, Henricus Lubecenſis Epiſcopi: Illuſtres Rudolphus Junior Saxoniæ, & Joannes Opaviæ Duces: Spectabilis Burghardus Magiſter Curiæ noſtræ Burggravius Magdeburgenſis, & Albertus de Anhalt Comites: & Nobiles, Joannes de Roſenberg, Joannes de Sternberg, Zbincko de Haſenburg, Gonflaus de Schvvanberg, Buzko de Cunſtat, Dionyſius de Lomnitz, & Ulricus de Uſta*: Et alii quàm plures noſtri fideles', præſertim ſub *Bulla aurea*. Datum *Pragæ*, Anno Domini M. CCCLV. Indictione 8. Septimo Idus Octobris. Regnorum noſtrorum Anno X. Imperii verò primo.

In eandem ſententiam extant ejusdem Caroli literæ per omnia ſimiles ſub ipſius Sigillo.

Ejusdem Caroli literæ de iisdem Ducatibus ipſo Rege Romanorum exiſtente.

Ejusdem Caroli literæ ſicut priùs citatæ ſub dato Pragæ 1348. *Indictione primâ, ſeptimo Idus Aprilis, Regnorum noſtrorum Anno ſecundo.*

EPISTOLA L.

Confirmatio Feudorum Imperialium in Bavaria Regi Bohemiæ factorum, Anno 1355.

Nos Ludovicus, dictus Romanus, DEI gratiâ Marchio Brandenburgenſis & Luſatiæ, Sacri Imperii Archicamerarius, Comes Palatinus Rheni, & Dux Bavariæ.

Gold.f.70.

NOtum facimus univerſis: Quia Illuſtres Principes & Domini *Rupertus Senior & Junior* Comites Palatini Rheni, animo deliberato amicorum ſuorum accedente conſilio, & de certa ſcientia ſereniſſimo *Principi ac Domino Romanorum Imperatori Carolo Semper Auguſto & Bohemiæ Regi, heredibus & ſucceſſoribus ſuis Bohemiæ Regibus* & ejuſdem *Regni Coronæ* ſubſcriptam munitionem *Hoënſtein*, & oppida *Hirsberg & Averpach*, quæ à Sacro *Imperio* in feudum dependent, cum omnibus juribus, dominiis, utilitatibus, & pertinentiis ſuis, quibuſcunque appellentur nominibus, in verum feudum hereditarium, ritè & rationabiliter vendiderunt, ſub omnibus conditionibus & incolis, ſicut in literis ſuper eadem venditione factis', & editis pleniùs eſt expreſſum. *Nos* intuentes affectuoſum deſiderium *Comitum Palatinorum* Rheni, *& Ducum Bavariæ* prædictorum, conſiderantes', & in morte fidelitatis conſtantiam, quâ *Illuſtres Boëmiæ Reges Sacrum Imperium* continuatis crebrò ſtudiis honorarunt, præfatæ venditioni, ad inſtar aliorum *Principum Electorum*, & proùt ipſi deſuper ſuas literas erogaſſe noſcuntur, etiam benevolum conſenſum adhibere decrevimus, ipſamque ſub omnibus conditionibus & modis', ſicut in literis deſuper editis invenitur expreſ-

Quædam in Bavaria vendita Carolo IV. pertinentia in Feudum Imperij.

ſum approbamus, & animo deliberato de certa noſtra ſcientia, velut *Marchio Brandenburg: Luſatiæ Princeps, Elector, & Archicamerarius Sacri Imperii* ſupradicti confirmamus præſentium ſub noſtri ſigilli teſtimonio Literarum. Datum *Nürnberg*, Anno Domini M. CCCLV. Indict. VIII. Feriâ poſt Feſtum S. Andreæ Apoſtoli.

Similes habentur ab omnibus Principibus Electoribus.

EPISTOLA LI.

Archiepiſcopus Moguntinenſis, Tanquam Princeps Elector, confirmat incorporationem Bavariæ cum Regno Bohemiæ, Anno 1355.

Nos Gerlacus DEI Gratiâ Sanctæ Moguntinenſis ſedis ArchiEpiſcopus Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, ad perpetuam rei memoriam. Gold.f.71.

SEreniſſimus ac Invictiſſimus *Princeps ac Dominus, Dominus Carolus Quartus divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator Semper Auguſtus, & Bohemiæ Rex*, inter alias ſolicitudinum operoſas vigilias', quibus pro ſubditorum grata quiete, *Imperiali benignitate* hinc indè diſtrahitur, ad deſideratam quietem, & felix augmentum *inſignis ſui Regni Bohemiæ* oculos ſuæ deliberationis convertit, & tantò ſolertius de ipſius meditari curavit augmento, quantò ex dilatatione ſuarum propaginum, velut à membro nobili, *Sacrum Romanum Imperium* novit indubiè laudabilius honorari, ſicut ex diviſione calamitates horrendæ conſurgunt, & odioſa ſeditionis ſcandala, fidelium regnicolarum quies deſiderata confunditur, ſic adjutis *Regni* viribus in pacis pulcritudine, in fiduciæ tabernaculis, & opulenta requie fidelis populus conquieſcit, & gratis lætatur commodis ſub grato regimine Principis gratioſi: ſanè conſiderans, ut *Regni* ſui prædicti *Boëmiæ* multipliciter dudum ſperata felicitas, & ubertas commodi augmento felici proficiat, quibus tam naturæ proceritas, ſingulari quadam influentia, quàm claræ memoriæ *Illuſtrium Principum Dominorum quondam Regum Bohemiæ, Parentûm, & prædeceſſorum ſuorum*, laudabilia quidem & veneranda ſtudia providerunt eidem, & conſiderans etiam & ad hoc præcipuè aciem ſuæ mentis convertens, qualiter infrà inſertæ *Civitates, munitiones, Caſtra, terræ, diſtrictus & territoria*, quorum & quarum nomina inferiùs exprimuntur, qui & quæ cum *Præfato Regno ſuo Boëmiæ*, immediatè confirmata, pro *Illuſtrium Principum Dominorum Regum Boëmiæ*, & eidem *Regni coronæ* commodis & profectibus ad honorem *Sacri Imperii Romani* non ſolùm expediant, imò neceſſaria videantur, tum quia *Regibus Boëmiæ* ex terris his ad electionem Romani Principis cum cæteris *Coëlectoribus* ſuo tempore faciendam, præſtetur accedendi ſecuritas', tum quia adminiculo ipſarum *Reges Boëmiæ Curiam Imperialem*, quæ de more in *Nürnberg* celebrari conſuevit, pro tractandis Imperii commodis, profectibus & neceſſitatibus opportunis, ampliori conatu & promtiore voluntate, non tam valebunt, quàm etiam delectabuntur accedere; tum quia terrarum hujuſmodi ſpatia, *Regni Boëmiæ*, velut inſignis membri

Explicantur cauſſæ, cur Carolus IV. pro Regno Bohemiæ emerit quasdam Ditiones in Bavaria.

Serenitatis Cæsareæ, insignis requirit nobilitas; tum quia civitates, castra, munitiones & loca, quorum inferiùs annotatio fiet specifica, contra rapinas, spolia, strages & seditiones innumeras, & periculosa discrimina, quibus singulis viatoribus transitus vetabatur, nunc divino propitiationis munere, *Regis Boëmiæ*, *Regni & Nobilium Regnicolarum* ibidem disponente potentiâ in tranquillitatem optatæ pacis regimine grato conducit: amænâ tranquillitate gaudentes, quibuslibet mercatoribus, peregrinis, viatoribus, & personis aliis, tutum accessum, transitum & statum indubiè pollicentur, ut ex hoc non solùm dicti *Regni* sui *Boëmiæ*, verùm multorum *Regnorum, & Principatuum*, nec non Reipublicæ commoda continuatis prosperitatibus augeantur. Ideóque præfatus *Dominus noster Carolus Imperator*, animo deliberato, *Nostro & Coëlectorum nostrorum* Consilio accedente, ac de certa sua, & nostrâ scientiâ, literas erogare providit, proùt in his lucidiùs, & distinctiùs continetur. *Nos igitur*, qui suprâ, *Gerlacus* dictæ sedis Moguntinen: Archiepiscopus ex eisdem rationabilibus, & evidentibus causis, quibus antedictus *serenissimus Princeps*, *Dominus noster Imperator Carolus*, circumspecta suâ providentiâ motus fore dignoscitur & ex omnibus prædictis tanquàm motivis legitimis, sacri *Romani Imperii* magnificum statum concernentibus, propensiùs animati, supradictis incorporationi, adjunctioni, attributioni, invisceration, unioni, decreto, inhibitioni, statuto, derogationi, & pœnarum adjectioni, & omnibus aliis, quæ expressantur, aut sunt expressa superiùs, velut *Archiepiscopus Moguntin: Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius & Princeps Elector*, animo deliberato, & sano præcedente consilio, nostrum benevolum consensum, & adsensum adhibemus præsentibus: & suprà dicta omnia & singula, & eorum quodlibet in omnibus suis tenoribus, sententiis, punctis, & clausulis, de verbo ad verbum, proùt suprà videntur expressa, ex officii nostri debito laudamus, approbamus, & de certa nostra scientia confirmamus, plenissimè perpetuis temporibus valitura, præsentium sub nostro sigillo & testimonio literarum. Datum in *Nürnberg*, anno Domini M. CCCLV. in die B. Luciæ Virginis.

EPISTOLA LII.

Gerlacus ArchiEpiscopus Moguntinensis, tanquam Princeps Elector, confirmat incorporationem & declarationem Domini Caroli Imperatoris factam super Ducatibus Poloniæ & Silesiæ, & Marchionatu utriusque Lusatiæ.

1355. Nos Gerlacus DEI gratiâ Sanctæ Moguntinensis sedis Archiepiscopus, & sacri Imperii per Germaniam ArchiCancellarius, ad perpetuam rei memoriam.

Gold.f.73. SEreniſſimus ac Invictiſſimus Princeps & Dominus, Dominus *Carolus* divinâ favente Clementiâ *Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Boëmiæ Rex*, Dominus noſter gratioſus, providâ ſuâ circumſpectione advertens, qualiter inſignes & laudabiles famæ titulos moderni temporis meretur glorioſa poſteritas, quòd prædeceſſorum Illuſtrium circumſpecta pridem

dem inſtauravit proviſio, vigilanti curâ proſequitur, ac gratæ ſolicitudinis munit officio, ut fructuoſi laboris ſolertia, perenni ſucceſſorum commendetur memoriæ, & ex conſequentia bonorum operum, quaſi ex relucenti ſpeculo vetuſtatis reſurgat de felicibus mortuis felix memoria redivіva.

De cenſu ex Sileſia.

Licèt pridem recolendæ memoriæ *Sereniſſimus Princeps*, *Dominus Fridericus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus*, *prædeceſſor* præfati Domini Noſtri *Imperatoris*, de ſingulari benignitate claræ recordationis, *Illuſtri Principi Domino Wenceslao* quondam *Boëmiæ Duci*, qui *Regnum Bohemiæ* ante coronationem ſuam regebat, & ſuis heredibus *Regibus Boëmiæ*, cenſum de *terra Poloniæ*, quem anteceſſores ejus *Duces Boëmiæ à Polonia* multis temporibus accipere conſueverunt, quémque *Poloniæ & Sileſiæ Duces Sacro Imperio* ſolvere tenebantur, proùt in literis Domini *Friderici Imperatoris* præfati evidenter exprimitur, liberaliter duxerit erogandum. Ipſi quoque *Duces Poloniæ & Sileſiæ* eundem cenſum *Illuſtribus Progenitoribus & prædeceſſoribus prædicti Domini noſtri Imperatoris in Regno Boëmiæ*, *ejusdem Regni Boëmiæ Regibus* in ſignum ſubjectionis & in recognitionem ſui ſuperioris dominii ritè perſolverint multis temporibus retroactis: tamen ad abundantius cautelæ præſidium, tractu temporis dicti *Duces*, ſuo hæredum ac ſucceſſorum ſuorum nomine ac vice, Principatus, Terras ac Dominia à claræ memoriæ illuſtri *Principe*, *Domino Joanne* quondam *Bohemiæ Rege*, *genitore dicti Domini Noſtri Imperatoris*, dum viveret, & demum ab eodem *Domino noſtro Imperatore Carolo tanquam Bohemiæ Rege*, præfato ipſius *Genitore defuncto*, & à *Corona Regni Boëmiæ*, in feudum cum ſolennitate debita ſuſceperunt, dictoque *Domino Imperatori*, ac ipſius genitori, dum viveret, *tanquam Boëmiæ Regibus*, *& Coronæ Regni Boëmiæ*, præſtiterunt ſolemniter obedientiæ, homagii, ſubjectionis & fidelitatis debitæ corporalia juramenta.

De Ducatu Vratislavienſi & G. Glacenſi.

Et licèt inſignis *Ducatus Vratislaviæ & Sileſiæ*, cum ſuis omnibus pertinentiis, ad utile & immediatum *Dominium Illuſtrium quondam Boëmiæ Regum*, *progenitorum*, *& prædeceſſorum antedicti Domini Noſtri Imperatoris & Coronam Regni Boëmiæ* ſpectaverit ab antiquo, ſicut hoc literæ recolendæ memoriæ *Sereniſſimi Principis Domini Rudolphi*, quondam *Romanorum Regis*, *prædeceſſoris dicti Domini Noſtri Imperatoris*, in quarum prima quandam ordinationem inter *Illuſtrem Principem Dominum Ottocarum* quondam *Bohemiæ Regem*, proavum ipſius Domini Noſtri *Imperatoris* ex una, & Dominum *Henricum Ducem Vratislavienſem* parte ex altera; videlicet quòd dictus Rex *Ottocarus* eidem Domino *Henrico Vratislavienſi & Sileſiæ Duci*, in caſu ſi *Ducem* præmori contingeret, in præmiſſo *Ducatu Vratislavienſi & Sileſiæ* terris, & omnibus Dominiis ſuis, ſuccedere, pro ſe factum adſerit. Et in ſecunda ipſarum dicto *Domino Henrico Duce* jam ſublato de medio, prædictum *Regem Ottocarum*, heredes & ſucceſſores ipſius, *Bohemiæ Reges*, *de Ducatu Vratislavienſi & Sileſiæ* terris & Dominiis præfatis, tanquam actu vacantibus, propter multa grata officia, quæ *Illuſtres Bohemiæ Reges Sacro Romano Imperio fecerant*, ſolemniter inveſtivit, lucidiùs atteſtantur. Cùm *Illuſtris quondam Joannes Boëmiæ Rex genitor* dicti *Domini noſtri Imperatoris* præfatus, cum *Illuſtri Domino Henrico Septimo & ultimo Vratislavienſi & Sileſiæ Duce*, ſororio ipſius *Domini noſtri Imperatoris*, dum uterque ipſorum vitam ageret in humanis, quandam ordinationem iniit & tractavit, videlicet quòd dictus *Dux Henricus* terram & diſtrictum *Glaczenſem*, cum Vaſallagiis, feudis, dominiis & omnibus pertinentiis ſuis, de conſenſu *genitoris dicti Domini noſtri Imperatoris*, ad vitæ ſuæ duntaxat tempora habere deberet, ut tamen eo moriente

riente Ducatûs ſui, *Vratislavienſis & Sileſiæ*, ac prædictum *Dominium Glacenſe* ad uſum & poſſeſſionem dicti *Genitoris Domini noſtri Imperatoris*, heredum & ſucceſſorum ipſius, *Regum Boëmiæ, & Coronæ Regni* ejuſdem ſine difficultate qualibet revenirent, ſicut hoc proceſſu dierum ad finem pervenit intentum: eò quòd prædictus *Rex Joannes*, præfati *Domini Noſtri Imperatoris Genitor*, dum viveret, moriente Duce præfato, & *Ducatum Vratislavienſem, & terram Glacenſem* præfatam tenuit & poſſedit, & ipſe *Dominus Imperator* de præſenti, velut *Bohemiæ Rex*, poſſeſſionem tenens utrobilibet dominatur.

De Marchionatu Budiſſinenſi & Görlicenſi.

Et quamvis *Marchia Budiſſinenſis & Görlicenſis*, quæ cum cæteris civitatibus, oppidis, & pertinentiis ſuis ad *Regnum & Coronam Bohemiæ* ab antiquo pertinuerunt, per *Illuſtrem Dominum Ottocarum quondam Boëmiæ Regem*, proavum dicti *Domini* noſtri, in perſonas *Illuſtrium Principum & Dominorum quondam Brandenburgenſium Marchionum*, ex certis & rationabilibus cauſis alienatæ fuerant; aliquando tamen *Dominis Marchionibus* prædictis, absque heredibus ſexûs Maſculini decedentibus ab hac vita, Nobiles, Milites, Clientes, Cives, & univerſi incolæ, *Marchiæ Budiſſinenſis & Görlicenſis* præfatæ, animadverſione debitâ cognoſcentes, qualiter ad *Regnum & Coronam Bohemiæ*, tanquam ad immediatum, & naturale Dominium dudum pertinuerant, ad ſubjectionem, & obedientiam dicti *Illuſtris Domini Joannis* quondam *Boëmiæ Regis*, *genitoris antedicti Domini Noſtri Imperatoris* tanquam ad ordinarium, legitimum & naturalem Dominum ſuum, & ad *Coronam Regni Boëmiæ*, de cujus gremio dudum conſtiterant, ùt præſcribitur deliberatione non improvidâ redierunt.

De cæteris Principatibus Sileſiæ.

Supradictus itaque *Dominus noſter Carolus Imperator* exquiſitam diligentiam & ſolicitudinem, quam ſæpe dicti proavus, pater & progenitores ſui quondam *Boëmiæ Reges*, ad obtinendum ſubjectionem, vaſallagium, & obedientiam *Illuſtrium Principum Dominorum Sileſiæ & Poloniæ Ducum*, videlicet *Lignicenſis*, *Brigenſis*, *Münſterbergenſis*, *Olſnenſis*, *Glogovienſis*, *Saganenſis*, *Oppolienſis*, *Falckenbergenſis*, *Strelicenſis*, *Teſſinenſis*, *Gozlenſis*, *Butinenſis*, *Stinavienſis & Oſvvicenſis: Principatus Maſoviæ & Ducatus in Plozk*, *Principum & fidelium ejusdem Domini Imperatoris*, tanquam *Regis Bohemiæ*: *Principatus ſeu Ducatus Vratislavienſem & Sileſiæ*: nec non *Civitates*, videlicet *Vratislaviam*, *Novum forum*, *Franckenſtein*, *Stinaviam*, *Sorovv*, *Glogovviam*, *Nambslavviam*, & pertinentiarum ipſarum, & etiam *Budiſſinenſem & Görlicenſem Marchiam*, ùt præfertur, non absque magnis impenſis, & infinitis laboribus habuerunt, in ſua mentis acie, intimâ meditatione revolventes, ut virtutis ipſorum frequentia, & ſicut dudum cum plenitudine *Romanæ Regiæ poteſtatis* ſtatuendum duxerat, ità & nunc ex certa ſcientia ſtatuit, & de ſuæ Imperialis plenitudine poteſtatis, quòd omnes ſupradictæ ſententiæ & clauſulæ imperialium & regalium literarum, quas ad probationem dictarum intentionum adduxit, ſemper & ubique, in judicio & extra, & in ſingulis actibus publicis, & privatis, quoties tenorem præſentium legi ſive publicari contigerit, ejuſdem efficaciæ, vigoris & auctoritatis exiſtant, ac ſi in figuris propriis originalia viderentur: eo præcipuè, cùm eadem originalia per eundem Dominum *Imperatorem*, *Nos* ac nonnullos *Sacri Romani Imperii Dominos; Principes*, *Barones*, *Proceréſque* auſcultata & examinata fuerint diligenter, ac demùm communicato per eundem dictum *Dominum noſtrum Imperatorem* ſuper omnibus præmiſſis, noſtro & nonnullorum *Sacri Imperii Principum*, *Baronum*, *& Nobilium* conſilio ſpeciali prædictis omnibus de Verbo ad Verbum, proùt ſuperiùs exprimuntur, & in examen deliberatæ & providæ

providæ diſcuſſionis adductis, nè ex interpretatione ſiniſtra quorumlibet prædicti *Domini noſtri Imperatoris*, tanquam *Regis Bohemiæ*, *heredum & ſucceſſorum ſuorum*, *Regum Boëmiæ & Coronæ Regni* ejuſdem juribus, honoribus & ſtatui valeat in poſterum derogari, ipſe *Dominus Imperator* auctoritate Imperiali dictos *Sileſiæ & Poloniæ* & cæteros prædictos *Duces*, ipſius tanquam *Regis Boëmiæ Principes & Vaſallos*, cum Principatibus, feudis & vaſallagiis ipſorum, præſertim cùm à *Corona Regni* immediatè dependeant: dictum quoque *Ducatum Vratislavienſem*, *Glogovienſem* & cetera oppida ibidem: nec non *Marchiam Budiſſinenſem & Görlicenſem*, cum Vaſallis, Vaſallagiis, feudis, feudatariis, utilitatibus, fructibus, obventionibus, jurisdictionibus, judiciis, honoribus, juribus, conſuetudinibus, & omnibus dictorum *Ducatuum & Marchiæ* pertinentiis, velut utile & immediatum Dominium ſuum *& Regni Boëmiæ* præfati, eidem *Regno & ejus felici Coronæ*, in perpetuum noſtro & aliorum Dominorum Principum Electorum accedente conſenſu, adjunxit, incorporavit, inviſceravit, adſcripſit, appropriavit, indiviſibiliter & inſeparabiliter counivit.

Feudum à Ducibus Sileſiæ, exigitúrque juramentum ab iis.

Specialiter etiam & ex nomine prædictus Dominus noſter *Imperator* interpretatus eſt, definivit, pronunciavit, proteſtatus eſt, & dixit, ac de certa ſcientia ſua declaravit, quòd *Præfati Duces Sileſiæ & Poloniæ*, *heredes & ſucceſſores* eorum in perpetuum quoties Ducatus eosdem, aut alterum ex eis vacare contigerit, ipſos vel ipſum à præfato *Domino noſtro Imperatore*, tanquàm *à Rege Bohemiæ*, *ac heredibus & ſucceſſoribus ſuis Boëmiæ duntaxat Regibus*, *& à Corona Regni Boëmiæ* præfati, absque renitentia ſeù difficultate in feudum teneantur ſuſcipere, dicto Domino Imperatori, tanquam *Regi Boëmiæ*, *heredibus & ſucceſſoribus ſuis Bohemiæ Regibus*, *& Coronæ Regni* ejuſdem homagii, obedientiæ, fidelitatis & ſubjectionis debitæ teneantur & debeant præſtare & facere corporalia juramenta. Supplevit etiam præfatus *Dominus noſter Imperator* omnem defectum, ſi quis in litteris & privilegiis, aut etiam ordinatione ſeu tractatu dicti Genitoris, quem cum præfato Domino *Henrico* VII. & ultimo *Vratislavienſi & Sileſiæ Duce* habuiſſe dignoſcitur: ſeu in reditu Nobilium, Militum, Clientum, Civium, incolarum *Budiſſinenſis & Görlicenſis Marchiæ*, qui ad coronam *Regni Boëmiæ*, ut præmittitur, ex cauſſis legitimis redierunt: vel in conſiliis, tenore, litteris ſuis, verborum defectu, interpretatione dubiâ, ſententiarum obſcuritate, vel alia quavis occaſione compertus fuerit, de certa ſua ſcientia, ac de prædictæ Imperialis plenitudine poteſtatis, non obſtantibus legibus, conſuetudinibus, uſibus, obſervantiis, juribus municipalibus vel communibus, ſtatutis ſeu edictis, publicis vel privatis, factis & editis in contrarium quibuſcunque, quas & quæ, quantùm ad hæc, ac ſi nominatim de verbo ad verbum ſuis literis ſcripta & inſerta conſisterent, etiamſi de his jure vel conſuetudine deberet fieri mentio ſpecialis, revocavit, caſſavit, irritavit, annihilavit, & de dictæ Imperatoriæ poteſtatis plenitudine decrevit firmiter, fore nullius penitùs momenti.

Inhibuit etiam præfatus *Dominus noſter Imperator Carolus*, quòd nulli hominum liceat ſui *Imperialis* indulti ſuper præmiſſa editi paginam infringere, ſeù ei quovis auſu temerario contraire. Et voluit auctoritate ſuâ contrafacientes quoslibet pœnam *mille marcarum puri auri* incurrere, & earum medietatem *fiſco Romani Imperii*, reſiduam verò *Regni Boëmiæ & ſucceſſorum ſuorum Cameris* irremiſſibiliter applicari, ſicut in originalibus literis dicti *Domini*

mini noſtri Imperatoris, quas *ſub Bulla aurea*, typario ſuæ Majeſt: deſuper erogâſſe dignoſcitur; pleniùs & diſtinctiùs eſt expreſſum.

Nos igitur, qui ſuprà, *Gerlacus ſedis Moguntinenſis Archiepiſcopus*, ex iisdem rationabilibus & evidentibus cauſſis, quibus antedictus *Sereniſſimus Princeps*, *Dominus noſter Imperator Carolus*, circumſpectâ ſuâ providentiâ motus dignoſcitur, & ex omnibus prædictis, tanquam ex motivis legitimis, *Sacri Romani Imperii* ſtatum & augmentum proſpicientibus, propenſiùs animati, ſupradictis adjunctioni, incorporationi, inviſcerationi, adſcriptioni, appropriationi, communioni, interpretationi, pronunciationi, definitioni, proteſtationi, declarationi, decreto, defectuum ſuppletioni, revocationi, caſſationi, irritationi, annihilationi, pœnarum adjectioni, & omnibus aliis, quæ expreſſantur, aut ſunt expreſſa ſuperiùs, velut *Archiepiſcopus Moguntinenſis*, *Sacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarius*, *& Princeps Elector*, animo deliberato, & ſano præcedente conſilio, noſtrum benevolum conſenſum & aſſenſum præſentibus adhibemus; ac ſupradicta omnia, & eorum quodlibet, ſingulaque in omnibus ſuis tenoribus, ſententiis, punctis, & clauſulis, de verbo ad verbum, proùt ſuprà, evidenter expreſſa, ex officii noſtri debito, laudamus, approbamus, & de certa noſtre ſcientia confirmamus pleniſſimè perpetuis temporibus valitura, præſentium ſub noſtro ſigillo teſtimonio literarum. Datum in *Nürnberg*, Anno Domini M. CCCLV. in die Beatæ Luciæ Virginis.

EPISTOLA LIII.

Confirmatio Statuti Caroli Imper: Quòd nullæ perſonæ extra Regnum Bohemiæ poſſint citari; & quòd Rex tenere debeat aurifodinas, & alterius monetæ: Anno 1356.

Gold.f.78 Nos Gerlacus DEI Gratiâ Sanctæ Moguntinenſis ſedis ArchiEpiſcopus S. R. Imp. ArchiCancellarius, omnibus in perpetuum.

Privilegia RegniBoh. fol.33.

CUm per recolendæ memoriæ *Divos Romanorum Imperatores & Reges*, *Illuſtribus quondam Regibus Boëmiæ* claræ memoriæ, ac claro *Regno Boëmiæ*, & ejusdem *Regni Coronæ* olim conceſſum fuerit & indultum ſit, quòd in eodem Regno à tempore, cujus contrarii hodiè non extat memoria, conſuetudine laudabili conſervatâ, diuturnitate temporum, & præſcriptâ moribus utentium, ſine contradictionis aut interpretationis obſtaculo introductum, quòd nullus *Princeps*, *Baro*, *Nobilis*, *Miles*, *Cliens*, *Burgenſis*, nulla denique perſona ejuſdem Regni, & pertinentiarum ejus ubicunque exiſtentium, cujuſcunque ſtatûs, dignitatis, præeminentiæ, vel conditionis exiſtat, ad cujuſcunque actoris inſtantiam extrà Regnum ipſum ad quodcunque Tribunal ſeu alterius jus, præterquam *Regis Boëmiæ Regalis Curiæ ſuæ judicium* citari potuerit, ſeu trahi, vel vocari debeat, perpetuis inantea temporibus, ſive poſſit. Cúmque *Sereniſſ: & Invictiſſ: Princeps & Imperator ſemper Auguſtus*, *& Bohemiæ Rex Illuſtris*, Dominus noſter gratioſus, privilegium, conſuetudinem & indultum hujus imperiali auctoritate, & de plenitudiue imperialis poteſtatis, innovans & confirmans, duxerit ſtatuendum,

Extra Bohemiam nemo poteſt ad judicium citari.

dum, ut ſi quiſpiam prædictorum, putà, *Princeps*, *Baro*, *Nobilis*, *Miles*, *Cliens*, *Civis*, *Burgenſis ſeu Ruſticus*, ac alia quæcunque perſona, ad cujuscunque Tribunal extra Regnum prædictum *Boëmiæ* in quacunque cauſa, criminali, civili, & mixta, ſeu ſuper quocunque negotio citatus fuerit, quoque tempore, vel citata comparere, vel in judicio reſpondere non tenetur: ſíque adversùs hujuſmodi non comparentes, vel non comparentem, à quocunque judice extraneo extra *Regnum Bohemiæ* conſtituto, judicialiter procedi, proceſſus fieri, ſeu ſententias interlocutorias, vel definitivam, unam vel plures, in quibuſcunque prænotatis cauſis, ſive negotiis quovis modo ferri vel promulgari contigerit, eâdem auctoritate & poteſtate citationes, præcepta, proceſſus & ſententias hujuſmodi, nec non executiones, & omnia ex eis, vel aliquo eorum quovis modo ſecuta irritaverit penitùs & caſſaverit: adjiciendo expreſsè, & auctoritate ſimili decernendo, ut quemadmodum in prædicto *Regno Boëmiæ*, à tempore cujus contrarii non habetur memoria, jugiter obſervatum exiſtit, ita nulli *Principi*, *Baroni*, *Nobili*, *Militi*, *Clienti*, *Civi*, *Burgenſi ſeu Ruſtico*, nulli denique perſonæ ſeu incolæ *Regni Bohemiæ* ſæpedicti, cujuſcunque ſtatûs, præeminentiæ, dignitatis, vel conditionis exiſtant vel exiſtat, à quibuſcunque proceſſibus, ſententiis interlocutoriis vel definitivis, ſive præceptis *Regis Boëmiæ* aut judicis *Curiæ* ſuæ, nec non executionibus eorundem, contra ſe in regali judicio, ſeu *Coram Regis*, *Regni*, *& Curiæ* prædictorum Judicibus, factis, latis ſeu habitis, vel ferendis inantea ſeu fiendis, ad quodcunque aliud judicium liceat appellare: provocationes quoque ſeu appellationes, ſi quas contra hoc interponi contigerit, eo ipſo juribus non obſiſtere, & appellantes ipſos pœnam perditionis cauſarum ipſo facto ſtatuens incurriſſe.

De fodinis Metallorum in Bohemia & Teloniis.

Nec non *auctoritate Imperiali*, & de certa ſua ſcientia declaravit, quòd ipſe & *omnes ſucceſſores ſui Bohemiæ Reges*, univerſas auri & argenti fodinas, atque mineras ſtanni, cupri, ferri, plumbi, & alteriuſcunque metalli gravis, ac etiam ſalis, tam inventas quàm inveniendas in poſterum quibuſcunque temporibus in *Regno ſuo Boëmiæ* prædicto, ac terris, dominiis, territoriis & diſtrictibus eidem *Regno* ſubjectis, & omnibus pertinentiis ſuis, tenere juſtè poſſint & in perpetuum potuerint & legitimè poſſidere: nec non *Judæos* juſto judicio habuiſſe & habere; & *telonia* à præterito inſtituta ſeu indicta percipere, & nova rationabiliter inſtituere poſſe & potuiſſe: nec non monetas auri & argenti in omni loco & parte *Regni ſui Bohemiæ* prædicti, & ſubditarum eidem terrarum & pertinentiis ubique, *ſi heredes aut ſucceſſores ſui Bohemiæ Reges* decreverint, ipſiſque placuerit indè facere & mandare ſub omnibus modis & forma in *prædicto Regno Boëmiæ* circa talia conſuetis, úsque ad hæc tempora laudabiliter obſervari &c.

De emtionibus Bonorum in Imperio conceſſis Regibus Bohemiæ.

Quod virtute imperialis edicti, & conſuetudine diutiùs introducta liceat *Bohemiæ Regibus* perpetuo tempore à quibuſcunque *Principibus*, *Magnatibus*, *Comitibus ac Perſonis* aliis quibuſcunque, terras, caſtra, poſſeſſiones, prædia, ſive bona, emere, comparare & in donum, vel donationem ex quacunque cauſa aut in obligationem recipere ſub talium caſtrorum, terrarum, poſſeſſionum, prædiorum, ſeu bonorum conditione conſuetâ ut videlicet propria recipiantur, & comparentur ut propria, libera ut libera, & ea, quæ dependent in feudum, ſimiliter emantur in feudum, ſeú donata, vel comparata taliter teneantur: ità tamen quòd ipſi *Reges Bohemiæ* de his, quæ hoc modo comparaverint vel receperint, & *Regno Bohemiæ* applicanda duxerint, ad conſueta & debita jura de talibus ſacro explenda & reddenda,

Imperio perpetuò ſint adſtricti, ſicut in forma prædicti *Domini noſtri Imperatoris*, quas deſuper noſtro & aliorum *Principum Electorum* conſilio edidiſſe dignoſcitur, pleniùs eſt expreſſum.

Nos igitur præmiſſa omnia, & eorum quodlibet, ſicut in ſolennibus *Curiis Nürnbergæ* celebratis in commune conſilium nobiſcum, & cum ceteris *Principibus Electoribus* noſtris habitum, per ipſum *Dominum noſtrum Imperatorem* deducta, multóque ſtudio ventilata, & rationabilia fuerint judicata, recognoſcimus de noſtro conſilio & pleno proceſſiſſe conſilio; ratificantes, ac ſingula & omnia rata habentes, & grata, benevolum noſtrum eis adhibemus conſenſum ex certa ſcientia pariter & aſſenſum. In cujus rei teſtimonium præſentes literas fieri, & noſtri ſigilli appenſione fecimus communiri. Datum in *Nürnberg*, Anno M. CCCLVI. in Craſtino Epiphaniæ ejuſdem.

In ſimili extant per omnia aliorum duorum Eccleſiaſticorum Electorum literæ: Guilhelmi *Archiepiſcopi Colonienſis*, & Boëmundi *Archiepiſcopi Trevirenſis. Item* Ruperti Senioris *Comitis Palatini Rheni S. R. I. Archidapiferi.*

In ſimili per omnia ſunt duorum aliorum Sæcularium Electorum Literæ: Rudolphi *Ducis Saxoniæ S. R. I. ArchiMarſchalci*, & Ludovici *dicti Romani Marchionis Brandeburgenſis S. Imperii ArchiCamerarii.*

EPISTOLA LIV.

Dominorum de Roſis Literæ, ſubjicientium ſeſe integraliter Carolo IV. tanquam Bohemiæ Regi.

Nos Petrus, Jodocus, Ulricus & Joannes Fratres de Roſemberg.

1356.

ExPrivilegiis Regni.

NOtum facimus tenore præſentium Univerſis. Quòd quia *Sereniſſimus ac Invictiſſimus Princeps & Dominus Dominus Carolus* IV. divinâ favente Clementia *Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Boëmiæ Rex Dominus noſter* gratioſus ſuper cauſis, ex quibus alias ſuæ Majeſtatis incurreramus offenſam, de ſolita ſuæ *Celſitudinis Clementia, Nos*, & noſtrûm quemlibet priſtinæ ſuæ gratiæ reformavit, & tanquam cæteros ſuos & *Regni ſui Boëmiæ Barones*, fideles & Nobiles ſolitis Clementiæ ſuæ favoribus vult proſequi gratioſè, & tàm nos, quàm omnes, ac ſingulos noſtros ſervitores, & homines juxta conſuetudinem *Regni Boëmiæ* prædicti in Juribus, nobis & noſtrûm, ac ſervitorum & hominum noſtrorum cuilibet rationabiliter competentibus ad inſtar aliorum *Nobilium dicti Regni Boëmiæ* & ſuorum hominum gratioſiùs conſervare, *nec non de ſpeciali* ſuæ Celſitudinis gratia ab injuriis & violentis invaſionibus, ſi quæ per quoſcunque nobis illatæ fuerint, & ſibi de hoc fuerit facta fides, nos in noſtra juſtitia protegere, & tueri. Ideóque nos *prædicti Fratres de Roſemberg* tantæ gratiæ non ingrati jam dicto *Sereniſſimo & gratioſo Domino Domino noſtro Carolo Romanorum Imperatori & Boëmiæ Regi, ùt Regi Boëmiæ & noſtro Domino naturali*, non per errorem, ſed de certa ſcientia & ſano conſilio, ſincerâque bona fide promittimus & promiſimus in his ſcriptis; Quòd ſibi more aliorum *Baronum Fidelium & Nobilium Regni*

Regni ſupradicti humiliter & promtè obediemus, & inſuper contra omnem hominem cujuſcunque ſtatûs aut conditionis exiſtat, nullo prorſus excepto, in quibuſcunque opportunitatibus ſuæ Celſitudini cum perſonis & rebus noſtris, ac tota potentia ex nunc inantea ſerviemus, parebimus, adhærebimus, & efficaciter ac fideliter aſſiſtemus; Et ſi in ſuis ſervitiis damna notabilia nos ſuſtinere contingeret, illa, juxta morem Regni prædicti, ſua Benignitas nobis refundere dignabitur gratioſè. Præſentium ſub noſtris ſigillis Teſtimonio Literarum. Datum *Pragæ* Anno M. CCCLVI.

EPISTOLA LV.

Renunciatio Jurium terræ Svvidnizenſis, Anno 1356.

Caſimirus DEI Gratiâ Rex Poloniæ &c. Gold.f.80.

NOtum facimus univerſis, quòd nos ob amoris ſinceri puritatem, *quo Sereniſſ: ac Invictiſſ: Principem, & Dominum, Dominum Carolum, Rom: Imper: Semper Auguſtum & Boëmiæ Regem, fratrem noſtrum cariſſimum*, ſpecialis dilectionis favore proſequimur, ipſi tanquam *Regi Bohemiæ, heredibus & ſucceſſoribus ſuis Regibus Bohemiæ*, & ejuſdem *Regni Coronæ*, in perpetuum *Ducatus Svvidnicenſem & Jaurenſem*, cum omnibus ipſorum appenditiis, *Dominiis & pertinentiis*, nec non omnia jura, quæ nobis *Regno & Coronæ Poloniæ* in dictis *Ducatibus* quavis ratione competunt, ſeu valebunt competere, ritè dedimus, ac præſentibus ſpontè & liberaliter erogamus, renunciantes expreſsè pro nobis, *heredibus & ſucceſſoribus noſtris, Regibus Poloniæ*, omni juri, impetitioni, jurisdictioni, & omnibus ſimpliciter reſpectibus, nobis, *Regno & Coronæ Boëmiæ* competituris & competentibus in eisdem. *Promittimus etiam bona & ſincera fide ſupradicto Rom: Imperat: & Boëmiæ Regi*, tanquam *Regi Boëmiæ fratri noſtro cariſſimo, heredibus & ſucceſſoribus ſuis Boëmiæ Regibus*, dum & quoties requiſiti ſeu moniti fuerimus, adversùs quoslibet invaſores, ſeu æmulos eorundem, qui eas in prædictorum *Ducatuum, appenditiorum, Dominiorum, Jurium, pertinentiarum, poſſeſſionum* impedire ſeu moleſtare contenderent, opportunum impendere auxilium & juvamen, præſentium ſub *noſtræ Majeſtatis ſigilli teſtimonio* literarum, &c. Actum & Datum *Pragæ*, anno Domini M. CCCLVI. in die Beatorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum.

Renunciat Rex Poloniæ Svvidnicenſi & Jaurenſi Ducatui.

EPISTOLA LVI.

Casimirus Rex Poloniæ Donat Oppida Bythen & Creucenburg pro Ducatu Plocensi: & quitat omnia debita Ducis Svvidnicensis, Anno 1356.

Gold.f.81. Casimirus DEI Gratiâ Rex Poloniæ, &c. Russiæ, nec non Cracoviæ, Sandomiriæ, Syradiæ, Lancitiæ, Cujaviæ & Pomeraniæ, terrarum & Ducatuum Dominus, & Heres.

NOtum facimus universis, quia *Serenss: ac Invictiss: Princeps & Dominus Carolus Rom: Imper: Semper Augustus & Boëmiæ Rex*, occasione sinceræ dilectionis, & favorosi affectûs, *quo personam nostram*, nec non *Magnifici Principis Domini Ludovici Regis Hungariæ Illustris, fratris nostri dilecti* piâ benignitate prosequitur, nobis ambobus, *heredibus & successoribus nostris Poloniæ & Hungariæ Regibus, Ducatum Plocensem cum appenditiis, Dominiis & pertinentiis suis*, nec non omnia jura, quæ sibi in prædicto *Ducatu Ploczensi, & aliis Principatibus Masoviæ* competunt, ritè donavit, sicut in literis factis desuper lucidiùs continetur. *Nos* tanto favori volentes vicem rependere, & benignis & fraternis exhibitionibus ipsius relativæ dilectionis studio respondere, *sibi, heredibus & successoribus suis Regibus Bohemiæ*, & eorundem *Regni Coronæ, oppida Bythen & Crucenburg, cum Vasallis & districtibus, metis, Dominiis & circumferentiis suis*, deliberatione prævîâ, & sano fidelium nostrorum consilio accedente, reddimus & restituimus universos, & singulos Vasallos, cives, homines & inhabitatores oppidorum, & pertinentiarum hujusmodi, ab omni fidelitatis & subjectionis homagio, juramentis & promissionibus nobis præstitis, virtute præsentium absolventes, ipsumque *Imper. Roman. & Regem Boëmiæ, nec non Illustrem Principem Dominum Bolkonem Ducem Svvidnicensem, consanguineum nostrum*, fide jussores & compromissores ipsorum, ab omnibus debitis, in quibus nobis per literas seu alio quovis modo obligati noscuntur, liberos & quitos dimittimus, ac penitùs absolutos, nominatim & expressè *cives Svvidnicenses seu alios quoscunque homines Ducatûs ejusdem, ab omnibus promissis, quæ occasione talium debitorum pro parte Ducis præfati nobis fecerunt, voce vel scripto, præsentibus absolventes.* Promittimus etiam prædicta omnia rata & accepta tenere, & in nullo penitùs contradicere, vel facere, seu etiàm quomodolibet deviare, præsentium sub *nostræ Majestatis sigilli testimonio* literarum. Actum & Datum *Pragæ*, Anno Domini M. CCCLVI. in die Beatorum Philippi & Jacobi Apostolorum.

Plocensem Ducatum &c. commutat Carolus IV.

Pro eo Carolo IV. donantur quædam Oppida.

EPISTOLA LVII.

Gerlaci ArchiEpiscopi Moguntinensis Electoris Imperii, Literæ de Jure & Voce Bohemiæ Regum; Et quòd Bohemiæ Reges ad Electionem Imperatoris debent solenniter vocari, & quòd possunt vel personaliter, vel per Oratores suos interesse Electioni. 1356.

Nos Gerlacus DEI gratiâ Sanctæ Moguntinensis sedis Archiepiscopus. Sacri Romani Imperii per Germaniam ArchiCancellarius, ad perpetuam rei memoriam.

DEsideratæ pacis laudanda præsidia, absque Principum gubernatione felici, persæpe tanquam navem remige destitutam dubiorum anfractibus fluctuare contingit, & tantò periculosiùs, & utique majore dispendio, quantò *Rectores publicos, Illustres*, videlicet *Principes*, quos *Divina Providentia* in consolationem sui fidelis populi clementer instituit, Juribus & potentiâ fuerint negligentiùs destituti. Quò fit, ut Principum quorumlibet Immunitates, Nobilitates, & Jura diligenter custodiri debeant, & in sua integritate servari, ac illorum maximè, qui tanquam fundamenta, & columnæ fortissimæ *Sacri Imperialis Ædificii Thronum Cæsareum* gratis attollunt decoribus, quibúsque *DEI Gratia* piâ dignatione tradidit eum eligere, cujus potentiâ totius mundialis machinæ regitur *Monarchia*. Sanè licèt de Juribus *Serenissimi Principis Domini Regis Bohemiæ Electoris, Illustrissimi Comprincipis & Collegæ nostri* nulla sit, aut fuerit Juris, seu facti dubietas, quin ipse ab *Atavis, Proavis, Avis, & Progenitoribus suis*, ad instar nostri, & quorumlibet aliorum *Coëlectorum Principum in electione Romani Regis ad Imperium* promovendi pleno Jure sit fruitus hactenus, & fruatur, sicut hoc luce clarius semper apparuit, ab eo tempore, cujus apud homines memoria non existit;

Ex Privilegiis Regni Boh.

Tamen quia nonnulli Filii tenebrarum oculis cœcutientibus â divina luce remoti, in meridianâ claritate palpitant sicut in noctibus & offendicula, & laqueos præparant iniquitatis & sceleris diabolicâ invidiâ suggerente, jugum veritatis deferre præ mole gravissimi ponderis coagulati mendacii nequeuntes, super ipsis offendiculis corruunt, & suorum laqueis iniquorum conceptuum se involvunt, ut lucem tenebras judicent, & tenebras ipsam lucem; Igitur ad abundantioris cautelæ præsidium, ut præfato *Serenissimo Principi Domino Regi Bohemiæ, Heredibus & Successoribus suis Regibus Bohemiæ* in perpetuum securiùs caveatur, & omnium dubietatum amputentur calumniæ; Et nè quibuslibet otiosè loquentibus malignandi materia relinquatur, Animo deliberato, non per errorem, aut improvidè, sed multâ investigatione prævîâ, & à multis veridicâ informatione receptâ, maturo consilio, unâ cum *universis aliis Coëlectoribus, Comprincipibus & Collegis Nostris, tàm Spiritualibus, quàm secularibus* de certa nostra scientia recognoscimus, dicimus, & dictante Conscientiâ publicè profitemur; Quòd *Serenissimi Principes, & Illu-*

Reges Bohemiæ ab immemorabili tempore habent vocem & jus in Electione Regis Romanorum.

& Illustres Bohemiæ Reges ab Atavis, Proavis, Avis & Progenitoribus suis ab eo tempore, cujus apud homines, sicut præmittitur memoria non existit, habuerunt, continuò habent, & habere debent *Jus & vocem plenè & commodè adinstar Nostri & aliorum Comprincipum, Coëlectorum, & Collegarum nostrorum tam spiritualium, quàm secularium in Electione Romani Regis ad Imperium promovendi*, ità videlicet: ut quotiescunque casus talis Electionis emerserit, *Serenissimus Dominus Princeps Rex Bohemiæ*, qui pro tempore fuerit, ad celebrationem Electionis illius solenniter vocari debeat, & in ipsa *Electione* omnibus viribus suis, voce videlicet & loco, & aliis quibuslibet ad hoc spectantibus per se, vel nuncios legitimos, & Ambassatores suos, adinstar Nostri & omnium aliorum *Comprincipum, Coëlectorum & Collegarum Nostrorum tàm spiritualium, quàm secularium*, qui sunt, & fuerint pro tempore, sicut præmittitur, in omni reverentia, & honore gaudere, sicut de Jure & more *Sacri Imperii Principes, Electores* talibus freti sunt temporibus retroactis; Quo æquè præfatus *Serenissimus Princeps Dominus Rex Bohemiæ Sacri Romani Imperii Archipincerna* constitit, ac *Archipincernatûs Officium*, coram *Imperatore* vel *Rege Romanorum in solemnibus Curiis* sub *Corona Regali* exercere non debet, neque tenetur ad hoc, nisi illud velit facere spontaneâ voluntate; Poterit tamen juxta beneplacitum in præsentia *Imperatoris* vel *Regum Romanorum* dum solennes Curias hujusmodi celebrari contigerit, procedendo, vel sedendo, vel stando *Regalem gestare Coronam*, sicut hoc *Serenissimorum Principum, Dominorum Regni Bohemiæ progenitorum, & Prædecessorum* ipsius consuetudo laudabilis ab olim noscitur observâsse. In cujus rei Testimonium præsentes fieri, & Sigilli Nostri volumus robore communiri. Datum *Metis* Anno Domini Millesimo Trecentesimo Quinquagesimo sexto, Dominico Die, proximo ante Festum Beatæ *Luciæ* Virginis.

Quòd non teneatur Coronatus Rex Bohemiæ in solenni Curia Imperiali Officium exercere.

In simili exstant aliorum duorum Ecclesiasticorum Electorum literæ, Wilhelmi ArchiEpiscopi Colonienſis & Boëmund: &c. ArchiEpiscopi Treverensis.

Rudolphi Ducis Saxoniæ Sacri Imperii ArchiMarschalci de eadem re literæ.

RUDOLPHUS DEI Gratiâ Dux Saxoniæ Sacri Imperii ArchiMarischalcus. Ad perpetuam rei memoriam. Desideratæ pacis laudanda &c. *ùt in sequentibus.*

In simili extant aliorum duorum secularium Electorum Literæ Ruperti Palatini Rheni, & Ludovici dicti Romani Marchionis Brandeburgensis.

EPISTOLA LVIII.

Ruperti I. Comitis Palatini Rheni & Ducis Bavariæ S: Rom: Imperii Electoris, Diploma de Jure Electoratûs in Romano Imperio, Regibus Bohemiæ competente: Anno 1356.

Gold.f.82. Rupertus DEI Gratiâ Comes Palatinensis Rheni, S: Rom: Imper. Archidapifer & Dux Bavariæ ad perpetuam rei memoriam.

DEsideratæ pacis laudanda præsidia, absque Principum gubernatione felici, persæpe tanquam navem remige destitutam dubiorum anfractibus fluctuare contigit: & tantò periculosius, & utique majore dispendio,

dispendio, quanto *Rectores publicos, Illustres* videlicet *Principes*, quos divina providentia in consolationem sui fidelis populi clementer instituit juribùs & potentiâ fuerint negligentiùs destituti. Quò fit ut Principum quorumlibet immunitates, nobilitates, & jura diligenter custodiri debeant, & in sua integritate servari: ac illorum maximè qui tanquam fundamenta, & columnæ fortissimæ, *sacri Imperialis ædificii*, *thronum Cæsareum* gratis attollunt decoribus, quibúsque DEI gratia piâ dignatione credidit eum erigere, cujus potentiâ totius mundialis machinæ regitur Monarchia.

Jus Regum Bohemiæ in Electionibus Regum Romanorum.

Sanè licet de Juribus *Serenissimi Principis, Domini Regis Bohemiæ Illustris Coëlectoris, Comprincipis & Collegæ nostri*, nulla sit juris seu facti Dubietas, quin ipse ab atavis, proavis, avis, & progenitoribus suis ad instar nostri & quorumlibet aliorum *Coëlectorum Principum, in Electione Romani Regis* ad imperium promovendi pleno jure fretus sit hactenus & fruatur, sicut hoc luce clariùs semper apparuit ab eo tempore, cujus apud homines memoria non existit: tamen nonnulli filii tenebrarum oculis cœcutientibus à Divina luce remoti, in meridiana claritate palpitant sicut in noctibus, & offendicula laqueósque præparant iniquitatis & sceleris, Diabolicâ invidiâ suggerente, jugum veritatis deferre præ mole gravissimi ponderis coagulati mendacii nequeuntes, super ipsis offendiculis corruunt, & suorum laqueis iniquorum conceptuum se involvunt, ut lucem tenebras judicent, & tenebras ipsam lucem.

Igitur ad abundantioris cautelæ præsidium, ut præfato *Sereniss: Principi Domino Regi Bohemiæ, heredibus & successoribus suis Regibus Bohemiæ*, in perpetuum securiùs caveatur, & omnes dubietatum amputentur calumniæ, & nè quibuslibet otiosè loquentibus malignandi materia relinquatur, animo deliberato non per errorem aut improvidè, sed multâ investigatione præviâ, & à multis veridicâ informatione receptâ, maturo consilio, unà cum universis aliis *Coëlectoribus, Comprincipibus, & Collegis nostris, tam Spiritualibus quàm secularibus*, de certa nostra scientia recognoscimus, dicimus, & dictante conscientiâ publicè profitemur: quòd *Serenissimi Principes & Illustres Domini, Boëmiæ Reges ab atavis, proavis & progenitoribus suis*, ab eo tempore cujus apud homines (sicut præmittitur) memoria non existit, habuerunt continuò, habent & habere debent jus, & vocem plenè & omnimodè ad instar nostri, *& aliorum Comprincipum, Coëlectorum nostrorum, tam Spiritualium quàm secularium, in electione Romanorum Regis ad Imperium* promovendi: ità videlicet, ut quotiescunque talis casus electionis emerserit, *Serenissimus Princeps Dominus Rex Bohemiæ*, qui pro tempore fuerit, ad celebrandam electionem ipsius solenniter vocari debeat, & in ipsa electione omnibus juribus suis, voce videlicet & loco, & aliis quibuslibet ad hæc spectantibus, per se, vel Nuncios legitimos, & Ambassiatores suos, & ad instar nostri & omnium aliorum *Comprincipum, Coëlectorum, & Collegarum nostrorum, tam Spiritualium quàm secularium*, qui sunt & qui fuerint pro tempore (sicut præmittitur.) sic cum omni reverentia & honore gaudere, sicut de jure & more *Sacri Imperii Principes Electores* temporibus freti sunt retroactis;

Quódque præfatus *Serenissimus Princeps Dominus Rex Boëmiæ, S. Romani Imperii Archipincerna* constitit, & *Archipincernatûs* officium coram *Imperatore vel Rege Romanorum* in solennibus Curiis *sub Corona* regali exercere non debet, neque teneri ad hoc, nisi velit facere spontaneâ voluntate. Poterit tamen juxtà beneplacitum, in præsentia *Imperatoris* vel *Regum Romanorum*, dum solennes curias hujusmodi celebrari contigerit, procedendo, sedendo vel stando,

ſtando, *Regalem* geſtare *coronam*: Sicut hoc *Sereniſſ: Principum Dominorum Regum Bohemiæ, progenitorum & prædeceſſorum ipſius*, conſuetudo laudabilis abolim noſcitur obſervaſſe.

In cujus rei teſtimonium præſentes fieri, & ſigilli noſtri volumus robore communiri. Datum *Metis* Anno Domini M. CCCLVI. proximâ Dominicâ, ante feſtum Beatæ Luciæ Virginis.

EPISTOLA LIX.

Fœdus perpetuum inter Reges Franciæ, & Reges Bohemiæ.

Carolus Primogenitus Regis Francorum Dux Normandiæ, & Delphinus Viennenſis.

1356.

Ex M. S. vetuſtiſſ. Privilegior.

NOtum facimus tenore præſentium univerſis. Quòd ſicut pridem *Sereniſſimus Princeps Dominus, & Genitor noſter Joannes Rex Franciæ*, dum eſſet in minoribus conſtitutus, animo deliberato cum *Sereniſſimo Principe Domino Carolo IV. Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, & Bohemiæ Rege Illuſtri Domino, & avunculo noſtro cariſſimo* ſub Anno Domini 1357. dum ipſe adhuc in minoribus conſtitutus foret, *pro ſe heredibus & cæteris fratribus noſtris*, videlicet *Ludovico Andegavenſi, Joanne Putamenſi Comitibus, & Philippo* Juniore fratre noſtro, tum ratione Genealogiæ, tum ratione ſinceriſſimæ dilectionis, quâ perſonam ipſius proſequebatur, & affectu ſincero proſequitur, fœdera circa colligationes, promiſſiones, & uniones inivit, prout literæ utrinque datæ deſuper clariùs atteſtantur; ſic & nunc Nos, qui ſuprà *Normandiæ Dux in Perſona noſtra* eadem promiſſa, & colligantias ad inſtar promiſſorum veterum dicti *Genitoris noſtri, in DEI Salvatoris noſtri nomine, pro conſolatione* Regnorum, & gratâ ſalute ſubjectorum nobis ex utraque parte fidelium, ſicut ex præcedentibus pactis ritè quidem teneri dignoſcuntur, innovamus, firmamus, & corroboramus ſub tenoribus infrà ſcriptis. In primis ſiquidem promittentes bonâ fide, ſinè omni dolo, & in *virtute juramenti*, quod deſuper ad Evangelia ſancta juramus, *pro nobis, heredibus & ſucceſſoribus noſtris*, in quocunque ſtatu fuerimus, ſeu fuerint conſtituti, præfato *Domino Imperatori, & Regi Bohemiæ, heredibus & ſucceſſoribus ſuis Bohemiæ Regibus*, quòd amodo inantea, ac etiam in perpetuum ipſorum, & cujuslibet ex eis Regales, boni, atque perfecti amici erimus, & honorem uberem, ſtatum commodum, & profectum eorum ſemper procurabimus, omnibus modis, & adjutoriis, & ingeniis, ſicut unquam melius poterimus, ac univerſum damnum ipſorum, quod eis in perſonis, honore, vel rebus irrogari poſſet, dum ad noſtri notitiam pervenerit, fideliter avertemus, ipſóſque, & eorum quemlibet ad reſiſtendum omnibus eorum adverſariis, & hoſtibus, qui talia damna contra eos, ſeu eorum alterum in præjudicium honoris, ſtatûs, & conditionis eorum quomodolibet molirentur, & ipſos prædictos *Imperatorem, & Regem Bohemiæ adjuvabimus, & fortificabimus totâ noſtrâ potentiâ, conſilio, & auxilio, & alio modo, quo poterimus meliori, & realiter, & effectivè adverſabimur, & opponemus, & omnibus Regibus, Principibus*, & aliis cujuſcunque ſtatûs, eminentiæ, aut dignitatis exiſtant, qui ipſorum diſpendium, ſeu verecundiam procurarent, & honorem,

rem, profectum, & ſtatum eorum *cuſtodiemus Regaliter juxta poſſe*. Et nè poſt amicabilis hujuſmodi unionis, & amicitiæ gratam concordiam aliquæ dubietates inter nos utrobique quacunque ratione conſurgant, & ut futuris ſcandalis via, ſeu materia præcludatur; promittimus, & ſpondemus fidè, & juramento, quibus ſuprà, pro nobis, hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris, in quocunque ſtatu fuerimus, ſeu fuerint conſtituti, quòd ſuprà dictum *Dominum Imperatorem cariſſimum avunculum noſtrum* in poſſeſſione omnium, & ſingularum Civitatum, terrarum, caſtrorum, Jurisdictionum, Dominiorum pertinentium, *& Jurium ad Imperium Romanum* quomodolibet ſpectantium, ubicunque talia fuerint conſtituta, non impediemus, aut invademus, ſeu de talibus prædictis Juribus, & poſſeſſionibus, ſicut exprimuntur ſuperiùs, nos intromittemus, vel invadi, moleſtari, aut ſe de his intromitti conſtituemus, patiemur, aut ſuſtinebimus verbo, facto, vel ſuggeſtu, imò veriùs eum ad manutenendum prædicta, & eorum quodlibet totâ noſtrâ potentiâ tenebimur fideliter promovere; ſicut idem *Dominus Imperator Romanorum, & Bohemiæ Rex*, nobis vice versâ promiſit fide, & juramento, quibus ſuprà, *Nos, heredes & ſucceſſores noſtros*, in quocunque ſtatu fuerimus, ſeu fuerint, in omnibus *Civitatibus, Caſtris, terris, Jurisdictionibus, Dominiis, pertinentiis*, & quibuslibet Iuribus ad nos, ſeu noſtra Dominia ſpectantibus, promovere fideliter, & in eorum, ſeu earum poſſeſſione non impedire, aut moleſtare, ſeu invadere, vel nos moleſtari, aut invadi conſtituere; imò veriùs promiſit fide, & juramento, quibus ſuprà, nobis ad manutenendum, & conſervandum prædicta, auxilio, favore, & conſilio modis expreſſatis ſuperiùs fideliter ſubvenire, ac ſupradictas uniones, confœderationes, & colligantias ſub omnibus conditionibus expreſſatis ſuperiùs, inviolabiliter obſervare. Quod, ut firmum, & ſtabile permaneat in futurum, præſentibus literis nos fecimus apponi ſigillum. Datum *Metis* Anno Domini M. CCCLVI. Menſe Decembri, per Dominum Ducem, præſente Domino Cancellario Franciæ.

EPISTOLA LX.

Privilegium Dominorum de Stadicz in Bohemia, Anno 1359.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS FELICITER AMEN.

Carolus Quartus Divinâ favente Clementiâ, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex. Ad perpetuam rei memoriam. Gold.f.84.

CUm inter cætera humanæ Conditionis, fragilitatis ſuffragia, quibus genus mortalium in ſuis pœnalitatibus potiſſimè releuatur, primævæ libertati favor multus debeatur, quæ ſi nonnunquam ſublata ex cauſſis ei novercantibus, ſeu quomodolibet impedita pro tempore fuerit; iis tamen ceſſantibus, ipſa, ùt quævis res alia, ad ſuam priſtinam de facili revertitur naturam. Hinc eſt quòd venientes *ad præſentiam noſtram dilecti fideles noſtri & Coharedes, Ludolphus Eyrota & Cunzie Rodoſte fratres Germani de*

Przemislai I. Villa Stadicz ubi sita sit.

villa Stadicz, in Districtu Bielinensi propè Vsk, super flumine *Bielina sita*, *Majestati Imperiali* pariter *& Regiæ nostræ* dignitati cum debita humilitate insinuare & supplicare curârunt, quatenùs, cùm ipsi & progenitores ipsorum sint & fuerint â primordiis incolatûs terræ & *Regni nostri Boëmiæ heredes*, *liberi*, *Diedicz*, & incolæ primi & novissimi dictæ villæ *Stadicz*, terræ & prædiorum suorum, quibus usi sunt, hereditario jure inconcussè, in nullis prorsus factionibus, censibus, seu aliis exactionibus, vel angariis quibuscunque realibus, personalibus, atque mixtis, cuipiam obnoxii: proùt hæc *in gestis & libris Chronicis terræ & Regni Bohemiæ* à temporibus *Przemislai*, *primi Ducis Boëmorum*, indè de postaratro assumpti, & in *Ducem Boëmiæ* magnificè sublimati, latiùs & plenius continentur.

Contra invasorem illius Villæ.

Tandem nuper non multis retroactis temporibus, præfati heredes, & dicta villa cum suis pertinentiis, per injuriam & fortè ignorantiam, forsitan crassam & supinam, ab inclyto Principe divæ memoriæ, *Joanne Boëmiæ Rege*, *illustri genitore nostro*, olim *Henrico de Lippa* contra prædictas libertates minùs providè fuerint concessi, qui & alii dictam villam sic úsque modò occupantes, prædictis heredibus contra libertates ipsorum, quàm plurimas interim oppressiones fecerunt, dignaremur cum eis de solita pietatis Regiæ benignitate gratiam specialem facere, eos & heredes ipsorum restituere libertati pristinæ, ipsósque in suis juribus primævis gratiosiùs confovere. *Nos* itaque attendentes illorum rationabiles postulationes, præfatas libertates, jura & commoda omnia & singula eorum, quæ & quas ipsorum progenitores, & ipsi cum quatuor laneis terræ agrisque suis & pertinentiis omnibus pristinis & primævis in sæpè dicta *villa Stadicz* plenè & plenissimè restituimus, conferimus & donamus sæpè dictis heredibus, liberis & heredibus eorum utriusque sexûs ex eis legitimè procreatis. Reliquos verò tres terræ laneos ibidem *in Stadicz*, qui fuerunt dicti *Przemisle*, quosque propriis excoluit manibus, pro nobis *& successoribus nostris Boëmiæ Regibus* duximus reservandos. Eximentes eos & ipsorum liberos & heredes ab omnibus tributis, censibus annuis, & solutionibus pecuniarum, grani, frumenti, seu cujuslibet annonæ, nec non ab omnibus & singulis angariis, & perangariis personalibus, realibus & mixtis, & *præsertim à Berna Regia* & aliis quibusdam factionibus & vexationibus eos & liberos ac eorum heredes perpetuò libertamus. Decernimus tamen & *decreto Regio Sancimus*, ut præfati heredes, ac eorum *liberi & heredes virgam illam floridam Coryli* per ipsum *Przemisle*, de stimulo suo in agro *Stadicz* propagato, continuò foveant, custodiant, atque nutriant in memoriam tantæ & talis rei, quæ inibi dignoscitur taliter evenisse. Volumus postremò, & statuimus perpetuò, ut præfati heredes ipsorúmque liberi, & heredes, omnes & singulas *nuces*, quas dictæ *Virgæ Coryli* produxerint, nobis & *successoribus nostris Boëmiæ Regibus* teneantur annis singulis fideliter præsentare. Nulli igitur fidelium nostrorum liceat hanc libertatis nostræ gratiam infringere, aut ei ausu temerario quomodolibet contrariare, indignationem Regiam, & pœnas gravissimas pro motu regio infligendas, si secùs quispiam attentare præsumpserit se noverit incursurum.

Cura Caroli IV. de conservando Przemyslai nuceto.

Olim hæ nuces præsentabantur in Coronatione Regum nostrorum.

Signum

Signum Serenissimi Principis & Domini, Domini Caroli IV. Romanorum Imperatoris Invictissimi & Gloriosissimi Bohemiæ Regis.

TEstes hujus rei sunt *Venerabiles Arnestus Pragensis Ecclesiæ Archiepiscopus: Joannes Luthomyslens. Sacræ Imperialis Aulæ Cancellarius*; *Joannes Olomucensis*, *& Maurus Corobaviensis Ecclesiarum Episcopi*; *Illustres Rudolphus Saxoniæ Sacri Imperii ArchiMarschallus*; *Joannes Marchio Moraviæ*, *Bolcko Falckenbergens. & Przemisle Tyessinensis Duces*, *Spectabiles*, *Burckhardus Burggravius Magdeburgensis*, *Imperialis curiæ nostræ Magister*: *Joannes & Burckhardus fratres de Recz*, *Comites*; *ac Nobiles Sdenco de Steremberg*, *Judex Regalis Curiæ nostræ per Boëmiam*, *& Ulricus de Nova domo*, & alii quàm *plures nostri Principes*, *Nobiles & fideles*, præsentium sub *Imperialis nostræ Majestatis sigillo*, testimonio literarum. Datum *Pragæ*, Anno M. CCCLIX. Indictione 12. quarto Idus Maji, Regnorum nostrorum anno tertio decimo, Imperii verò quinto.

PER DOMINUM IMPERATOREM

Welyslaus.
R. Sedvviger.

Confirmatum est hoc Privilegium per Sigismundum Imperatorem. Anno Domini 1436. *die vigesima quintâ Octobr. Pragæ.*

Eodem modo per Georgium Bohemiæ Regem, &c. Anno Domini 1460. *die* 21. *Aprilis*, *Pragæ.*

Similiter per Vladislaum Bohemiæ Regem &c. Die 21. *Mensis Junii. Anno Domini* 1478. *Pragæ.*

EPISTOLA LXI.

Quibus Conditionibus Civitates Dotalitiæ Reginis Boëmiæ concedantur.

CIVITAS GRECENSIS.

Reginohradecensis. 1363. Ex Tabulis Regni.

Nos Judex, Jurati & Universitas Civitatis Grecensis.

NOtum facimus tenore præsentium Universis. Quia Serenissimus, ac Invictissimus Princeps, & Dominus *Carolus Quartus* Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus *& Boëmiæ Rex Illustris*, animo deliberato, sano Principum, Baronum & Procerum, ejus accedente Consilio de certa sua scientia Serenissimæ Principi & Dominæ Dominæ *Elisabeth Romanorum Imperatrici* semper Augustæ *& Bohemiæ Reginæ* Illustri legitimæ suæ consorti Dominæ nostræ gratiosæ, *Civitatem nostram* prædictam cum certis aliis Civitatibus, quæ in literis ejusdem Domini nostri expressantur distinctiùs, cum omnibus censibus, redditibus, fructibus, utilitatibus, Judiciis, Dominiis & Universis pertinentiis suis in quibuscunque rebus consistant, quibus etiam nominibus valeant appellari, nullo pœnitùs excepto, *in verum*, *justum & ordinatum dotalitium*, sicut dotalitiorum Reginalium jura deposcunt, ad tempora vitæ ipsius Dominæ nostræ prædictæ dedit, contulit, & donavit, modis & conditionibus infrà scriptis, videlicet;

delicet: Quòd eadem *Sereniſſima Princeps & Domina noſtra*, & nos cum eâ ſimiliter Domino noſtro Regi Boëmiæ, qui pro tempore fuerit, totâ potentia, omni fide, & diligentiâ adversùs quoslibet invaſores *Regni & Coronæ Boëmiæ* & in procurandis, manutenendis ac defenſandis juribus, commodis, profectibus & honoribus ejusdem *Regni & Coronæ* pariter debeamus aſſiſtere, ac ipſi *Boëmiæ Regi* Domino noſtro nullis unquam temporibus adverſari, quódque *Dominus noſter Rex Bohemiæ*, qui pro tempore fuerit, præfatam Sereniſſimam Principem Dominam noſtram teneatur & debeat in hujuſmodi ſuo dotalitio tàm in Civitate noſtra, quàm in locis aliis, ubi hoc juxta formam literarum Domini noſtri prædicti ſibi datum collatum & aſſignatum fore dignoſcitur, toto tempore vitæ ejus Dominæ noſtræ benignè magnifico & favorabili patrocinio defenſare, neque eidem Dominæ noſtræ injuriam, ac violentiam in eo facere, ſeu facienti conſentire, dare vel concedere operam vel favorem, ſic tamen quòd mox defunctâ ſuprà dictâ Sereniſſimâ Dominâ noſtrâ omnes Civitates, caſtra, redditus, proventus, & pertinentiæ talis dotalitii, ùt præmittitur, ad Dominum noſtrum Regem Boëmiæ, qui pro tempore fuerit abſque impedimento ſeu difficultate qualibet liberè revertantur. Síque poſt obitum præfati *Sereniſſimi Principis Domini noſtri Imperatoris & Boëmiæ Regis* (quem Deus omnipotens benignâ ſuâ miſericordiâ in longæva ſanitate cuſtodire dignetur) præfata Domina noſtra *Imperatrix & Boëmiæ Regina* ad ſecundas Nuptias convolaret, ex tunc, dum *Rex Bohemiæ* qui pro tempore fuerit eidem Dominæ noſtræ *ſex millia Sexagenarum groſſorum Pragenſia & currentis monetæ* perſolverit in parata pecunia integraliter & completè ſtatim ad ipſum *Regem*, qui pro tempore fuerit, nec non *Regnum & Coronam Boëmiæ* reſpectum habere debebimus, ſicut etiam promiſimus & tenemur; Ideóque ad mandatum ſingulare ſuprà dicti *Sereniſſimi Principis & Domini noſtri Imperatoris & Boëmiæ Regis* animo deliberato, ſano præcedente conſilio, de verbo, ſcitu & expreſſa voluntate totius univerſitatis noſtræ, nobis ob hoc pluries ad conſilium convocatis ſuper omnibus & præfatis ſuperiùs de verbo ad verbum prout expreſſa ſunt; Et ſicut in literis ejuſdem Domini clariore diſtinguuntur notitia, præfatæ Dominæ noſtræ fidelitatis homagium fecimus, & facimus, promiſimus & promittimus, juravimus & juramus, ea, ſicut expreſſa ſunt, rata, grata, & accepta habere, & tenere tanquam fideles ſubditi, & non contrà facere, vel venire verbo, vel facto publicè vel occultè. Præſentium ſub noſtræ Civitatis Sigillo, teſtimonio literarum. Datum in ſupradicta Civitate noſtra Gretz. Anno Domini M. CCCLXIII. in vigilia Sanctæ *Ludmillæ Martyris* Glorioſæ.

Ad quid obligentur Reginæ dotalitiæ Civitates.

Dotalitium, quod datur Reginæ ſecundò nubenti.

CHRUDIMENSIS.

Nos Judex, Jurati & Univerſitas Civitatis *Chrudimenſis.*

Civitates Dotales Reginæ enumerantur in ſeqq.

NOtum facimus tenore præſentium Univerſis. Quia ſereniſſimus &c. ùt paulò antè uſque *publicè & occultè*. Datum in ſupradicta Civitate noſtra *Chrudimenſi*. Anno Domini: Milleſimo Trecenteſimo ſexageſimo tertio, in Die Beati Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ.

ALTÆ

ALTÆ MUTÆ.

Nos Judex, Jurati & Univerſitas Civitatis *Altæ Mutæ.*

NOtum facimus tenore præſentium Univerſis. *Quia Sereniſſimus &c.* ùt in præcedentibus. Præſentium ſub noſtræ Civitatis Sigillo teſtimonio literarum. Datum in ſupradicta Civitate noſtra *Alta Muta*. Anno Domini: Milleſimo Trecenteſimo Sexageſimo tertio in Die Sancti Matthæi Apoſtoli, & Evangeliſtæ.

MELNICENSIS.

Nos Judex, Jurati & Univerſitas Civitatis *Melnicenſis.*

NOtum facimus tenore præſentium Univerſis. *Quia Sereniſſimus &c.* ùt ſuprà. Præſentium ſub noſtræ Civitatis Sigillo teſtimonio literarum. Datum in ſupradicta Civitate noſtra *Melnicenſi*. Anno Domini: Milleſimo Trecenteſimo Sexageſimo primo. Die Dominico, quo cantatur *Lætare Hieruſalem.*

EPISTOLA LXII.

Rudolphi Ducis Auſtriæ Renunciatio ſucceſſionis Bohemicæ, Anno 1360. *vivente Carolo IV.*

Nos Rudolphus, DEI gratiâ Dux Auſtriæ, Stiriæ & Carinthiæ: Gold.f.86.

NOtum facimus tenore præſentium univerſis: Quòd nos cum Sereniſſimo Principe & Domino, Domino *Carolo*, *Romanorum Imperatore ſemper Auguſto*, *& Bohemiæ Rege*, Domino & Socero noſtro gratioſo, & cum Illuſtri Principe, Domino *Joanne*, *Marchione Moraviæ*, Avunculo noſtro chariſſimo, ſuper omnibus diſplicentiis & diſſenſionum materiis, quæ inter nos ſunt uſque in præſentem diem alterutrum ventilatæ, ex ſpeciali dicti Domini noſtri, Domini Imperatoris Clementia, ità ſumus invicem reconciliati amicabiliter & uniti: Quòd idem Dominus noſter Imperator gratioſus, *Dominus noſter* eſſe dignatur, & dictus Dominus *Marchio* Avunculus noſter, bonus noſter perpetuò eſſe debet amicus. Quamobrem animo deliberato, ſano amicorum & fidelium noſtrorum accedente conſilio & ex certa ſcientia, renunciamus pro nobis & Illuſtribus *Friderico*, *Alberto*, & *Leupoldo*, fratribus noſtris, nec non hæredibus & ſucceſſoribus noſtris & eorum, perpetuò omni juri, impetitioni & actioni, quas ſuper *Regno & Corona Boëmiæ*, & *Marchionatu Moraviæ*, Terris & Principatibus eorum *in Polonia*, in terra *de Sultzbach*, & aliis terris, quas ipſi *in Alemannia* obtinent, quæ ad *Regnum Boëmiæ* ſpectant, & cum ipſo confinant, & ſuper omnibus aliis eorum Terris, Principatibus atque Dominiis, & eorum pertinentiis univerſis ubicunque ſitis, quovis modo habuimus, habemus, vel habere poſſemus; & nominatim illi juri, quod ex parte Illuſtris Principis, *Dominæ Catharinæ*,

Habes aliam Renunciationem ſuperiùs recitatam, utramque recitat Goldaſtes in Libro Ferdinando II. Cæſari dedicato, & cum Cæſaris ſcitu vulgato. Renunciatio nomine trium fratrum Ducum Auſtriæ facta.

Catharinæ, prædicti Domini Noſtri Imperatoris filiæ, *Conthoralis noſtræ Chariſſimæ*, habere poſſemus. Nam ipſum jus nobis ſuffragari non debet: Niſi fortè *Dominus noſter Imperator & Dominus Marchio* memorati, & eorum hæredes maſculini ſexûs, quos habent ad præſens, vel ſint in poſterum habituri, ita decederent, quòd ipſi legitimos poſt ſe non relinquerent corporum ſuorum heredes ſexûs, ùt præmittitur, maſculini. Promittimus igitur bona fide, & ſine dolo, ſub juramento quod ſuper eo ad ſancta præſtitimus Evangelia, prædictis *Domino noſtro Imperatori ut Regi Bohemiæ, & Domino Joanni* Marchioni Moraviæ, & heredibus eorundem, pro nobis, fratribus & heredibus noſtris prædictis, quòd nos pro prædicto *Regno & Corona Boëmiæ, Marchionatu Moraviæ*, & omnibus ſuperiùs expreſſatis, nunquam ſtabimus, verbis vel factis, jure, impetitione, vel alio quovis modo, publicè vel occultè: ſed eoſdem Dominos, Imperatorem ùt *Regem Bohemiæ, & Joannem Marchionem Moraviæ*, & eorum heredes, in præmiſſis perpetuò permittemus pacificè & liberè permanere. Promittimus etiam bonâ fide ſinè dolo, in virtute prædicti per nos præſtiti juramenti: Quòd nos *Domino noſtro Imperatori, & Domino Marchioni* prædictis, omnia privilegia, literas, & monimenta, quæ ſuper prædictis habemus, titulo hæreditario, obligatorio, pignoratitio, feudi, conceſſionis, donationis, ſeu aliis titulis quibuſcunque, etiamſi privilegia, litteræ & monimenta hujuſmodi, ad noſtram, & progenitorum noſtrorum poteſtatem, *ab Imperatoribus vel Regibus Romanis*, aut perſonis aliis, quomodolibet deveniſſent, ad plenum reſtituere & integraliter aſſignare, & nihil horum aliquo modo apud nos reſervare debemus. Si quæ aliqua privilegia, litteras, aut inſtrumenta præſenti noſtræ renunciationi contraria, aut contrarias, unquam aliquo tempore in lucem prodire contigerit; volumus, & noſtræ intentionis exiſtit, quòd nullius ſint efficaciæ, virtutis, roboris, aut momenti, ſed inutiles computentur, neque nobis heredibus & ſucceſſoribus noſtris aliquid utilitatis adducant, ſeu valeant præfato *Domino noſtro Imperatori, tanquam Boëmiæ Regi, & Marchioni Moraviæ*, heredibus & ſucceſſoribus eorum, aliquod præjudicium generare. Promittimus etiam bonâ fide, & in virtute prædicti juramenti per nos præſtiti, ſine dolo, quòd omnia ſuprà ſcripta noſtra promiſſa, firma ſemper & inviolata perpetuis volumus obſervare temporibus, & contra ea nunquam facere quovis modo, Renunciantes expreſsè ac de certa ſcientia pro nobis, fratribus, heredibus & ſucceſſoribus noſtris, omni Canonici & Civilis Juris auxilio, & omnibus *Conſtitutionibus Papalium Imperialiúmque* voluminum, Terrarum conſuetudinibus, omníque beneficio, & obſervantiæ, quibus nos contra hoc tueri poſſemus, quibúſve, vel per quæ *Domino noſtro Imperatori, ùt Regi Boëmiæ, Marchioni Moraviæ*, heredibus & ſucceſſoribus eorundem, *Regibus Boëmiæ, Marchionibus Moraviæ*, in ſuſpraſcriptis *Regni* Principatibus, terris, atque Dominiis, ullum poſſet unquam impedimentum vel periculum imminere. Venerabili Domino *Joanne*, electo, & Confirmato Eccleſiæ Gorcenſis Cancellario noſtro, & fidelibus noſtris dilectis *Alberto* de Puchheim, Supremo Dapifero Auſtriæ, *Pilgrimo* Stironone, noſtro Magiſtro Curiæ, *Purchardo* dicto Italo Elrbach, *Rudolpho* dicto Hevvrauez de Schonavv, *Rudolpho & Chunrado* de Pluemenberg, *Henrico* dicto Prunenſi, noſtræ Curiæ Pincerna, *Joanne* Loſpergario, noſtræ Curiæ Marſchalco, & aliis honeſtis Dominis, militibus, & clientibus, teſtibus ad præmiſſa, Præſentium ſub noſtro ſigillo teſtimonio literarum. Datum in campis propè *Eſslingam* A. D. 1360. proximâ die Sabbathi, ante Nativitatem Virginis glorioſæ.

Hæc tantum Carolo IV. & ejus Familiæ ſi duret promittuntur.

EPI-

EPISTOLA LXIII.

DE MONETA.

CAROLUS QUARTUS Divinâ Favente Clementiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Et Wenceslaus DEI Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Boëmiæ Rex. 1378.

NOtum facimus tenore præſentium Univerſis. Inter ſollicitudinum Curas innumeras, quibus in ſubditorum noſtrorum commoditatibus procurandis laboribus aſſiduis involvimur & ſatagimus, illud præcipuè meditatione dignum occurrit, qualiter peculiaris *Regni noſtri Bohemiæ*, ſubditorúmque ejus ſtatus *Auctore DEO* noſtris temporibus inſtauretur, Utilitas & Reſpublica feliciter diſponatur. Sanè ejuſdem *Regni Noſtri* damnoſa diſpendia, quibus *ex levitate Monetæ communis denariorum Pragenſium* tam *in hallenſibus*, quàm in *Groſſis* hactenus uſquè ad præſens Univerſus Populus Noſter ſubjacuit, quantum Altiſſimus concedere dignatur volentes tollere; Et deſuper felicis recordationis *Illuſtris quondam Joannis Regis Bohemiæ Genitoris & Avi Noſtri Chariſſimi* ſequendo veſtigia realiter providere, animo deliberato, non per errorem, aut improvidè, ſed cum dicti *Regni Noſtri Bohemiæ Principibus, Baronibus atque Nobilibus Noſtris Fidelibus & ſubditis* pluribus Conſiliis repetitis, & habitis de certa ſcientia, ſuper ordinatione, diſpoſitione, & obſervatione *monetæ Regalis* hujuſmodi decernimus & ſtatuimus; ac præſenti pro *Nobis Heredibus & Succeſſoribus Noſtris* Boëmiæ *Regibus* irrevocabiliter perpetuè valituro ſancimus edicto. Quod ex nunc inantea *Magiſter monetæ Regalis Bohemiæ*, qui eſt, & pro tempore perpetuò fuerit in cudendis groſſis & hallenſibus ſubſcriptam diſpoſitionem, modum & ordinem immutabiliter tenebitur obſervare; videlicet *ad centum Marcas argenti puri, duodecim marchæ de cupro & non plus* ſuperaddantur; Et ex hujuſmodi argento *groſſi Pragenſes* cudantur, eâ bonitate grano ſive conco & pondere; ut videlicet *ſeptuaginta groſſi unam marcham argenti legalem* obſervent, & habeant in argenti pondere, & etiam bonitate. Nec per monetarios præſentes & futuros perpetuò ſic multipliciter hujuſmodi hallenſium monetatio, ſeu cuſio, ut ex hac multitudine neceſſarium ſit plures hallenſes quàm duodecim pro groſſo ſolvi; ſeu hunc meliorem duodecim hallenſibus quomodolibet æſtimari. Inſuper examinatores argenti & denariorum tam in groſſis, quàm in hallenſibus (qui Verſucher vulgariter nuncupantur) duos eſſe ſtatuimus, ad quos pertinet, & ſpectare debet, omnino providere, quòd groſſi & hallenſes legales & boni cudantur, nè ultra, quàm ſuperiùs dictum eſt additamenti quicquam aliquatenus apponatur. Horum itaque *Examinatorum* unus, videlicet *primus & principalis per nos Heredes & Succeſſores Noſtros Reges* Boëmiæ *ad Examinatoris officium* hujuſmodi ſtatuatur & deſtituatur prout Regiæ placuerit voluntati; Alius verò per *Barones Regni* prædicti præſertim illos, qui in ſingulis quatuor temporibus *Judicio Cridæ* præſident, vel majorem partem eorum ad idem examinationis officium ſimiliter deputetur, & ab eodem removeatur, quoties fuerit opportunum. Idem etiam *Examinator ſecundus* pro ſolario laboris ſui à Nobis & poſt Nos à quolibet *Rege* Boëmiæ pro tempore exiſtente de Regalibus pecuniis ab *Urbario Regio* qualibet ſeptimana *unam marcham groſſorum*, videlicet *quinquaginta ſex groſſos* habebit, quàm

ExPrivilegiis Regni f. 36.

Valor Groſſorum Pragenſium, & quantum de cupro addendum ſit.

Duo Examinatores monetæ in Bohemia.

Juramentum eorum qui monetam examinant.

quàm diu ſuum officium legaliter gubernabit. Hi namque ambo *Examinatores* jurabunt corporaliter, ùt eſt moris, quòd *Nobis & Succeſſoribus Noſtris Regibus* Bohemiæ, *Regno & Coronæ* Bohemiæ, nec non *Baronibus Regni*, pro ejuſdem Regni Republica & profectu in officio eis commiſſo fideles exiſtant, Quodque officio Examinationis argenti & groſſorum, & Hallenſium præeſſe velint, teneantur, & debeant taliter: Quòd *Groſſi & Hallenſes* juſtè & legaliter cudantur, nec exeant de moneta ſeu diſtribuantur in ea, niſi priùs per eoſdem *Examinatores* ad plenum examinati, probati, & legales reperti ſint, ſecundùm pondus, puritatem, concum ſeu granum, & bonitatem debitam ùt præfertur. In caſum verò quo non legalis & juſti ponderis groſſi ſeu hallenſes ultra ordinationem noſtram prædictam forſitan cuderentur, & negligentia, ſive culpa dictorum *Examinatorum* veniret in publicum; ſuper hoc idem quoties fuerint accuſati *coram Nobis & Succeſſoribus Noſtris* Boëmiæ *Regibus, nec non Baronibus ejusdem Regni Judicio* Crìdæ ſingulis quatuor temporibus præſidentibus comparere corporaliter teneantur, & ſi per concum ſeu granum ſuper bonitate & pondere groſſorum & hallenſium ejuſmodi ordinatum defactò convicti fuerint, tanquam falſarii *digno mortis ſupplicio puniantur*; & ut falſitas argenti groſſorum & hallenſium hujuſmodi faciliùs atque realiùs agnoſcantur, ſtatuimus & volumus obſervari perpetuò, quòd quilibet *Baronum qui Judicio Crùdæ ſunt ſoliti* præſidere, unum concum ſeu granum hujuſmodi in cuſtodia ſua retineat, ad *Examinatorum* prædictorum culpam ſeu negligentiam hoc caſu, & aliorum quorumcunque falſitatem ſuo tempore realiter convincendam, & digno ſupplicio puniendam. Et nè per *Nos, Heredes & Succeſſores Noſtros* Boëmiæ *Reges* præſens ordinatio, diſpoſitio, & ſtatutum, proùt expreſſantur ſuperiùs, quæ etiam *pro Nobis Heredibus & Succeſſoribus Noſtris Boëmiæ Regibus* in perpetuum obſervari bonâ fide promittimus futuris temporibus aliquatenus immutentur; ſed potiùs, irrevocabiliter, & perpetuò perſeverent, præſentes litteras multiplicari, & *Baronibus Regni Boëmiæ* obſervandas tradi mandavimus. In præmiſſorum evidens Teſtimonium Majeſtatum Noſtrarum Sigillis de certa ſcientia roboratas. Datum *Pragæ* Anno Domini M. CCCLXXVIII. Indictione I. Quarto Nonas Novemb. *Regnorum Noſtrorum, Caroli Imperatoris* 32. *Noſtrorum verò Regis Wenceslai* præfati *Bohemiæ, Anno ſexto decimo, Romanorum verò tertio.*

Pœna mortis in eos ſtatuitur, qui deteriorem monetam faciunt.

EPISTOLA LXIV.

Hæ literæ privatæ fuerunt, & non emanarunt in publicum.

Sigiſmundi Hungariæ Regis Litteræ, quibus cedit Juri ſuo quoad Succeſſionem in Regnum Boëmiæ Joanni Duci Görlicenſi & Marchioni Luſatiæ Fratri ſuo, atque in his Literis mentio quoque fit de Succeſſione in Regnum Filiorum Regum Bohemiæ.

1388. Ex Privilegiis Regni.

SIGISMUNDUS DEI Gratiâ Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Marchio Brandenburgenſis, &c. Univerſis & ſingulis Principibus Eccleſiaſticis & ſecularibus, Vaſallis, Homagialibus, Comitibus, Nobilibus, Baronibus, Clientibus, Judicibus, Magiſtris Civium,

vium, Conſulibus, Juratis, Ruſticis, Villanis, & Incolis Civitatum, Oppidorum, & Villarum ac Locorum quorumcunque, nec non omnibus & ſingulis ſubditis & Fidelibus Regni Bohemiæ cujuſcunque ſtatûs, Conditionis vel Præeminentiæ fuerint, aut quibuſcunque ſpecialibus vocabulis nuncupentur, præſentibus & futuris Nobis ſincerè dilectis Salutem & omne Bonum.

QUia pridem *Sereniſſimo Principi Domino Wenceslao Romanorum Regi ſemper Auguſto, & Boëmiæ Regi Illuſtri Fratri Noſtro Chariſſimo* bonâ & ſufficienti deliberatione præhabitâ ſpecialiter propter ſingularis amoris affectum, quem *ad Illuſtriſſimum Principem Dominum Joannem Ducem Görlicenſem & Marchionem Luſatiæ Fratrem noſtrum Chariſſimum* naturæ quadam inclinatione tenemur, ad ejus etiam honores & profectus augendos ex vinculo ſanguinis obligamur, ſcientes indulſimus, annuimus, conſenſimus, & plenam ac omnimodam facultatem, poteſtatem & libertatem conceſſimus & donavimus, ut ipſe *Inſigne Regnum Boëmiæ*, & ejuſdem *Regni Coronam*, in quo Nobis ex donatione paterna ac Succeſſionis ordine, tanquam poſt dictum *Dominum Wenceslaum Fratrem Noſtrum, Seniori Divi Imperatoris Noſtri Filio* in caſu quo ipſum (quod abſit) legitimis Heredibus non relictis, præmori contingeret, plenum Jus competit ſuccedendi, uni Noſtrûm, videlicet inter nos & præfatum *Dominum Ducem Joannem*, qui ſibi ex Nobis magis placuerit, & ad quem propriâ & ſpeciali affectione ac liberâ voluntate trahetur ſinè alterius, ex nobis & ſignanter Noſtri reclamatione & renitentia aliquali in vita vel in morte, quomodo, vel quando ſibi placuerit dare, donare, legare, & eundem ex nobis, cui legaverit ſeu dederit *Regnum* præfatum, coronari facere & ſubjectionem & fidelitatem quorumvis ſubjectorum *Regni Bohemiæ* ſibi fieri diſponere, & ordinare valeat ac poſſit; Prout hoc ipſum in aliis *Noſtræ Majeſtatis Literis dicto Domino Wenceslao Fratri Noſtro* datis deſuper ſufficientibus continetur; Idcirco in caſum quo ipſe *Frater Noſter Dominus Wenceslaus Romanorum Rex* in vita vel in morte præfato *Fratri Noſtro Domino Duci Joanni Regnum Boëmiæ* prædictum concederet, vel donaret, & non Nobis, ex tunc vos omnes in genere, vel veſtrûm quemlibet in ſpecie animo deliberato & de certa ſcientia, ac Noſtra libera voluntate de omnibus & ſingulis promiſſionibus juramento Nobis factis, quibus Nos ex fide facta, vel alias quomodolibet ex Succeſſionis ordine, ſive Jure aſtricti tenemini quo quomodo abſolvimus, liberos dicimus & dimittimus, ac tenore præſentium libertamus; Mandantes vobis virtute præſentium ſeriò, quatenus, ſicut præmittitur, dictus *Dominus Wenceslaus dicto Domino Duci Regnum Boëmiæ* concederet vel donaret, quòd ex tunc ad eundem *Dominum Ducem Joannem* ad quem vos ex nunc, prout ex tunc tranſducimus, tanquam *verum, & naturalem & ordinarium Dominum veſtrum & Heredes ſuos legitimos*, & ad nullum alium reſpectum habere, & eidem fidelitatem, Juramenta, & ſubjectionem facere & parere, & obedire modis omnibus debeatis. In caſu verò quo vos omnes vel aliqui ex vobis præſentia mandata Noſtra literalia non curaretis advertere, nec eiſdem forſitan obedire, ex tunc promittimus ſinè dolo bonâ fide Noſtra, quòd vos omnes, & veſtrûm quemlibet, dum ad Nos perſonaliter veneritis, aut nuncii, aut Procuratores ve-

Si moreretur Rex & Cæſar Wenceslaus, quis ei ſuccederet in Regno Bohemiæ.

res veſtri mandatum veſtrum ac poteſtatem habentes veſtro nomine venerint, de juramentis, promiſſionibus & fidelitatibus, quibus Nobis aſtricti tenemini, quocunque vivæ noſtræ vocis oraculo abſolvemus & liberos dimittemus. Præſentium ſub Regiæ Noſtræ Majeſtatis Sigillo Teſtimonio Literarum. Datum *Sempha.* Anno Domini M. CCCLXXXVIII. Die 3. Menſis Junii.

EPISTOLA LXV.

Creatio Juſtitiariorum ſeu Popravvczonum in Diſtrictibus Bohemiæ.

Ex Codice M. S.

Wenceslaus DEI Gratiâ Romanorum Rex Semper Auguſtus & Boëmiæ Rex. Nobili Joanni dicto Cruſſina de Lichtenburg Burggravio Caſtri Pragenſis fideli noſtro dilecto Gratiam Regiam & omne Bonum.

1402.

Fidelis Dilecte.

TRactantibus pridem ſuper proximè præteritis quatuor temporibus, *Nobilibus Regni noſtri Boëmiæ Baronibus*, circa tabulas terræ, de *Speciali Mandato* noſtro ad hoc, ut in eodem *Regno noſtro Boëmiæ*, pacis ſtabiliatur amœnitas, juſtitia hucuſque concupita debito perſiſtat in robore, & *Fideles Regnicolæ* ſub debita tranquillitate reſpirent, ſingula per ipſos ordinata ſtatuta, & decreta (prout in præſentibus ſcripta articulatim inferiùs pleniùs continentur) ſervare promiſimus & tenere ſolidè pollicemur, & horum pro majoris roboris firmitate & executione efficaci exequenda, *Animo deliberato, Sano Baronum, Nobilium, & fidelium noſtrorum accedente conſilio, & de certa noſtra ſcientia, Te Juſtitiarium ſeu popravvczonem Diſtrictuum Græcenſis, Chrudimenſis & Mutenſis* conſtituimus, & ordinavimus, facimus, conſtituimus, & virtute præſentium omnimodè ordinamus; Dantes & concedentes tibi, auctoritate Regiâ prædictâ, *plenam, & expreſſam in facinoroſos, ac delinquentes homines exercendi, & puniendi poteſtatem*; Mandantes nihilominùs tibi præſentibus ſeriosè: quatenùs, ad requiſitionem Cæterorum *Juſtitiariorum, & popravvczonum Regni Boëmiæ ſeu Civitatum, & Incolarum* ipſius, quoties opus fuerit, & te duxerint deſuper requirendum, ipſis ad conculcandam & reprimendam maleficorum, raptorum & oppreſſorum dicti *Regni Boëmiæ* temeritatem inconſultam, tuâ potentiâ totis niſibus aſſiſtere debeas fideliter, & aſtare, quòd etiam iidem *Juſtitiarÿ* ſeu *popravvczones, ac Civitates & Incolæ* ipſarum, vice reciprocâ tibi facere debebunt, & tenentur.

Cruſſina primarius juſtitiarius.

Officium Popravvczonum.

Sequuntur ergo Articuli (qui cùm nihil ſingulare contineant, alibíque recitentur, hoc loco omittuntur) *Barones* (videlicet *Brzenko de SSvvihovv, Boczko de Podiebrad, Zdeslaus de Sternberg reſidens in Zageczicz & Henricus de Roſenberg* ab aliis *Dominis Baronibus* deputati) venientes ad tabulas pronunciaverunt inventiones Baronum factas in præſentia *Domini Sigiſmundi Regis Ungariæ, & aliorum multorum Baronum*, quæ inventiones factæ ſunt *in monaſterio Sancti Jacobi*, Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Secundo. Sabbato, ante Dominicum Oculi, Primo &c.

Ab eodem Wenceslao Rege conſtituti ſunt Popravvczones ſeu Capitanei Diſtrictuum eodem Anno: Rcginohradecenſis ſeu Grecenſis alter Capitaneus Theodoricus de Janovvicz ſeu de Nachod.
Bechinenſis: Henricus de Roſenberg. 1402.
Ejusdem Diſtrictûs A. 1405. *Ulricus de Novadomo, & Joannes de Auſti dictus Camenicenſis.*
Prachenſis: Zdenko de Rozmital. Joannes de Novadomo.
Boleslavienſis: Wilhelmus de Zvvirzeticz. Joannes de Michelsperg.
Czaslavienſis: Witek de Lipnicz, Nicolaus de Ruczie. Iterum Boleslavienſis: Alſo de Dube dictus SSkopek.
Chrudimenſis: Zdeslaus de Sternberg in Zageczicz. Iterum ejusdem: Andreas de Dube.
Litomericenſis & Plſnenſis Udalricus ab Hazmburg in Przimda. Iterum Litòmericenſis: Herbordus de Kolovvrat. & alio anno Joannes de Wartemberg, alias de Deczin. alio anno: Berka de Hohenſtein.

EPISTOLA LXVI.

Literæ Magiſtri Civium, & communitatis Conſulum Urbis Zacenſis, quibus ſe obligant VVenceslao Regi Bohemiæ, quòd ei ad tempus vitæ ſuæ adhærere, & ipſum rebus, & corporibus ſuis juvare usquè ad effuſionem ſanguinis velint. 1405.

NOs *Magiſtratus Civium Judex, Scabini totaque Communitas Civitatis Zacenſis*, recognoſcimus, & fatemur publicè per præſentes omnibus & ſingulis præſentem paginam inſpecturis, quòd bonâ deliberatione præhabitâ, & de certa noſtra ſcientia *Sereniſſ. Principi & Domino, Domino Wenceslao Rom. Regi ſemper Auguſto & Boëmiæ Regi Domino noſtro gratioſiſſimo promittimus*, & bonâ noſtra fide præſentibus ſpondemus in caſu quo quiſpiam cujuſcunque ſtatûs, gradûs, ſeu conditionis extiterit, eundem *Dominum noſtrum Regem* ſeu ipſius Regnum impedire, invadere, ſeu aliàs modo quocunque invadere & violentâ manu infeſtare vellet, quòd tunc eidem *Domino Wenceslao Regi Domino noſtro gratioſiſſimo* & naturali contra & adversùs quoſcunque rebus, & corporibus noſtris, de tota noſtra potentia, uſque ad effuſionem ſanguinis aſſiſtere volumus, & ab ipſo cunctæ vitæ ſuæ temporibus nullatenus recedere. Sic *nos DEUS adjuvet, & ſancta DEI Evangelia* & ſibi ſingulis obedire, tanquam *Domino noſtro* naturali dum, & quando nos per ipſum ſeu ſuos officiales ſuper hoc fuerimus requiſiti. In horum evidentiam majus noſtræ Civitatis ſigillum præſentibus eſt appenſum. Datum feriâ quartâ poſt Sophiæ Anno Domini M. CCCCV. Ex M. S.

Extant aliæ literæ in eandem ſententiam Civitatum infrà ſcriptarum.
Civitatis Budvveis. Datum Anno 1405. *proximâ feriâ tertiâ ante Pentecoſt:*
Civitatis Glatovienſis. Datum Anno 1405. *feriâ quartâ temporum Pentecoſt:*
Civitatis Wodnenſis. Datum Anno 1405, *proximâ feriâ quintâ ante Pentecoſt:*

Civitatis Piſcenſis. *Datum Anno* 1405. *Sabbatho proximo poſt feſtum Aſcenſionis Domini.*

Civitatis Siccenſis. *Datum Anno* 1405. *Sabbatho ante feſtum Pentecoſt:*

EPISTOLA LXVII.

Sigismundi Imperatoris Litteræ ad Concilium Baſileenſe. De Gratiis DEO agendis pro victoria Bohemorum adverſus Taboritas. Anno 1434.

Gold.f.95. Reverendiſſimis ac Venerabilibus in Chriſto Patribus ac Dominis Sacro Sanctæ generalis Synodi Baſilienſis, in Spiritu Sancto legitimè congregatis, Eccleſiam univerſalem repræſentantibus amicis noſtris Chariſſimis ac gratè & ſyncerè nobis dilectis, Sigiſmundus DEI Gratiâ Romanorum Imperator Semper Auguſtus, &c: Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex, Reverendiſſimi in Chriſto Patres & Domini, Amici Chariſſimi & Reverendi, gratè ſyncereque dilecti.

HOdie horâ veſperarum confluxerunt ad nos nuncii, qui in tribus diebus, & citiùs *de Bohemia* volantiſſimè applicuerunt, afferentes nobis jucundiſſima, & feliciſſima nova de victoria noſtrorum, & conflictu *Taboritarum* & illorum, qui aliàs in obſidione *Civitatis Pilſnenſis* erant qui *per DEI gratiam*, à quo omnis procedit victoria, in planitie inter *Civitatem Gurim & monaſterium Sealicz* forti bello cum modico damno noſtrorum victoriosè proſtrati ſunt, quarum literarum aliquas originales veſtris *Reverendiſſimis Paternitatibus* mittimus præſentibus interclusas. Hæc *Reverendiſſimi Patres, voluimus veſtris Paternitatibus pro ſingulariſſimo gaudio cunctis Chriſti fidelibus* optantiſſimè nuntiare, rogantes cordintime, quatenùs *altiſſimo Domino JESU Chriſto* infinitas agentes gratias cum proceſſionibus, & aliis ſolennitatibus, ab bonum & felicem progreſſum, tam felicis principii, imò veriùs medii, omni operâ atque curâ vigilare velitis, quoniam & nos ſimiliter de agendis nil prætermittemus. Et quæcunque in futurum habuerimus, veſtris Paternitatibus die, noctuque intimare curabimus. Datum *Ulmæ*, die 4. Jun.

Locus conflictûs.

EPISTOLA LXVIII.

Formula Pactionum Imperatoris Sigismundi cum Bohemis, Anno 1435.

Gold.f.97. Haberman. f.138. Sigiſmundus DEI Gratiâ Romanorum Imperator Semper Auguſtus &c.

QUia *Dominus noſter JESUS Chriſtus, DEI hominumque Mediator*, ſalutis curam ex injuncto Altiſſimi, generis humani laborem ſuſtinens atrocem, pro quo & dira pati voluit, & morte turpiſſimâ occumbere

bere non eſt dedignatus, puta, ut utraque in unum repararet. Cujus quidem exemplo, velut Magiſtri & Ducis peroptimi ex dignitate Imperiali, nobis ab Univerſorum Domino diſpoſitâ, & commiſsâ, bonum pacis & veritatis, atque concordiæ amplexantes, cum poſt quædam Compactata, inter *Legatos Sacri Concilii Baſilienſis*, ipſûmque *Regnum Boëmiæ*, *& Marchionatum Moraviæ*, *in Praga* ſcripta & conſignata receſſum eſt, ut aliis bene diſpoſitis & deductis, pro Regni *Boëmiæ & Marchionatûs Moraviæ* expurgatione, per *Sacrum Concilium Baſilienſe*, noſtramque prudentiam Imperialem, uti meliùs fieri poterit, provideatur. Adhuc tamen, quia difficultates variæ, inter *Legatos Sacri Concilii Baſilienſis* parte ex una & *Generoſos ac Nobiles*, *Strenuos*, *famoſos*, *Reverendos & prudentes nuncios*, *nomine Regni Boëmiæ* pridem ad nos *in Brunnam* deſtinatos parte ex altera, ortæ fuiſſent & crebrò pullulaſſent: Animum, cor ſimul & humeros, curæ diligentis & ſollicitudinis anxiæ ſuppoſuimus, pondus diei & æſtus ferentes; ut diviſa in unum, adverſa in conſona, aſpera in plana, & longè diſtantia in combinata, ſimul pariterque in Sanctam, & beatam reduceremus unionem. Cùm nos pacem & tranquillitatem ipſius *Regni* (quod ſemper amavimus atque coluimus) cordintimè affectantes, volentes futuras diſſenſiones, & controverſias, quibus populus ſubditus poſſet quomodolibet concitari, convenientibus remediis prævenire, nonnulliſque remanentiis, quibus in *Compactatis* pro pace Regni, & omnium circumjacentium Nationum & totius *Populi Chriſtiani* ac ſalutis innumerabilium animarum, *In nomine Domini*, notum facimus univerſis & ſingulis, quòd ad infrà ſcriptas concluſiones conſenſimus, & præſentibus conſentimus. *Concordia Sigismundi Imp: cum Regno Bohemiæ.* *Conditio prima.*

I. Quod beneficia non conferantur per extraneos *in Regno Boëmiæ & Marchionatu Moraviæ*, ſed omninò jus collationis eorundem ad *Regem Boëmiæ* incoláſque *Regni Boëmiæ*, *& Marchionatus Moraviæ*, perpetuò debet pertinere.

II. Perſonæ etiam *ſpirituales*, *& ſeculares*, *extra Regnum & Marchionatum* nec citabuntur, nec judicabuntur, ſed una quæque perſona juriſdictionibus ſibi præfecti præpoſiti in præfatis *Regno & Marchionatui* ſubjecta, erit, & contenta & de eadem gaudebit, Libertatibus tamen *ArchiEpiſcopatus Pragenſis*, *in Privilegiis* in via Appellationis à ſibi ſubjectis Epiſcopatibus ſalvis & illibatè conſervatis. *Secunda.*

III. Inſuper communicantes *ſub una ſpecie* in ſæpè tactis *Regno & Marchionatu*, nè confuſa ſequatur commixtio, contrà proprias eorum voluntates non ſuſtinebuntur, ſed duntaxat in locis, in quibus *Communio duplicis ſpeciei*, temporibus retroactis non ſervabatur, ſuſtinebuntur. *Tertia.*

IV. Et ut materia occaſioque litium auferatur, loca omnia, & ſingula Eccleſiarum, populíque parochiarum ſignabuntur, in quibus & à quibus *communio duplicis ſpeciei* in praxi ſervabitur. *Quæ quidem conſignata in littera ſpeciali in robur & perpetuam rei memoriam*, *ſigillo noſtræ Majeſtatis munictur.* *Quarta.*

V. Sed & hoc volumus, ut per *Dominos Bohemos*, *Generoſos*, *Nobiles*, *Strenuos*, *Famoſos*, *Pragam & Civitates alias*, unà cum *Clero ArchiEpiſcopus Pragenſis* unà cum aliis *Epiſcopis titularibus* eligantur, qui aliàs dicuntur *Suffraganei*, qui quidem & lecti per noſtram diſpoſitionem debitam ſolicitudinem pariter & curam, confirmabuntur, & in *Epiſcopos* conſecrabuntur, abſque quavis pro *Confirmatione*, *pallii exhibitione*, aut etiam Notariis, perſolu- *Quinta.*

tione. Et totus *Clerus Diœceſis Pragenſis* ſubjici ipſi *ArchiEpiſcopo*, *per præfatos Dominos* electo, tenebitur obedire.

Sexta. VI. *Scholares Diœceſis Pragenſis*, utrique tam *ſub una*, *quàm ſub utraque* communicantes ſpecie, habilitate, & idoneitate ipſorum præſuppoſitâ ad ſacros ordines promoveantur, & ordinentur: nihil tamen per hoc cauſæ & praxi Communionis eorum derogando. Tamen quia licentia *per Sacrum Concilium* Baſilienſe, omnibus tam in *Regno quàm Marchionatu Moraviæ* conſtitutis, dabitur, ſub utráque ſpecie communicandi, *Epiſcopi Olomucenſis* ſcilicet, & *Luthomiſlenſis*, populum laicalem, deſiderantem *ſub utráque ſpecie* tenebuntur communicare promovebúntque ſcholares, & ad ſacros ordines conſecrabunt, habilitate eorum præſuppoſitâ, qui vellent populum laicalem ſub utrâque ſpecie communicare. Et diſponere tenebuntur *Sacerdotes* ad loca ſuarum Diœceſium, in quibus præfata communio annis elapſis ſervabatur, qui ſic populum ut præmittitur, *ſub utráque ſpecie* communicabunt & plebani, ſi qui ad proprias redire cum ſcitu & conſenſu ſui Diœceſani, voluerint parochias, populum *ſub duplici ſpecie* communicabunt, qui populus ſic communicabit, & in locis in quibus præfata ſervabatur communio. Quod ſi non fecerint, non ſunt tolerandi, ſed alii qui *ſub duplici ſpecie* communicarent populum *laicalem, per Diœceſanum* vel per alios ad quos pertinet in loca illorum ſubſtituendi. *Iſta nos tenere præſentibus affirmamus, & pollicemur in verbo Cæſareo, præfatis ambaſiatoribus ac Regno Bohemiæ & Marchionatui Moraviæ* quod in omnibus & ſingulis ſupraſcriptis capitulis cum eis *remanebimus*, *volumusque*, ut *per nos & noſtros ſucceſſores* in futurum pro perpetuo, ſingula eis teneantur & plenè conſerventur. Nos quoque apud *Sacrum Concilium*, *ac Dominum noſtrum ſummum Pontificem*, & alibi ubicunque expediens fuerit, omnem operam, & curam adhibebimus, ut præfati articuli ſuum effectum realiter ſortiantur. Nec in *Regno* noſtro ac *Marchionatu* aliter fieri permittemus. Quin imò ſi quis *Regnum*, *& Marchionatum* in his turbare quomodolibet attentaverit, ipſis pro executione eorundem effectualiter aſſiſtemus, dolo & fraude ceſſantibus quibuſcunque. Datum &c.

EPISTOLA LXIX.

Copia Mandati ad ſubditos Regni Bohemiæ & Marchionatûs Moraviæ pro pace ſervanda, Anno 1436.

Goldaſt. f. 180. in Appendice Documentor. Nos Alſſo de Ryſemburg, aliàs de Wrzeſtiovv, Gubernator Regni Bohemiæ, Barones, Nobiles, Milites, Clientes, Praga Civitas & cæteræ Civitates, Generalem Congregationem inclyti Regni Bohemiæ & Marchionatûs Moraviæ facientes & repræſentantes. Univerſis & ſingulis ſubditis & incolis præfatorum Regni & Marchionatûs, cujuſcunque ſtatûs & conditionis exiſtant, qui ſunt de parte noſtra affectus omnis boni, vario cum genere complacendi præporrectis.

Cum propter aliquas difficultates circa materias fidei, & *quatuor articulorum* exortas, inter nos & convicinos noſtros, tam extra quàm intra *Regnum & Marchionatum* Conſiſtentes, bella diutiùs fuerint agitata, & jam

& jam per DEI gratiam inter legatos *ſacri generalis Concilii* & generalem *Congregationem dicti Regni*, ſit facta concordia, & nos pacem, qui promiſimus pro dictis cauſis & articulis ſuſcipere, & inire volentes cum univerſo *Populo Chriſtiano*, ſive intra *Regnum* ſive extra ſiſtente, per fidem & honorem noſtrum, omni dolo & fraude ceſſante, ſuſcepimus. Idcirco vobis omnibus & ſingulis per præſentes præcipiendo mandamus, quatenus bonam, Chriſtianam, firmam, & perpetuam pacem ſervetis & teneatis. Et ipſis ſuprà dictis & vicinis, tam intra quàm extra *Regnum* illam nullatenus violetis, ſeu violari permittatis: ſed faciatis à veſtris omnibus firmiter obſervari. In horum fidem & teſtimonium has literas noſtras *Sigillo Regni Bohemiæ* fecimus comuuniri. Datum in *Iglavia* XII. die Menſis Julii, Anno Domini M. CCCCXXXVI. data eſt autem hujus mandati Copia *Dominis Legatis*, præſente Imperatore, XV. die Auguſti, *Iglaviæ* eodem anno.

EPISTOLA LXX.

Salvus Conductus datus à Cæſare Friderico Bohemis, ut Comitia Viennæ celebrare poſſint. 1447.

Fridericus DEI Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ Dux, Comeſque Tyrolis. M. S. Codex B. f. 398.

NOtum facimus tenore præſentium univerſis: quia Magnifici Barones, Nobiles, Milites & Clientes, Civitates, & communitates inclyti Regni Boëmiæ, per ſuos Nobiles Oratores, ex parte totius *Regni*, nobiſcum hîc *Viennæ* conſtitutos, cum noſtra Majeſtate, de dieta Generali ad feſtum *Sancti Michaëlis* proximè futuri in Civitate Viennenſi celebranda præſentialiter concluſerunt, & convenerunt, ad quam quidem Dietam ex ipſo inclyto *Regno* quàm plurimi, *Barones*, *Nobiles*, *Milites*, *Clientes*, *Civitatum & Communitatum Oratores*, dante Domino, ſunt acceſſuri. *Nos* autem volentes, ut ipſi omnes in terris noſtris plenâ libertate, & ſecuritate gaudeant, & fruantur, *Nobilibus* Ulrico de Roſenberg, Meinhardo de Nova Domo, Alſſio de Sternberg, Georgio de Kunſtat & de Podiebrad, Nicolao Zagiecz de Hazenburg & de Coſt, Haſkoni de Waldſtein, & Hinkoni Cruſſina de Lichtenburg, Zbynkoni Zagiecz de Hazenburg, Joanni de Novadomo & de Telcz, Hynkoni dicto Kruſſina de Svvamberg, Wenceslao de Michalovvicz, Joanni de Rizmberg aliàs de Rabie, Joanni de Dieczin, & Burjan de Kutſſtein, Henrico de Duba & Lippa, Alſſio de Zieberg, Borſſoni de Oſſek, Wilhelmo de Riſenberg & de Svvihovv, Georgio de Dube, & de Wiſenburga, Wilhelmo & Alſſio de Ssumburga, Joanni & Henrico de Straz, Henrico de Michalovvitz, Joanni de Potenſtein & de Zampach, Hynkoni de Waldſtein & de Skal, Blankſſteino de Bleikſſtein, Joanni dicto Zagimacz de Kunſtat, Zdenkoni de Rozmital, Jaroslao dicto Plichta de Zyrotin, Dietrzichoni de Janovvicz & de Chlumetz, Henrico de Kolovvrat, Jenczoni de Janovicz & de Petersburg, Wilhelmo de Ilburg, Joanni de Guttſtein, Joanni dicto Kolda de Zampach & de Nachod, Joanni de Kolovvrat & de Bezdruzicz, Henrico dicto Berka de Dube, Kunſſio dicto Rozkoſs de Duba

Barones Bohemiæ enumerantur.

de Duba residenti in Kostelecz, Baronibus; Ac strenuo Joanni de Russinovv Capitaneo Districtûs Czaslavviensis, & Consilio sibi deputato; Dietrzichoni de Miletinka Capitaneo Districtûs Hradeczensis, & Consilio sibi deputato; Joanni de Suticz Capitaneo Districtûs Gurimensis & consilio sibi deputato; Bohusloni de Postupicz Capitaneo Districtûs Chrudimensis, & Consilio sibi deputato; Jacobo de Wrzesovvicz Capitaneo Districtûs Lithomierziczensis & consilio sibi deputato; Joanni de Smirzicz, Przibikoni de Klenovv, Nicolao dicto Trczka de Lippa, Zdenkoni de Postupicz, Bedrico de Straznicz, Joanni dicto Pardus de Hradek, Nicolao & Joanni fratribus de Lobkovvitz, Petro & Wenceslao de Svvoyssin, Wenceslao dicto Czarda de Petrovvicz, Joanni de Miliczin residenti in Lesscztna, Militibus & Clientibus, ac providis & circumspectis Civibus *Antiquæ*, *Novæ*, *& Minoris Pragensis*, Montium Kutnis, Grecensium super Albea Zaczensium, Plsnensium, Taborensium, Budiciovensium, Glattovviensium, Lithomerzicensium, Kurzimensium, Lunensium, Slanensium, Beraunensium, Austensium, Piesczensium, Wodnianensium, Brodensium Bohemicalis, Coloniensium, Nymburgensium, Tustensium, Austensium super Albea, Civitatum, ac aliis Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus & Civitatibus, qui per ipsum *Regnum* in legatione mitterentur, aut qui à se ipsis ad hujusmodi dietam venire deliberarent conjunctim seu divisim, sive sint spirituales, sive seculares personæ, usquè ad numerum mille Equorum, & totidem personarum, nostrum salvum & securum damus & impartimur conductum, ac integram libertatem: ità quòd hujusmodi Barones, Nobiles, Cives & Oratores, cum eorum familiaribus & Comitiva usquè ad numerum prænotatum, ad præfatam *Civitatem Viennensem* super festo Sancti Michaëlis memorato, vel etiam antè, dum eis illud litteris nostris insinuaverimus pro celebratione hujusmodi dietæ, accedere, venire, omniáque negotia necessaria & opportuna tractare ac practicare, illisque conclusis, vel non conclusis ad ipsorum propria, securi & liberi valeant remeare, salvis omnium ipsorum rebus pariter & personis, quem quidem salvum conductum promittimus ipsis sub verbo nostro Regio firmiter tenere & observare à data præsentium, usquè festum *Sanctæ Catharinæ*, proximè venturum, ac manifestè observari facere, per omnes nostros officiales, servitores & subditos, dolo & fraude cessantibus quibuscunque; Mandamus igitur Vobis universis, & singulis *Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Civitatibus, Oppidis, Villis & Rectoribus earundem, Castellanis & Officialibus* cæterisque subditis nostris, quatenùs præfatos Barones, Nobiles & cæteras personas quascunque ad dietam hujusmodi huc accessuros, in eorum adventu, mora, ac reditu nequaquam impediatis, seu molestetis, quàm potiùs easdem promoveatis, adjuvetis & hospitia ac cetera libertatis beneficia impendatis, providentes eis, dum per eos, aut eorum parte desuper inquisiti fueritis, de salvo & securo conductu, secùs non facturi, nostro regio sub favore, & quemadmodum nobis volueritis singulariter complacere. Præsentium sub nostri Regalis sigilli appensionis testimonio literarum. Datum *Viennæ* Die Dominicâ antè festum Sancti Valentini. Anno Domini M. CCCCXLVII. Regni verò nostri Anno VII.

Civitates enumerantur.

Tempus Dietæ assignatur.

Ad Mandatum Domini Regis:

D. Caspar. Cancellarius Referebat.

EPI-

EPISTOLA LXXI.

Juramentum Regis Ladislai, in limitibus Regni præstitum. Anno 1453. Gold. in Append. Doc.

NOs Ladislaus DEI Gratiâ Electus Bohemiæ Rex, Ingressuri, à quo susceptí sumus, Bohemiæ Regnum, juramus, & pollicemur, primò DEO Omnipotenti simul ac omnibus Regni Bohemiæ incolis, curam nos habituros, tutaturósque utrumque tam Ecclesiasticum, quàm Politicum statum, universámque Regni communitatem: Ipsósque in libertatibus, Juribus, Rescriptionibus, Privilegiis, Statutis, consuetudinibus &c. conservaturos. Neque ullo pacto Regni limites, unà cum pertinentibus, nos attenuaturos, quin potiùs omnibus viribus nostris dilataturos, augmentaturos, & quidquid insuper acturi sumus, omne in honorem, & bonum publicum Regni promoturos, Prædecessorum nostrorum Regum Bohemiæ in omnibus Regno profuturis vestigiis, inhæsuri. In quibus nos adjuvet DEUS Tri-unus cum omnibus Sanctis &c.

EPISTOLA LXXII.

Confœderatio Friderici Tertii, Imperatoris cum Georgio Rege Boëmiæ, Anno Millesimo Quadringentesimo Quinquagesimo Nono. Anno 1459.

Fridericus Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex ac Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ Dux, Comes Tyrolis &c.
Et Georgius DEI Gratiâ Boëmiæ Rex, Marchio Moraviæ, Silesiæ, & Lucenburgensis Dux, & Lusatiæ Marchio &c.

REcognoscimus, & notum facimus tenore Præsentium universis: quòd attendentes quid, & quantum pacis unionis, & amicitiarum fœdera: *Sacro Romano Imperio, ac aliis Regnis, & Principibus nostris*, quæ invicem confines existunt, & ipsorum inhabitatoribus fructus afferant, præsertim cùm orbis *Dominus Imperator*, videlicet *Augustus & Principum suorum potissimus, & Elector, Rex scilicet Boëmiæ*, se mutuò *auxiliis, consiliis, favoribus, & ligis* prosequuntur, sano nostrorum Consiliariorum, & fidelium accedente Consilio, & deliberatione maturâ præviâ atque pro nostro, & nostrorum utrinque subditorum incremento, *ligas, uniones, amicitias, pacisque fœdera inivimus*, atque præsentibus firmiter inimus in hunc videlicet modum: quod si à quospiam cujuscunque præeminentiæ, statûs, gradûs, dignitatis, conditionis meritíve fuerit, nos, aut alterum ex nobis molestari, inquietari seu turbari, quovis modo, ordine, & quæsito colore, in Regnis,

Concordiæ Principum bona.

Dominis, honoribus, dignitatibus, & ſtatibus noſtris, aut conſpirationes, conjunctiones, conventicula, & alia quæcunquè in damnum, & offenſam, & perturbationem noſtram, aut alterutrius noſtrarúmque ditionum, quidquid fieri, ſeu attentari contingeret, quòd extunc quilibet ex nobis ad requiſitionem alterius Læſi, aut quomodolibet inquietati, & eidem Læſo, ſeu inquietato *Conſilio, auxilio, adjutorio, & favore realiter*, & cum effectu ad propulſandum, & oppugnandum hujuſmodi injuriam, & moleſtiam, aſſiſtere debebit toties, quoties id neceſſarium fuerit, & opportunum. Et ſi, quod abſit, inter nos ambos aut noſtros differentia quovis modo inantea oriretur, & quod in eum eventum differentiarum hujuſmodi deciſio, amicabiliter, aut per juſtitiam in defectum amicabilis compoſitionis, per *Conſiliarios, Principes ipſius rei*, ad requiſitionem conquerentis expeditè fiat, & eam fieri Principi requiſitus efficaciter procuret, dolo, & fraude in his procul amotis; quemadmodum, *& nos id facturos, verbis noſtris Imperiali, & Regio, bonâ fide, ac jure jurando firmavimus.* In omnibus tamen prædictis *Sanctiſſimo Domino noſtro Papâ, & ſede Apoſtolicâ duntaxat exceptis.*

Conditiones fœderis.

Harum teſtimonio literarum noſtrorum *Imperialis, & Regalis* ſigillorum appenſione munitarum. Datum *Brunnæ*, Die ultimâ Menſis Auguſti Anno Domini M. CCCCLIX. noſtri *Friderici Imperatoris* Annorum Imperii Octavo, Regnorum autem noſtrorum Romani Vigeſimo, & Hungariæ &c. Primo. Noſtri verò *Georgii Regis Boëmiæ &c.* Regni ſecundo.

EPISTOLA LXXIII.

Friderici III. Romanorum Imperatoris Literæ ad ſupplicationem humilem Georgii Bohemiæ Regis, quibus confirmat omnia, & ſingula Regum & Regni Bohemiæ Privilegia.

FRIDERICUS Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, ac Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ Dux, Dominus Marchiæ Sclavoniæ & Portûs Naonis, Comes in Habſpurg, Tyrolis, Pherhetis, & in Kyburg, Marchio Burgoviæ, & Landgravius Alſatiæ.

1459.

Ad perpetuam rei memoriam.

ExMM.SS. Privilegiis Regni. Haberfelt. f. 69.

OMnipotens DEUS, Conditor univerſi ad hoc *Cæſareo & Regali* Titulis decoravit nomen noſtrum; ut ad gloriam, honorem & felicia incrementa procuranda tendamus illorum, qui ſuis ampliſſimis virtutibus tam prudentiâ, lucubratione, quàm induſtriâ, per multiplices magnificos eorum actus meruerunt, Divinâ diſpoſitione ad *Regiam dignitatem* ſublimari, ac in ſolio *Regio* cæteris præſidere. Sanè ad noſtræ Celſitudinis Imperialem Sereniſſimus ac Illuſtriſſimus Princeps *Georgius Bohemiæ Rex, Affinis noſter chariſſimus Sacri Romani Imperii Archipincerna, atque Princeps Elector* accedens præſentiam Nobis humiliter ſupplicavit; Quatenus ſibi utì *Regi Bohemiæ*, & eidem *Regno* atque *Coronæ Bohemiæ* omnia & ſingula eorum *Privile-*

Privilegia, Jura, Literas, Libertates, Gratias, Immunitates, Donationes, Conceſſiones, & Indulta à Divis Regibus & Imperatoribus Romanorum Prædeceſſoribus Noſtris ipſius, Regi Bohemiæ & Regno Bohemiæ data & conceſſa, ſeu datas & conceſſas de *Noſtræ Imperialis Majeſtatis Clementia* confirmare, ratificare, & approbare dignaremur gratioſè. Nos igitur ſupplicationibus hujuſmodi, utì rationi conſentaneis benigniùs inclinati, animo deliberato, ſanóque *Noſtrorum & Imperii Sacri Principum, Comitum, Baronum, Procerum*, atque fidelium ad hoc accedente conſilio, ac de certa *Noſtra ſcientia* prænominato *Georgio Regi Bohemiæ*, & dicto *Regno* omnia & ſingula eorum *Privilegia, Jura, Literas, Libertates, Gratias, Immunitates, Donationes, Conceſſiones, & Indulta à præfatis Prædeceſſoribus Noſtris in Imperio Regibus ac Regno Bohemiæ* data & conceſſa, datas & conceſſas; Nec non laudabiles conſuetudines dicti *Regni Boëmiæ Authoritate Noſtrâ Romanâ, Cæſareâ, & de Noſtra Imperialis Poteſtatis plenitudine confirmavimus, ratificavimus, approbavimus, atque innovavimus, & tenore præſentium confirmamus, ratificamus, approbamus, atque innovamus, decernentes atque volentes, & hoc Cæſareo Noſtro ſtatuentes edicto*, & omnia & ſingula in omnibus & ſingulis ſuis punctis, *Articulis, Clauſulis, prout de verbo ad verbum ſcriptæ ſeu ſcripta ſunt*, ac ſi tenores omnium præſentibus forent ſpecificè inſerti, etiam ſi talia forent, de quibus aut Jure vel conſuetudine in præſentibus fieri deberet mentio ſpecialis. Nec non laudabilis ipſius *Regni Boëmiæ conſuetudines* etiam ex nunc inantea habere totius roboris firmitatem, & municipalibus ſtatutis ſeu edictis, editis ſeu edendis, in contrarium facientibus, ſeu facere volentibus non obſtantibus quibuſcunque, quibus omnibus & ſingulis, ac ſi nominatim ac ſpecificè de verbo ad verbum præſentibus inſerta, ſeu inſertæ forent *Auctoritate Noſtrâ Romanâ Cæſareâ*, & de plenitudine poteſtatis ejuſdem derogatum eſſe volumus, per præſentes, ſupplentes nihilominus omnem defectum, ſi quis ex defectu verborum, ſententiarum obſcuritatis, & ſolemnitatis omiſſæ compertus fuerit quomodolibet in præmiſſis. Mandamus igitur univerſis *Noſtris, & Imperii Sacri Principibus Eccleſiaſticis & ſecularibus Comitibus, Baronibus, Nobilibus cæteríſque Noſtris & Imperii Sacri, ac dicti Regni Bohemiæ* ſubditis, & Fidelibus dilectis, nè dictum *Georgium Regem, ac Inclytum Regnum Boëmiæ* in ejuſmodi eorum *Privilegiis, Juribus, Literis, Libertatibus, Gratiis, Immunitatibus, Donationibus, Conceſſionibus & Indultis* de cætero moleſtent, perturbent, inquietent, ſeu moleſtare, perturbare, aut inquietare præſumant, ſeu aliquis eorum præſumat; ſed illis pacificè, aut quietè uti, frui, & gaudere permittant. Nulli ergo omnino liceat hanc Noſtræ Imperialis Confirmationis, ratificationis, approbationis, innovationis, Decreti, atque Mandati paginam infringere, vel ei auſu temerario quovis modo contraire; Si quis autem hoc attentare præſumſerit, Noſtram, & Imperii Sacri indignationem ac pœnam amiſſionis *mille Marcharum auri puri* pro unâ Nobis, ſive ærario fiſci Noſtri, & aliâ, medietatibus prænominato *Regi Bohemiæ* irremiſſibiliter applicandarum toties, quoties contrà factum fuerit, incurrere volumus ipſo facto.

Regni Boh: Privilegia & conſuetudines generatim confirmat Imperator.

Signum Sereniſſimi Principis & Domini Friderici Tertii Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Regis, ac Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ Ducis, &c. Præſentium ſub noſtri Imperialis Majeſtatis ſigilli Teſtimonio Literarum. Datum Brunæ. *Die ultimâ menſis Julii. Anno Domini* 1459. *Regnorum Noſtrorum Romani* 20. *Imperii* 8. *Hungariæ verò primo.*

EPISTOLA LXXIV.

De Diminutione Jurium Regum Bohemiæ, Romanorum Regibus præstandorum, & ubi Regalia suscipere debeant, ac Feuda, Friderici III. Romanorum Imperatoris Aurea Bulla.

Fridericus Divinâ Favente Clementiâ, Romanorum Imperator semper Augustus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, & Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ Dux, Dominus March: Sclavoniæ, ac Portus Naonis, Comes in Habsburg, Tyroli, Ferretis, & in Kyburg, Marchio Burgoviæ, & Landgravius Alsatiæ.

Ad perpetuam rei memoriam.

M.S. Privileg. Goldast. f. 109.

INsignis Bohemiæ Corona Cæsareæ Celsitudinis honori, faustóque statui, totis viribus & vigilando, adeò fidelis, & obsequens semper extiterat, ut non immeritò plurimis privilegiis, libertatibus, & gratiis, ultra alios Illustres Sacro Imperio subditos, à Romanorum Principibus meruerit honorari, sed & hactenus Inclytam Sedem Imperialem venerari, ùt decet, & tueri haud destitit. Hac itaque tempestate, postquam *Cives Viennenses*, & nonnullos *Nobiles Ducatûs Nostri Austriæ* subditos nostros debitæ subjectionis immemores, & præstitæ fidelitatis Sacramenta violantes non sinè magna injuria nobis rebellare, & se insolenter opponere, ac *crimen læsæ Majestatis* incurrere non puduit, ex tunc *Serenissimus Bohemiæ Rex* affinis noster carissimus, cum Regni sui *Proceribus*, *Baronibus*, *Nobilibus*, & aliis Regnicolis quantocyus arma coadunare potuit, Nobis ad ferendum auxilium, præsidiúmque, *Austriam* potenter, gratè, & opportunè advenit, ubi de manibus infidelium nostrorum subditorum hostium immanium, felicibus auspiciis saluti, & liberationi Nostræ, prono animo subvenit. Quo profectò erga *Nos*, & *Imperium Sacrum amoris*, & benevolentiæ non mediocris præstitit argumentum; pro quo quidem tanto beneficio *Nostræ Cæsareæ sublimitati* impenso, non indignum censuimus, nominatum *Bohemiæ Regem*, *Regnum*, & *Regnicolas* dignâ remuneratione & consolari, & honorare, ut munificentiæ nostræ singulari gratiâ præventi ad parendum magìs, & Imperio Sacro magìs benevoli reddantur. Ideo non per errorem, aut improvidè, sed animo deliberato, sano, *Principum*, *Comitum*, *Baronum*, *Nobilium*, & *aliorum fidelium nostrorum accedente consilio, ex certa scientia nostra, authoritate Imperiali*, de plenitudine *nostræ Cæsareæ potestatis*, ipsi *Regno Bohemiæ*, & *Regi* ejusdem, infrà scriptas gratias, perpetuis duraturas temporibus, damus, donamus, conferimus, & gratiosiùs elargimur.

Primò, ut dum *Rex Romanorum*, *aut Imperator futurus*, pro tempore existens, pro suscipiendis *Imperialibus Insulis in Urbem Romanam* proficiscetur, *Rex Bohemiæ* non teneatur, ùt antea, eidem dare, & mittere nisì *centum quinquaginta armatos*, aut *Marcas argenti totidem*, quamvìs superiori tempore *trecentos armatos* dare, aut tot argenti marcas deponere fuerit astrictus.

Viennenses Cives rebellant Friderico III. quem alij vocant Fridericum IV.

Privilegia Regibus Bohemiæ ex gratitudine concessa.

Item,

Item, quòd *Rex Bohemiæ ad Curiam Imperialem* vocatus, aut requisitus, salvóque conductu, prout moris est, provisus, venire aliàs non debeat, nisi *Romanorum Regem*, *aut Imperatorem* apud *Norimbergam*, *aut Bambergam Curiam Imperialem* haberi contigerit celebrare. Item, dum *Rex Bohemiæ à Rege Romanorum* seu *Imperatore Regalia*, seu Investituram cum solemnitate, & Banderiis sibi conferri petierit, ut solemnitatibus expletis *Banderia* ipsi Regi minimè læsa, ftacta, aut lacerata restituantur, cum quibus hospitium suum à solio *Cæsareæ Majestatis* revertatur. Item *Regi Bohemiæ* ad suscipienda sua Regalia proficiscenti per *Regem*, *aut Imperatorem Romanorum* eundi, ac ad *Regna*, *terras*, & *Dominia sua* redeunti de salvo conductu provideatur. Item, quòd *Rex Bohemiæ* Investituram, & Regalia sua suscipere non teneatur, nisì in metis, vel finibus Regni sui, aut finitimis locis, *decem vel quindecim milliaribus Alemannicis à Regno suo*, & *Dominio distantibus*. Item, dum per *Romanorum Regem*, *aut Cæsarem Capitaneus*, *vel Capitanei per Sacrum Romanorum Imperium* constituentur, ex tunc idem *Capitaneus*, *sive Capitanei de subditis Regis Bohemiæ* se nullatenus intromittere debebit, vel debebunt, quin imò potiùs præfato *Bohemiæ Regi* apud suos subditos præcipiendi authoritas salva permaneat, prout hactenus fieri consuetum est, & observari.

Compendium Privilegiorum Regum Bohemiæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc donationis, concessionis paginam nostrarum gratiarum, donationis, & concessionis quovis modo infringere, aut ei ausu temerario quomodolibet contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumserit, Indignationem nostram Imperialem gravissimam, & pœnam mille Marcarum auri puri, & optimi, toties, quoties contrarium fecerit, se noverit irremissibiliter incursurum, quarum medietas fisco nostro Imperiali, reliqua verò *Bohemiæ Regi* erit applicanda.

Signum *Serenissimi Principis*, *ac Domini Domini*, *Domini Friderici III. Romanorum Imperatoris semper Augusti*, *Hungariæ*, *Dalmatiæ &c.* Regis, ac Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ Ducis, & præsentium sub Aurea Bulla Typario nostro impressâ testimonio literarum. Datum in *nova Civitate*, Die 21. Mense Decembri. Anno Domini M. CCCCLXII. Regnorum nostrorum Romani vicesimo tertio, Imperii undecimo, Hungariæ quarto.

Extant & aliæ literæ ejusdem Friderici sub sigillo Majestatis suæ in simili per omnia, quarum Datum Norimbergæ Forensi, undecimâ die Mensis Decembris, Anno 1462.

EPISTOLA LXXV.

Renovatio Confœderationis cum Rege Franciæ. Anno 1464.

Goldast. in Appendice Documentor. f. 112.

Universis has literas inspecturis. Nos Hugo de Bournasel Miles, Dominus dicti loci de Bournasel, & de Lapadie Senescallus Tholosanus, & Albinensis, & Rubertus Biote, Dominus de Laroque, & de Monstreul, Magister Requestarum hospitii, Consiliariiq; Christianissimi Domini Ludovici DEI Gratiâ Francorum Regis, Domini nostri supremi, Commissariique & Deputati,

1464. *Legati ab utroque Rege missi.*

putati, pro parte ejusdem Domini nostri Regis, per suas patentes literas tenore sequenti:

Ludovicus D. G. Francorum Rex, dilectis, & fidelibus Consiliariis nostris, Hugoni de Bournasel militi, Domino dicti loci de Bournasel, & Labadiæ, Seneschallo nostro Tholosano, & Albigensi, & Magistro Roberto Biote, Domino de Laroquo, & Monstreul, Magistro Requestarum hospitii nostri salutem, & dilectionem.

CONsiderantes, quòd cùm inter Inclytæ recordationis *Francorum* Reges *Christianissimos*, *nostros Prædecessores*, *& Serenissimos*, *inclytósque* Bohemiæ Reges, Ligæ, Confœderationes, & amicitiæ per longa tempora hactenus firmæ, inviolabilésque extiterint, & nuper *Nobilis* Baro *Albertus de Postupitz*, *Marchionatûs Lusatiæ Advocatus*, *& strenuus*, *ac egregius miles Antonius Marini de Gracioli*, *Consiliarii*, *Ambasiatores*, *& Oratores charissimi*, *& dilectissimi Fratris Nostri Georgii* Regis Bohemiæ, ad nos destinati, cum potestate sufficienti, nobis verbo exposuerunt, prædictum Fratrem nostrum, renovationem, ac continuationem prædictarum ligarum, amicitiarum, & fraternitatum, desiderare: Nos in re tam laudabili, & Reipubl. Christianæ congrua, Regibúsque ac subditis nostris, hinc inde profutura; simili voto concurrere cupientes, confidentes ad plenum de vestris fidelitate, & diligentia, probitate, & industria, *vos Procuratores nostros Generales*, & nuncios speciales facimus, constituimus, creamus, ac etiam ordinamus per præsentes, dantes per easdem vobis plenam, & liberam potestatem, nomine nostro cum prædictis Oratoribus *charissimi Fratris nostri* Bohemiæ Regis, ligas, pacem, fœdera, & uniones jam dictas, dudum habitas, inter *dictas Domus Illustrissimas Franciæ*, *& Bohemiæ* innovandi, faciendi, agendi, ordinandi, concludendi, & disponendi, innovatas, factas, ordinatas, conclusas, & dispositas, literis, pactis, juramentis, promissionibus, sponsionibus, & aliis juris, vel facti clausulis, opportuniùs consummandi: & quæ nos cum præfato nostro *Fratre charissimo* Bohemiæ Rege, si præsentes essemus, faceremus, ageremus, & firmaremus, pro bono, & felicissimo statu Regnorum Christianorum, Reipub. fidei, ac Orthodoxæ, prout vobis meliùs, expeditiùs, & utiliùs videbitur expedire; promittentes nihilominus bonâ fide, & verbo nostro Regio ratum, gratum, firmum & acceptum nos, pro nobis, & successoribus nostris Regibus Franciæ habituros quicquid per vos in præmissis ordinatum, actum, factúmque fuerit, & conclusum. Datum in *villa de Dieppe* die 14. Mensis Julii. Anno Domini 1464. & Regni nostri tertio, sic signata per Regem. *Patriarchâ Episcopo* Baicensi, *Episcopo* Broicensi, *Admiraldo*, *Dominis Dulan*, *& de* Basoges, *Magistro Stephano Chevalier*, *Guillero de Varie*, *& aliis præsentibus.* Rolant.

Promissio Legatorum Bohemorum.

Et *Nos Albertus de Postupitz Marchionatûs Lusatiæ Advocatus*, *& Antonius Marini de Gracioli*, *Milites*, *Consiliarii*, *Ambasiatoresque*, *& nuncii Serenissimi Principis Domini nostri Domini Georgii*, *D. G.* Bohemiæ Regis *&c.* Similiter ordinati per præfatum *Serenissimum*, *& Illustrissimum* Regem Bohemiæ, cum suis patentibus literis, quarum tenor sequitur in hæc verba: *Georgius D. G.* Rex Bohemiæ *&c.* Notum facimus tenore præsentium universis: Quòd cùm inter Christianissimum Regnum, *Domum ac Reges Franciæ*, & inter *Serenissimos Reges Bohemiæ Prædecessores nostros* ligæ, fœdera, & amicitiæ indissolubiles, etiam Juramentis, pœnis, literis, sigillis vallatæ, ac obligationibus strictissimis firmatæ fuissent: ut Regna tanta, talíque optimâ faustâque amicitiâ conjuncta vix extitissent, *quibus una anima*, *unáque pro Fide Orthodoxa*, *& Republica voluntas extitisset*; *Nos Prædecessorum nostrorum* vestigiis inhærere volentes, ut nostro tempore ità *Regnum nostrum cum Christianis Regibus* jungatur, quatenus hostibus *Religionis Christianæ* faciliùs resistere possit, & ipsâ nedum domesticâ, verùm externâ pace, & amicorum numero felici lætari; habentes plenam, constantémque fiduciam de legalitate, & prudentia *Baronis Alberti de Postupitz*, *Marchionatûs nostri Lusatiæ Advocati*, *& Strenui*, *& egregii militis*, *Antonii Marini de Gracioli*, Consiliariorum nostrorum fidelium, dilectorum; ipsos animo deliberato, de nostra certa scientia, authoritate Regiâ facimus, creamus, & constituimus meliori modo, viâ, jure, & formâ quibus potest, & debet fieri, nostros veros, legitimos, & certos procuratores negotiorum gestores, Ambasiatores, Nuncios & Oratores speciales: dantes, & concedentes eisdem plenam, & omnimodam potestatem, authoritatem, & facultatem nostro nomine cum *Christianissimo Principe*, *& Domino Domino Ludovico Rege Francorum Consanguineo nostro*, *& Fratre Charissimo*, ligas, pacem, fœdera, amicitias, & uniones veteres, & habitas inter *domos Inclytissimas Franciæ*, *& Bohemiæ*, innovandi, faciendi, agendi, ordinandi, concludendi, & disponendi, innovatas, factas, actas, ordinatas, conclusas, & dispositas, literis, pactis, juramentis, promissionibus, sponsionibus, & aliis juris, vel facti clausulis opportunis, consummandi: quæ nos cum præfato *Domino Rege*, si præsentes essemus, faceremus, ageremus, & firmaremus, pro bono, & felicissimo statu Regnorum Christianorum Reipub. ac Fidei Orthodoxæ, prout ipsis meliùs, expeditiùs, & utiliùs videbitur, expedire: nihilominus bo[illegible]e, in verbo nostro Regio ratum, gratum, firmum, & acceptum [illegible]bis, & successoribus nostris Regibus Bohemiæ, habituros, & ten[illegible]quicquid per præfatos Oratores, Ambasiatores, Consiliarios nostros [illegible]natum, actum, factum, habitum, & conclusum fuerit quomodolibet in præmissis. Præsentium sub appensione nostri Regalis sigilli testimonio literarum. Datum *Pragæ*, die 16. Maji. Anno Domini 1464. Regni nostri anno septimo. Sic subscripta ad mandatum Domini Regis. Vigore quarum quidem literarum, & virtute potestatis nobis per eas attributæ, convenientes in unum *nos Commissarii* prædicti, post multas communicationes, maturâ deliberatione inter nos habitâ, attendentes, & considerantes antiquas ligas, confœderationes & amicitias inter Reges, *& Regna Franciæ*, *& Bohemiæ* retroactis temporibus initas, factas, & inviolabiliter observatas, ipsas ad honorem DEI omnipotentis, pro bono, & utilitate Fidei Catholicæ, & totius *Reipublicæ Christianæ*, *& conservatione Regnorum*, *& subditorum Regum prædictorum*, virtute dictarum *nostrarum commissionum*, & in quantum nobis per eas concessum est, facimus, ordinamus, concludimus, ac de novo, in quantum opus est, facimus, firmamus, & statuimus, promittentes nominibus, quibus suprà, quòd à modo futurísque temporibus, dicti Reges inter se invicem amorem, dilectionem, & fraternam charitatem mutuò observabunt. Erúntque *Fratres*, *amici*, *& Colligati* perpetuis temporibus, tam pro bono, utilitate, & honestate Regnorum, Personarúmque suarum, quàm Fidei Catholicæ, & totius *Reipublicæ Christianæ*. Et ità nos prædicti *Commissarii*, virtute jam dictarum

ctarum poteſtatum, pro *Dominis Regibus* dictis, eorúmque *Succeſſoribus*, *Regibus Franciæ*, *& Bohemiæ*, in animam præfatorum *Regum* nos conſtituentium, & nobis poteſtatem concedentium, volumus, promittimus, *& juramus* ad Sacroſancta DEI Evangelia, per nos corporaliter tacta, in cujus rei teſtimonium prædictas literas ſignis noſtris manualibus ſignavimus, & ſigillorum noſtrorum appenſione. Datum in *Villa de Dieppe*, die 18. Menſis Julii in *Normandia*, Anno Domini 1464.

Plures hujusmodi confœderationes, invenies in ſequentibus.

EPISTOLA LXXVI.

Concordia Regum Hungariæ & Bohemiæ; inter Vladislaum ſcilicet Bohemiæ, & Matthiam Ungariæ.

1478.

Raynald. T.XIX.

IN primis concluſum eſt, quòd uterque princeps in ſuo jure acquiſito permaneat tanquam *Dominus hereditarius*, & quilibet eorum *titulo Regis integro Bohemiæ*, prout alii *Reges Bohemiæ* conſueverunt, utatur, ita ut *Dominus Rex Matthias*, *Dominum Regem Vladislaum* ſcribat *Bohemiæ Regem*: Similiter ſubditi utriuſque Regis erga utrumque facere debebunt.

Item concluſum eſt, quòd *Rex Matthias* condeſcendat Regi *Vladislao* Barones, militares, terras, civitates & provincias quaſcumque tenet in *Bohemia*: Similiter etiam *Rex Vladislaus* omnes *civitates*, *terras*, *provincias*, *duces*, *barones*, *& militares* quoſcumque tenet in *Moravia*, & utrâque *Sileſia*, *Luſatia*, *& ſex civitatibus* præfato *Regi Matthiæ* condeſcendat.

Item concluſum eſt, quòd poſtquam *Vladislaus*, *terras*, *civitates*, *caſtra*, *oppida & provincias*, *Duces*, *Barones*, *militares* in provinciis *Moravia*, utrâque *Sileſia*, *Luſatia*, *& ſex civitatibus* ſub ditione ſua exiſtentes præfato *Regi Matthiæ* condeſcendat [illegible]atim & in continenti omnes *de Moravia*, & utraque *Sileſia*, *Luſatia*, *ac ſex civitatibus* teneantur communiter præſtare homagium *Regi Matthiæ* tanquam vero Domino eorum, & hereditario *Bohemiæ Regi*, *& Barones*, *ac nobiles* ſecundum conſuetudinem erga Dominos ſuos, & *Reges Bohemiæ* ab antiquo obſervatam, ipſum pro tali Rege ſuſcipiant, & teneant, ſibíque & nulli alteri tanquam eorum vero & hereditario Regi obediant; & poſtquam *Dominus Rex Matthias*, *Barones*, *militares*, *civitates*, *terras & provincias*, quas in *Bohemia* tenet, præfato Domino *Vladislao* condeſcenderit, illi in terra & corpore *Regni Bohemiæ*, eundem Dominum *Vladislaum Regem* ſimiliter ſuſcipiant, eíque promittant, & ſecundum conſuetudinem regni ab antiquo obſervatam facere teneantur, ſibique & nulli alteri tanquam eorum vero & hereditario Regi obediant, Econverſo autem Reges dictos ſubditos conſervare in juribus regni, & illarum terrarum, & privilegiis ab antiquo conſuetis promittent, in quantum præſenti diſpoſitioni non obſiſtant.

Item concluſum eſt, quòd præfatus *Rex Matthias* durante vitâ ſuâ provincias, & patrias *Moraviæ*, utriuſque *Sileſiæ*, *Luſatiæ*, *& ſex civitatum* cum omnibus pertinentiis liberè, quietè, pacificè, & absque omni impedimento & conditione præfati *Vladislai Regis*, *& regni Bohemiæ*, *ac ſubditorum* coronæ ejuſdem teneat, poſſideat, & utatur tanquam eorum verus & hæreditarius Dominus: Similiter *Rex Vladislaus*, *Provincias*, *Barones*, *militares*, *civitates*,

civitates, *& loca in Bohemia* libere, quietè & pacificè, & abſque omni impedimento præfati *Regis Matthiæ* teneat, poſſideat, & utatur tanquam eorum *verus Rex & Dominus Hereditarius*.

Item concluſum eſt ad confirmandam pacem, & amicitiam utrorumque *Regum*, & nè propter diverſitatem ſucceſſorum diverſa mala, & novæ differentiæ oriantur, ut quandocunque poſt obitum *Regis Matthiæ Dominus Rex Vladislaus aut ſui ſucceſſores*, *ſeu Regnum Bohemiæ* præfatas *terras*, *& provincias Moraviæ*, utriuſque *Sleſiæ*, *Luſatiæ*; *& ſex civitatum* recipere, & reunire corpori *Bohemiæ* voluerint, illud facere poſſint libere, & ſinè ullo impedimento *Regis Hungariæ* pro tempore exiſtente, *vel regni Hungariæ &c.* adjectæ ſunt plures conditiones, quarum præcipua ea fuit, ut cùm provinciæ illæ *ad coronam Bohemicam* revocarentur, *quadraginta aureorum Hungaricorum millia Pannoniæ Regi* penderentur: ſi verò *Vladislaum* præmori contingeret, ac ſuperſtitem *Matthiam à Regni Bohemici* ordinibus ad *Solium Bohemicum* vocari, conventum eſt *Sileſiam*, *Luſatiam*, *Moraviam*, *& ſex alias urbes* cum reliquo *Bohemiæ* regno coalituras. Sancitum etiam, ſi quis finitimorum *Regum*, *ac Principum* alterum ipſorum injuſto bello peteret, alterum mutuis opibus viribúſque alteri ſubſidio futurum. De redintegranda verò in *Bohemia re Catholica* hoc decretum additum:

In ſequentibus adducitur tantùm literarum Compendium.

Item concluſum eſt, quòd ex parte differentiarum in *ſedem Apoſtolicam*, *& Bohemos*, poſtquam Majeſtates eorum convenient, debebunt hoc negotium ſimiliter pertractare, & videre de modo, quo tales differentiæ poſſint complanari: Similiter & diligentiam facere, & ſolicitare, quòd quidam *Archiepiſcopus in regno* ordinetur, qui ab omnibus decenter, & honorificè honoretur, ſuſcipíque debebit, & teneri, & ut ſententia excommunicationis per Dominum *Paulum Pontificem* piæ memoriæ promulgata tam à vivis, quàm à mortuis auferatur, apud *Dominum Pontificem* laboretur.

Conſtitutum etiam eſt, ut ſolemne *Regum* colloquium in agro inter *Olomucium*, quo *Matthias* accederet, & Vniczovium, quo *Vladislaus* ſe conferet, celebraretur, in quo fœdus æternum *Hungaros* inter & *Bohemos* ſanciretur, déque reſarciendis damnis poſt inducias *Vratislaviæ* pactas illatis ageretur, ac vi occupata reſtituerentur, & capti liberarentur. Datum in præfata civitate Olomucenſi die Lunæ in octava S. Andreæ Apoſtoli, anno Domini M. CCCCLXXVIII.

EPISTOLA LXXVII.

De Jure Electoratûs in Romano Imperio, Regibus Bohemiæ competente, Rudolphi & Caroli Roman: Regum, & Ruperti Palatini Senioris Atteſtationes.

Hæ literæ recitatæ ſunt ſuperius, ſed non tam copioſæ.

In nomine Domini & Salvatoris noſtri JESU Chriſti Amen.

1486.

ANno nativitatis ejuſdem M. CCCCLXXXVI. Indictione IV. die 5. menſis Aprilis, horâ tertiâ, vel quaſi, Pontificatûs Sanctiſſimi in *Chriſto Patris ac Domini noſtri*, *Domini Innocentii Papæ octavi*, anno ejus II. in regia Caſtri Pragenſis, *Sereniſſimus Princeps*, *& Dominus*, *Dominus Vladislaus Bohemiæ Rex*, *Marchio Moraviæ*, *Lucenburgenſis & Sileſiæ Dux*, *& Luſatiæ Mar-*

M.S. Privileg.

tiæ Marchio, Sacri Romani Imperii Princeps Elector: in mei Notarii publici ſubſcripti, & teſtium infrà ſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia accerſivit & vocavit *Reverendum Patrem & Dominum, Dominum Paulum Pragenſem & Sderaſienſem Præpoſitum, Viſitatorem Archiepiſcopatûs Pragenſis à ſede Apoſtolica* deputatum, *Decretorum Doctorem*, & quaſdam literas in Pergameno deſcriptas; primam videlicet felicis recordationis', invictiſſimi olim *Principis & Domini, Domini Caroli Romanorum Regis ſemper Auguſti, & Boëmiæ Regis*, ejus verò bullâ aureâ in filis ſericis rubei coloris' more Imperiali dependentibus, bullatam & ſignatam. Bulla quoque aurea in parte una continebat imaginem *Imperatoris* in ſolio Imperiali ſedentis, & literæ in circumferentia hæ videbantur: *Carolus DEI Gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus.* Ad latus verò dextrum & ſiniſtrum: *& Rex Boëmiæ.* In altera parte figura *Urbis*, turrim in medio, & ad latera duo propugnacula habentis. In porta turris literæ erant, *Aurea Roma*, in circumferentia verò; *Roma caput mundi, regit orbis frena rotundi.* Alteram autem felicis recordationis olim *Illuſtriſſimi Principis & Domini, Domini Ruperti Comitis Palatini Rheni, Sacri Imperii Romani Archidapiferi, & Ducis Bavariæ.* Ejus verò ſigillo rotundo de cera rubea communi impreſſa, in filis ſericis viridis' coloris dependente, habentis *clypeum cum duobus leunculis* alternatim, & in aliis duobus angulis quidam tractus ſimiles punctis apparebant; ſupra clypeum galea, & ſupra galeam leunculus cernebatur. Literæ autem in circumferentia hæ videbantur: *Secretum Ducis Ruperti Senioris.* Sanas & integras, non vitiatas, non cancellatas, non raſas, vel abolitas', nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes, ut prima facie apparebat. Eidem *Domino Viſitatori* patenter palámque exhibuit atque obtulit inſpiciendas, legendas', & ſollicitè ac diligenter auſcultandas ipſum inſtantiſſimè requirendo, ut eis opportunè inſpectis, & pleniſſimè auſcultatis, tranſſumptum earum, & copiam in formam, quæ *vidimus* nuncupatur, traducat atque transformet, ut ubicunque locorum ipſa earum ſeries delata fuerit, & oſtenſa, fides huic habeatur ſicut authenticæ principali. Tenor autem literæ primæ & continentis per omnia talis exiſtit.

Carolus DEI Gratiâ Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, & Boëmiæ Rex.

Ad perpetuam rei memoriam.

INnata cordi noſtro benignitas circa fidelium & devotorum noſtrorum honores & commoda continuis intenta vigiliis, votis ipſorum annuere nos jugiter inducit, quoties poſcentium vox eſt juſta: in hoc enim liberalitatis noſtræ non errat intentio, ſed regalis ſceptri faſtigium attollere ſalubriter arbitratur. Sanè ad *noſtræ Celſitudinis Venerabiles, Archiepiſcopus Pragenſis, Olomuczenſis, Vratiſlavienſis, & Lytomiſlenſis Epiſcopi*, nec non *Illuſtres Joannes Carinthiæ, Comésque Tyrolis & Goriciæ, Germanus noſter Chariſſimus, ac Nicolaus Opaviæ & Ratiboriæ Duces, cæteríque Prælati, Duces Principes, Barones, Proceres, & Nobiles regni noſtri Boëmiæ*, & pertinentiarum ejuſdem, præſentiam accedentes, Nobis humiliter ſupplicarunt, ut quaſdam literas *Rudolphi Divi* Romanorum Regis', prædeceſſoris noſtri, nobis per ipſos exhibitas, quarum tenor & ſeries ſequitur in hæc verba:

Rudol-

Rudolphus DEI Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, univerſis Sacri Imperii Romani fidelibus præſentes literas inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum.

Quanto jura &c. *ſuperius recitatæ ſunt hæ literæ Rudolphi, ad Annum* 1290. *Pag.* 24.

Noſtrâ confirmare auctoritate regiâ dignaremur. Nos itaque præfatorum *Prælatorum*, *Ducum*, *Principum*, *Baronum*, *Procerum & Nobilium* (quos honoris & felicis ſtatûs *Romanorum Regni & Sacri Imperii* fideles & ſollicitos præ ceteris novimus Zelatores, ipſúmque *Regnum Boëmiæ Romanorum Regni nobilius membrum fore*) ſupplicationibus benigniùs inclinati, præfatas literas, ac omnia & ſingula contenta in eiſdem, laudamus, ratificamus', approbamus, confirmamus', ac de novo ex certa ſcientia de noſtræ Romanorum Regiæ plenitudine poteſtatis', præfatis Regno, *Prælatis, Ducibus, Principibus, Baronibus, proceribus & nobilibus, ac Univerſitati Regni* ipſius & pertinentiarum ejuſdem, ad uſum & opus *Regum Boëmiæ* in perpetuum damus' tenore præſentium, conferimus, & donamus; omnem diminutionem & defectum, ſi quis in præmiſſis fuerit, reparantes omnimodè & ſupplentes, ac omne dubium, & obſcurum pro parte, & in favorem ipſorum regni, & *Regum Boëmiæ*, de uberiori dono *Majeſtatis Romanorum Regiæ* & plenitudine poteſtatis, interpretantes & etiam declarantes'. Non obſtantibus legibus', conſuetudinibus, uſibus, obſervantiis', juribus municipalibus vel communibus, ſtatutis ſeu edictis, factis & editis in contrarium quibuſcunque, quas & quæ, quantum ad hæc, ac ſi forent nominatim & de verbo ad verbum ſcripta præſentibus & inſerta, revovamus, caſſamus, irritamus', annullamus, & de dicta ratione Regiæ plenitudine poteſtatis decernimus firmiter fore nullius penitùs momenti. Nulli ergo omnino liceat hanc noſtræ laudationis, ratificationis, approbationis, confirmationis, donationis, reparationis, ſupplementi, interpretationis, declarationis, revocationis, caſſationis, irritationis & annullationis paginam infringere, vel ei auſu temerario in aliquo contraire. Contrarium verò facientes, ſi qui fuerint (quod abſit) ultra indignationem noſtræ *Celſitudinis Regiæ*, quam ob hæc ſe noverint graviter incurſuros, mille marcas auri puri noſtro & *Romani Regni* fiſco componant, ipſarum videlicet medietatem noſtræ & ſucceſſorum noſtrorum *Romanorum Regum & Imperatorum* curiæ ſeu cameræ, & reliquum paſſis injuriam irremiſſibiliter applicandas'. In quorum omnium teſtimonium & ad certitudinem pleniorem, præſentes fieri juſſimus, & Bullâ Aureâ typario noſtræ Majeſtatis impreſsâ præcepimus communiri. Hujus rei teſtes' ſunt, *Gerlacus Archiepiſcopus Moguntinenſis per Germaniam S. Imperii Archicancellarius, Rudolphus Senior Dux Saxoniæ, Sacri Imperii Mareſchalcus, Rudolphus junior, Saxoniæ, & Fridericus de Teck Duces*; *Joannes Burggravius Norimbergenſis, Ulricus Landgravius de Laychtenberg, Fridericus de Ollremund, Ulricus de Helffenſtein, & Rudolphus de Wertheim Comites*; *Petrus de Hedwig, Craffto de Holoch, Gotfridus de Prunes, Eberhardus de Walſe, Fridericus de Walſe, Eglof de Fryberg, & Burckhardus de Elrbach*, Romani Regni *præfati Principes, & Barones.* Datum *Pragæ*, anno Domini M. CCCXLVIII. Indictione primâ, ſeptimo Idus Aprilis, Regnorum noſtrorum anno ſecundo. Tenor autem & continentia alterius literæ talis erat. *Rupertus DEI gratiâ Comes Palatinenſis Rheni, Sacri Romani Imperii Archidapifer, & Dux Bavariæ*, ad perpetuam

Uſitata Carolo IV. verba de Bohemiæ ſcribenti.

 rei me-

rei memoriam. Desideratæ pacis laudanda præsidia &c: &c. *ùt suprà ad verbum recitatæ sunt ad A.*1356.*p.*70. Datum *Metis* anno Domini M.CCCLVI proximâ Dominica ante festum B. Luciæ Virginis. Igitur præfatus *Dominus Visitator ad solertem Regiæ Majestatis requisitionem*, visis & auscultatis singulis quæ circa præmissa & in ipsis meritò fuerant auscultanda, qualitatem dictarum literarum & contentorum in eisdem sagacissimè dispiciens, mihi *Notario* infrà scripto injunxit solicitè, ut juxta Majestatis Regiæ vota, per mei officii debitum executioni solitæ demandentur. Atque hæc ipsa omnia in suo dispositа ordine in publicam redigi formam, & publicum fieri desuper instrumentum mandavit & præcepit: sigillo quo pro suo utitur officio, in fidem omnium præmissorum præsentibus subappenso. Datum & Actum Anno, Indictione, die, mense, horâ, Pontifice & loco quibus supra.

Præsentibus ibidem venerabilibus & eximiis viris, Domino Joanne de Crumlovv Decano Ecclesiæ Pragensis, Domino Wenceslao de Plana ArchiDiacono ejusdem Ecclesiæ, Decretorum Doctoribus, Domino Paulo de Pisna ArchiDiacono Zacensi, Magistro Joanne de Elbogen S. Theologiæ Baccalaureo formato, ArchiDiacono Boleslaviensi, Canonicis Pragensis Ecclesiæ; Domino Benedicto de Strakonitz ArchiDiacono Bielinensi; atq; honorabilibus Viris, Domino Jordano de Tachovv Medico præbendato, Domino Gregorio de Crappiz, Domino Michaële de Budevveis, Domino Bartholomæo de Kapplitz, Vicariis & Altaristis suprà memoratæ Ecclesiæ Pragensis: & aliis quàm plurimis testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

EPISTOLA LXXVIII.

Contractus Matrimoniorum Regalium inter Serenissimum quondam Ludovicum Ungariæ Regem & Mariam Regis Hispaniarum filiam: nec non Sereniss: Ferdinandum, tunc Archiducem Austriæ & Annam Ladislai Regis Ungariæ & Bohemiæ filiam, medio Maximiliani Imperatoris, factus, Anno 1515.

Gold. f. 116.

Nos Maximilianus, divinâ favente Clementia Romanorum Imperator, semper Augustus; ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, & Geldriæ, Landgravius Alsatiæ; Princeps & Comes Burgundiæ, Flandriæ, Tyrolis, Goriciæ, Artheſiæ, Hollandiæ, Selandiæ, Ferreti, in Kyburg, Namurci & Zutphaniæ; Marchio S. Romani Imperii, supra Anasum, Burgoviæ; Dominus Phrisiæ, Marchiæ Slavoniæ, Mechliniæ, Portûs Naonis, & Salinarum &c.

Nos Ladislaus, DEI Gratiâ Rex Hungariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæ, Marchio Moraviæ, Dux Silesiæ, & Lucemburgensis, ac Marchio Lusatiæ &c.

Nos

Nos Sigismundus eadem Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, &c. Dominus & Heres, &c. Tenore præsentium recognoscimus, & ad perpetuam rei memoriam notum facimus universis.

QUòd cùm suoptè naturæ nostræ instituto, ea quæ ad ornamentum, dignitatem, amplificationem, & conservationem regnorum ac subditorum nostrorum, quibus Divinâ dispositione sumus præfecti, spectare nobis videntur, pace, concordiâ & amicitiâ, potiùs quàm ullo studio sive officio quærenda putaverimus: ac præsertim amicitiam atque fraternam inter nos unionem, quamvis aliàs avita necessitudo, sanguinisque stricta conjunctio, inter nos intercedat, novis & arctioribus vinculis stringere atque consolidare cogitaverimus; quò cæteri *Christiani Principes* exemplum nostrum imitati, faciliùs etiam inter se ad sancta pacis fœdera coïrent: & Religio Christiana, propriis atque concordibus viribus ac armis aliquando subnixa, sibi ipsi decori, conservationi, & incremento, suis verò hostibus immanissimis formidini ac demum exitio esset futura. Cúmque ejus rei causâ, ex multis nunc annis, tam super sponsalibus, quàm vinculis matrimonialibus, inter nostros *Maximiliani Imperatoris, & Vladislai Regis* Nepotes & Liberos formandis esset tractatum aliàs; tandem Divino annuente favore, his negotiis extremam manum apponere voluimus, & in hoc celeberrimo atque Sanctissimo conventu nostro, quem DEUS propitius suâ benignitate clementer indulsit & ordinavit fieri, ultrà ea, quæ ad publicam *Universalis Christianæ Religionis*, utilitatem inter nos acta & consultata sunt, memoratos Sponsaliorum & Matrimoniorum tractatus, felici fine atque conclusione duximus firmandos atque sanciendos. Itáque ad laudem & gloriam imprimis *DEI Optimi Maximi*, & ad utile Religionis incrementum, nec non ad perpetuam tranquillitatem, quietem, stabilitatem, atque conservationem, non tam nostram quàm *Nepotum, Liberorum, Regnorum, Dominiorum, & subditorum nostrorum*, ad hos infrà scriptos contractus & tractatus devenimus.

Nuptialia fœdera inter Ferdinandum I. & Annam Ladislai Regis filiam.

Inprimis contracta, celebrata & confirmata sunt sponsalia per verba matrimonialia & de præsenti, cum solennitatibus & ceremoniis in hujusmodi actibus intervenire solitis & consuetis, inter *Serenissimam Dominam Mariam, nostri Maximiliani Imperatoris Neptem Charissimam, & Serenissimi quondam, filii nostri Philippi Regis Castellæ filiam, ex unâ; & Serenissimum Dominum Ludovicum, Hungariæ, Boëmiæq; Regem, nostri Vladislai Regis filium Charissimum*, parte ex altera: accedente ad hoc mutuo & expresso, quantùm per ætatem licuit, eorum consensu & voluntate: proferente præfato Rege *Ludovico*, hæc verba formalia: *Ego Ludovicus accipio te Mariam in meam legitimam uxorem*: contra autem ipsa Domina *Mariâ* pronunciante: *Ego Maria accipio te Ludovicum in meum legitimum maritum:* coram *Reverendissimo in Christo Patre Domino, Domino Thoma, tituli S. Martini in montibus Presbytero Cardinale, & Archiepiscopo Strigoniensi & Patriarchâ Constantinopolitano, & sedis Apostolicæ de latere legato*, hujusmodi contractum, per annulorum subarrhationem, & aliis necessariis firmante, & solennizante, hâc potissimum lege & fine: ut succedente per tempus legitimâ atque idoneâ ætate, præfati *Dominus Ludovicus Rex, & Domina Maria*, hujusmodi Matrimonium, per copulam carnalem, ùt convenit, inter se consummare debeant. Quod indubitan-

dubitanter ità futurum, *Nos Maximilianus*, *& Nos Vladislaus Rex*, *in verbo noſtro Cæſareo*, *& Regio promittimus.*

Secundò, *Nos Maximilianus* hodiè contractum matrimonialem, cum *Sereniſſima Domina Anna*, *Noſtri Vladislai Regis filia Chariſſima*, per verba de præſenti, & ad talem actum neceſſaria, & proferri utrinque ſolita, celebravimus, & ſolenniter in facie Eccleſiæ firmavimus: nobis Imperatoribus hæc verba formalia pronunciantibus: *Ego Maximilianus accipio te Annam in meam legitimam uxorem;* Et è contra ipſa Domina Annâ referente: *Ego Anna accipio te Maximilianum in meum legitimum Maritum:* coram ſupradicto *Reverendiſſimo Cardinale Legato*, hujuſmodi contractum noſtrum *Matrimonialem*, per annulorum ſubarrhationem, & alia ad hæc requiſita & adhiberi ſolita, firmante & ſolennizante. Priuſquàm tamen nos *Maximilianus* cum Domina *Anna* præfata contraheremus, coram Notariis ac Teſtibus, ſpecialiter ad hoc requiſitis & vocatis, *Nos Maximilianus* & ipſa *Domina Anna* ſolennem proteſtationem fecimus & declaramus: Quòd ſi alter ex Nepotibus noſtris *Maximiliani*, videlicet aut *Illuſtriſſimus Ferdinandus*, *Archidux Auſtriæ*, ſive *Sereniſſimus Dominus Carolus*, *Dux Burgundiæ*, *& Hiſpaniarum Princeps*, (dummodo is â contractu cum Domina *Renata* olim *Ludovici Regis Franciæ filia* aliàs facto liber & immunis fieret & opportuna *Sanctiſſimi Domini noſtri & ſedis Apoſtolicæ diſpenſatio* interveniret) cum præfata Domina *Anna* infra ſpatium unius anni à data præſentis contractûs proximè futuri, contrahere vellet: quod iſtud de expreſſo conſenſu, & voluntate amborum noſtrorum fieri poſſet: & præſens contractus inter nos *Maximilianum Imperatorem & ipſam Dominam Annam* in iſto caſu annihilatus, annullatus, & caſſatus eſſe debeat: proùt in inſtrumento proteſtationis deſuper confecto latiùs continetur, & exprimitur. Debemúſque ac volumus *Nos Imperator Maximilianus*, hujuſmodi contractum *Matrimonialem cum Domina Anna*, nisi alter *Nepotum noſtrorum* in tempore præfixo, unius videlicet anni, eam per verba de præſenti ducet, per copulam carnalem, infrà trimeſtre pòſt, & ſupra annum à die præſentis contractûs computando conſummare & complere. Et in hunc finem præfata *Domina Anna* ad manus noſtras fuit tradita, & liberè conſignata.

Solennitas Contractûs

Nos verò *Vladislaus Rex*, cùm utraque iſta Matrimonia, non ſolùm de conſenſu & voluntate noſtra, imò ex ardentiſſimo noſtro deſiderio, facta ſint: ut præfatam filiam noſtram Chariſſimam dote decenti & convenienti honeſtaremus, eidem filiæ noſtræ *Annæ ducenta millia florenorum Hungaricorum*, dotis nomine, tenore præſentium *inſcribimus & aſſignamus*: ità tamen, quòd hujuſmodi pecuniæ ſolutio, neque ad præſens, neque tempore conſummationis fieri, ſed ad illud tempus differri debet, quo *Chariſſimus Filius noſter Ludovicus* cum *Domina Maria Matrimonium* per copulam conſummabit. *Cui Dominæ Mariæ* ſimiliter, ùt infrà patebit, *ducenta millia florenorum Hungaricalium* dotis loco, ſunt inſcripta. Hoc namque Matrimonio filii noſtri cum Domina *Maria* per copulam conſummato, hujuſmodi dos utrinque compenſata, & neutra partium ad illius ſolutionem alteri obligata ſit, vel eſſe debeat. Ut autem viciſſim *Nos Maximilianus Imperator Dominam Annam*, ùt par eſſet, debitè & ingenuè remuneremus; loco donationis propter nuptias, ſeu contradotis, eidem Dominæ *Annæ* reditus annuos *viginti quinque millium Ducatorum Hungaricalium* ſuper certis caſtris, locis ſeu territoriis noſtris in tenore præſentium aſſignamus: Videlicet medietatem illorum

illorum redituum in Provinciis noſtris Auſtralibus inferioribus, videlicet ſuper oppidis & caſtris *Judenburg*, *Leola*, *Styra*, *Lembach*, *ad S. Hyppolitum*, *& Gars*, unà cum omnibus & ſingulis ipſorum territoriis, diſtrictibus & emolumentis. Alteram autem medietatem in *Comitatu noſtro Tyrolis*, videlicet ſuper *Oppidis & Caſtro Ympſt*, *Caltarn*, unà cum Officio in *Altenburg*, & ſuper oppido & caſtro in *Ratenberg*, unà cum eorum omnibus pertinentiis, ut ſuprà, aſcribimus, unà cum omnibus aliis, quæ vel ex privilegio, conſuetudine, aut de jure *Provinciæ noſtræ Auſtralis*, *Archiduciſſæ* debentur pro contradote. Si autem iſtorum locorum per nos aſſignatorum reditus ad præſcriptam ſummam non aſcenderet; ex aliis reditibus noſtris hujuſmodi defectum, ùt par eſt, ſupplere uſquè ad integrum valorem ſummæ *viginti quinque millium Ducatorum Hungaricalium*, curabimus, & pari firmitate promittimus, ipſámque Dominam *Annam* ſtatim poſt conſummationem Matrimonii inter nos per copulam, in poſſeſſionem ſuprà dictorum locorum ponemus & introducemus, curabimúſque, ut omnes Officiales & ſubditi ſuprà dictorum locorum Dominæ *Annæ* per nos aſſignatorum, homagia & alia fidelitatis juramenta eidem Dominæ *Mariæ* præſtare debeant: Ipſa quoque Domina *Maria*, de prædictorum locorum officiis & perſonis inſtituendis, ad arbitrium ſuum diſponere poſſit ac debeat.

Dos Annæ Mariæ.

Hæc duo matrimonia, tametſi ad laudem inprimis *DEI glorioſam*, & ad propagationem regalis Sanguinis (qualis eſſe debet finis & intentio Sacramenti matrimonii) à nobis inſtituta & firmata ſunt: tamen ſi DEO æterno placeret, ſicut omnes mortalitati obnoxii ſumus, revocare ad ſe, (quod tamen longiùs abeſſe velit) unum ex ſponſis, & ſponſabus, antè vel poſt matrimonii per copulæ conſummationem: ità inter nos eſt conventum & concluſum; & inprimis in caſu, quo *ſponſum ſive Maritum Dominæ Annæ*, (ſive nos ſive alterum *Nepotum noſtrorum*) ex humanis antè copulam diſcedere contingeret; quòd tunc, præfatæ *Dominæ Annæ*, ſumma *centum millium Ducatorum*, in ſpacio unius anni tunc proximè futuri perſolvatur, aut jocalia tanti valoris ſecundùm veram æſtimationem ad numerum centum florenorum Hungaricalium, quæ apud Provinciales noſtros inferioris Auſtriæ deponere debemus, in eventu non ſolutionis ſupradictæ ſummæ *centum millium florenorum Hungaricalium*, tradantur, cum conditione tamen, nos aut *Heredes noſtros de Domina Anna aut Heredibus ſuis*, hujuſmodi jocalia cum ſumma memorata *centum millium Ducatorum Hungaricalium redimere poſſe.* Pro qua re *Prælati*, *Comites*, *Barones*, *Nobiles*, *Comitatus*, *omnéſque Status & Ordines Provinciæ Auſtriæ*, ſufficienter ſub fide atque honore ſuo, & ſub hypotheca omnium bonorum ſuorum mobilium & immobilium ſe obligabunt, quòd in ſupraſcripto caſu, ſumma *centum millium Ducatorum Hungaricalium* abſque omni diminutione, aut jocalia ipſa à nobis apud eos deponenda, manibus *præfatæ Dominæ Annæ*, aut *Sereniſſimorum Regum Ungariæ & Boëmiæ*, ſive aliorum quos Serenitates ſuæ aut Regna ipſa ad hoc deputabunt, in arce *Poſonienſi* tradent & aſſignabunt, omni dolo & fraude, & quavis Machinatione ſiniſtrâ, procul remotis. Quod ut faciant, illis tenore præſentium præcipimus, injungimus, & mandamus, ipſóſque ab omni obligatione ſubjectionis, fidelitatis & obedientiæ, quibus nobis & heredibus noſtris ſunt aſtricti, ad hunc duntaxat effectum abſolvimus, & liberos fore circà executionem prædictorum, expreſsè pronunciamus, & ex nunc declaramus. Hi autem, qui hujuſmodi pecuniam, ſive jocalia ſupradicto caſu ad arcem *Poſonienſem* perferent, *numerum Ducentorum* (ſive equites ſive pedites fuerint) excedere

Si quis ex ſponſis meriatur quid agendum.

excedere non debeant. Similiter moriente ante consummationem matrimonii per copulam sponsæ præfatæ Dominæ *Annæ*, quicumque is fuerit, iidem Provinciales nostri, ipsam Dominam *Annam* cum omni honestate, salvis personis, & omnibus rebus suis & omnium suorum, ad omnem ejus atque *Serenissimorum Regum* voluntatem atque arbitrium, ad regna paterna, *Posonium* videlicet aut *Znoymam*, reducere debebunt & tenebuntur. In casu verò, quòd unam ex sponsabus, antè matrimonii consummationem per copulam, mortem obire contingeret, nihilominùs alteri sponsæ, quæ superstes erit, dos expressa, videlicet *ducentorum millium* Ducatorum persolvatur. Similiter si unus ex maritis, post matrimonii consummationem, fatis concederet, & uxor relicta ad secunda vota transire vellet: eidem relictæ summa illa *Ducentorum millium* Ducatorum persolvi, & ipsa relicta statim è reditibus pro contradote sibi assignatis, sibi cedere debet: Interim verò & quàm diu solutio dotis ducentorum millium Ducatorum non fit, reditus annuos, & statum suum tenere ac percipere poterit ac debet.

Quæ omnia supradicta, inter nos *Maximilianum nostrósque Nepotes, ac nostros Vladislai* filium & filiam contracta, firmata & concluſa, postquàm maturâ deliberatione præhabitâ, & à nobis sancita sunt, Procerum utriusque *Imperii ac Regnorum* nostrorum accedente consilio, grata, rata, firma habemus, eáque omnia, in fide ac verbis nostris regiis, observare, exequi, ac adimplere, pro nobis, Nepotibus, Liberis, & hæredibus atque successoribus nostris, neque ex illis quoquomodo contravenire, directè & indirectè, ex quacunque causa, occasione, sive colore, dolo & fraude penitùs exclusis, tenore præsentium promittimus, & nos obligamus.

Sigismundi Poloniæ Regis attestatio hujus contractûs.

Nos verò *Sigismundus, Poloniæ Rex*, postquàm hæc omnia supradicta, nedum in præsentia nostra, sed & cum scitu & voluntate atque consensu nostro sancita atque firmata sunt: nósque ut fierent, omni operâ & studio laboravimus, rati non tam *præfatis* Majestatibus Sacratissimi Cæsaris, *& fratris nostri; Hungariæ, Boëmiæq; Regibus, Regnis & eorum Liberis*, sed & universæ reipublicæ Christianæ rem tam Sanctam & saluberrimam profuturam, eadem fide nostrâ regiâ, atque in verbo *ingenui Principis*, præsentium tenore promittimus, *Nos* omni fide, studio ac operâ nostrâ, quantum fieri per nos poterit, ut suprà dicta omnia observentur, exequantur, integra atque illæsa conserventur, & manu teneantur & compleantur, sincerè atque ingenuè curaturos atque elaboraturos.

Confirmatio à Papa petenda.

Adhæc *Nos*, *Maximilianus Imperator*, *Vladislaus & Sigismundus Reges* pro præmissorum omnium confirmatione, *Sanctissimum Dominum nostrum*, requirimus; si contractus suprascripti debitis solemnitatibus, vel personarum ætate, aut aliâ causâ, sive defectu, non satis essent fulciti, ut *Beatitudo* sua, ad incrementum pacis, & universorum salutem, hujusmodi defectus suppleat, & omnia, ùt acta sunt, confirmet & approbet, omnibus in contrarium facientibus derogari.

In quorum omnium fidem indubitatam, atque testimonium, nos *tres Præfati Principes*, ternas conformes literas, manibus & Chirographis nostris propriis subscripsimus, ac sigillis nostris Imperialibus atque Regalibus communiri fecimus. Cúmque res istæ etiam consilio & industriâ atque operâ *Reverendissimorum Cardinalium*, supradicti videlicet *Strigoniensis & sedis Apostolicæ Legati*, *Matthæi S. Angeli* Diaconi Cardinalis Gurcensis, *Coadjutoris Saltzburgensis, & nostri, Imperatoris, Locumtenentis in Italia Generalis, actæ*, tractatæ & concluſæ sint: manibus suis præsentes literas, ad majus robur & efficaciam, etiam duxerunt subscribendas. Datum in Civitate *Vienna*, Dominicâ die Festi *S. Mariæ Magdalenæ*, 22. Julii. Anno 1515. Regnorum nostrorum, nostri *Maximiliani*, Regni Romanorum 30. Hungarici verò 26. Nostri autem *Vladislai* Hungariæ 25. Bohemiæ verò 45. Nostri autem *Sigismundi* Regni Poloniæ 9.

Nos itaque præfatus *Vladislaus, Rex Hungariæ & Bohemiæ &c.* hoc suprà scriptum exemplum, ex literis originalibus, fœdus affinitatum nobiscum cum *Cæsarea Majestate* continentibus, ad Verbum transumi, & transscribi fecimus: & ut Oratoribus nostris ea in re *Sanctissimus Dominus* noster plenam & indubitatam fidem faciat, sigillo quoque nostro corroborari jussimus.

EPISTOLA LXXIX.

Quomodo Sigismundus Rex Poloniæ unà cum Divo Maximiliano Romanorum Imperatore à Duobus Statibus Regni Bohemiæ Statu Baronum & Statu Militarium in Tutorem & Protectorem Regis Ludovici & Regni illius fuerunt recepti.

1517.

Nos SIGISMUNDUS DEI Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæque Dominus & Heres.

Ex Privilegiis Regni.

REcognoscimus, & Notum facimus tenore præsentium universis, quia cùm duo *Status Baronum & Militarium Regni Boëmiæ* sponte & liberâ eorum voluntate sine præjudicio jurium & libertatum suarum, *Nos* in Tutorem & Protectorem illius *Regni* unà cum Serenissimo & Excellentissimo Principe & Domino Domino *Maximiliano Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperatore semper Augusto, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rege, ArchiDuce Austriæ, Duce Burgundiæ, Brabantiæ, & Comite Palatino, Fratre, & Consanguineo Nostro Charissimo* usque ad legitimos annos *Serenissimi Principis & Domini Ludovici Hungariæ & Boëmiæ, &c. Regis, & Marchionis Moraviæ, Nepotis Nostri Charissimi* per suos insignes Oratores susceperint eâ lege, ut ipsos & *Regni Bohemiæ terras, ac Dominia* ad id pertinentia in eorum *Privilegiis, Juribus, Ordinationibus, Institutionibus, & laudabilibus consuetudinibus*, ac etiam *fide* seu *Religione*, prout in literis à priscis *Romanorum Imperatoribus & Regibus*, ac etiam à *Serenissimis Boëmiæ Regibus* desuper concessis, similiter à bonæ memoriæ *Vladislao Hungariæ, & Bohemiæ Rege, Germano Nostro Charissimo*, confirmatis, & novis literis per Status etiam *Regni Boëmiæ* factis, & in *Tabulam* seu *Registrum Regni* inscriptis patet & continetur, conservare dignaremur, ità ùt *Rex Boëmiæ* illorum Dominus facere teneretur.

Nos considerantes eorundem *Statuum Regni Boëmiæ* singularem fidem, bonum animum & confidentiæ erga Nos, & eorum honestam postulationem, promisimus ipsis sub fide, & dignitate Nostra Regia, & tenore præsentium promittimus & pollicemur: Quòd unà cum præfato *Serenissimo Fratre Nostro Romanorum Imperatore*, quandoquidem ab ipsis statibus simili modo susceptus est, *Nos* tanquam Tutor, & Protector, status suprà nominatos

Regni Boëmiæ ac Terras & Dominia ad id pertinentes & pertinentia in prædictis eorum Privilegiis, Juribus, Ordinationibus, Institutionibus, & antiquis eorum bonis & laudabilibus consuetudinibus, & etiam in fide, seu Religione, & ad quæ prædicti Status in *Regno Bohemiæ* Jus habent, gratiosè permittere, & inviolabiliter observare, & in eo ipsos manu tenere; Et si qui essent, qui in contrarium eos, vel *Regnum Boëmiæ* aggravare attentaverint, contra eos ipsos tuebimur & protegemus, sicuti facere tenetur *Rex Bohemiæ* sinè dolo & fraude.

Harum Testimonio literarum, quibus Sigillum nostrum est appensum. Datum in arce nostra *Brazlavo* Feriâ Sextâ, Die S. Galli. Anno 1517. Regni verò Nostri Anno 11.

EPISTOLA LXXX.

Ferdinandi Romanorum, Hungariæ, & Boëmiæ Regis aliæ Literæ, quibus promittit, si aliqui contra Provincias Regno Boëmiæ Hereditariè adjunctas, aliquid vi aliquâ velint attentare, quòd eos deserere non debet.

1526.

Nos FERDINANDUS DEI Gratiâ Bohemiæ Rex, Infans Hispaniarum, ArchiDux Austriæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgæ, Silesiæ, & Marchio Lusatiæ, &c.

Ex Privilegiis Regni. *Defensio promittitur ordinibus Bohemiæ contra Ordines Hungariæ.*

NOtum facimus tenore præsentium universis: Quòd informati sumus *à Baronibus, Nobilibus, Pragensibus*, ac aliis Civitatibus *Regni Boëmiæ*, qualiter intellexissent, quòd *Corona Hungariæ* & Status ejusdem velint habere aliquod Jus ad aliquas Provincias *Regno Boëmiæ* hæreditariè adjunctas, ac ad illud pertinentes, & quòd aliquas inscriptiones haberent, quomodo dictæ Provinciæ ad *Regnum Hungariæ* pertinerent, quousque à *Regno Boëmiæ* certa summa florenorum ipsis non daretur; Cui quidem rei *Regnum Boëmiæ* & status ejusdem contradicunt, quòd in eo, *Coronæ Hungariæ* nec alicui alteri, sunt obligati, rogantes *Nos*, quòd dictum *Regnum Boëmiæ* & status in eo non derelinqueremus, sed ipsos sicut *Rex Boëmiæ* protegeremus, proponentes & hoc Nobis, quòd in ea causa possent justam discussionem ab aliquo vel aliquibus, qui partiales non essent, subire. Nos itaque audientes tale præfati *Regni* & statuum ejusdem desiderium & hoc ipsum pro justo cognoscentes; Quapropter dicto *Regno Boëmiæ* & statibus in eodem Regno promittimus, quòd si quis contra aliquam ex præfatis Provinciis ad *Regnum Boëmiæ* ab antiquo pertinentibus & adjunctis aliquid aliquâ vi attentare vellet, vel attentaret, quòd eos deserere non debemus, sed ipsis in eo adjutorio esse volumus & tenemur perpendentes, quòd talis res & defensio etiam ex debito ad Nos sicuti *Regem Boëmiæ* pertineat. Harum Testimonio Literarum Viennæ 13. Mensis Decembris. Anno Domini 1526. Regni verò nostri Anno Primo.

EPI-

EPISTOLA LXXXI.

Ferdinandi I. De Conservatione Compactatorum Bohemicorum Anno 1526.

Nos FERDINANDUS, DEI Gratiâ Bohemiæ Rex, Infans Hispaniarum, ArchiDux Austriæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, Silesiæ, & Marchio Lusatiæ &c.

NOtum facimus tenore præsentium Universis. Quòd promisimus, *Compactata* inter Sacrum Concilium Basilienſe & Inclytum *Regnum Bohemiæ ac Marchionatum Moraviæ* facta, quòd rursum ad suum vigorem pervenirent, & deducerentur, atque cum effectu observarentur. Et hoc inscribere debemus juxtà omnes inscriptiones *prædecessorum nostrorum Regum Boëmiæ* inscribere & observare, ac ad finem perducere. Quod si aliquis contrà hoc esse vellet, & *Regno Boëmiæ ac Marchionatui Moraviæ* illud infringere, atque cum *summo Pontifice* illud tractare, ac si *Boëmis & Moravis* illa cum effectu essent confirmata. Gold. f. 125. Haberfeld. f. 101.

Item promisimus ut talis *Archiepiscopus ad Ecclesiam Pragensem* daretur, qui *Boëmos & Moravos*, tam spirituales quàm seculares, in omnibus rebus, prout illa in se continent *Compactata*, & etiam juxtà inscriptiones & Assecurationes *Imperatoris Sigismundi* bonæ memoriæ, ac aliorum *Regum* Boëmiæ, & inscriptiones *Regis Vladislai*, conservaret & teneret; & talis *Archiepiscopus* ut citò impetraretur, confirmaretur & consecraretur. *De Archiepiscopo Pragensi.*

Item promisimus, *Regnum Bohemiæ, omnes Barones, Militares, Civitates Pragensem ac alias Civitates*, & omnem illius Regni Communitatem, juxta Jura, Ordinationes, Privilegia, Libertates, Immunitates, & Donationes Regni, & omnes alias antiquas observatas bonas consuetudines: & singulariter Divæ memoriæ Regis *Ottogari, Regis Joannis, Imperatoris Caroli, Regis Wenceslai, Imperatoris Sigismundi*, Regis *Alberti*, Regis *Ladislai*, Regis *Georgii*, Regis *Vladislai*, omnes inscriptiones datas, & usquè ad ejus obitum emanatas tenere, observare, & cum effectu protegere, citrà impedimentum & contradictionem quorumcunque. *Privilegia Regni promittit Ferdinandus I. se conservaturum.*

Item promisimus, *Castrum Carlsteinense, Coronam & qualiacunque Clenodia Regni, & etiam Tabulas ac Privilegia Regni* nemini citrà voluntatem & Consilium *Baronum & militarium Regni* Boëmiæ, *ac Civitatum Pragensium*, prout in eo negotio ad unumquemque pertinet, committere & concredere. *De Castro Carlstein.*

Item promisimus, quàm primùm Gubernamen effectuale *Præfati Regni* Boëmiæ in nos susciperemus, quòd observare debemus ritus, & Consuetudines antiquas *Regni Bohemiæ.*

Item promisimus, neminem Alienigenarum, tam spiritualium quàm secularium, ad officia Regni, Curiæ, Civitatum, vel spiritualium quàm *Bohemos* præficere, neque illis Castra aut Civitates concredere, & eis illa committere, Quæ etiam cum consilio facere debemus. Et etiam, ut in circumjacentibus ac ad *Regnum Bohemiæ* pertinentibus Provinciis, quod ità *Nemo alienigena in Officium Regni promovendus.*

observaretur, prout illud tempore Imperatoris *Caroli* & aliorum *Regum* prædecessorum nostrorum observatum fuit.

Nihil alienandum à Corona Boh:

Item promisimus, quòd nullas *Provincias*, *Ducatus*, *Civitates*, *Castra*, *Arces Homagiales*, ac alia quæcunque bona Regno pertinentia, *à Corona abstrahere*, aut alienare aliquo pacto, aut aliquâ dote, debemus. Verùm si quid à *Corona Bohemiæ* abstractum, aut alienatum, hoc debemus rursum *Coronæ* annectere & adjungere.

De probitate monetæ.

Item promisimus, *Monetam Bohemicam* nullo pacto alleviare, vel leviorem cudere sinè consensu totius *Regni*, sed ità se, juxtà immunitates & Privilegia *Regni Boëmiæ*, ac proùt jus est, observare.

Item promisimus quicquid *Imperatores Reges Bohemiæ*, prædecessores nostri, Ordinibus, singularibus personis, aut personæ, in bonis *Regni* seu spiritualibus seu feudalibus dederunt & inscripserunt, quòd illud tenere, & ex integro conservare debemus. Et hoc quidquid non esset contrà gratias & donationes, quas *Rex Vladislaus* omnibus Ordinibus istius *Regni contulit*.

Item promisimus unumquemque Ordinem & statum singillatim circà ipsorum *Jura*, *Ordinationes*, *Privilegia*, *Libertates*, *Immunitates*, *Consuetudines*, *& Donationes*, quæ ad unumquemque ordinem pertinent, conservare. Harum testimonio literarum sigilli nostri quo tanquam *ArchiDux Austriæ* hactenùs usi sumus, appensione munitarum. Datum in Civitate nostra *Vienna*, die decima quintâ mensis Decembris, quæ est *Sabbathi* proxima post festum Luciæ. Anno Domini Millesimo, quingentesimo, vicesimo sexto: Regni verò nostri, Anno primo.

EPISTOLA LXXXII.

Imp: Ferdinandi Aug: Aurea Bulla de Societate JESU, Anno Domini 1561.

FERDINANDUS Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Rex Germaniæ, Hungariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Infans Hispaniarum; ArchiDux Austriæ, Dux Burgundiæ, & Marchio Moraviæ; & Comes Tyrolis, &c.

Gold. f. 128.

REcognoscimus pro nobis, heredibus nostris & successoribus, Regibus &c. Quòd cùm à multo tempore afflictissimorum Regnorum nostrorum, *Germaniæ*, *Bohemiæ*, *Hungariæ*, *& Provinciæ in primis Austriæ* statum, maximè quoad Religionem nostram Catholicam, usquequaque ferè retroactis annis expulsam & profligatam, diligentiùs perpendissemus, eúmque ita esse reperissemus, ut nisi brevi de opportuno aliquo remedio illi dispexissemus, actum profectò de miseris ipsis reliquiis prælibatæ nostræ religionis Catholicæ (præsertim invalescentibus tot tantisque de die in diem novis hæresibus) intrà brevissimum tempus cuique vel mediocri judicio præ-

dito videri potuerit: sanè eâ curâ, & cogitatione nihil prius aut posterius habuimus, quàm ut huic malo efficacissimum antidotum inveniremus. *Laus Societatis JESU*

Quandoquidem itaque de *Almæ Societatis JESU* insigni pietate, aliisque innumerabilibus virtutum meritis, nec non sedulâ & incomparabili eorum in instituenda juventute, tam moribus Christianis, quàm in bonis omnis generis litteris diligentiâ, in habendísque Concionibus ad populum ipsum assiduitate, multorum fide dignorum relatione atque experimentis, exemplísque non modò *Pragensis*, *Oenipontani*, *& Tyrnaviensis Collegiorum*, quæ à nobis Clementer instituta annis prioribus, sed multò ampliùs atq; uberius Cæsarei hujus Collegii nostri Societatis ejusdem, quod multis antè annis hìc *Viennæ* easdem ob causas instituimus, edocti essemus, facilè induximus animum, ut quemadmodum eos in hanc tam copiosam & luxuriantem messem, scriptis de eo, tum ad *summum Pontificem Romanum* felicis recordationis *Paulum III.* tum ad *Generalem Præpositum ejusdem Societatis* primum institutorem *M. Ignatium de Lojola* bonæ memoriæ, quàm gratiosissimis litteris evocaremus. Quemadmodum verò illi, pro eorum in Rempublicam Christianam ardore, ejusmodi nostris postulatis minimè cunctanter annuerunt, hanc nostram regiam *Civitatem Viennensem*, nullâ habitâ ratione tam longinqui itineris, nec non eorum discriminum, quæ tum eos bellis ubique flagrantibus manebant, quàm studiosissimè appulissent, ita quoque nos nihil certè tam proprium officii nostri duximus, quàm ut illis confestim de honesta annua sustentatione, ac certo loco, ubi sese pro eorum instituto exercere, ac gratiam illam, quæ illis divinitùs concessa est, populis nostris, ac fidelibus subditis communicare valerent, inprimis provideremus. Quare nos pro religionis Zelo ad conservandam, & propagandam veram fidem Catholicam ratione *institutionis puerorum*, *educationis doctorum Virorum*, *ac præcipuè Cleri* Almæ Societatis JESU moti sequentem fundationem ac ordinationem fecimus, &c. Datum *Viennæ* anno 1563. 1. Octobris.

EPISTOLA LXXXIII.

Oratio à Legatis Ordinum Regni Bohemiæ habita VVarsaviæ in conventu Regni Poloniæ pro Ernesto Bohemiæ Principe in Regem Poloniæ assumendo. Anno 1573.

IMmaturus obitus *Serenissimi Regis Sigismundi Augusti, &c. Status Regni Bohemiæ* in non parvum mœrorem conjecit. Solent enim Magnorum Principum ex hac vita migrationes interdum periculosas mutationes Regnis & publico rerum statui prænunciare. Ipse verò *Sigismundus Augustus* erat Princeps ea animi magnitudine, iisque virtutibus præditus, ut facilè singulos de suis majoribus adæquaret, nonnullos etiam non sinè magna laude superaret. Adde quòd in eo ultima & universa spes *Jagellonici Sanguinis* (cum quo Reges & Principes nostri antiquæ consanguinitatis, conjunctionis & necessitudinis fœdera adeò arctè renovarunt, ut rarò quidpiam acciderit, quod inter eos publicam tranquillitatem & bonam vicinitatem turbaret) fuerat reposita. Sed quia sic DEO visum est, ut celeberrimum hoc *Regnum Poloniæ Patre & Rege*, *nostrum autem Bohemicum* vicino optimo orbaret, pietas jubet, ut divinæ voluntati nostram subjiciamus. Et habent *status Regni* Goldast. in Append. Doc. f. 130.

Bohemiæ ſui luctûs non contemnendam mitigationem ex celeberrimæ hujus Synodi inſtituto, in qua pro laudabili Regni conſuetudine Privilegiis & libertatibus *de novo Rege eligendo* ſunt habenda conſilia. Ad eam rem, ut quæ non modò hujus inclyti regni incolumitatem, ſed & totius Chriſtianitatis ſalutem concernat, dicti *ſtatus Regni Bohemiæ à DEO Optimo Maximo Reverendiſſimis, Illuſtriſſimis, & Magnificis Dominationibus Veſtris benedictionem & fœlicitatem* precantur, ut circa hujuſmodi *Electionem* univerſum illud, per quod *Gloria DEI* longè latéque propagari, ſtatus & dignitas Patriæ ampliari, pax verò & tranquillitas publica ad multam ætatem conſervari poſſit: Etſi autem non dubitant *Reverendiſſimas, Illuſtriſſimas & Magnificas Dominationes Veſtras*, utpote *Heroas & viros pietate, prudentiâ, conſilio, virtute, doctrinâ & multijugâ rerum experientiâ præſtantes* ad harum rerum tractationem longè inſtructiſſimas acceſſiſſe, ut nihil dici afferríve poſſit, de quo non antea graves deliberationes interceſſerint: nihilominùs tamen injunxerunt nobis pauca quædam de noſtræ gentis cum *Polonica* conjunctione ad hanc inclytam *Synodum* referre, ut in quanam ſint de potentibus comitiis exſpectatione conſtituti, & quid potiſſimùm à *Reverendiſſimis, Illuſtriſſimis & Magnificis Dominationibus Veſtris* pro veteri diuturna mutuáque neceſſitudine contendant, liquidò conſtare poſſit. Hoc dum brevibus perſequimur, *Reverendiſſimarum, Illuſtriſſimarum, ac Magnificarum Dominationum Veſtrarum* in audiendo benignitatem obnixè & reverenter petimus. Nuſquam, ſi vel omnes omnium hiſtoriæ evolvantur, aliarum duarum gentium tantam circà *originem, linguam, dignitates, leges, conſuetudines & mores*, quanta eſt celeberrimæ hujus *Polonicæ* cum *Bohemica* ſimilitudinem deprehendas. Has *duo fratres* ab initio condiderunt longè melioribus auſpiciis, quàm *Romanum Romulus cum Remo Imperium*, conditis præfuerunt, atque earundem potentiam ſtipatam legibus & armis ad heredes demiſerunt. Pòſt, ubi & gubernationis procerum, & ſucceſſorum fœminei ſexûs eſſet pertæſum, mirabili DEI conſilio, oracula de ejuſdem gentis *Principibus* quaſi de novo proſpexerunt: qui cum *Ducalem ſtirpem* ad multam poſteritatem propagaſſent, decus Regni perpetuò circà domeſticos remanſit, aut pro ea quæ ſtatuum hujus *Regni* circà *Electionem Regis* eſt libertas, ex *Bohemia* tanquam cognatâ gente, & viciſſim hinc in *Bohemiam Princeps* ad ſceptri Majeſtatem eſt accerſitus. Et nè hujuſmodi viciſſitudo, aliquem metum periculorum afferret, eadem utrinque *lingua*, judicia & mores, honeſtiſſimâ æmulatione idque omni tempore viguerunt. Sed ut de multis pauca referamus.

Polonicæ gentis cum Bohemica conjunctio.

Mortuo *Premislao* Rege, & abrogato ejuſdem *ſucceſſori Poloniæ Regno, Wenceslao Bohemorum Regi Diadema Regium* eſt delatum. Atque cum is quoquè fatis conceſſiſſet, ad *Vladislaum*, quem hiſtoriæ *Loctícum* appellant, & poſteros ejus viciſſim delatum. Erat autem *Wenceslaus Poloniæ, Hungariæ & Bohemiæ Rex* ſimul conſtitutus, unde poſtea hæc *tria Regna* arctiſſimis conſuetudinis & fœderum vinculis in hodiernum uſque diem ſunt colligata, nec multùm aut crebro factum eſt, ut *Regni Hungariæ* poteſtas ab hoc *Polonico* vel *noſtro Bohemico* divelleretur. Quin & *Caſimiro ſecundo*, in quo primum, poſt quo, & amplius à *Piaſti* temporibus annos, Ducalis & Regia poſteritas apud *Polonicam gentem* præciſa eſt, *Ludovicus Ungariæ Rex* erat ſuccenturiatus. Huic etſi *Jagello Magnus Lithuanorum Dux* in Regno ſucceſſerit, cujus Regia propago uſque ad *Sereniſſimum nuper Regem Sigiſmundum Auguſtum* piè defunctum fuit extenſa: tamen de mutua & fraterna *Polonorum cum Bohemis* benevolentia nihil fuit imminutum *Regno & Regibus Bohemiæ* cum illius

lius poſteritate & liberis arctiſſimæ amicitiæ intercedentibus obligationibus. Undè cum *Rex Georgius*, vitâ eſſet functus, *Status Regni Bohemiæ* nihil attendentes, illius filios heredes, non aliundè *novum Regem* accerſendum & impetrandum eſſe, quàm à ſuis gentilibus amicis & vicinis, *Polonis nimirum*, cenſuerunt. Quæ res DEI beneficio ità fœliciter ceſſit, ut multis retrò labentibus annis *Bohemia* nunquam fuerit tranquillior atque *Vladislao, Caſimiri filio* ad gubernacula ſubvecto. Non enim erat difficile *Regem Bohemiæ* imperare, qui priùs domi, inter *Polonos* gentem *cum Bohemis* per omnia ferè ſimilem educatus erat. Ejus ex filia nepos adhuc eſt in vivis invictiſſimus *Imperator Maximilianus ſecundus*, patruelis nuper defuncti Regis *Sigiſmundi*, hinc quoque *pronepotes ſuæ Imperatoriæ Majeſtatis filii, Domini Noſtri Clementiſſimi*, quorum maximus Natu *Rudolphus* ob egregiam nuper indolem unanimi ſtatuum conſenſu in *Regem Hungariæ* electus, aſcitus & inauguratus eſt. Proximus ab eo *Sereniſſimus ArchiDux eſt Erneſtus*, Princeps ſupra ætatem pius, prudens, gravis, diſertus, & nonnisi maximis rebus deſtinatus. Hunc ſi celeberrimi hujus *Poloniæ* Regni ſtatus, ſuis liberis ſuffragiis *Regem* elegerint, non modò ſui regni Decus & libertatem, ſed & totius Chriſtianitatis concordiam & pacem, quàm & longè plurimùm promovebunt. Nec opus eſt de generis ſplendore quidpiam attingere, ut qui univerſo Orbi ad omnem poſteritatem eſt inſcriptus, aut ſingulas *Sereniſſimi ArchiDucis Erneſti* virtutes commemorare. Siquidem *cor Regis in manu DEI eſt*, à quo pro ſuæ Divinæ Majeſtatis arbitrio flectitur. In unum *Imperatorem* ſuæ Serenitatis Parentem dignemini oculos convertere: qui per DEI benignitatem eâ fœlicitate, Clementiâ & ſimul ſapientiâ ſummis rerum gubernaculis aſſidet, ut tranquillitas ſuæ Majeſtatis Imperio conceſſa, cum nullius hominis memoria poſſit adæquari, quæ priùs armis ſopiri & conſtitui non poterant, hæc Imperatoris benevolentiâ diſponuntur: gliſcentibus armis & diſſidiis qualibuſcunque, eâ animi moderatione, & prudentiâ itur obviam, ut nihil ſit aſperum, quod non in viam redeat, pacem colat, & Clementiſſimo juſti Imperatoris judicio ſeſe ſubmittat. Sed nè dicamus de rebus *Imperii aut Germanicis*: noſtra *Bohemia* neque genuino patri, quàm illius Imperio ſubeſſe mallet; Ut qui privilegiorum, ſtatutorum, jurium, legum, libertatum & conſuetudinum Regni ſummus eſt aſſertor, vindex, Patronus & defenſor, Officiorum & dignitatum ùt ſapientiſſimus ità juſtiſſimus inter Domeſticos diſtributor, nihil metu periculorum cautelosè attentans, nihil odio gentis (à quo longiſſimè abeſt) circà ſtatuum prærogativas innovans, omnia ſuo vigori immutabiliter relinquens. Et ſi aliquando per temporum difficultatem accidit, ut impenſis ſolitò majoribus ad firmanda præſidia adverſus *Europæ* & Chriſtianitatis hoſtes ſit neceſſe, *communi ſtatuum conſilio ſinè vi, ſinéque variis aut frivolis perſuaſionibus liberè, & nullis planè circumſcripto legibus conſenſu & voluntate decernitur, quantum pro facultate cujusque, pro Patriæ tranquillitate, imò pro aris & focis (pro quibus vitam & ſanguinem* devovere Chriſtiani hominis officium eſt) adversùs immaniſſimi & Chriſtiani ſanguinis ſitientiſſimi hoſtis Tyrannidem erogare poſſit & debeat, ídque ſinè ulla onerum præſcriptione, & privilegiorum Regni præjudicio: Prætereà, quod vel inter miracula referri queat, in non paucis nec parvis de Religione ſubditorum diſſenſionibus, eâ utitur erga ſingulos æquabilitate, quâ omnes ad unanimitatem, concordiam, pacem, & mutuam Charitatem invitantur; Juſtitia adminiſtratur ex æquo omnibus. Neque uſquè quiſque eſt adeò vel pauper, vel abjectus, cujus petitionem *Clementiſſimus*

Laudatio Principum Auſtriacorum.

Maximiliani II. in gubernatione Bohemiæ juſtitia.

tissimus Imperator non exaudiat, supplicem libellum non recipiat, & Juri, si quid habet, prospicere non præcipiat: Hoc ingenium, háſque virtutes Patris cùm filius quotidiè intueatur, quisnam est, qui Principem bene natum, easdem non imitaturum, aut DEO minùs Charum futurum non existimet? Unde posthæc subditos non modò tempore pacis sapienter, sed & ferventibus bellis fortiter tueri & regere possit. Nequè verò si sic necessitas requirat, humanis & aliundè accersitis præsidiis desertum iri sollicitè timendum est, cujus Pater, patrui avunculus, fratres, atque adeò universa *Domus Austriæ, omnes totius Christianitatis Monarchas, & Principes sibi sanguine, cognatione, affinitate, homagiis*, nec non quàm plurimis aliis ad intimam amicitiam paratis vinculis, & fœderibus habeant devinctissimos.

At non dubitamus de his rebus alios coram hac celeberrima Synodo sapienter, copiosè & prolixè dixisse, *Statuum in* Regno *Bohemiæ*, hoc est præcipuum studium & conatus *Reverendissimas, Illustriss: & Magnific: Dominationes Vestras*, quacunque possunt, & fas est animi reverentiâ & oblectatione eò invitare, nè patiamini inclyti hujus regni ab *Ungarico* & inprimis nostro *Bohemico* (per aliundè accersitum Regem, cujus fortè non eadem sit cum hac *Polonica* gente atque *nostrorum Principum cognatio*) fieri separationem: sed ut qui nobis jam indè à primis usque gentis incunabulis estis junctissimi, in pristina nobiscum, & cum Universæ Christianitatis conjunctione perfistatis maneatísque. Neque id armis aut inusitato exemplo *Reverendissimis, Illustriss: ac Magnific: Dominationibus Vestris* efficiendum restat: siquidem tam nulla est in utrisque *Hungarico & Bohemico* Regnis animorum & benevolentiæ erga *Poloniam* facta alienatio, ut hujus *Regni incolas* suâ sponte amicè & fraternè ad pristinæ necessitudinis rogent atque incitent societatem. Et quod *status Bohemiæ à Reverendissimis Illustriss: ac Magnif: Dominat: Vestris* fieri exoptant, idem ab ipsis antea in simili casu factitatum. Et quia factitatum, habent quòd *DEO Optimo Maximo gratias* agant, quippe qui de *Serenissimi* quondam *Regis Casimiri sex filiis Vladislaum* petierunt, & impetrarunt *Regem*. Quod si status hujus *inclyti Regni* nostrorum Majorum exemplum imitati, unum de *suæ Imperatoriæ Majest: sex filiis Regem* elegerint, futurum est, ut *Regis* & omnium Vestrûm posteritas sua sese dignitate, splendore & potentiâ perpetuò fulciat. Certè veteres amicos retinere, quàm novos acquirere tutiùs est. De illis securè fidere, de his anxiè timere, nè quid præter exspectationem accidat, licet, & admodum periculosè statuit, si quis ex diuturnis & infestissimis quondam hostibus amicos ad stabilitatem fieri posse existimet, nequè foris mansuescit benè, qui domi in suos feliciter grassatur. Conciliatio amicorum ab originis linguæ, morum, consuetudinum, legum & pietatis similitudine inducta humanitatem alit & benevolentiam conservat. Atque sic demûm regna & politiæ stabiliuntur, dum natura singulos rapit, ut idem sentiant, velint, exoptent. His etiam nervis negotiationes, & mercimonia, per quæ indigenarum victui libere consulitur, exercentur. Contrà verò mutatâ regni formâ, & ipsæ labefactantur paulatim, ut denique concidant. Sed quid consectamur singula, dum communem Patriam allegamus, omnia quibus illi ad tuendam dignitatem, & utilitatem opus est, complectimur, dum nostros adeóque nosmet ipsos fraterna cum *Reverendissimis, Illustrissimis ac Magnificis Dominationibus Vestris* singulis & omnibus nobis pollicemur, dum pacem publicam exoptamus. Vix quidquam est, quod æquè requiramus, atque ut mutua inter nos conjunctio tranquillitati ornamentum addat, adversus hostes præsidium

Poloniæ & Ungariæ concordia.

sidium paret. Quæ omnia ejusmodi sunt, ut nihil sit quod diligentiùs inquirere, aut justiùs desiderare possimus. Et cum *DEI benignitate* res tanti momenti in *Reverendissimarum, Illustrissimarum & Magnificarum Dominationum Vestrarum*, tanquam *Statuum hujus Regni*, nec non *Dominiorum* illi conjunctorum, manu sit constituta, ut ea modò velint, ex integro velint complecti, *DEUM Optimum Max*: trinum & unum toto pectore oramus, ut *Reverendissimarum, Illustrissimarum & Magnificarum Dominationum Vestrarum*, consilia & mentes verâ concordiâ uniat, sapientiâ instruat, eâ felicitate gubernet, quò *Regem* eligant, electum pronuncient, pronunciatum videant, inaugurent & habeant, per quem *Gloria DEI* illustretur, *Dignitas Regni & Statuum ejus* augeatur, & pax publica subindè in pristinam, &, quâ nunc fruitur libertatem asseratur, *Privilegia, Jura, Leges, & Consuetudines*, & quodcunque est hujus *Regni* peculiare, & præcipuum, in suo vigore permaneant; Conjunctio cum Regnis *Hungariæ & Bohemiæ* solidetur, commercia & negotiationes cum fructu exerceantur, & inclytum hoc *Poloniæ Regnum* adversùs omnis generis hostes, & *Tyrannos, amorem DEI & favorem* vicinorum perpetuum habeat auxilium.

EPISTOLA LXXXIV.

Responsum omnium Statuum & Ordinum Regni Poloniæ atque Magni Ducatûs Lithuaniæ ad Legationem Sacratiss: & Invictiss: Cæsareæ Catholicæ Majestatis per Illustres ac Magnificos Dominos VVilhelmum à Rosenberg, Rectorem Domus Rosenbergicæ, Burggravium, & Vratislaum Dominum à Pernstain in Touvatschavv, Prostnitz & Leythomyschl &c. Militem Ordinis aurei Velleris, Cancellarium Regni Bohemiæ, supremos Sacræ Cæsar: Majest: Consiliarios & Oratores ad eosdem Ordines Missos sub VVarsavia in Comitiis generalibus Electionis novi Regis Dat: 21. Aprilis: Anno Domini 1573.

QUod *Sacra ac Serenissima Cæsarea Majestas* pro sua innata, & apud omnes gentes satis perspecta *Clementia, Regnum* hoc in tam difficili, & luctuoso illius casu ex morte optimi ac pientissimi *Principis* sui susceptа, benignè solari, atque huc ad Senatum & *Ordines Ampliss:* ejusdem Regni tam splendidam & honorificam legationem in personis *Illustrissimarum ac Magnif: Domination: Vestrarum* mittere dignata sit, prolixè omnia, quæ ad salutem & incolumitatem illius conservandam pertinent ex se deferens, magnas & immortales *suæ Cæsar: Majestati* hoc nomine *Senatus, & omnes ordines Regni* agunt gratias. Nec dubitant, quin hæc omnia proficiscantur ex abundantia amoris, quo ùt *Universam Rempublicam Christianam*, ità vel inprimis *Regnum* istud sibi provinciisque suis, non solùm vicinitatis, sed fœderum atque omnium officiorum communicatione devinctum complectitur. Quæ verò summa totius istius legationis est, in qua *Illustrissimæ & Magnificæ Dominat: Vestræ Serenissimum Principem Dominum Ernestum ArchiDucem Austriæ, Sacræ Cæs: Majest: filium*, nomine ipsius *Majestatis in Regem* nostrum proponunt atque commendant, accipimus id & annumeramus in-

cumulum aliorum officiorum, atque beneficiorum etiam, *à Sacr: ipsius Cæsar: Majest:* erga regnum hoc abunde antehac exhibitorum, quod illius in hoc luctuoso casu orbitatis nostræ, ac Universæ Reipub: curam habere dignatur: Cupere nos vicissim tantam *Majest:* suæ Clementiam quibus officiis & obsequiis nostris demereri: Verùm quòd *Electionem* ipsius *Majest: Serenissimi Filii in Regem nostrum attinet*, quoniam hæc in manu, *& potestate DEI Omnipotentis* est posita, illius arbitrio atque providentiæ universum hoc negotium permittimus', ipsúmque sedulò oramus', ut ille *Rex* nobis contingat, quem ipsemet DEUS secundùm cor suum ex unanimi consensu nostro deligendum nobis suggesserit, *Nos* de eo, sicut in hanc horam nihil adhuc certi atque explorati habemus, nihil dum etiam *Sacræ Cæs. Majestati* respondere possumus'. Sed postea peractâ electione per literas, aut Oratores nostros respondere non negligemus'. Interim autem nos & obsequia nostra gratiæ suæ *Cæsar: Majest:* quàm diligentissimè commendamus.

Ex Commissione Illustriss: Senatûs ac Omnium Statuum & Ordinum Regni Poloniæ, *Magnique Ducatûs Lithuaniæ.*

EPISTOLA LXXXV.

ArchiDucum Austriæ Confœderatio. Anno 1606.

Gold. f. 138. Nos Consules & Senatus BohemoBrodæ notum facimus tenore præsentium universis & singulis, & præcipuè quorum interest nos legisse infrà scripta vidisse, audisse, & cum suo originali contulisse, & de verbo ad verbum conformia reperisse, quæ jam hîc describi curavimus.

Confœderationem hanc recitavit Gold. loco cit. ad Ferdinandum II. Cæs. qui etiam his literis subscripsit.

Cùm rerum præsentium deplorato statu, perditâ jam penè *Hungariâ, & inclytæ Domûs Austriacæ Provinciis Hungariæ* vicinis devastatis, aliisque multis de causis (proh dolor) constet, *Sacram Cæsaream Majestatem, Dominum & fratrem nostrum* observandum, ex quadam animi indispositione & infirmitate, quæ sua periculosa intervalla habet, in gubernatione *Regnorum & Provinciarum* minùs sufficientem & idoneum esse, ità ut is à DEO sibi commissis, eo quo par est modo, præesse nequeat. Hisce aliisque rationibus adducti, *Nos Matthias, Maximilianus, Ferdinandus, & Maximilianus Ernestus, ArchiDuces Austriæ, Fratres & Patrueles*, ingenti dolore permoti, à nobis illud, quod à DEO & natura concessum est, negligendum non esse meritò considerantes', accelerandum nobis conventum hîc Viennæ existimavimus. Ubi negotio hoc maturè & bene deliberato, nullum aliud remedium præsentius esse comperimus, quàm ut vigore pactorum, & transactionum inter nos initarum, tum etiam hactenùs laudabili à majoribus nostris conservatâ consuetudine, & attentâ Sacræ Majestatis' indispositione, superiúsque commemoratâ infirmitate, *caput nobis & columen Domûs nostræ*, nempè *ArchiDucem Matthiam*, secundùm Naturæ ordinem, & fœliciſſimæ recordationis *Avi nostri Imperatoris Ferdinandi* dispositionem, nobis in hac causa seligamus, & ore & corde unanimi constituamus.

mus. Sed ut tenore præsentium, omnes *nos*, tam nomine nostro, quàm eorum qui minores sunt, omnem in eundem potestatem, & autoritatem, meliori quo possumus modo conferimus: ità quicquid in negotio hoc arduo agendum deliberandúmque sit, tam apud *Summum Pontificem, Dominum nostrum colendissimum*, quàm etiam apud *Serenissimum Hispaniarum Regem, ac fratrem & patruelem nostrum Charissimum, ArchiDucem Albertum, aliósque Principes*, nos omnes simul firmum, & ratum habituri simus: Ità tamen, ut in quibuscunque rebus negotium hoc concernentibus, consilio & operâ nostra indiguerit ad requisitionem illius, ad ea omnia parati simus. Quod si etiam *Sacrum Romanum Imperium*, propter easdem causas allatas, de eligendo *Romanorum Rege* deliberaret, *Nos* omnes in unicum hunc, quem Natura post Imperatorem primum dedit videlicet *ArchiDucem Matthiam, fratrem & patruelem nostrum Charissimum*, conatus nostros impendemus', & alium nullum, quoâd nos promovebimus. Attamen cùm sine fideli & sedula Consiliariorum, ministrorum & subditorum nostrorum opera, tantum tamque grave negotium expediri commodè non possit: *Nos* eorundem securitati non minùs hoc modo providendum esse putavimus'; ut ad eorum majorem assecurationem, quotiescunque opus, aut ab eorum uno vel pluribus petitum fuerit, illos in protectionem nostram, à quocunque etiam nostrûm literæ securitatis datæ fuerint, nos omnes *ArchiDuces* simul clementissimè recipiamus. Ea in supradictis rebus cunctis nostra expressa est voluntas & sententia. Quæ ut firma omnia & perpetuò rata sint, transactionem hanc manibus nostris subscripsimus, ac secretioribus sigillis comprobavimus. Actum *Viennæ*, XV. Die Aprilis. Anno Salutis humanæ M. DCVI.

Matthias.
Maximilianus.
Ferdinandus.
Maximilianus Ernestus.

In cujus rei testimonium literas hasce sigillo Civitatis nostræ munitas & obsignatas esse volumus, Bohemobrodæ. 24. Maji, 1606.

EPISTOLA LXXXVI.

Nos Consules & Senatus Bohemobrodæ, notum facimus tenore præsentium universis & singulis, & præcipuè quorum interest eas legisse, infrà scripta vidisse, audisse, & cum suo originali contulisse, & de Verbo ad Verbum conformia reperisse, quæ jam hîc describi curavimus. Gold. f. 139.

Cum *Serenissimus ArchiDux Matthias, frater noster Charissimus*, nobis miserit quandam transactionem, per ipsum, nec non *Serenissimos ArchiDuces, Maximilianum, Ferdinandum, & Maximilianum Ernestum, fratrem & patrueles nostros Charissimos* factam & singulorum manibus subscriptam, sigillis suis secretioribus munitam, quâ *Serenissimus ArchiDux Matthias*,

thias, ùt poſt *Sacræ Cæſar: Majeſtat: perſonam* major natus, â cæteris caput & columen *inclytæ Domûs noſtræ Auſtriacæ* conſtituitur, & quicquid ad ejuſdem domûs incrementum & conſervationem neceſſarium, aut quodammodo opportunum fuerit, deliberandi agendíque poteſtas illi confertur. Quin etiam cùm *Sac: Rom: Imperiũ* de eligendo *Romanorum Rege* deliberaret omnes in unum *ArchiDucem* Matthiam, *fratrem noſtrum Chariſsimum* conatus ſint impenſuri ſuos, Conſiliarios quoqe aliósque miniſtros, ac ſubditos, quorum operâ uti neceſſarium fuerit, in ſuam protectionem ſuſcipere promittunt. Cùm idem *Sereniſſ: ArchiDux Matthias* deſideret inſtantérque requirat, ut ejuſmodi reſolutionem ratam habeamus: Hinc eſt quòd *fraternâ benevolentiâ*, quâ illum ſemper complexi ſumus eidem in omnibus gratificari deſiderantes, ſupradictam tranſactionem per nos etiam ratificandam & confirmandam libenter decrevimus, prout ratificamus & confirmamus per præſentes ſubſcriptione nominis, ſigillíque noſtri impreſſione corroboratas. Datæ *Bruxellæ*, die 11. Menſis Novemb. Anno M. DC. VI.

Albertus.

In cujus rei teſtimonium literas haſce ſigillo Civitatis noſtræ munitas & obſignatas eſſe voluimus.
Bohemobrodæ. 24. *May.* 1606.

EPISTOLA LXXXVII.

Literæ Rudolphi Secundi datæ Ordd: Bohemiæ pro Sereniſſimo Fratre ſuo ArchiDuce Matthia.

BellumBohem. Andreæ ab Habernfeld,

Nos Rudolphus Secundus D. G. Electus Romanorum Imperator Semper Auguſtus &c. Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex &c. ArchiDux Auſtriæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgi & Sileſiæ, Marchio Lauſnicenſis.

Verba notatu digniſſima in laudem Bohemorum.

REverſalibus hiſce notum facimus omnibus & ſingulis inprimis ubi opus fuerit; notâſſe nos à multo tempore, ac in animum revocâſſe *plurima magni nominis fidelia, ac utiliſsima Officia ab ordinibus Regni Bohemiæ, annis compluribus, imò ab ipſo, DEO ità favente Regnum ingreſsûs initio liberalitate ſuâ, in ſubſidiis & contributionibus maximæ notæ in uſum & ſalutem univerſæ Chriſtianitatis nobis præſtita, nec quidquam ipſis erat tam carum, quin & vitam gratiâ noſtri impendere fuêre promtiſsimi. Quo nomine vaſti ipſorum animi ſinceritas emicuit, curæ ipſis eſſe gloriam & honorem DEI, reverentiam ſupremæ poteſtatis, Patriæ conſervationem hoc ipſo teſtati ſunt.* Eodem titulo cæteris quoque noſtris *Regnis exemplum* laudabile dedêre, continuaturos ipſos in eadem affectione certò perſuaſum gerimus. Ob tanta ergo ipſorum erga nos, *Prædeceſſoréſque noſtros Sanctæ memoriæ* ſeriò præſtita officia, ac merita; *Imperatoriâ, ac Regiâ noſtrâ* ſingulari gratiâ ipſos afficere, curam paternam ipſorum gerere, & ſi Altiſſimo ità placuerit diebus adhuc vitæ & Regni noſtri, non modò gratos nos oſtendere, ſed ipſo facto gratitudinem noſtram exhibere conſtituimus, *Regnúmque* iſtud unà cum incorporatis ità diſponere propoſui-

propoſuimus, ut in perpetuum in ſtatu integro conſervari, incolæ, Civéſque charitate perpetuâ gaudere, vivere unanimes poſſint. Proſpecturi quoque ſumus, ut diſcordia omnis & cætera, quæ ad ipſam inſervire poſſint media procul averſa maneant.

His ità penſatis cùm ſciamus nos non minùs ùt cæteri mortales vitæ diſcrimini ſubjectos (quod DEUS avertat) nec optaremus ut poſt exceſſum ex hac vita noſtrum *Imperitante vacans, ullis inquietudinibus, aut injuriis* afficiatur, ſicuti Regna alia tali caſu magnas experta viciſſitudines, conſultum invenimus diebus adhuc noſtris inconvenientias tales prævenire de remedio convenienti proſpicere. Diſponente nobiſcum ità Altiſſimo, ut ſive in Cœlibatu aut matrimoniali thoro ſinè prole diem ſupremum nobis obire contigerit, ut *Regno Bohemiæ* eíque incorporatis rectè conſultum ſit, de capite ipſis proſpicere, quo omnes fortè imminentes averteremus inconvenientias, nervis omnibus laboravimus. Eo nomine ad ſæpius petita & poſtulata ſeria *Illuſtriſſimi Principis ac Domini Matthiæ ArchiDucis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Crain, & Wirtenbergæ, Comitis Tyrolis, Senioris fratris Germani noſtri* dilecti ut *Comitia generalia Regni ſcriberemus*, quibus *omnes tres ordines Bohemiæ* comparerent, nominatâ die Martis poſt *Dominicam Exaudi* Anni 1608. ibi apud ipſos nomine ejus intercederemus (eâ tamen conditione, ſi ſinè prole exceſſerimus) meo tanquam *Regis Bohemiæ* conſenſu ut nominatus *ArchiDux Auſtriæ Matthias ſenior frater germanus noſter*, ſi fortè more conſueto, debitóque ſalvis ipſorum *Privilegiis & libertatibus*, apud ipſos quæſiverit, ut nemo præter ipſum pro expectante *Regni Bohemiæ* admittatur, impetrare, poſt exceſſum verò noſtrum in Regem eligi poſſit. Confiſi certò, *nominatos ordines Regni Bohemiæ Chariſſimos, ac dilectos noſtros*, conſideratis ſuprà recenſitis conſiderandis interceſſioni huic noſtræ gratioſæ ſatisfacturos & negotium iſtud, *bonum Patriæ*, privatúmque concernens, Comitiis præſentibus expedituros. Impetrato dicto ad peticeſſionem noſtram petito, pollicemur nos penes *ArchiDucem Mathiam fratrem Chariſſimum noſtrum literis Reverſalibus* ſufficientibus atteſtaturos in nullum præjudicium *Regni Bohemiæ, Privilegiorum, Libertatum, conſuetudinum, ordinationum & ſtatutorum* præſentem ceſſiſſe actum.

Interceſſio Rudolphi pro Matthia.

Cùm itaque *Ordines Regni Bohemiæ, dilecti & fideles noſtri* offerta noſtra ſanojudicio conſiderâſſent, nos utpote *Regem pacis amantem*, nil niſi *Regni* iſtius cum incorporatis ſalutem & quod in privatum ipſorum commodum cederet, ut Patrem Filiis gratioſè promovere quæſiiſſe, nec ipſos alienos eſſe, quàm ut quod in Regni pernitiem præcaveri poſſet; Eo ipſo commoti fuêre, ut in propoſitum noſtrum conſentirent, interceſſionem ſuſciperent, neque *ArchiDucis Matthiæ Senioris, Domini fratris noſtri* recuſarent petita: quinimo ſuprà nominatâ conditione, expectantem ipſum Regni ſuſceperunt, conſenſerúntque ut in Regem eligeretur ab obitu noſtro.

Matthias vivente Rudolpho II. Rex Bohemiæ deſignatur.

Ea propter nos à parte noſtra, *Heredum ac Poſterum Regum Bohemiæ* nomine, *omnibus Baronibus, Nobilibus, Pragenſibus & cæteris Civitatibus ac omni Communitati ordinum Regni Bohemiæ* teſtamur, & pollicemur, nominati *ArchiDucis Matthiæ Domini fratris noſtri* agnitionem iſtam pro expectante, & ab obitu noſtro in *Regem* Electionem eſſe factam, Salvis manentibus omnibus *Regni Bohemiæ juribus, ordinationibus, ritibus, & conſuetudinibus*, inprimis verò *Regis Ottogari, Regis Joannis, Caroli Imperatoris, Regis Wenceslai, Regis Sigiſmundi, Regis Alberti, Regis Ladislai, Regis Georgii, Regis Vladislai, Imperatoris Ferdinandi, Imperatoris Maximiliani &c. Domini Patris noſtri Chariſſimi*

rissimi sanctæ memoriæ, & aliis Regno Bohemiæ datis diplomatibus salvis', inquam, & integris omnibus istis recensitis', manentibus nunc & perpetuum.

Ad confirmationem harum Reversalium sigillum nostrum Imperiale appendere jussimus. Datum in Arce nostra *Pragensi*, die Sabbathi, Anno 1608. Imperii nostri Romani 33. Hungarici 36. & Bohemici 33.

Rudolphus.

Zdenko Adam Popel de Lobkovvicz S. R. Bohemiæ Cancellarius.

Ad mandatum S. C. Majestatis proprium.

Johan: Mencelius.

EPISTOLA LXXXVIII.

Reversales Literæ ArchiDucis Matthiæ datæ Ordd: Boh.

1608. die S. Jo. Bapt. Ex bello Boh. Andreæ Haberfeld.

Nos Matthias D. G. ArchiDux Austriæ, Dux Burgundiæ, Istriæ, Carinthiæ, Crainæ, Wirtebergæ, Comes Tyrolis &c.

REversalibus hisce notum facimus, nos innatam quasi erga *Ordines Bohemiæ Regnúmque* ipsum, *tanquam ex stirpe Bohemica oriundi*, affectionem habuisse & habere, gessisséque semper in animo ac omnibus viribus nostris apud nos cogitásse, ut commodam occasionem invenire possemus, quâ nominato *Regno*, in bono ipsius publico gratificaremur. Quapropter non tantùm in exorto isto *bello Hungarico* in conservationem *suæ Majestatis Domini Fratris nostri Rudolphi Imperatoris* regionum, sed & nominati *Regni Bohemiæ* ab hoste *totius Christianitatis hereditario Turca* intentati, defendebamus ab crebrioribus insultibus, sæpius in persona, cum periculo vitæ nostræ nos opposuimus nec quidquam nobis tam carum erat, quod non pro tutela ipsorum exposuissemus; sed etiam cùm superiorem armis, & viribus hostem notâssemus', in conditiones pacis perpetuum duraturæ acceptabiles cum ipso descendere laborabamus, ut à diuturno isto belli onere ipsos liberaremus.

Causæ cur Matthias occupárit Regnum Bohemiæ.

Considerabimus etiam apud *Nos*, *Majestatem suam Imperatoriam* humanæ mortalitati (à qua omnipotens ipsam conservare velit) non minùs, ùt & alii subjectam; metuebamus etiam, si fortè absque prole mascula *Majestatem suam* ex hac vita discedere contingeret, nè *Regnum* dictum, unà cum incorporatis, Curatore carens, periculosas sicuti circumjacentia Regna experiretur vicissitudines', quod ipsum vivente adhuc Imperatoriâ suâ Majestate prævenire volumus, cujus caussâ sæpiùs *suam Majestatem* solicitabamus, rationem nostri hoc nomine haberet, eóque apud *Ordines Regni Bohemiæ* rem disponeret, si fortè tale quidpiam ex more, & secundum privilegia ac libertates ipsorum consueto, apud ipsos quæreremus, eà tamen conditione, ùt supra meminimus, si *Imperatoriam suam Majestatem Dominum fratrem nostrum*,

strum, absque prole mascula ex hac vita decedere contigerit; ut pro *Exspectante Regni Bohemiæ* præ cæteris susciperemur. Et tandem post obitum *suæ Majestatis* in Regem eligeremur. Sicuti eo nomine sua *Cæsarea Majestas Comitia Generalia* ad diem Martis post *Dominicam Exaudi* Anni 1608. scribere in forma uberiori negotium ordinibus proponere voluit, quibus etiam Legati nostri præsentes aderant. His ità propositis, additum, quòd si in caussâ *Electionis pro Exspectante* susceptí fuerimus, futurum id extra omne *Privilegium Regni Bohemiæ*, *Libertatum*, *Ordinationum & consuetudinum præjudicium* sicuti nunc, ità etiam in posterum. Tale *suæ Majestatis propositum & postulatum*, in deliberationem sumsêre, invenere etiam, quod bono publico salutare, non contemnendum, præveniendum & avertendum, quod noxium, resolutionem in nostri favorem sumsêre. Et iisdem Comitiis consensu *suæ Majestatis Regis Bohemiæ* & ex bona ac libera ipsorum ordinum libertate pro exspectante *Regni Bohemiæ* communi voto nos susceperunt, suprà nominatâ tamen conditione, si absque *prole mascula suam Cæsaream Majestatem* discedere ex hac vita contigerit: ac tum demum etiam in Regem nos electuros sunt polliciti.

Quapropter sicuti suprà pollicebamur *omnibus Baronibus*, *Nobilibus*, *Pragensibus & cæteris Civitatibus* ac universæ communitati *Ordinibus dicti Regni Bohemiæ*, nostro, Posterorúmque nomine pollicemur, ac promittimus, liberam istam ipsorum personæ nostræ pro *Exspectante*, & ab obitu sub nominata conditione *suæ Majestatis*, *in Regem Bohemiæ Electionem*, ipsorum Juribus, *ordinationibus*, *Privilegiis*, *Libertatibus*, statutis, gratiis, donationibus, antiquis, ritibus & laudabilibus consuetudinibus, inprimis verò *Regis Ottogari*, *Regis Joannis*, *Caroli Imperatoris*, *Regis Wenceslai*, *Cæsaris Sigismundi*, *Regis Alberti*, *Regis Ladislai*, *Regis Georgii*, *Regis Vladislai*, *Cæsaris Ferdinandi*, *Cæsaris Maximiliani gratiosi nostri Domini Parentis*, *& Cæsaris Rudolphi Domini fratris nostri* charissimi & omnibus aliis scriptis & rescriptis, usque ad mortem *suæ Majestatis* sese extendentibus (unico saltem eo fine, quod pro *Exspectante Nos* susceperit, quod ipsum *Reversalibus suis* nobis confirmârunt) in nullum præjudicium, nec nunc, neque in posterum sese extensuram. Pollicemur & promittimus etiam vivente adhuc *suâ Imperatoriâ Majestate*, nullius Regiminis vel gubernationis, nec in *Regno Bohemiæ*, neque in incorporatis, utpote *Principatu Silesiæ*, *Marchionatu Moraviæ*, *superiori & inferiori Lusatia*, citra voluntatem & consensum *suæ Imperatoriæ Majestatis*, omniúmque trium ordinum *Regni Bohemiæ*, aut post obitum *suæ Imper: Majestatis* officium nos susceperuros. Quod si verò superstite adhuc *suâ Majestate*, tale quidpiam susceperimus vel commiserimus, vel etiam contra Juramenta & sanctiones *Antecessorum Regum Bohemiæ* deliquerimus', vei si omnibus nostris superiùs pollicitis postquam ad Regimen admissi fuerimus' non satis fecerimus', Non obligati erunt nobis Regni ordines vel in minimis stare promissis. Ad confirmationem horum omnium sigillum nostrum innatum Reversalibus hisce literis appendere mandavimus, illásque propriâ manu subscripsimus. Datæ in Castris nostris *Striehoholez & Miecholup* die Mercurii, festo Joannis Baptistæ Anno 1608.

EPI-

EPISTOLA LXXXIX.

Haſce literas coactus dedit Rudolphus Imp.

Rudolphi II. Imper. Auguſti. Edictum de pace Religionis conceſſa Bohemis & Conjunctarum Provinciarum Incolis, Sileſiis, Moravis, Luſatis &c. Anno 1609.

Goldaſt. f. 140. Acta Publ. Henelius in Sileſiographia. Haberf. in Bello Boh. Jul. Bellus in Lauro Auſtriaca. *Scriptores horum temporum Omnes hoc Diploma recitant. Sed caſſatum eſt à ſequentibus Imperatoribus & Regibus Bohemiæ, ut infrà legetur.* Epiſtolâ 99. & 100.

Rudolphus II. DEI Gratiâ Imperator Auguſtus, Rex Hungariæ, Bohemiæ &c.

NOtum facimus, & teſtamur ad æternam rei memoriam. Poſtquàm omnes *tres Regni noſtri Bohemiæ Status, qui Corpus & Sanguinem Chriſti JESU*, ſub utrâque ſpecie in cœna participant, ſubditi noſtri dilecti, in Comitiis anno 1608. in *Arce Pragenſi habitis*, id humili obſervantiæ ſtudio petierunt, utì *Confeſſionem ſuam Auguſtanam* ab aliquibus dictam, *& Maximiliano Cæſari*, noſtro feliciſſimæ memoriæ parenti exhibitam, ab eóque *Ordinibus* permiſſàm, retinere, & Religionem ſuam liberè exercere ſibi permitteretur; *Nos* verò tum propter negotia alia, quorum causâ *Comitia* iſta inſtituta fuerant, quæque procraſtinationem & dilationem nullam pati potuerant, petitionis iſtius approbationem, & ratificationem ad hæc uſquè Comitia differre, conſultum judicaverimus, *Ordines* iſti & *ſtatus* jam denuò congregati, petitionem iſtam ſuam repetentes, indeſinenter, adhibitis etiam Illuſtrium quarundam perſonarum interceſſionibus, ſatisfieri ſibi cupiverunt, & ut, quâ ratione *tam ſub una quàm ſub utrâque* ſpecie communicantibus noſtris ſubditis *in* Regno *Bohemiæ* conſuleretur, deliberationem cum Conſiliariis noſtris inſtitueremus, tandem effecerunt.

Cùm igitur voluntas ſuaſerit, ut inter omnes omnium trium *Regni Bohemiæ ſtatus ſubditos*, tam *ſub una quam ſub utrâque ſpecie communicantes*, his & futuris temporibus, *pax & amicitia* pro amplificando *Regno* iſto conſervetur, utraque pars Religionem ſuam, undè ſalutem æternam conſequi ſeſe poſſe ſperent, liberè & abſque ullo impedimento exerceant, & receſſui *Comitiorum* de anno 1608. *Mandatóque noſtro* non ità pridem publicato (quo ordines iſtos *ſub utrâque communicantes*, *& confeſſioni* iſti ſubſcribentes pro fidelibus noſtris ſubditis ad quos Jura & communitates *Regni Bohemici* pertinent, agnovimus & etiamnum agnoſcimus) per omnia ſatisfiat, de Communi Conſiliariorum aliorumque Officiariorum *Regni* iſtius conſilio, decernimus, ut *& ſub una*, *& ſub utrâque ſpecie communicantes*, concorditer & amicè invicem vivant, & pars altera alteram nec injuriâ afficiat, nec calumniis proſcindat, propoſitâ ſecùs facientibus, quæ in jure Municipali expreſſa eſt, pœnâ.

Rudolphus Imperat. reſtituit Utraquiſtis Conſiſtorium inferius, & Univerſitatem Carolinam.

Deindè cùm *ſub una ſpecie communicantes* libero per omnia religionis ſuæ exercitio *in* Bohemiæ Regno fruantur, poteſtatem facimus & volumus, ut *ſub utrâque etiam ſpecie communicantes*, ſtatus nimirùm *Evangelici* omnes, cum omnibus qui *Confeſſionem Bohemicam*, *Maximiliano quondam Cæſari*, *Parenti noſtro*, *in Comitiis publicis* Anno 1575. celebratis, & nobis jam denuò exhibitam, amplectuntur, Religionis ſuæ exercitium ubique & in omnibus Regni iſtius locis habeant, & absque ullâ alicujus turbatione, donec univerſalis in univerſo Regno Religionis unio & diſſidiorum omnium compoſitio conſtituatur, retineant.

Præterea

Permittit Rudolphus, ut conſtituantur Defenſores utriusque ex Statibus.

Prætereà hanc etiam *Evangelicis Statibus* præſtamus benevolentiam, quòd *Pragenſe Conſiſtorium inferius*, illis permittimus, poteſtatémque illuc juxtà *Confeſſionem* ſuam conſtituendi facimus, ut *Sacerdotes* ſuos tam in *Bohemica* quàm in Germanica linguâ ordinare, & eccleſiis ſuis abſque *ullo Pragenſis Archiepiſcopi* impedimento, præficere jure optimo poſſint. Quin & *Academiam Pragenſem*, quæ à multis annis ad ſtatus ſub utrâque pertinuit, illis reſtituimus, factâ ipſis poteſtate eam iterum aperiendi, doctis & eruditis ſuæ Confeſſionis viris exornandi, honeſtis legibus condecorandi, & certos ex ſuo conſortio *Defenſores tam Conſiſtorio quàm Academiæ* præficiendi, quos nobis à ſtatibus deſignatos, & electos, Nos, ſine ulla vel cunctatione & mora, vel alia, quam à ſtatibus acceperint, inſtructione & informatione, in officio iſto confirmare, & pro *Legitimis defenſoribus* declarare volumus, ità tamen ut ſi interveniente forſitan graviorum quorundam negotiorum impedimento, id duarum ſeptimanarum ſpatio fieri non poſſit, *Defenſores* illi nihilominùs maneant, & demandati ſibi officii munere æquè ac ſi confirmati in officio iſto fuiſſent, fruantur. Quin & uno atque altero, ex eorum numero demortuo, alios in eorum locum *Statibus* ſufficere, & ſi præter ea, quæ jam tenent & poſſident templa, plura adhuc alia, *ſcholáſve* alias pro inſtituenda juventute erigere, & ædificare velint, facere id ipſis tam in urbibus, quàm in oppidis & pagis, liberè & abſque ullo impedimento liceat.

Quandoquidem porrò etiam in aliquibus *Regni Bohemiæ Civitatibus utriusque Religionis homines*, hoc eſt tam *ſub una, quàm ſub utrâquo ſpecie communicantes* conjunctim habitent, mandamus & volumus, ut pro pace & tranquillitate conſervanda, pars quælibet religionem ſuam liberè colendo & Sacerdotibus ſuis obtemperando, alteram partem nullo modo vellicet, vel conturbet; multò minùs verò ſepulturas in templis, & Cœmiteriis, cum campanarum pulſu, & ſonitu peragere prohibeat, aut aliquem cujuſcunque ſtatûs & conditionis ſit, ſivè in Civitatibus ſivè in oppidis & pagis habitet, à religione ſua avertere, & per vim in ſua caſtra ſuámque ſententiam pertrahere ſatagat.

Nos enim id ſpectamus unicè, ut pax & tranquillitas conſervetur, & amor mutuus inter omnes *tres ſtatus* vigeat, quo fine quidem *pro nobis & heredibus noſtris*, *ſubſequentibúſque Bohemiæ Regibus*, hæc omnia *ſtatibus Evangelicis*, ad quos communis etiam iſta *pax*, quam vocant, *Religionis*, tanquam *ad principale Imperii* membrum pertinet, fruſtrà vel politicis, vel eccleſiaſticis perſonis quibuſcunque repugnantibus, inviolabiliter perpetuis temporibus ſervatum iri, in fide & verbo regio affirmamus, & pollicemur, ità quidem, ut nullum mandatum contrarium vel à nobis vel ab ullo heredum & ſucceſſorum noſtrorum *adversùs Status Evangelicos* publicetur, vel publicatum ab aliquo, ratum & validum habeatur. Inſuper etiam omnia adversùs ſtatus iſtos ſub utrâque ſpecie communicantes, publicata hactenùs edicta, invalida, annihilata & ſublata omninò hiſce literis pronunciamus, nec quicquam eorum, quæ, dum confirmationem hujus articuli quærerent, facta à *Statibus Evangelicis* ſunt, in malum ipſis cedere, & vitio verti à quoquam in æternum volumus.

Mandamus igitur Omnibus cum imperio paſſim in *Bohemia* conſtitutis, ut trium iſtorum ſtatuum, omniúmque *Confeſſionem iſtam Bohemicam* amplectentium patrocinium & defenſionem ſuſcipiant, & nec moleſtiam ipſis circà religionis ſuæ exercitium creent, nec ab aliis creari patiantur. Nos

enim & *futuri Bohemiæ Reges* in omnes contra *has Majestatis nostræ literas*, quas ad futuram memoriam *actis Comitialibus* publicis inseri volumus, delinquentes, sive Ecclesiastici illi sint, sive politici, tanquam in pacis publicæ perturbatores gravissimè animadvertemus. Datum *Pragæ* die 11. Julii, Anno 1609.

Hæ Literæ superiores per vim sunt extortæ ab Hæreticis, à Rudolpho Imp.

EPISTOLA XC.

1611.

Literæ Reversales Matthiæ ante ingressum in Bohemiam.

Ex Habermanno.

Nos MATHIAS II. DEI Gratiâ Rex Hungariæ, designatus Rex Bohemiæ &c. ArchiDux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Moraviæ, Comes Tyrolis &c.

NOtum Regiis hisce Reversalibus facimus, omnibus & singulis, inprimis, ubi competit. Postquam nos *Ordinibus Regni Bohemiæ*, caussâ exercitûs ipsis in subsidium à nobis expediti, per literas patentes' *Viennæ* die Mercurii post Dominicam *Invocavit* datas: Sicuti etiam per nostrum, ipsorum ad nos expeditis Commissariis, datum responsum sub dato 4. Martii Anni 1611. eò nos resolvissemus & declarâssemus, Nos ex innato nobis erga dictum *Regnum Boëmiæ* amore & affectione, vigore nostræ Anno 1608. *Pragæ* factæ transactionis & pacti, adversùs *Passavienſem Exercitum*, qui primò *Archiducatum nostrum Austriæ superioris* hostiliter insiliit, igne ferróque vastavit, deprædatúsque est. Post hac etiam in *Bohemia* urbes', villásque non nullas depopulatus est, ultimò dolosè in *Minorem Pragam* irrupit, possedítque, incolarum, sive Civium plurimos interemit, *Arcem* quoque ubi *sedes Regia*, in qua *sua Majestas Cæsarea*, charissimus Dominus frater noster. Regalia omnia, Libertates, Privilegia, Tabulas, Clenodia & omnem *thesaurum Regni* servabat, obsedit, cæterásque etiam *Antiquam*, & *Novam Urbes Pragenses* expugnare in animo habebat, nos inquam, in subsidium accessimus nominatorum Ordinum bonum publicum & incrementum defensuri, promoturi, adstituri ipsis etiam propriâ *Regiâ Personâ* nostrâ, ut etiam futurum malum, injuriam avertere & præcavere possemus, Hostes nostros' vastatorésque regnorum nostrorum, ùt decet profligaturi. Daturi etiam operam, ut malum ipsorum intentum & detestandum propositum avertere & in nihilum redigere possemus'. Ad tale nostrum gratiosum & Regium Offertum omnes *tres nominati Regni Bohemiæ Ordines*, postulabant à nobis' precariò, antequam limites *Regni* transgressi fuerimus', literis *Reversalibus* nos ipsis obligaremus, ingressum istum in *Regnum Bohemiæ* nostrum in nullum præjudicium Libertatum, Privilegiorum, Jurium, Ordinationum, Statutorum, Rituum, Consuetudinum, neque ad rupturam pacti *Pragæ* sub dato die Mercurii festo S. Joannis Baptistæ Anno 1608. facti, futurum.

Passavienſis Exercitûs attentata.

Petitio Statuum à Cæſ. Matthia.

Cùm itaque honestum istud ac dignissimum ipsorum postulatum agnoverimus, nósque etiam nullo alio intento, nisi boni ipsorum publici Patriæque incrementi caussâ, ad defensionem & conservationem ipsorum, animo mentéque & corde sincero id susceperimus. *Nos* igitur, unà cum Consiliariis nostris ex sano fidelique consilio & bona conscientiâ, ex potestate Regia,

Regiâ, sicuti more ordinario Electus & designatus *Rex Bohemiæ*, vigore præsentium *Reversalium*, toties nominati *Regni Bohemiæ* Ordines Heredes & posteros ipsorum assecuramus, certificamus, confirmamus & in omni necessitate tutos reddimus Ingressum istum nostrum cum Exercitu nostro in *Regnum Bohemiæ*, nullo alio nomine fieri, nisi in subsidium & succursum & neque ipsis tribus ordinibus Celeberrimi *Regni Bohemiæ*, neque ipsorum posteris in ullum præjudicium, vel damnum aut diminutionem vel cessationem ipsorum Privilegiorum, Libertatum, Jurium Regni Ordinationum, statutorum donationum, rituum & consuetudinum inprimis verò supra nominatæ *Pragenſis transactionis* sub dato S. Joannis Baptistæ Anno 1608. factæ fieri neque nunc, neque in posterum futurum.

Cùm itaque ipsos omnes, & singulos in omnibus ipsorum Privilegiis, Libertatibus, Majestatibus, Gratiis, Juribus, Ordinationibus, Consuetudinibus, Ritibus, Statutis, Pactis, ac etiam in Religionis caussa transactionibus inviolabiliter confirmare, tutari ac defendere simus polliciti, promittimus' & pollicemur adhuc etiam nunc & in futura sæcula.

Ad Confirmationem horum omnium & ad æternam memoriam, bonâ nostrâ conscientiâ & promtâ voluntate, Regium nostrum Sigillum appendere mandavimus', manúque nostrâ propriâ *Reversales* hasce subscripsimus. Datæ in Urbe nostra Iglavia, die Jovis post Dominicam Lætare Anno 1611. Regni nostri Hungarici tertio.

Matthias.

Ad Mandatum Sacræ Regiæ Majestatis proprium.

Fridrich Jordan von Klausenburg.

EPISTOLA XCI.

Imperatoris MATTHIÆ. Literæ Reversales ante suam Coronationem.

1611.

Ex Habermanno.

Nos MATTHIAS II. DEI Gratiâ Rex Hungariæ, Designatus Rex Bohemiæ, ArchiDux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Moraviæ, Comes Tyrolis &c.

COnfitemur *Reversalibus* hisce, coram omnibus, ubicunque locorum aut ubi opus fuerit: Postquam Serenissimus, Potentissimus, ac Invictissimus Princeps, Dominus Dominus *Rudolphus secundus*, DEI gratiâ Electus *Romanorum Imperator*, *Hungariæ*, *Bohemiæq. Rex*, ArchiDux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgi & Silesiæ, Marchio superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus frater noster charissimus, omnibus *tribus Ordinibus Regni Bohemiæ* in Propositione Publicis Comitiis facta, die Lunæ post Dominicam *quasi modo geniti*. 2. Aprilis injunxissel, *Majestatem*

jestatem suam ex singulari erga nos fraterno amore, tanquam erga seniorem fratrem suum, tum quoque boni publici caussà dicti *Regni Bohemiæ*, ut omnibus inconvenientiis, discordiisque præveniret, & consuleret, in id consensisse, utpote si ex Divina dispositione absque prole mascula, *suam Majestatem* decedere contingeret, ex libero quoque omnium trium ordinum consensu, ad nostrum ab ipsis more solito & consueto postulatum, ut post obitum *S. Cesareæ Majestatis*, præ cæteris in *Regem Bohemiæ* designaremur & superstite adhuc *S. Cesareâ Majestate* etiam Regio diademate coronaremur, sic pro Domino & Rege ipsorum agnoscerемur. Quapropter nominati tres *ordines Regni Bohemiæ* revocato in memoriam caussâ nostri à *Majestate sua Cesarea* Domino fratre nostro carissimo postulato præsentibus Comitiis ad considerationem & sanam deliberationem id assumsêre, considerato etiam hæc penes eo, quòd Anno 1608. præterito, ad intercessionem *suæ Majestatis Cesareæ* nobis designati Regis, sub certa conditione titulum contulerunt. Post hæc etiam liberè ad electionem & publicationem nostri in *Regem Bohemiæ*, sese declarârunt & unà cum *Majestate sua Cesarea*, de die certa coronationis convenerunt, quæ nominata erat dies Lunæ 23. Maji eâ tamen conditione, ut ante nominatam Coronationis diem, nos Matthias Rex dictis *tribus ordinibus Regni Bohemiæ* sufficientibus litteris reversalibus nos obligaremus, & intra dies quatuordecim à coronatione nostra effectualiter id, omnibus & singulis in communi etiam omnibus tribus ordinibus, non in genere tantùm, sed in particulari ab antecessoribus nostris *Regibus Bohemiæ*, data ipsis Privilegia & Majestatica donata, sicuti etiam à *sua Majestate Rudolpho secundo* Domino fratre nostro ipsis collata, non solùm quoad exercitium Religionis sub utraque, sed etiam in Politicis omnium mulctarum, quibus in corpore & bonis luere solebant remissionem. Sicuti etiam omnium Libertatum, Jurium, Ordinationum, antiquarum Consuetudinum, Rituum, Conventionum, etiam in specie illarum anno 1608. & 1610. factarum. Sic quoque Ordinum inter se in caussa Religionis præstitarum, non minùs etiam conjunctionis istius anno præterito 1609. sub utraque Ordinum cum Principibus & ordinibus Silesiæ in Comitiis publicis factæ, in omnibus punctis, articulis & conclusionibus in illa comprehensis, nullis exceptis totaliter & plenariè renovaremus & literis nostris *Regiis Majestaticis* confirmaremus, literásque tales intra dies quatuordecim ad summum, sub potestatem & in manus *Ordinum Regni Bohemiæ* vel ipsorum supremi Burggravii traderemus, hoc ipsum Regiâ nostrâ fide gratioſè ipsis sumus polliciti.

Cùm itaque Nos *Matthias Rex Bohemiæ* ab omnibus tribus Ordinibus *Regni Bohemiæ* ob causam recensitam, videlicet, quia in *Regem Bohemiæ* proclamati, vel designati sumus; tandem etiam de Coronatione nostri cum *Sacra Cesarea Majestate* Domino Fratre nostro carissimo convenêre & effectualiter ex mera ipsorum ac libera voluntate præstitêre. Ea propter daturi sumus operam, quomodo omnibus *tribus Ordinibus Regni Bohemiæ*, Regiâ nostrâ gratiâ gratos nos ostenderemus, ità ut optimè nobiscum contenti sint.

Pollicemur etiam & promittimus vigore harum nostrarum *Reversalium*, nominatis tribus Ordinibus, verbis nostris Regiis, nos in omnibus istis supra recensitis, propositis renovationibus, omnium & singulorum ad omnes & singulos ipsorum pertinentium Privilegiorum, tam in puncto Religionis, quàm in Politicis, tum quoque omnium libertatum, Jurium, Ordinationum antiquarum ipsorum, Consuetudinum & Ritnum, Comitialium

lium conclusionum illarum inprimis, quæ annis 1608. & 1610. factæ similiter etiam in puncto Religionis sub una & sub utraque, inter ipsos *Regni Bohemiæ* Ordines, & Incolas nec minùs *cum Ordinibus Ducatûs Silesiæ*, transactionum & unionum anno præterito 1609. publicis ac plenis Comitiis absolutarum, nominato spatio duarum hebdomadarum, mox à Coronatione nostra (quam DEUS faustam, felicémque esse velit) in omnibus punctis clausulis, articulis & summariis, cujus tenoris illa fuerint, totaliter completè, nullis exceptis, ex gratia nostra, nos confirmaturos, omniáque bonâ fide, bono animo, fideliter præstituros, literásque hasce nostras *Reversales & Majestaticas* eo nomine disposituros, manu propriâ subscripturos & sigillo nostro Regio consignaturos, obfirmaturos & in manus omnium trium ordinum *Regni Bohemiæ*, vel ipsorum summi Burggravii tradituros. Quantum ad alios, nobis ab ordinibus *Regni Bohemiæ* propositos communes articulos, quos ad proxima Comitia, DEO dante, ex certis caussis distulimus in illis etiam antè omnia proximis Comitiis nos ipsis gratificaturos. Quod ipsis omnibus dictis tribus Ordinibus *Regni Bohemiæ*, sicuti ipsis verbis, ità bonâ fide nostrâ Regiâ promittimus. Certi hac in re sunto omnia ista à nobis, *utpote* Rege *Christiano*, cujus verba ùt in ore, sic in pectore, bonâ fide & conscientia præstitâ & satisfacta fore.

Ad horum confirmationem *Nos Reversales* hasce manu propriâ subscripsimus, sigillóque nostro Regio consignavimus Datæ *Hradczini* superioris Urbis *Pragensis*, die Sabbathi post Dominicam Exaudi, Anno 1611. Regni nostri Hungarici tertio.

EPISTOLA XCII.

Matthiæ Regis Reversales, & Obligatio universalis quoad Religionem, & Privilegia post Coronationem Ordinibus datæ.

1611.

Ex Habermanno.

Nos MATTHIAS II. D. G. Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex &c. ArchiDux Austriæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucenburgi, & Silesiæ, Marchio Lusatiæ &c.

NOtum facimus *Reversalibus* hisce, omnibus & singulis: Promisisse Nos tutelam, & conservationem *Regni Bohemiæ*, *Nobilium*, *Pragensium*, *aliarúmque Civitatum*, totiúsque Communitatis Regni, ità ut irrita, integráque ipsorum *Jura*, *Ordinationes*, *Majestatica*, *Privilegia*, *Libertates*, *Statuta*, *Gratiæ*, *in Ecclesiasticis*, *& in Politicis*, Conclusiones denique Regni, in primis verò Anni 1608. & 1610. factæ, sic quoque transactiones ipsorum in puncto Religionis, cum communicantibus *sub una*, *& sub utraque*, eorúmque unionis; Nec minùs cum Principibus, & Ordinibus Silesiæ *sub utraque*, eorúmque Anno 1609. facta, & aliæ ipsorum consuetudines, & ritus, ac donationes, Inprimis verò Piæ, & sanctæ memoriæ *Regis Ottogari*, *Regis Joannis*, *Caroli Imperatoris*, *Regis Wenceslai*, *Cæsaris Sigismundi*, *Regis Alberti*, *Regis Ladislai*, *Regis Georgii*, *Regis Vladislai*; *Imperatoris Ferdinandi*, *Cæsaris Maximiliani*, *& Domini Fratris nostri carissimi Rudolphi*

dolphi Imperatoris. Ab omnibus ipſorum Majeſtatibus procedentes donationes, & reſcriptiones, cis omnem contradictionem, ùt diximus, ſartæ tectæq; integræq; ut maneant, & promittimus adhuc, in omnibus iſtis nos fidem ſervaturos. *Promiſimus etiam, Arcem Carlſtein, ubi Diadema Regium, cum cæteris Clenodiis, Tabulis & Privilegiis Regni aſſervatur, nemini citra voluntatem, & conſenſum Ordinum, Baronum, Nobilium & Pragenſium, niſi illis, quos ipſi elegerint, ſub curam daturos.* Polliciti quoque ſumus, *nos* ſub bono ordine, antiquáque conſuetudine *Regnum Bohemiæ* directuros, & conſervaturos. Cæterùm promiſimus, nullum exterum, vel Peregrinum, ſive ille ſit *Eccleſiaſtici*, vel *Politici Ordinis*, in ullum officium ſive Regni, aut Civile nos intruſuros, vel admiſſuros. Neque ad ulla particularia *Officia Regni, Præfecturas*, aut cujuſcunque nominis illa fuerint, promoturos. Sed ſolis' *natione Bohemis* id relicturos, facturos nos iſta non nisì cum conſilio Ordinum: Obſervaturos nos etiam hoc idem in circumjacentibus, & incorporatis Regionibus, *ſicuti Carolus Imperator, & alii Reges Prædeceſſores Noſtri* fecère. Promiſimus inſuper, nulla nos bona, ſive ſint *Principatus, Urbes, Arces, Fortalitia, Feuda*, & quæ his ſimilia, *à Corona Bohemiæ*, vel incorporatis', neque per dotes, aut alio quocunque modo nos abalienaturos: imò potiùs, quod à Corona unquam ſeparatum, ut reſtituatur, procuraturos'. Simul etiam quantum ad *Monetam*, promiſimus, in ſuo valore ipſam nos relicturos, nec ullo pacto extenuaturos abſque *Ordinum* conſenſu, ſed ſicuti à *Corona Bohemiæ* vigore privilegii ipſorum ſtatutum eſt, ità relicturos'. Hæc penes quoque promiſimus, ſi cui ex Ordinibus in particulari *ab anteceſſoribus noſtris Bohemiæ Regibus* fuerat donatum, ſive illud in Eccleſiaſticis, aut ſæcularibus, vel Regiis bonis fuerit, nos nihil immutaturos, modò id contra *Regis Vladislai* omnibus Ordinibus *Regni Bohemiæ gratiam*, & libertatem datam non quadret. Finaliter, promiſimus *Ordini cuivis* in ſpecie, ipſum in ſuis *Juribus, Ordinationibus, Privilegiis, Libertatibus, Statutis, Conſuetudinibus, Gratiis*, prout cuique proprium eſt, conſervaturos, & confirmaturos.

Pollicitationes Matthiæ poſt Coronationem.

Ad confirmationem harum *Reverſalium*, cum ſubſcriptione manûs' noſtræ propriæ, ſigillum noſtrum Regium appendi mandavimus. Datæ in *Arce Pragenſi*, die Veneris poſt feſtum Corporis Chriſti. Anno 1611.

EPISTOLA XCII.

Ferdinandi ArchiDucis Auſtriæ Pactum cum Rege Hiſpaniarum de ſucceſſione Hungariæ, & Bohemiæ, Anno 1617.

Gold. in Appendice Docum. 1617.

Nos FERDINANDUS DEI Gratiâ, ArchiDux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Garniolæ, & Wirtembergæ &c. Comes Tyrolis, & Coriciæ &c.

Carafa. Comment. de Germ. Sacra reſtit. init.

ATteſtamur, & notum volumus omnibus, ac ſingulis has literas noſtras, ſeu Diploma publicum lecturis, viſuris, vel audituris. Cùm *Sacra Cæſarea*, nec non *Hungariæ*, *ac Bohemiæ Regia Majeſtas*, *Matthias II. Dominus Patruelis*, *ac Pater noſter Clementiſſimus*, ſuperioribus proximis' annis, poſt ſuſcepta Regnorum ſuorum *Hungariæ*, & *Bohemiæ* gubernacula, pro pater-

pro paterno ſuo, & ſingulari in Rempubl. Religionem, ac univerſam *Domum noſtram Auſtriacam* amore, curâ, & ſollicitudine ſtatuiſſet, ad horum omnium ſalutem, & incolumitatem pertinere magnopere, ut ſeſe adhuc in vivis exiſtente, de futura eorum ſucceſſione proſpiceretur, ac re cum *Sereniſſimo ac Potentiſſimo Hiſpaniarum Rege Philippo III. Fratre, & Patruele noſtro amantiſſimo, & obſervantiſſimo*, nec non *Sereniſſimis Fratribus ſuis Maximiliano, & Alberto, ArchiDucibus Auſtriæ, Patruelibus, & Fratribus noſtris amantiſſimis*, maturè deliberatâ; unanimi conſenſu, quoad prætenſionem dicti Regis Catholici, concluſum eſt. *Primum*, quòd *Majeſtas ſua Catholica*, ad interceſſionem *Cæſareæ Majeſtatis* publicum privatis anteponens', renunciet juri ſuo, quod tanquam *unicus Annæ, Hungariæ, & Bohemiæ Reginæ*, per lineam rectam *Maximiliani II.* ejuſdem *Reginæ Annæ Primogeniti Pronepos*, in ſucceſſione dictorum *Regnorum*, & eis annexarum *Provinciarum* habet, in favorem noſtri, noſtrorúmque maſculorum, per lineam rectam maſculinam, non interruptâ maſculorum ſerie, deſcendentium: reſervatâ tamen compenſatione, de qua propter periculum moræ (quæ ad inſpectionem, & *examen Privilegiorum, & Compactatorum Domûs noſtræ Auſtriacæ* requiritur) aliàs agetur.

Rex Hiſp. cedit Prætenſionibus ſuis in Regnum Boh.

Deinde, quòd in favorem noſtrum, & deſcendentium noſtrorum, ùt ſuprà, confirmet Renunciationem *à Sereniſſima Regina Anna* ejus Matre, dicti *Maximiliani II.* Filia, 29. Aprilis, Anno 1571. factam: prout *Illuſtriſſ: D. D. Inacus de Guevarra, Comes de Ognate, ſuæ Regiæ Catholicæ Majeſtatis ad Cæſaream Majeſtatem Orator*, ejuſdem *Regiæ Majeſtatis nomine*, & vigore plenipotentiæ ſibi hac in parte traditæ, re ipsâ ceſſit, renunciavit, & præfatam Renunciationem maternam confirmavit. In quo ceſſionis, & confirmationis actu, nos ſingulare beneficium, ac propenſam erga nos voluntatem, & benevolum affectum ſuæ *Catholicæ Majeſtatis* agnoſcimus, & accepramus, cum debita animi gratitudine, atque exiſtimatione, hanc ceſſionem, & renunciationis confirmationem. Atque ex parte noſtra, noſtrorúmque deſcendentium, conſentimus, ſtatuimus, gratum, & ratum habemus, ut linea maſculina ſuæ *Catholicæ Majeſtatis*, in hac ſucceſſione dictorum *Regnorum, & annexarum Provinciarum*, fœmininam, paternæ noſtræ ſtirpis, nec non filios ex filiabus ejuſdem ſtirpis deſcendentes, præcedat, ſinè gradûs, aut temporis limitatione, vel præſcriptione; Ità quidem, ut caſu quo quandoque (quod DEUS avertat) *omnes noſtros* per lineam rectam maſculinam, non interruptâ maſculorum ſeriè deſcendentes, *maſculos* decedere contingeret, *fœminæ* quæcunque fuerint, & earum filii, ac dependentes, per deſcendentes ex linea recta *Regis Catholici Philippi III.* (modò feliciter regnantis') in infinitum à dictorum Regnorum ſucceſſione excludantur. Quoad *compenſationem*, quæ in aliqua *Provinciarum Auſtriacarum* fieri poſtulatur, promittimus': Quòd ſuper ea, quantocyus fieri poterit, tractatio inſtituetur, habitâ etiam ratione tot beneficiorum, & auxiliorum, quibus *Auguſtam Domum noſtram* in his partibus *Catholica ſua Majeſtas* ſemper tutata eſt: ità, ut conſideratis his omnibus, hac in parte, ipſius *Catholicæ Majeſtati* quantum fieri poterit, ſatisfiat. Atque jam dictam ceſſionem, & renunciationis confirmationem, prædictis conditionibus, & oneribus, confirmamus, acceptamus: & agnoſcimus noſtram, noſtrorúmque filiorum, & deſcendentium, in hoc tractatu apertam utilitatem: Ex certa ſcientia, & deliberata voluntate, omni dolo, & fraude remotâ, aliáſque omni meliore modo, viâ, & formâ, quibus de jure, *Conſtitutionibus Imperii* vel *Regni*, aut

aut *Provinciæ*, ejúſque Conſuetudinibus, ac Statutis id fieri poteſt, ad majorem hujus tractatûs ſecuritatem *promittimus*, noſtro, noſtrorúmque utriuſque ſexûs deſcendentium nomine, quòd omnia, & ſingula in hoc inſtrumento contenta, ſanctè, & immutabiliter ſervabuntur, & adimplebuntur. *Promittimus* item, neque nos, neque poſteros noſtros, per teſtamentum, aut aliam ullam ultimam voluntatem, aut diſpoſitionem inter vivos, quicquam in contrarium hujus ttanſactionis ordinaturos, vel facturos: & ſi ſecus à quopiam noſtrorum factum fuerit, id irritum, & nullius momenti valoríſque fore. Renunciando exceptionibus quibuſcunque, doli mali, enormiſſimæ læſiónis, reſtitutionis in integrum, *ſucceſſionis fœminarum* ad dicta Regna, & Provincias, item Juribus, & Privilegiis, Legibus', Conſuetudinibus, Statutis, Decretis, Pactis, familiæ tranſactionibus, & obſervationibus quibuſvis prædictorum *Regnorum*, & *Provinciarum* ad ea pertinentium, ſi quæ in favorem noſtrum contra conditiones in hoc inſtrumento contentas eſſent, quæ omnia pro hîc inſertis eſſe volumus': ut etiam contra juratum hoc inſtrumentum, & pactum, nulla *Pontificum Romanorum*, *aut Imperatorum* diſpenſatio, vel relaxatio, peti aut impetrari poſſit: aut ſi quæ à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris impetraretur, vel ab ipſis *Pontificibus aut Imperatoribus* motu proprio, aut ſponte concederetur, nullius roboris', & valoris eſſe volumus. *Promittimus* etiam nos *Sacram Cæſaream Majeſtatem* rogaturos, ut tam *Conceſſionem*, & *Renunciationis* ratificationem *ex parte Regis Catholici* factam, quàm *Inſtrumentum*, cum expreſſa hujus præcedentiæ *ad ſucceſſionem dictorum Regnorum*, & *Provinciarum* annexarum conditione, *authoritate Imperiali*, & *Regiâ*, ex plenitudine poteſtatis, & quâ fieri poterit meliori formâ, confirmet. Obligamus nos præterea, quòd intra *terminum ſex Menſium*, poſtquam tam in hoc *Bohemiæ quàm Hungariæ Regno*, coronati fuerimus, utrobique hoc inſtrumentum, ſolenniter de novo confirmaturi ſimus'. Et ſi qua ex cauſſa, præmeditatâ, vel non præmeditatâ, hîc vel ibi id omitteremus: habeatur nihilominus, quaſi factum eſſet, & hoc inſtrumentum ſuum vigorem, & integrum effectum habeat. Præterea, ſi *Regi Catholico*, aut ejus filiis, viſum fuerit, aliquid pro majori ſua, ſuórúmque deſcendentium ſecuritate, & cautelà, circa hoc inſtrumentum in clauſulis innovandum, addendum, aut aliquid ulteriùs pro majori totius Inſtrumenti autorizatione faciendum eſſe; non mutatis tamen conditionibus, aut rei ipſius ſubſtantiâ ad id in ea omnino forma, prout ex parte ſuæ *Catholicæ Majeſtatis*, ejúſque filiorum petitum fuerit, *Nos*, *Noſtróſque* filios (dummodo iſta petitio intra unius anni ſpatium, à dato hujus Inſtrumenti computandum, fiat) abſolutè obligatos fore fatemur, & pollicemur. Demnm promittimus, omnia, & ſingula ſupradicta, noſtro, noſtrorúmque nomine ſub obligatione omnium bonorum noſtrorum præſentium & futurorum, qualiacunque ea ſint, cum renunciatione legum, & conſtitutionum quarumcunque, huic obligationi contrariarum, in verbo, ac vera fide *Principis & ArchiDucis*, *& in vinculo juramenti ad Sancta DEI Euangelia manibus noſtris corporaliter tacta præſtiti.* Et in horum omnium firmius robur, ac certum teſtimonium, hoc inſtrumentum non tantùm manu noſtrâ propriâ ſubſcripſimus', & ſigillo noſtro Archiducali communiri, ſed etiam in præſentia *Jacobi Chiſel Baronis in Kaltebrunn*, *Conſiliarii*, *Camerarii*, & *Magiſtri ſtabuli noſtri*, item *Urbani Baronis de Bettingen*, *Conſiliarii noſtri bellici*, & *Camerarii*, teſtium ad hunc actum ſolenniter vocatorum; per *Leonhardum Gezium*, *J. U. Doctorem*, *Conſiliarium noſtrum Secretum*, & *Procancellarium Aulicum*, ſubſcribi fecimus. Acta, & facta ſunt iſta in *Arce Regia Pragenſi*, in *Camera*, vel *Cubiculo* noſtro Ordinario, die 6. Menſis Junii. Anno 1617. Indictione 25. Imperante Invictiſſimo, & Potentiſſimo Romanorum Imperatore *Matthiâ.*

Ferdinandus.

Johannes Jacobus Chisl, Liber Baro in Kaltenbrunn.
Urbanus de Pöttingen, Liber Baro in Falckenſtein, & Perſin.
Leonhardus Gezius Procancellarius.

Et ego *Comes de Ognate*, *Potentiſſimi Hiſpaniarum Regis Catholici Domini mei*, *Legatus:* in præſentia *Sereniſſimi Domini ArchiDucis Ferdinandi*, teſtiúmque, & *Cancellarii* ſuprà nominatorum, acceptum, & ratum habeo, *Regio Catholicæ ſuæ Majeſtatis* nomine, vigore ſpecialis mandati ad me directi, dati *Madriti* 21. Aprilis, præſentis hujus anni 1617. & *Cancellario* prænominato, eidémque *ſuæ Serenitati* ad recognoſcendum originaliter exhibiti: Scriptum, Inſtrumentum, & obligationem hanc *ſuæ Serenitati* promiſſam, in omnibus iis, quæ & quatenus in favorem, ac beneficium *Regis Catholici*, *Principiſque Caſtellæ*, & *Sereniſſimorum Infantium*, *Dominorum meorum*, deſcendentiúmque ipſorum, in infinitum facit, & facere poteſt, modo, & formâ, quæ *Catholicæ ſuæ Majeſtati*, ſuiſque *ſereniſſimis heredibus*, ac ipſorum deſcendentibus utilior, ac melior, atque de jure validior eſſe poteſt, ac debet. In ejus rei fidem, hanc acceptationem, in præſentia *ſuæ Serenitatis*, teſtiúmque, & Cancellarii prænominatorum, manu propriâ ſubſcripſi. Die, Menſe, & Anno ſuprà dictis.

El Conde de Ognate.
Johannes Jacobus Chisl, L. B. in Kaltenbrunn.
Urbanus de Pötingen, L. B. in Falckenſtein, & Perſin.
Leonhardus Gezius, ùt ſuprà.

Ad mandatum Domini Comitis Legati proprium.

Guilielmus Portugal, Secretarius.
Wollff Adam Geiß de Pirnova, Regiſtrator.

Collationatum, & concordat cum Originali.
Actum in Cancell. Sac. Cæſ. Maj. Bohemica.
Pragæ 7. Octob. Anno 1617.

EPISTOLA XCIV.

Reversales Literæ cum renunciatione prætensæ successionis hereditariæ in Regnis Hungariæ, & Bohemiæ conscriptæ, & datæ per Oratorem Regis Hispaniæ.

Ego Don Inacus Velez de Guevarra, Comes de Ognate, Sac. Reg. Catholicæ Majestatis in Germania Legatus, notum facio per præsentem scripturam, & Instrumentum.

Cùm *Sacra Cæsarea*, nec non *Hungariæ*, & *Bohemiæ Regia Majestas Matthias II.* pro Paterno suo, ac singulari in Religionem Catholicam, *Augustámque Domum Austriacam*, amore, cura, & sollicitudine, ad horum omnium salutem, & incolumitatem pertinere statuisset, ut se adhuc superstite de futura successione *Regnorum suorum Hungariæ, ac Bohemiæ, & Provinciarum* ad ea pertinentium prospiceretur; atque in hunc finem varia officia apud *Regem, Dominum meum*, interposuisset, quo *Catholica sua Majestas* induceretur ad ratificandam *Renunciationem* per *Serenissimam Reginam Annam suæ Majestatis Matrem, Dominam meam*, 29. die Aprilis, 1571. in favorem discendentium masculorum *Imperatoris Ferdinandi* gloriosæ memoriæ factam; nec non ad cedendum, & renunciandum juri, quod in dicta Regna, ac Provincias illis annexas ipsi, tanquam unico *Annæ, Hungariæ, & Bohemiæ Reginæ*, per filii ipsius primogeniti *Domini Maximiliani II.* Imperatoris, lineam rectam descendenti *Pronepoti* competit, aut quoquo modo competere potest, in favorem, & beneficium *Serenissimi ArchiDucis Ferdinandi*, Consobrini, & fratris sui amantissimi. Hinc eadem *Catholica Majestas, Prædecessorum suorum Regia vestigia, & exempla munificentiæ* imitando, & quanto sit in sanctæ Religionis, boni publici, domúsque suæ conservandæ, & amplificandæ amore, & desiderio; uti sæpius antehac, auxilia sua præstando, aliísque modis, ità & nunc egregiè commonstrando, publicum bonum privatis suis commodis anteponens; mihi prænominato *Oratori, seu Legato suo*, per mandata procuratoria & Instrumenta in debita forma *Madriti* ad vicesimum primum diem Aprilis Anno 1617. nunc currente confecta, atque in autographis suis, præter copiarum authenticarum communicationem, hîc exhibita, specialem potestatem, & auctoritatem dedit, ad Regio suo nomine dictam cessionem cum confirmatione suprà scriptæ renunciationis, ad satisfactionem *Serenissi: ArchiDuci* faciendam. Quodcirca ego supranominatus *Orator, & Mandatarius*, vigore dicti mandati Procuratorii, in originali exhibiti, & per copiam traditi, ac plenipotentiæ mihi concessæ, nomine *Regis Domini mei*, nec non *Serenissimi Principis*, aliorúmque infantium, filiorum ejus, ratifico, approbo, & confirmo dictam *Renunciationem*, à suprà nominata *Regina Anna*, ejusdem *Regis Domini mei Matre* factam. Cedo item, & renuncio eodem nomine omni juri, quod eidem *Regi Domino meo*, aut *Serenissimo Principi, & infantibus filiis* ipsius, in dicta *Regna, & Provincias* illis annexas competit, seu quâvis ratione competere potest in favorem, ac beneficium *Serenissimi ArchiDucis Ferdinandi*, ejúsque per lineam rectam masculinam non interruptâ serie legitimè descendentium masculorum, sinè gradûs, & temporis limitatione, vel præscriptione; sub hisce conditionibus,

bus, & pactis: ut scilicet compensatio, quæ in aliqua *Provinciarum Austriacarum* fieri postuletur, aut postulari posset, ad aliam transactionem differatur. Quæ quidem tractatio quantocyus fieri poterit, instituenda erit, habitâ in ea etiam ratione tot beneficiorum, & auxiliorum, quibus *Augustam Domum suam* in his partibus *Catholica sua Majestas* semper tutata est: ità ut consideratis hisce omnibus, ipsi hac in parte, quantum fieri poterit, satisfiat, cum expressa etiam obligatione, & pacto, ut quandocunque *linea recta masculina* ejusdem *Serenissimi ArchiDucis Ferdinandi* defecerit, dicta hæc *Regna* unà cum annexis *Provinciis ad Posteros Majestatis Catholicæ, per lineam rectam masculinam legitimè devolvantur:* ità ut *filiæ*, ex sua *Serenitate*, ejúsque Posteris natæ, aut nascituræ, earúmque filii, & descendentes masculi in infinitum per masculos à Rege Domino meo in linea recta masculina legitimè descendentes, nunc & perpetuis abhinc temporibus, à dictorum *Regnorum, ac Provinciarum* eò pertinentium successione excludantur. Quibus ità per *Serenissimum ArchiDucem* promissis, in se *sua Serenitas* recipit, opportunis officiis apud *Cæsaream Majestatem* instare, & curare, ut hæc utriusque super hæc confecta Instrumenta, ac literæ, per eandem, *auctoritate Imperiali ac Regiâ*, in amplissima forma de plenitudine potestatis confirmentur. Quæ omnia ego *Comes de Ognate, Legatus, & Mandatarius*, nomine quo suprà, acceptans, & rata habens, ex certa scientia, deliberatâ voluntate, aliísque omni meliori modo, viâ, & formâ, quibus de *Jure, Constitutionibus Imperii*, vel *Regnorum suæ Majestatis Cæsareæ*, vel *quarumcunque Provinciarum consuetudinibus, ac Statutis* id fieri potest, ad majorem hujus tractatûs securitatem promitto, *dicti Regis, Domini mei, & Principis, ac Infantium, heredúmque ipsorum*, ac posterorum utriusque sexûs nomine, quòd omnia, & singula in hoc Instrumento contenta, sanctè, & inviolabiliter servabuntur, & adimplebuntur. Neque à *Rege*, aut *Principe*, Infantibúsque ipsius filiis, sive per testamentum, sive per aliam ullam voluntatem ultimam, ac dispositionem inter vivos, quicquam in contrarium ordinandum esse; & si secus factum fuerit, id irritum, & nullius valoris fore: renunciando, nomine quo suprà, exceptionibus quibuscunque, doli mali, enormissimæ læsionis, restitutionis in integrum, *successionis fœminarum* ad dicta Regna, & Provincias, item Juribus, & Privilegiis, Legibus, Consuetudinibus, Statutis, Decretis, Pactis, Familiæ, Transactionibus, & Observationibus quibuscunque prædictorum *Regnorum, & Provinciarum* ad ea pertinentium, si quæ in contrarium essent, quæ omnia quasi hîc verbotenus inserta essent, habebuntur. Iísque ego, nomine quo suprà, ad effectum harum literarum absolutè renuncio, & adeò derogatum esse volo, ut etiam contra juratum hoc Instrumentum, & Pactum, nulla *Pontificum Romanorum*, aut *Imperatorum* dispensatio, vel relaxatio peti, aut impetrari possit, aut si quæ impetraretur, vel ab ipsis *Pontificibus & Imperatoribus*, motu proprio, aut sponte concederetur, nullius omnino roboris, aut valoris esse volo. Præterea si *suæ Serenitati* visum fuerit, aliquid pro majori sua, suorúmque descendentium securitate, & cautelâ, circa hoc Instrumentum in clausulis innovandum, addendum, aut quid ulterius pro majori totius instrumenti authorisatione faciendum esse: non mutatis tamen conditionibus, aut rei ipsius substantiâ; ad id in ea omnino forma, prout ex parte *suæ Serenitatis*, ejúsque filiorum, petitum fuerit, eundem *Regem Dominum meum* Principémque, & infantes ejus filios (dummodo intra unius anni spatium à dato hujus Instrumenti computandum ista petitio fiat) absolutè obligatos fore promitto:

mitto: Obligans ad executionem, & impletionem horum omnium, universa Regis Domini mei bona, qualiacunque ea sint, cum renunciatione legum, & constitutionum, aliorúmque beneficiorum quorumcunque, huic obligationi contrariantium, *in verbo, ac vera fide Regis, Domini mei*, & in vinculo juramenti per me, *Catholicæ suæ Majestatis* nomine *ad DEI sancta Evangelia* manibus meis corporaliter tacta præstiti.

In horum omnium firmius robur, ac certum testimonium, hoc instrumentum, sigillo meo communitum manu propriâ subscripsi coram sæpe dicta *sua Serenitate*; præsentibus ibidem Domino *Jacobo Chisel Barone in Kaltebrunn, ejusdem Serenissimi ArchiDucis Consiliario, Camerario, & Magistro Stabuli;* item *Domino Urbano, Barone de Pötingen, & Persin*, ejusdem *suæ Serenitatis Consiliario Bellico, & Camerario*, tanquam testibus ad hunc actum vocatis: adsistente quoque ex mandato *suæ Serenitatis*, ejusdem Consiliario secreto, & Procancellario Aulico, Domino *Leonhardo Gezio, J. U. Doctore.* Qui omnes à me rogati hîc quoque manu propriâ subscripserunt. Acta sunt hæc in *arce Regia Pragensi*, in Camera vel Cubiculo *Serenissimi Domini ArchiDucis* ordinario, die sextâ Mensis Junii. Anno 1617. Indictione 15. Imperante Invictissimo, & Potentissimo Imperatore semper Augusto Matthiâ II.

Illust. Conde de Onate &c.
Johannes Jacobus Chisel, Liber Baro in Kaltenbrunn.
Urbanus de Potingen, & Persin, L. B. in Falckenstein.

Ad Mandatum Domini Comitis Legati proprium.

Guilielmus Portugal, Secretarius.
Wolff Adam Geiß de Pirnovva, Registrator.

Collationatum, & concordat cum Originali.
Actum Pragæ *in Cancell. Sac. Cæs. Majest. Bohemica, 7. Octob. Anno* 1617.

EPISTOLA XCV.

Ratificatio Cæsaris Matthiæ factæ Transactionis cum Rege Hispaniæ.

MATTHIAS.

REcognoscimus, ac notum facimus vigore præsentium universis, ac singulis, ad quos hæc res spectabit: Quòd *Serenissimus Hispaniarum Rex Catholicus Philippus III. Nepos, Affinis, & Frater noster* charissimus, ab aliquo tempore cœperit rationes quasdam, & prætensiones proponere,

nere, quarum vigore *Serenitas sua* ad successionem *Regnorum Hungariæ, & Bohemiæ*, post extinctam, si DEO ità visum foret, *Divi Maximiliani II. Imperatoris, ac Hungariæ, & Bohemiæ Regis, Domini Genitoris nostri observandi Augustæ memoriæ masculinam lineam*, seclusâ *Divæ* quoque *Ferdinandi Imperatoris, & Regis, Domini & Avi nostri* colendissimi, *masculinâ prosapiâ*, præferri debeat. Quæ res desiderium nostrum, quod in conservanda *Inclytæ Domo nostra*, & promovenda re Christiana, in statuendo legitimo successionis ordine, modo, & tempore semper habuimus, multísque modis hactenus demonstravimus, nonnullâ sollicitudine affecit, ac perplicuit: ità, ut nollemus adversùs *Serenitatis* suæ voluntatem quippiam hactenus in effectum deduci: Illa tandem, non minori Zelo publici boni accensa, per Oratorem suum *Illustrissimum Dominum Inaco de Guevarra, Comitem de Ognate*, adjunctis desuper conditionibus, litteris, & interveniente assiduâ, & fideli operâ *Reverendissimi S. R. E. Presbyteri Cardinalis Cleselii, amici nostri, arcani consilii Directoris*, cui totum hoc negotium commiseramus, sese declaravit: Quòd sua *Serenitas* rationibus certis permota, *Renunciationem*, quam *Serenissima ejus Mater, Regina Anna, Soror nostra dilectissima* piæ recordationis, in jus & favorem prosapiæ masculinæ *D. Ferdinandi Imperatoris* supradicti 29. die, Mensis Aprilis, Anno 1571. confecerat, ac *Sacramento Regio* firmaverat, absolutè ratificatam fore, & esse promisit, ut inpræsentiarum dictus Orator attestatus est. Quapropter *Nos*, & *Serenissimus Frater* noster *ArchiDux Maximilianus*, nec non *Serenissimus Patruelis*, & filius noster *ArchiDux Austriæ Ferdinandus*, hac ipsâ de causâ ad *Nos* accersiti, ad demonstrandum sincerum nostrum erga *Serenitatem* ipsius animi affectum, ac singulare gratificandi studium permittimus: ut articulus pro hac *Regis* benevolentia prætensæ aliqualis compensationis *in Provinciis Austriacis*, quæ sinè matura inspectione, & ponderatione *Privilegiorum, & Compactatorum Augustæ Domûs Austriacæ* nostræ, fieri, & concedi nequit, in aliud tempus, & ulteriorem tractationem differatur. Consentit insuper memoratus filius, & patruelis noster *ArchiDux Ferdinandus*; ut futuris temporibus, casúque ità evenente, dicta *Regis Catholici linea masculina præferatur fœmineæ lineæ paternæ stirpis memorati ArchiDucis Ferdinandi.* Quam quidem præcedentiæ conditionem *Nos Authoritate nostrâ Imperiali*, ac Regiâ confirmamus, & roboramus. Utque hæc omnia, communi atque majori utriusque partis applausu perficiantur, atque amoris & consanguinitatis vinculum totius *Austriacæ Domûs* magìs magísque connectatur, atque constringatur; *Nos*, pro *Paterno nostro* affectu, vigilantiâque opportunâ, apud *Serenissimum Regem* officia interponemus, ut filiam suam *Serenissimi ArchiDucis Ferdinandi filio ArchiDuci Joanni Carolo* in matrimonium collocare velit. Quæ omnia perpetuis dehinc temporibus fixa, rata, & sancta esse volumus, adhibitâ, quatenus opus est, *Imperiali, ac Regiâ nostrâ* auctoritate: cujus vigore hæc omnia, & singula approbamus, ratificamus, & confirmamus. Harum testimonio literarum, manûs nostræ subscriptione munitarum, & sigillo nostro Cæsareo roboratarum. Quæ datæ sunt &c:

EPISTOLA XCVI.

Matthiæ Imperatoris Confirmatio Transactionis Hispanicæ.

MATTHIAS Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, ArchiDux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ &c. Dux Lucemburgiæ, ac inferioris, & superioris Silesiæ, Wirtembergæ, & Teckæ &c. Princeps Sueviæ, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferreti, Kiburgi, & Goritiæ &c, Landgravius Alsatiæ, Marchio S. R. Imperii, Borgoviæ, ac superioris, & inferioris Lusatiæ: Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, Portûs Naonis, & Salinarum &c.

AGnoscimus, & notum facimus tenore præsentium, quibus expedit, & ad quos pertinet, universis. Cùm in hac rerum humanarum incertitudine, ea Nos cura majorem in modum sollicitos haberet, quo pacto *Regnorum nostrorum*, ac ditionum salus, ac prosperitas, & quam *Divinæ Majestatis* concessu, ac munere *Domus nostra Augusta* consequuta fuit, Majestas, ac dignitas continuari, ac perpetuari, certâque successio stabiliri possit, Eâque de causa, primum cum *Serenissimo Rege Hispaniarum Catholico, Domino Philippo III. Consobrino, ac Nepote nostro charissimo*; deinde cum *Serenissimis ArchiDucibus Austriæ, Maximiliano, & Alberto*, Fratribus nostris charissimis, egissemus: ut quod in nostra *Hungariæ, & Bohemiæ Regna*, haberent, vel habere possent jus, *Serenissimo ArchiDuci Ferdinando Patrueli nostro charissimo*, resignarent, & cederent. Tandem obtentâ utriusque Fratris nostri cessione, Renunciatio etiam consequuta, ac impetrata fuit. Ad quam quidem commodiùs, ac plenius pertractandam, perficiendámque & absolvendam, *Serenitas sua Illustri Domino Inaco de Guevarra, Comiti de Ognate*, Oratori suo, plenum, ac sufficiens mandatum, ac potestatem, cujus copiâ authentica nobis exhibita, dedit & concessit. Inter quos, & suprà nominatum *ArchiDucem Ferdinandum, Patruelem nostrum charissimum*, præsens super ea re tractatus hîc in aula nostra *Cæsarea Pragæ* habitus est, & in hunc, qui sequitur, modum concorditer conclusus, confectísque super eo, quæ requirebantur, instrumentis finitus fuit.

Ego Don Inacus Velez de Guevarra &c.
Nos Ferdinandus DEI Gratiâ ArchiDux Austriæ &c.

Postquam igitur ex parte suprascripti *Serenissimi Regis Catholici*, per nominatum *Serenitatis suæ Oratorem Comitem de Ognate*, & *Serenissimum ArchiDucem Ferdinandum, Patruelem nostrum charissimum* rogati fuimus, ut tractatum hunc, & suprà inserta instrumenta, approbare, & confirmare dignaremur: Nos pro Zelo, ac studio nostro, quo *Augustæ Domûs* nostræ conservationem, vationem, ac dignitatem procuratam, & stabilitam cupimus, authoritate nostrâ *Cæsareâ, ac Regiâ*, suprà insertum cessionis, ac renunciationis Tractatum, & Instrumenta super eo confecta, approbavimus, ratâque habuimus, quemadmodum vigore præsentium approbamus, rata habemus, & confirmamus: ut scilicet futuris perpetuò temporibus, juxta supradictum resignationis, ac renunciationis contractum, nostrámque hanc approbationem, ratificationem, & confirmationem, quæcunque ratione suprà explicatæ concessionis oriri, aut moveri queant dubia, resolvantur, ac decidantur, ac resoluta, & decisa censeantur: ità quidem, ut nihil aut à successoribus nostris, aut quocunque alio, in contrarium statui, aut decerni possit: defectum omnem, qualiscunque allegari, vel nominari possit, ex plenitudine potestatis nostræ supplentes, aut suppletum esse volentes. Harum testimonio literarum manu nostrâ subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in *Arce nostra Regia Pragæ* 15. Junii. Anno Domini 1617. Regnorum nostrorum, Romani quinto, Hungariæ nono, Bohemiæ verò sexto.

Matthias, &c.

Vice-Reverendiss. Domini Joannis Svvicardi Archi-Cancellarii, & Electoris Mogunt.
V. H. L. von Ulm.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majest. proprium.
Johan Barvitius.

Wolff Adam Geiß de Pirnova Registrator.

Collationatum, & concordat cum Originali.
Actum in Cancellaria Bohemica Pragæ 7. Octob.
Anno 1617.

EPISTOLA XCVII.

Decretum Ferdinandi II. adversus hæreticos in Bohemia, ut vel Catholicam Religionem amplectantur, vel Regno cedant intra sex Menses.

1627.

Nos FERDINANDUS II. DEI Gratiâ Electus Romanus Imperator &c. Omnibus & singulis nostris subditis & incolis ex omnibus quatuor Ordinibus hereditarii nostri Regni Bohemiæ salutem dicimus.

Carafa Comment. I in Germ. rest.

DIlecti & fideles, notum est, & fatentur omnes, hereditarium nostrum *Regnum Bohemiæ* nunquam magis floruisse *& DEum propitiorem expertum esse*, quàm tempore *Caroli IV. laudatissimæ memoriæ antecessoris nostri*

ris noſtri ſummè honorandi: idquè ob eam præcipuè cauſam, quòd ex ſingulari, & paternà curâ atquè amore erga majores noſtros, & dilectam patriam pro ſumma ſua prudentia providit diſcrepantiam in Religione nullam firmam, & conſtantẽ pacem & ſinceram obedientiã ac confidentiã, tum erga Magiſtratũ, tum erga ſubditos in aliquo Regno, aut Regione afferre aut conſervare poſſe. Quapropter in *Regno Bohemiæ* certas Leges & Statuta condidit, omnibúſque ſuis tam *Eccleſiaſticis*, quàm *Politicis Officialibus & Conſiliariis* mandavit, ut ante omnia ſummo ſtudio, & vigili oculo caverent, nè præter *Sanctam Catholicam Apoſtolicam & ſolam ſalvificam Chriſtianam Romanam Religionem* (nam ab eo tempore quo Regnum à Paganiſmo ad Chriſtianam fidem converſum fuit uſquè ad *Regem Wenceslaum IV.* nulla alia quàm *Romana Catholica* fides in eo viguit) ulli pernicioſi, & damnabiles errores, hæreſes, factiones, & ſectæ in *Regnum* introducerentur, aut in eo tolerarentur. Nec minùs notum, ac manifeſtum eſt, cùm poſt obitum ſuprà dicti *Imperatoris Caroli* regnante *Wenceslao*, oſcitante fortè ex nimia ſecuritate, omnis generis errores, atque hæreſes in hereditarium *noſtrum Regnum Bohemiæ* irrepſiſſent, omnis generis turbas, diſſidia & factiones inter ipſos ſubditos, nec minùs ſummè pernicioſas ſeditiones, & rebelliones contra magiſtratum exortas eſſe, quæ ferè omnium ſubſequentium *Regum* temporibus durârunt, atque inprimis ſub *Imp: Rudolphi & Matthiæ felicisſimæ memoriæ regimine* renovatæ ſunt, ac noſtro tempore ità invaluerunt, ut noſtri quoque ſubditi in dicto *Regno nos*, *noſtros heredes*, *ſucceſſores*, totámque *domum Auſtriacam* Regno & Provinciis annexis contra auream bullam ſupradicti *Imp: Caroli IV.* privare, atque ità jure hæreditario prorſus ſpoliare conati ſunt. Ut igitur hereditarium illud *noſtrum Regnum Bohemiæ* in felicem illum ſtatum reſtituatur, in quo temporibus ſæpè dicti *anteceſſoris noſtri Caroli IV.* fuit; nihil magis curæ, cordíque habuimus, ex quo inſignem illam victoriam ante Pragam de noſtris rebellibus hoſtibus, & adverſariis, DEO bene propitio reportavimus, quàm ut laudabile exemplum illius præclari Imperatoris *Caroli IV.* (qui ſuo tempore *pater patriæ* dictus fuit & talem ſe ipſo facto præſtitit conſervando & defendendo *ſanctam ac ſolam ſalvificam Religionem Catholicam*) imitaremur. Sicut igitur ille nullas hæreſes, aut errores in ſupradictum noſtrum *Regnum hereditarium Bohemiæ* ſcienter invehi permiſit; aut ſi illud clam factum eſt, omnes, & ſingulos *Catholicæ Religioni* adverſantes ſectas & errores laudabili Zelo expelli, & ſeverè puniri mandavit: Sic quoniam cum ſummo dolore intelligimus non *Catholicos* incolas, qui in *hereditario noſtro Bohemiæ Regno* ſuperſunt, nullum periculoſa contra nos & fideles, atque obſequentes noſtros ſubditos conſilia agitandi finem facere: propterea non ſolum ex officio Regio, & æternæ ſalutis noſtrorum ſubditorum causâ (de qua nos *DEO omnipotenti* aliquando rationem reddere oportebit) & ad ſtabiliendam, ac propagandam firmam pacem, amorem, & concordiam inter fidos, & dilectos noſtros ſubditos; nec minùs ad conſervandum, & in tuto collocandum noſtrum, *& noſtrorum heredum, ac ſucceſſorum in dictum Regnum jus hereditarium*; coacti fuimus edicto ſancire, ut omnes noſtri *non Catholici*, & in pernicioſis hæreſibus perſiſtentes ſubditi, errores, & ſectas, quæ poſt obitum *Caroli IV. in Bohemiam* irrepſerunt, deſerant, & ad S. ac ſolam ſalvificam, *Apoſtolicam*, *Catholicam*, *Romanam Eccleſiam & Religionem* ſe convertant, ſiquidem ob rationes ſuprà dictas, & propter conſcientiæ ſtimulos nullum in poſterum ex ſuperioribus, & inferioribus ordinibus, in hæreſibus, erroribus & ſectis tolerare poſſumus; ſed æquum, ac juſtum, nec non

Caroli IV. Zelus in Religione Catholica.

Florente Religione florent Regna.

Ferdinandus II. voluit reſtituere Bohemiæ tempora Caroli IV.

nec non Divinæ voluntati, & mandato conſentaneum comperimus, ut omnes, & ſinguli noſtri obſequentes, ac fidi ſubditi nobiſcum in priſca *Romana Catholica Religione*, in qua noſtri, & ipſorum majores piè vixerunt, & Divinâ opitulante miſericordiâ, beatè ex hac vita migrârunt, conſentiant. Qua propter jam antè ad inſtituendum, ac promovendum tam neceſſarium, ſalutare, & DEO gratum *opus Reformationis*, certos *Commiſſarios* conſtituimus, & illis *ex Cæſareâ & Regia* gratiâ injunximus, ut cùm per ſe, tum per ſuos ſubdelegatos omni ſtudio annitantur, quò ſuprà dicti noſtri fidi, atque obſequentes ſubditi *in Catholica fide* probè, & ſolidè inſtruantur, & ab hæreſibus, atque erroribus ad rectam viam & ſolam ſalvificam Religionem, atque ita ad obſequium *S. Romanæ Apoſtolicæ & Catholicæ Eccleſiæ* perducantur. Cùm igitur jam dictis noſtris *Commiſſariis* inter alia mandaverimus, ut eos qui ſunt ex *Illuſtrium & Equitum ordine* (ad quos hoc noſtrum edictum ſpecialiter dirigitur) intra ſex menſes ab illius publicatione, quem terminum tanquam ſatis ſufficientem ipſis præfiximus, ad ſe convocent, eoſque vel ipſi per ſe, vel per alios ad hanc rem ordinatos in *Romana Catholica* fide inſtituant, ac poſt elapſum terminum, certò, ac bonâ fide referant, qualem ſe quiſque in debito erga *DEUM Omnipotentem*, *& S. Catholicam Eccleſiam noſtrúmque paternum & Clementiſſimum mandatum*, quod ad æternam ipſorum ſalutem ſpectat, obſequio præbuerit: conſultum duximus omnes & ſingulos noſtros obſequentes ac fidos ſubditos *ex Illuſtrium & Equitum ordine* clementiſſimè ac paternè exhortari (nam quod ad peculiares noſtras & Imperatricis dilectæ noſtræ conjugis urbes & ſubditos in proprietariis noſtris dominiis atque ad omnes alios Regni incolas attinet, quomodo illi ad Catholicam fidem adducendi ſint; ea de re jam antè mandata dedimus, quibus nihil prorſus derogatum volumus) ut unus quiſque fidelium ſuprà dictorum noſtrorum *Commiſſariorum* aut eorundem ſubdelegatorum inſtitutionem cupidè, & ex animo recipiat, & habitâ ſuæ ſalutis & utilitatis ratione, in ſola ſalvifica S. Catholica fide nobis & univerſæ *Chriſtianæ Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ* adſtipuletur; quod ſi quis non fecerit, hoc *Cæſareo & Regio* diplomate declaramus: nos poſt elapſum ſuprà dictum ſex menſium terminum, nullum omnino in noſtro *hereditario Bohemiæ Regno* diutiùs toleraturos, nec permiſſuros, ut in eo habitet, ſuaque ibi bona poſſideat: ſed volumus, ut *Bohemiæ Regno* excedat, & bona, quæ habet, propinquis, aut aliis Catholicis incolis vendat, inquem finem, ut bona ſua vendere poſſit, alium ipſi terminum nempe ſex menſium, præfigimus. Nè quis autem exiſtimet pecuniam tantùm, & opes, non autem ſolam DEI Omnipotentis gloriam, & honorem, ac ſubditorum noſtrorum ſalutem à nobis quæri, *hoc mandato ex Cæſarea, & Regia gratia* edicimus, ut ſi unus, aut alter huic noſtræ clementiſſimæ, ac decretoriæ ſententiæ (contra noſtram ſpem, & expectationem) parêre noluerit, ei abſque ullo cenſu migrare liceat: inſuper permittimus, ut ad bonorum ſuorum adminiſtrationem, & venditionem, atque ad exactionem ſuorum debitorum in Regno (quæ ut ipſi promtè perſolvantur, ſedulò, & quantum jura permittunt, enitemur) quempiam ex ſuis propinquis, aut alium aliquem catholicum cum plena poteſtate conſtituere poſſit: quoniam verò nihil nobis acceptius eſſet, quàm ut è vetuſtis, & nobilibus familiis prognati, quorum majores olim in noſtro *hæreditario Regno Bohemiæ*, antequam errores, & ſectæ illud invaſiſſent, *Religioni Catholicæ* addicti fuerunt, & in ea rebus ſecundis uſi ſunt, eandem Religionem amplecterentur, atq; ita in Regno manerent: idcirco omnes,

Decretum emigrationis.

Emigrantes ſua bona vendere poſſunt.

& ſingulos noſtros obſequentes ſubditos paternè, & clementiſſimè monemus, ut unuſquiſque ſuum commodum perpendat, ſuúmque animum introſpiciat, nè ex juſta DEI vindicta, & pœna, non tantùm temporalium, ſed etiam æternorum bonorum (quod tamen nulli evenire cupimus) temere jacturam faciat; ſed potiùs errores, atque hæreſes (quibus ipſi, & eorum progenitores ſeducti, & inclytum hoc regnum, ac dilecta ipſorum patria in extremam calamitatem adducta fuit) ejiciat, *& ad veterem S. Catholicam fidem revertatur*, útque nobiſcum in Religione conſentiat, operam det. Qua in re noſtræ clementiſſimæ decretoriæ, & immutabili voluntati atque ſententiæ obtemperabunt. Datum Viennæ, die Sabbathi, Feſto S. Ignatii, Anno Domini M. DC. XXVII. Regnorum noſtrorum *Romani* octavo, *Ungarici* decimo, & *Bohemici* undecimo.

EPISTOLA XCVIII.

Reſtitutio Privilegiorum Regni Bohemiæ, exceptis Literis Majeſtatis pro Ultraquiſtis datis; confirmatio eorum, quæ conceſſa ſunt ſtatui Dominorum à VVladislao Rege An. 1502. & ſine Comitijs & conſenſu Ordinum nihil ſe & Succeſſores ſuos ex Auſtriaca Domo exacturos &c.

My Ferdynand druhý z Bożj Miloſti wolený Rzjmſký Cýſař / po wſſecky časy Rozmnożitel Rzjſſe / a Wherſký / Czeſký / Dalmatſký / Charwatſký ꝛc. Král / Arcy-Knjże Rakauſké / Markrabě Morawſké / Lucemburſké a Slezſké Knjże / a Lużický Margkrabě ꝛc.

WYznáwáme timto Liſtem / a wſſem wůbec w známoſt wozugem: Gakož wědomé a zgewné geſt / kterak geſt ſe Králowſtwj Naſſe dědičné Czeſké / času nedáwno pominulého / proti Nám / in forma univerſitatis, mocně zprotiwilo / y ohawnau / a takowau Rebellij začalo / że gſme též Králowſtwj Naſſe dědičné Czeſké / z donucené potřeby / s znamenitými Wáleczným Weyprawami / s wynaloženjm wſſy możnoſti Naſſy / a ſlawného Domu Naſſeho / zaſe s pomocy Pána Boha Mečem dobili / a ge pod Naſſy moc wwedli: Pročež bychom ſluſſně wſſecky témuż Králowſtwj náležegjcý Privilegia, pokudž a gak dlauho ſe ty na Stawy Králowſtwj Czeſkého / obecné / aneb Univerſitatem gegich wſtahugj / zruſſyti a wyzdwjhnauti mohli; Ale wzhledſſe naſtálau wěrnoſt některých Obywatelůw dotčeného Králowſtwj Czeſkého / kteřj raděgi ſwau Wlaſt opuſtili / nežliby ſe proti Nám byli poſtawili: Též také / że giž na wětſſým djle / často gmenowané Králowſtwj Czeſké / k Wjře Naſſy ſwaté ſamoſpaſytedlné Katolické přiſtaupilo / ano y mnozý z wěrných

1627. In Comitijs ſolennibus Regni ipſo Cæſare Ferdinan. II. præſente inchoatis eodem An: 15. Novem: & finitis poſt dies 9. 24 ejuſdem Novembris publicatæ ſunt.

Radd aż Služebnjkůw Naſſých ſe w něm oſadili. Za kterýmiżto přičinami gſme ſe z přirozené dobrotiwoſti a Miloſtiwoſti / po bedliwém toho wſſeho wwáženj / na tom wſtanowiti ráčili / aby ſwrchu pſané Králowſtwj Naſſe Czeſké / zaſe w giſté Stawy / gakż Naſſe obnowené Żřjzenj Zemſké / to w ſobě ſſyřegj obſahuge a zawjrá / wyzdwjżěno býti / a wſſeckna / a wſſeligaká Privilegia, Obdarowánj / Swobody / a Mageſtáty / genżby proti témuż obnowenému Żřjzenj Zemſkému nečelili: (gakż pak wſſecko to / co tak / gakż dotčeno / proti takowému Żřjzenj Zemſkému geſt / obwzlášſtně dwa za Králowánj Cýſaře Rudolffa / toho gména druhého ſlawné paměti / od Oſob / genż ſe Pod obogi gménowali / wynucené Mageſtáty: Prwnj na Náboženſtwj: A druhý / na wpuſſtěnj od wſſeligakých Pokut / ſtracenj Statkůw / za wěcý neplatné a giż zruſſené wyhlaſſugeme / držjme / a máme) bez překážky gednoho każdého Cżlowěka wżjwati / a njmi ſe těſſyti mohlo / též také mocy Liſtu tohoto Naſſeho Cýſařſkého a Králowſkého s napřed położenau Weyminkau / a wynahraženjm wſſecka a wſſeligaká a ſlawných Předkůw Naſſých / Stawům / téhoż Králowſtwj Czeſkého / ſpolečně / gako y gednomu każdému Stawu rozdjlně / obwzlášſtně pak Stawu Panſkému / w Létu Tiſýcým / Pětiſtým / Druhým / w Středu před Neděli poſtnj Reminiſcere, nadaná / a propůgčená Privilegia, Práwa / a Swobody / kterežby / gak ſwrchu dotknuto / proti témuż nowému Żřjzenj zemſkému nečelili / a że gſme o nich giné Nařjżenj nečinili / ſchwalugem / obnowugem / a potwrzugem: Přiřjkagjce za Nás / y za dědičné Naſſe / budaucý Krále Czeſké / że wſſecky čtyry Stawy / a celau Obec téhoż Králowſtwj Naſſeho dědičného Czeſkého / též také każdý Staw obwzlášſtně při gegich Práwjch / Sprawedlnoſtech / a dotčeném od Nás obnoweném Żřjzenj Zemſkém ochranowati a zachowati chceme: Nechceme také żádné Berně a Daně od poſluſſných Stawůw Naſſých / ginácegj nežli na Sněmjch / podle Artykule w témż Żřjzenj Zemſkém / pod literau A. 5. położeneho żádati a mimo to / coby tak kdy Stawowé ſwolowali na ně giných Danj a Bernj nerkládati. Též nechceme na żádnau Oſobu z Stawůw Králowſtwj Naſſeho dědičného Czeſkého / aneb na Statky gich / de facto / neb mocý ſáhati / než gednoho każdého na geho Práwě ſlyſſeti a po rozeznánjtě wěcy / podle Práwa / a Sprawedlnoſti kráčeti.

Eædem literæ pependerunt in omnibus Curijs Templis & portis Oppidorum & Civitatum per Bohemiæ majore Sigillo Ferdinandi II. ſignatæ.

A poněwadž geſt rozdilnoſt w Náboženſtwj neywětſſý přjčinu k té minulé Rebellij podala / tehdy chceme / a máme wſſecky Stawy ſwrchu pſaného Králowſtwj Naſſeho dědičného Czeſkého

ho w gednotě Cýrkwe Swaté Rzjmské Katolické zdržeti a zachowati / a žádné giné Wjry a Náboženstwj / aneb prowozowánj geho w témž Králowstwj Czeském netrpěti: Nýbrž kteřj gesstě k nahoře gmenowané Wjře Katolické nepřistaupili / ge náležitými Prostředky k tomu přiwesti dáti / tak aby w gednotě Wjry a Mysli / srownánj gsauce / předně Pánu Bohu Wssemohaucýmu a Nám / tim lépegj slaužiti / a tudy obecné dobré a wžitečné / ffedrowati mohli.

Naposledy chceme také každého času / strany Mince takowé Nařjzenj včiniti / nimžby obecnému Dobrému w témž Králowstwj Czeském dobrymi a hodnými Penězy spomoženo býti / též skrze to žiwnost a Obchody Lidské zrůst swůg bráti mohli. Tomu na Swědomi Pečet Nassý Cýsařskau wětssý / k tomuto Listu a Magestátu gsme přiwěsyti rozkázali / a w něm se rukau wlastnj podepsati Ráčili. Dán w Městě Nassem Wjdni / w Sobotu po slawném Hodu Seslánj Ducha Swatého na Apossstoli / ginák / dwadcátého dewátého dne Měsýce Máge / Léta od Narozenj Syna Božjho / Tisýcýho / Sseskistého / Dwadcátého / Sedmého / a Králowstwj Nassých / Rzjmského osmého / Wherského dewátého / a Czeského desatého počitagjc.

Ferdynand.

Sdenco Ad: Princ: de Lobkovitz S: R: Bohemiæ Cancellarius.

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium.

EPISTOLA XCIX.

Eædem Literæ, quæ modò bohemicè recitatæ sunt, recitantur Germanicè.

Wir Ferdinand der Ander / von GOttes Gnaden / Erwehlter Römischer Kayser / zu allen Zeiten Mehrer des Reichs / in Germanien / zu Hungern / Böheimb / Dalmatien / Croatien / und Sclavonien ꝛc. König ꝛc. Ertz-Hertzog zu Oesterreich / Marggraff zu Mähren / Hertzog zu Luczenburg / und in Schlesien / und Marggraff zu Laufnitz ꝛc.

Beken-

BEkennen mit diesem Brieff / und thuen kundt Männiglichen; demnach kundbahr / und am Tage / welcher massen kurtz verwichener Zeit / Vnser Erb-Königreich Böheimb sich in forma Universitatis, wider uns gewaltsamer weise auffgeworffen / und eine abscheuliche / und solche Rebellion erhoben / daß Wir gedrungen worden / solches Vnser Erb-Königreich / mit kostbahren Kriegs-Rüstungen / und äusserister Zusetzung / Vnsers / und Vnsers Hauses Vermögens / wiederumb zuerobern / und mit dem Schwerdt / vermittels der Hülff GOttes / unter Vnsere Gewalt / und Macht zubringen / dahero Wir wol befugt / alle gedachtem Königreich zuständige Privilegia, so weit Sie desselben Verfassung / und Universitäten der Stände / betreffen / zu cassiren / und aufzuheben / daß Wir doch angesehen die beständige Treu / der Jenigern Einwohner / des Königreichs Böheimb / welche lieber ihr Vatterland verlassen / als Vns zuwider seyn wollen / wie dan auch / daß nunmehr fast das gantze Königreich zu Vnserer allein seeligmachenden Catholischen Religion sich begeben / zudem Ihrer viel aus Vnsern treuen Räthen / und Dienern / in demselben läßhafft werden / und uns deßwegen aus angebohrner Milde / und Gnad / auf gehabten genugsamen Raht / dahin gnädigst Resolvirt / das mehr gedachtes Vnser Erb-Königreich Böheimb / wiederum in gewisse Stände / wie solches Vnsere verneuerte Land-Ordnung / mit mehrern vermag / und ausweiset / verfasst worden / und alle der Jenigen Privilegien / Begnadungen / Freyheiten / und Majestät Brieffe / so obgedachter Vnserer verneuerten Lands-Ordnung nicht zuwider (gestalt Wir dan alles das Jenige / so derselben / wie obberührt / zu wider / zuforderst aber die zweene bey weyland Kayfers Rudolphi Secundi Zeiten / von denen so sich sub utraque genennet / erzwungene Majestät Brieffe / deren einer die Religion / der ander aber / die Straffen / und Confiscationes betrifft / für unkräfftig / und allbereit für cassirt / erklären / und halten) von männiglich ungehindert genieſſen soll. Bestättigen / und confirmiren auch mit jetzt gesetzter Exception, und reservat, alle von Vnseren Vorfahrern / den Ständen in gemein / wie auch jedwedern Stand absonderlich / bevoraus aber / sub dato Prag / die Mitwochen vor Reminiscere, im fünffzehenhundert / und andern Jahr / dem Herrn-Stand gegebene Privilegia, Recht / und Freyheiten / welche / wie obberührt / Vnserer verneuerten Lands-Ordnung nicht zu wider / und davon Wir nicht in andere Wege anders disponirt / in Krafft dieses Vnsers

Kayserlich. und Königl. Brieffes. Vnd versprechen für Vns / und Vnsere nachkommende Könige in Böheimb / daß Wir alle die vier Stände / und die gantze Gemeinde Vnsers Erb-Königreichs Böheimb / so wol einen jeden Stand / insonderheit / bey ihren Rechten / Gerechtigkeiten / und der von Vns verneuerten Lands-Ordnung schützen / und erhalten wollen ; Wir wollen auch keine Contributiones, oder Steuern anders von Vnsern gehorsamen Ständen / als auf denen Land-Tägen / vermög deß / in Vnserer Lands-Ordnung sub Lit. A: 5: gesetzten Artickels / begehren / und über diß / was sie selbst bewilligen / Jhnen keine Contributiones auflegen / auch wollen Wir wieder niemandes Persohn / aus denen Ständen vielgedachtes Vnsers Erb-Königreichs Böheimb / oder deroselben Güter / de facto procediren / sondern Jedwedern zuvor bey seinem Recht hören / und nach Erkantniß der Sach / Vermög der Recht / und Justitz verfahren ; Vnd dieweil der Vnterscheid des Glaubens / meistens die verübergangene Rebellion verursacht / wollen und sollen Wir alle Stände Vnsers Erb-Königreichs Böheimb / in Einigkeit der Heiligen Römischen Kirchen erhalten / keinen andern Glauben / Religion / oder Exercitium, in bemelten Königreich nicht gestatten / sondern die Jenigen / welche noch nicht den Heiligen Catholischen Glauben angenommen / durch gebührliche Mittel / darzu bringen / damit in Einigkeit des Glaubens / und der Gemüter / GOtt dem Allmächtigen / und Vns desto besser gedienet / und des gemeines Wesens Nutz / und Aufnehmen befördert werde. Item Wir wollen Jederzeit solche Müntz-Ordnung anstellen / dadurch dem gemeinen Wesen in Vnsern Erb-Königreich Böheimb / mit guter Müntz geholffen / und die Commercia befördert werden ; Zu Verkundt dieses Brieffes besiegelt / mit Vnsern Kayserlichen und Königlichen anhangenden grösseren Insiegel / der geben ist in Vnserer Stadt Wien / den neun und zwantzigsten Tag / des Monats Maji, nach Christi Vnsers lieben HErrn / und Seligmachers Gnadenreicher Gebuhrt / im sechszehen hundert / sieben und zwantzigsten / Vnserer Reiche / des Römischen im Achten / des Hungarischen im Neundten / und des Böheimischen im Zehenden Jahr.

EPI-

EPISTOLA C.

W Kwaternu Trhowým druhým Zlatým Léta 1629. w Autery po Nedělj Rogationum. F. 23.

Constitutio Regia de novis Baronibus & Equitibus in Ordines Boëmiæ cooptatis, quid præstare priùs debeant Regi, déque eorum inter Ordines sessione.

Ferdinand / der Ander / von GOTTes Gnaden Erwehlter Römischer Kayser / auch zu Hungarn und Böheimb König ꝛc.

HOch und Wohlgebohrne / und Gestrenge liebe Getreue / Wir wollen euch in Käyserl. und Königl. Gnaden nicht verhalten / was massen bey Vns der Gestrenge Vnser Raht Cammern / und lieber getreue Christoph Wratislaw / von Mitrowitz auff Brzesin / Obrister Land-Schreiber / in Vnsern Erb-Königreich Böheimb gehorsam ist einkommen / und gebeten / daß nachdem wir Vns gegen euch unlängst gnädigst resolvirt / daß ein Jedweder / so von Vns als ein regierenden König zu Böheimb / in dem Herren Stand erhoben / sich wegen der Session, bey dem Herren Stand Vnsers Erb-Königreichs Böheimb / anmelden / und in künfftig nicht anders zu solcher Session zugelassen werden solle / er habe dan vorgesetztem Stand seine vier Schild und Ahnen bewiesen / und dargethan / Wir Geruheten auch dem Ritter Stand erwöhnten Vnsers Erb-Königreichs Böheimb / dißfals in Gnaden zu bedencken / und es bey dem alten löblichen Brauch und Herkommen / daß nemlich der Jenige / so in Ritter Stand angenommen zu werden begehret / von ehrlichen Eltern / bis in das dritte Glied / ehrlich gebohren / auch eines guten Namen und Wandels sey / und nach der Annehmung im Ritter Stand / und Abgebung eines gewöhnlichen Revers, zum Land sich über andere Geschlechten nicht erheben / wenn er sich wiederum zum Burgerstand begeben / deßgleichen auch / daß auf dem Fall eine von ihnen eine bürgerliche Person / seines Wappens und Tituls theilhafftig machen thäte / solche Persohn dergleichen Theilhafftigmachung / ohne Vnsern / oder Vnserer nachkommenden Königen zu Böheimb Consens nicht gebrauchen / noch sich vor einem von Adel nun dergleichen dignität und Würden / von Vns als regierenden Kö-

den König zu Böheimb herrühren / und derselbe Conferiret und Austheilung allein Vns vorbehalten / Wir Vns auch nochmals dieselben / Krafft dieses vorbehalten / und benebenst constituiret haben wollen / daß die Nobilitation und Adelung nicht dahero zunehmen / daß Wir von diesem einer von dem Ritter Stand angenommen / sondern zuvorderst ein Nobilitation , von Vns aus Vnserer Königl. Böh. Hoff-Cantzeley erlangen muß.

Also erklären / und resolviren Wir Vns weiter gnädigst allhie / daß Wir hiebevor bey der Annehmung einer bürgerlichen Personen in den Ritter Stand angeordnet / und beruhlich gewesen / daß der Jenige / welcher in diesen Stand angenommen zu werden begehret / beweisen müssen / daß er von ehrlichen Eltern / bis in das dritte Glied herkommen / und ehrlich gebohren seye.

Also auch hinführo / wan jemand eine Nobilitation , aus gedachter Vnserer Königl. Böh. Hoff-Cantzley erhalten / sich nachmals derselbe bey dem Ritter Stand / wenn er alda seine Session und Stätte haben will / neben Vorweisung seines von uns erhaltenen Adel-Brieffs / auch genugsam darthun / und beweisen solle / daß er also wie obberührt / von ehrlichen Leuten herkommen / und ehrlich gebohren seye / dieweil aber auch billich zwischen denen / so nur einen Wappen-Brieff erlanget / und den Jenigen so Nobilitationirt / ein Vnterschied zu halten / so sollen die Jenigen / so nur allein ein Wappen-Brieff erlanget / und bekommen / hinführo für dieselben geachtet / und gehalten werden / wie Vnsere publicirte Königl. neue Lands-Ordnung sub Lit. A: XV. ausweiset.

Wir wollen auch Gnädigst / daß die neu-nobilirten Personen / sich gegen den alten Geschlechtern von Adel / mit gebührenden respect / und also verhalten / daß sie sich weder in der Session , noch sonsten über sie erheben ; Ferner setzen und ordnen wir / daß wie vor diesem gerecht und wol aufgesetzt gewesen / keiner den andern zu Wappens Vättern oder Genossen / andern Gestalt nicht aufnehmen können / es hätte dan der König seinen Consens hierzu gegeben / als vielmehr wollen wir / daß solches bey jenigen des Königreichs Zustand / daß Vns die Jura Majestatis allein vorbehalten / in Obacht genommen / und auch daß es also gleicher Gestalt hinführo gehalten werden solle / hiemit gnädigst resolvirt / und euch beynebenst in Gnaden anbefohlen haben / daß ihr an gehörigen Orten / die gemessene Verfügung thuet / auch selbst darob seyt / damit diese Vnsere gnädigste Erklärung /

klärung / so wol auch wessen Wir uns jüngest hingegen euch des Herren-Standes halber resolvirt ad perpetuam rei memoriam , der Land-Taffel unsers Erb-Königreichs Böhmen / vom Wort zu Wort eingeschrieben / und einverleibet werde / über diß / und demnach Wir Immer gedachten Vnserer verneuerten Königl: Lands-Ordnung sub Lit: A: 20. gnädigst constituirt und gesetzet / daß wan sich jemand auf einen gemeinen Land-Tag bey den Ständen anmeldet / demselben alsdan seinem Stande nach die Session eingeraumt werden sol. Nemblich / wo es des Alten Herren-Stand in den Alten / da er aber des Neuen in den Neuen Stands in des Alten Herren-Stand / dergleichen welcher des Alten Ritter-Standes in des Alten / und welcher des Neuen in den Neuen Ritter-Stand ꝛc. jedoch aber Gestalt / daß wo ein Streit oder Zweiffel bey den Ständen vorfallen / oder aber Jemand vermeynen möchte / daß ihme durch die Stände zu kurtz geschehe / Vns hierüber die Decision und Erstrittung auf eines und des andern Theils vor und umbbringen zuständig / und vorbehalten / seyn solle.

Also wollen wir Vnsere obgemeldte jüngste Resolution (daß sie nemblich ihre vier Adeliche Ahnen ehe die Session sie bekommen / beweisen sollen) nicht allein von den Einheimbischen / sondern auch von den Ausländern verstanden haben / nnd weilen die Ausländer / welche sich vor alte Frey-Herren ausgeben / nicht jederzeit bekandt seyn : So setzen / ordnen / und wollen Wir / daß wan sie Session unter dem Alten Herren-Stand haben wollen / dieselben zuvor / wofern sie nicht aus dem Reich / oder unsern Erb-Ländern / oder aber sonsten wol bekandt seyn / genugsamen Beweiß / und Schein bringen solten / daß sie des Alten Herren-Standes seyn / und in ihren Vatterland dafür gehalten werden / Inmassen Wir dan auch das Jenige wissen / wie uns anjetzo Krafft dieses wegen derer vom Adel / oder aus im Ritter-Stand resolvirt / so wol von den Ausländern / als Inwohnern verstanden und gedeutet haben wollen / und dahero wan einer oder der ander sich vor eine Alte Ritter-Stands Persohn ausgeben wolte / und ihm Ausländer / und nicht wie obberühret / eines bekandten Geschlechts wäre / so solle derselbe genugsamben Schein und Zeugniß bringen / daß er in seinen Vatterland Alten Ritter-Standes sey / und dafür gehalten werde.

Jedoch behalten Wir Vns gnädigst bevor / daß Jenige was Wir schon ihn offt gedachter Vnserer Königlichen neuen

Lands-Ordnung sub Lit. A: 15. ausgesetzt / daß nemblich / auf dem Fall Wir oder Vnsere Nachkommen / Römische Käyser oder König zu Böhmen einen oder den andern indem über seine Nobilitation und Wappen gegebenen Königlichen Privilegio, wegen seiner erzeigten getreuen Dienst / oder aus anderen bewegenden Vrsachen / durch andere Mittel und Wege / ander weiß begnadeten / ehe es ungehindert dieses unsers Gesetzes / bey der buchstäblichen Versehung eines jeden Privilegii verbleiben / und gelassen worden / wie auch die Jenigen / so bishero von uns in den Alten Stand erhebt worden / ihren Privilegium allermaß wie dieselben lauten / ungehindert gemessen sollen.

Darnach ihr euch einzurichten / und solches begebenden Fall macht zu nehmen / auch hieran zu unserm gnädigsten gefälligen Willen / zu handen wissen werdet.

Geben in Vnserer Stadt Wien / den Zehenden Tag des Monats Martii, im sechzehen hundert neun und zwantzigsten / Vnserer Reiche des Römischen im zehenden / des Hungarischen im Eilfften / und des Böhmischen im zwölfften Jahr.

Ferdinand.

Guilielmus Comes Slavata Regni Bohemiæ S. Cancellarius.

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium.

EPISTOLA CI.

Nonnulla Vetusta Feuda in Regno Boëmiæ. Permutatio Oppidi Kostelecz pro VVelisch & Giczin.

Ego Joannes de Wartemberg dictus de Wessel, Burggravius Pragensis.

Ex Privilegiis Regni.

NOtum facio tenore præsentium Universis. Quòd *Serenissimus Princeps & Dominus meus gratiosus Dominus Carolus Romanorum Imperator semper Augustus & Boëmiæ Rex* habitâ deliberatione maturâ & sano *Principum*, *Baronum & Procerum Regni sui Boëmiæ* communicato consilio consideratione justâ perpendit qualiter bona mea videlicet: *Oppidum Kostelecz, Stradinie, Synkovv, Zaborky, Dudleby, Lhota parva, Sucha, Rybnavv, Hlashem, Hradischze*, ubi pridem Castrum *Potenstain* extitit, quod denuo *Imperator, Dominus* meus reædificavit, *Bezdiekovv, Lhota, Krbna, Przekaza, Tukleki, Besdiekovv*, quid quid ibi habeo, Castrum *Welischovv*, Oppidum cum Theloneo,

loneo, *Zamek Sopatnicze*, quidquid ibi habeo; *Brenna*, quidquid ibi habeo, *Wleczinecz Sylva Prorubie, Bukovvniæ, Jarovvnicze*, quidquid ibi habeo; nec non Jura, fructus, utilitates & proventus omnium prædictorum *sibi, hæredibus, & successoribus suis Boëmiæ Regibus*, & ejusdem *Regni Coronæ* aptè conveniunt & Regnum ipsius *Bohemiæ* ex ipsis Incrementa felicia prosperè & gratè suscipiet, sicut hoc rationis suæ clara dictavit provisio, & prædictorum *Principum, Baronum & Procerum* suorum consilia secum pari affectu concordant, ideoque multâ replicatione multoties iterati consilii, rebus ipsis ritè prospectis & in examen providæ discussionis adductis pro bono tranquillo, pacifico, quieto & utili statu *Regni* sui & *Regnicolarum* commodis & salute, ac etiam notabili melioratione *Regni Boëmiæ* prædicti, prædicta bona omnia & singula à me de bona voluntate mea & consensu libero, titulo & Jure legitimæ & justæ permutationis accepit, & eadem bona omnia & singula prout sunt expressa superiùs, ex nunc inantea perpetuis temporibus Regalia fore decrevit, & quod tanquam Regalia immediata ad mensam & villicationem suam, *hæredum, & successorum suorum Boëmiæ Regum* & ejusdem *Regni Coronam* pertineant, & omnem naturalem libertatem & ordinem bonorum Regalium, nec non mihi Hæredibus & Successoribus meis in perpetuam recompensam bonorum hujusmodi, cùm *Regno* suo, cujus honorem & statum ego ipse justâ ratione diligere teneor, major in ipsâ permutatione consurgat utilitas, infra scripta bona Regalia, quæ ab antiquo ad Illustres *Boëmiæ Reges Progenitores* ipsius, ad ipsum & *Coronam Regni Boëmiæ* pertinuisse noscuntur, & in quorum possessione quieta ritè perstitit, videlicet: *Castrum Welisch, Oppidum Giczin* cum infra scriptis Villis, *antiquo Giczin, Holim, Welisch, Bukvvice, Lhota Okschzcie, Czekovvicze & decem laneis sylvæ rubetalis* cum omnibus Juris Utilitatibus, Fructibus, Obventionibus & pertinentiis Castri, Oppidi & Villarum hujusmodi, quibus etiam possunt designari nominibus, in veram proprietatem & hæreditatem perpetuam dedit, contulit & donavit, renuncians expressè pro se *hæredibus & successoribus suis Boëmiæ* Regibus omni Juri, si quod sibi circa utile Dominium prædictarum possessionum competit hactenus quovis modo, Superioritatis Dominio quod præfato *Domino meo Imperatori tanquam Regi Boëmiæ* & ejusdem *Regni Coronæ* jure seu consuetudine in eisdem bonis, sicut in aliis Baronum & Procerum Bonis competit, signanter excepto, quòd ad *eundem Dominum meum Imperatorem* tanquam *Boëmiæ Regem, hæredes & successores suos Boëmiæ Reges* & ejusdem *Coronam Regni* absque impedimento quolibet, perpetuo tempore pertinebit. Ideóque Ego prædictus *Joannes Burggravius Pragensis* animo deliberato non per errorem aut improvidè, sed amicorum meorum accedente consilio, non coactus sed sponte & liberâ voluntate suprà dicta bona mea utpote *Oppidum Kostelecz, Stradinicze, Synkovv, Zaborky, Dudleby Lhota parva, Sucha, Rybna, Whlasnen, Hradischa*, ubi pridem *Castrum Potenstain* extitit quod denuo idem *Dominus meus Imperator* reædificavit *Bezdiekovv, Lhota, Rybna, Przekazka, Tukleky, Bezdiekovv* quid quid ibi habeo, *Castrum Welischovv, Oppidum cum Theloneo, Zamek Sopatnicze* quidquid ibi habeo, *Brema* quid quid ibi habeo, *Wlczinecz* sylvam *Porubie, Bukovvne Jarovvnicze* quidquid ibi habeo, nec non Jura fructus, utilitates & proventus omnium eorundem meo hæredum & successorum meorum nomine, jure plenissimo, & sicut unquam melius de jure fieri poterit, præfato *Domino meo Imperatori tanquam Boëmiæ Regi hæredibus & successoribus suis Bohemiæ Regibus* & ejusdem *Regni Coronæ* dono ac titulo justæ ac legitimæ permutationis assigno & in eorum transfero liberam potestatem,

renuntians expreſsè pro me, hæredibus, & ſucceſſoribus meis in perpetuum omni Juris actioni, quæſtioni, repetitioni, titulo & omnibus ſimpliciter reſpectibus, ſi quis vel quæ mihi aut prædictis meis hæredibus & ſucceſſoribus Privilegio, Literis, Gratiâ, Jure, Conſuetudine vel quovis alio modo competierunt hactenus, competunt ad præſens, ſeu poſſunt competere quomodolibet in futurum.

In cujus rei teſtimonium Sigillum meum eſt appenſum præſentibus. Datum *Pragæ*. Anno Domini 1358. in die Sanctorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum.

EPISTOLA CII.

Renunciatio Oppidi Koczen & Villis ad Caſtrum Luticz ſpectantibus & ipſo Caſtro.

Ego Jeſco Filius quondam Nicolai de Potenſtain.

Nicolaus de Potenſtain Carolo IV: refractarius. occiſus in obſidione Caſtri ſui prædicti.

REcognoſco præſentium tenore Univerſis, quòd cùm dictus Dominus & Genitor meus in dicto Caſtro *Potenſtain*, heu! occubuiſſet & ſingula bona ipſius Caſtri & etiam alia, videlicet, *in Waldenberg, Seftenberg & Goslet* ſpectantia, ad *Sereniſſimum Dominum meum Illuſtrem Dominum Joannem Regem Boëmiæ & Comitem Lucemburgenſem* Jure & Conſuetudine Terræ eſſent rationabiliter devoluta. Ipſe Dominus meus ex larga ipſius munificentia dedit mihi Fratribus & hæredibus meis prædicta bona & tradidit de gratia ſpeciali exceptis duntaxat Oppido *Koczen* cum ſuis pertinentiis, cum quibus quondam ad *Coronam Regni* pertinere dignoſcebatur & villis ſpectantibus ad caſtrum *Luticz* ac ipſo Caſtro *Potenſtain* & monte prout murus eum cinxit, quæ quondam ſingula ipſe Dominus meus pro ſe & ſuis hæredibus reſervavit. Ego itaque meo, Fratrum, hæredum & ſucceſſorum meorum nomine abrenuntio in prædictis quibuslibet impetitionibus, repetitionibus, & omnibus Juribus, quæ mihi aut ipſis Fratribus vel ſucceſſoribus meis in prædictis Oppido *Koczen*, prout quondam ad *Coronam Regni* pertinebat, & Villis ad Caſtrum *Luticz* ſpectantibus ac ipſo Caſtro, ùt prædicitur, competebant, competunt vel competere poſſent quomodolibet in futurum promittens bonâ & ſincerâ fide jam dicta bona ipſi Domino meo in Tabulas Terræ reponere, & omnes Literas ac Demonſtrationes, quas ſuper eiſdem habeo reddere & reſignare, & ſi quas eiſdem reſervarem fortſitan, eaſdem caſſas irritas ac nullius eſſe volo roboris vel momenti, ſic etenim expreſsè ſpondeo dictum Caſtrum *Potenſtain* nunquam inantea reformare. Harum, quibus meum ſigillum cum ſcriptorum amicorum meorum ſigillis quos ad hoc rogavi pro Teſtibus appenſum eſt, Teſtimonio Literarum. Et Nos *Bertholdus DEI Gratiâ Præpoſitus Wiſſehradenſis; Sbinko de Dube* dictus *Sskopek & Beneſſius de Wartemberg* per prædictum *Jeſconem de Potenſtain* rogati pro Teſtibus noſtra ſigilla in evidentiam præſcriptorum unà cum ipſius ſigillo duximus præſentibus appendere. Datum *Pragæ* Quarto Idus Maji Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Quadrageſimo primo.

EPI-

EPISTOLA CIII.

Strekow.

Ego Peſco de Strzekow.

NOtum facio univerſis & tenore præſentium recognoſco, quòd Illuſtri *Principi ac Domino meo Joanni Bohemiæ & Poloniæ Regi ac Comiti Lucemburgenſi* pro eo quòd mihi & hæredibus meis munitionem *Schrekenſtein* dictam conſtruxi &c. &c. Et quia ipſe Dominus meus *Rex* in recompenſam Villæ *Czehoſticz*, quam à me recepit, ducentas & quinquaginta ſexagenas groſſorum denariorum Pragenſium dare promiſit, promitto modo quô ſuprà, quòd ſolutis mihi per ipſum, vel ex parte his ipſis ducentis quinquaginta ſexagenis comparabo & requiram pro ipſis poſſeſſiones & Bona, quas & quæ Ego & hæredes mei ab ipſo hæredibus & ſucceſſoribus ſuis in *Regno Bohemiæ* in Feudum & jure feudali habebimus & poſſidebimus unà cum bonis noſtris aliis & pro ipſis perpetuò ſervire tenebimur, quemadmodum eſt promiſſum. Dans eidem Domino meo hanc literam meam ſigillo meo ſigillatam. In Teſtimonium omnium promiſſorum. Datum *Pragæ* 17. Calend. Februarii Anno 1319.

EPISTOLA CIV.

Fünfhunden.

Ego Fridericus de Fünfhunden.

NOtum facio tenore præſentium Univerſis. Quòd Sereniſſimus ac Invictiſſimus Princeps ac Dominus Dominus *Carolus IV.* Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & *Boëmiæ Rex* Illuſtris, Dominus meus gratioſiſſimus ſervitiorum meorum intuitu mihi hæredibus & ſucceſſoribus meis ſubſcripta Bona videlicet: Munitionem & Villam Fünfhunden / & Villas *Breczani, Wikleczicze, Drahonicze & Nechazenicze* cum earum appendiis, utilitatibus & pertinentiis univerſis, quæ ab ipſo tanquam à *Rege* dependent in feudum de innata ſibi pietatis Clementia, authoritate *Regiâ Bohemiæ* in feudum liberum contulit, Recepto priùs à me præfato *Friderico*, meo, hæredum & ſucceſſorum meorum nomine, pro ſe hæredibus & ſucceſſoribus ſuis *Boëmiæ Regibus* & ejuſdem *Regni Coronæ* fidelitatis & ſubjectionis debitæ ſolito juramento prædicta bona per me præfatum *Fridericum* hæredes & ſucceſſores meos tenenda, habenda, & perpetuò poſſidenda omni eo modo, conditione, Jure à Libertate ac Conſuetudine, ſicut *Barones Regni Boëmiæ* ſua bona feudalia libera poſſident atque tenent Præfati Domini mei Imperatoris hæredum & ſucceſſorum ſuorum *Regum Boëmiæ* & aliorum quorumlibet in præmiſſis Juribus ſemper Salvis. In cujus rei Teſtimonium præſentes fieri & ſigilli mei appenſione ad majorem memoriam communiri feci. Datum *Pragæ* Anno Domini 1361. In Vigilia Corporis Chriſti.

Pietipeski.

EPISTOLA CV.

Egerberg.

Ego Fritczko de Egerberg.

AD Universorum tenore præsentium cupio notitiam pervenire. Quòd affectans & intendens, sperans in hoc conditionem statûs mei meliorari me Domino meo, Domino *Joanni* Boëmiæ *& Poloniæ Regi ac Lucemburgensi Comiti* plus solito astringere & ligare, Bona & Villas meas subscriptas, videlicet: **Fünfhunden** / *Nechranicz*, *Brezan & Wikleticz* cum earum pertinentiis ab ipso & suis hæredibus in feudum & Jure feudi pro me & hæredibus meis recipio & assumo ità quod ipsis de eisdem Bonis debita servitia semper tenear exhibere. Harum quas sigillo meo unâ cum sigillis Nobilium virorum amicorum meorum, videlicet Sbinkonis & Fratrum *de Waldek* sigillari procuravi Testimonio Literarum. Et nos *Zbinko* & Fratres prædicti ad rogatum præfati *Fritczkonis de* Egerberg Avunculi nostri sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum *Parisiis* in Vigilia Nativitatis Christi. Anno Domini 1332.

EPISTOLA CVI.

Kostomlati.

Wenceslaus D. G. Romanorum Rex semper Augustus & Bohemiæ Rex.

NOtum facimus tenore præsentium Universis. Quòd accedens ad Nostræ Majestatis præsentiam Nobilis *Habardus de Zerotin Senior* fidelis Noster dilectus, non per errorem aut improvidè, sed amicorum suorum sano consilio, in bona mentis & corporis valetudine constitutus, Castrum suum *Kostomlat*, quòd à nobis velut *Boëmiæ Rege* dependet, in feudum Nobilibus *Plichtæ*, *Habardo & Habardo de Zierotin* Fratribus donavit tradidit, & liberè resignavit sub conditionibus infra scriptis; quòd videlicet idem *Habardus* Senior, quàm diu vitam duxerit in humanis, Castrum hujusmodi cum suis pertinentiis habere, tenere, & possidere, ipsóque defuncto ipsum Castrum cum suis pertinentiis ad Fratres memoratos & eorum hæredes legitimè cadere debeat, & devolvi, Quódque ipse *Habardus Senior* idem Castrum cum ipsius pertinentiis nec in vita vel in morte cuicunque alteri personæ obligare, alienare seu vendere possit, valeat vel debeat quovis modo. Nostræ Celsitudini supplicantes humiliter & devotè quatenus donationi & resignationi hujusmodi consensum Nostrum Regium adhibere benevolum ipsúmque *Plichtæ* prædicto & ipsius Fratribus memoratis authoritate *Regiâ* Boëmiæ conferre gratiosè dignaremur, Nos votis ipsorum justis & rationabilibus annuentes benigniùs pensantes etiam eorum recolendæ memoriæ *Genitori Nostro* charissimo dum viveret ac Nobis fidelibus exhibitis servitiis & inantea ferventiùs exhibendis eo, *quo* præmittitur, modo donationi

rioni hujusmodi consensum Nostrum Regium adhibentes benevolum, præfatis *Plichtæ* & Fratribus suis non improvidè, sed animo deliberato Castrum *Kostomlat* prædictum cum Universis suis pertinentiis in feudum nobile contulimus, & de certa nostra & *Regiâ Boëmiæ* authoritate præsentibus conferimus & donamus per eos & eorum hæredes post mortem *Habardi Senioris* præfati à Nobis Hæredibus & Successoribus Nostris *Bohemiæ Regibus* & ipsius *Regni Coronæ* sub eodem feudi Jure prout hactenus possessum exstitit, & quemadmodum cæteri Feudales & Vasalli Nobiles *Regni Boëmiæ* ipsorum bona possidere noscuntur, habendum, tenendum & perpetuò possidendum. Præsentium sub *Romanæ Regiæ* Majestatis sigillo Testimonio Literarum. Datum *Pragæ* pridie Calend. Maji A. 1379. Regnorum nostrorum A. 36. Romanorum verò 30.

EPISTOLA CVII.

Berg auf der Gans.

Nos Jengruk, Laurentius, Herbordus & Pesco Fratres de Janovvicz.

REcognoscimus tenore præsentium Universis, quòd cùm Serenissimus Princeps Dominus *JOannes Rex Boëmiæ ac Comes Lucemburgensis* hanc nobis duxerit gratiam faciendam, videlicet, ut Nos montem vulgariter **auf der Gans** situm in magna Sylva pertinentem ad Castrum *Winterberg* ædificare, & inibi ædificia, seu Castrum erigere seu instaurare liberè & licitè valeamus & possimus ac eundem montem unà cum ædificiis seu Castro desuper construendis Nobis & hæredibus Nostris in feudum hæreditarium & perpetuum concesserit, dederit & contulerit, Nos verò dictum montem cum ædificiis & Castro ibidem construendis & instaurandis à prædicto Domino Nostro *Rege Boëmiæ* hæredibus & successoribus suis *Regibus Boëmiæ* recepimus & recipimus, in feudum hæreditarium pro nobis & hæredibus nostris Jure & titulo feudali taliter, quòd nos & nostri hæredes de ipso monte unà cum ædificiis ipsis servire tenebimur, contra omnem hominem nullo penitus excluso, & quod dictum Castrum apertum esse & ipsis patere debebit, adversùs quoslibet eorum hostes æmulos & inimicos absque tamen nostro & hæredum nostrorum præjudicio & damno.

Harum nostrarum serie & Testimonio Literarum quibus nostra sigilla duximus apponenda. Datum *Pragæ* Feriâ Secundâ post Festum Sancti Ægidii proximâ. Anno Domini 1341.

EPISTOLA CVIII.

Podébrady.

Ego Hinco de Sleven.

REcognosco, & ad universorum præsentium & futurorum volo notitiam pervenire. Quòd deliberato animo & maturo consanguineorum & amicorum meorum habito consilio, cupiens Excellentissimi Principis Domini

Domini *Joannis* Boëmiæ *Regis ac Lucemburgensis Comitis* mei Veri & Gratioſi Domini feudalis effici & Vaſallus, meam, nec non hæredum meorum conditionem per hoc fieri proſpiciens meliorem, Caſtrum meum hæreditarium *Podiebrad* cum omnibus bonis ſuis & poſſeſſionibus videlicet: Villis *Sytomir, Doržehovv, Peczek, Chraſt, Welen, Satzka, Hradisko, Piesl, Zvvierzinecz, Zdiebudicz, Polavvecz, Cluk, Zakolizi, Oſſek, Shoſt, Podiebrad, Kutech, Patek, Chotievicz, Ztyczkors, Vieczoſtrazach, Curia* Babin *& nova Curia* cum omnibus ſuis metis, terminis, limitibus, curiis, araturis, agris, pratis, paſcuis, rubetis, ſervitoribus, clientibus, vigilibus, hominibus, cenſibus, honoribus, Terris, montibus, planis, vallibus, nemoribus, ſylvis, rubetis, venationibus, ſylvanis, aquis, fluviis, rivis, aquarúmve decurſibus, molendinis, piſcationibus, piſcatoribus, piſcinis, aucupationibus, Judiciis, Judicibus ac aliis Utilitatibus, Fructibus, Juribus, Jurisdictionibus & pertinentiis univerſis in prædicti Domini mei *Regis* Boëmiæ manibus, meo & hæredum meorum nomine ſpontè ac benevolè reſignavi & ab ipſo Domino meo Rege ſuo, Hæredum ac ſucceſſorum ſuorum nomine conferente mihi & hæredibus meis in feudum verum ſecundùm Jus Theutonicum amodo poſſidendum humiliter & gratanter ſuſcepi, promittens & ſpondens pro me & hæredibus meis firmiter, bonâ fide cum Caſtro *Podiebrad*, Bonis, Villis & poſſeſſionibus ſupradictis amplius ad præfatum Dominum meum *Regem* Hæredes & Succeſſores *Reges* Boëmiæ tanquam ad veros meos Principes & Dominos habere reſpectum ipſiſque fidem & fidelitatis conſtantiam, nec non obedientiam & honorem ubilibet ac in ſuis opportunitatibus & neceſſitatibus debitæ fidelitatis ſervitia ſecundùm Jus & conſuetudinem Vaſallorum & Feudalium exhibere, & de Caſtro, Villis, Bonis, & poſſeſſionibus antèdictis nil penitus absque illorum voluntate, & ſpeciali licentia obligare, alienare, vel aliàs quomodolibet imbrigare.

In cujus rei Teſtimonium præſentes Literas, mei nec non Nobilium Virorum Dominorum *Wilhelmi* de Landſtein Capitan. Moraviæ; *Bertholdi* de Lippa, & *Smilonis* de Lichtenburg dicti de Witovia teſtium in præmiſſis appenſione ſigillorum volui communiri. Actum & datum *Pragæ*, Die B. Ægidii Confeſſoris. Anno 1345.

Et nos *Wilhelmus* de Landſtein Capit: Moraviæ, *Bertholdus* de Lippa, & *Smilo* de Lichtenburg, dictus de Witovvia, ſigilla noſtra unà cum præfati *Hinconis de Sleven* ſigillo præſentibus appendenda duximus in Teſtimonium præmiſſorum. Actum & Datum Anno die, & loco ſupradictis.

EPISTOLA CIX.

Birſenſtein.

Nos Albertus, Fridericus & Ditricus Fratres de Schönburg.

NOtum facimus Univerſis præſentes Literas inſpecturis. Quòd licèt nos & bonæ recordationis Progenitores noſtri infrà ſcripta Caſtra, Prædia, poſſeſſiones, reditus & proventus ab Excellentiſſimis Principibus Dominis noſtris quondam *Boëmiæ Regibus* claræ memoriæ in feudum & juſto Theutonicalis feudi titulo ritè poſſederimus, ſicut eadem poſſeſſio, multis

multis terrigenis, de quorum fide & legalitate præſumitur, fuit hactenus & eſt publicè manifeſta, Nos tamen bonâ fide & de ſinceræ mentis noſtræ ſimplicitate, Literas Regales ſuper Oſtenſione feudorum & aliorum noſtrorum Jurium recipere negleximus prædictorum. Dominus noſter igitur Rex prædictus conſideratis ſervitiis, quæ nos unà cum noſtris progenitoribus Celſitudini ſuæ exhibuimus hactenùs, & exhibere poterimus abundantiùs infuturum, ut de feudis & Juribus noſtris certa poſſit haberi notitia, animo deliberato, & ſano præcedente Conſilio Caſtra noſtra *Birſenſtein & Egerberg*, medietatem Oppidi & medietatem *Thelonei in Breſnicz*, Villam dictam *Vartha* & ſylvam ibidem, & in Oppido *Cadanenſi* decem marcas reddituum ſuper hæreditario Judicio & quadraginta marcas reddituum cenſûs annui ſuper ordinario cenſu ibidem in Cadana & malleos minerarum ferri. Item Villas *Brunensdorf & Neclasdorf* cum omnibus aliis villis ad prædicta Caſtra ſpectantibus, nec non cenſibus, redditibus, proventibus, Judiciis, Vaſallis Vaſallariis, Omagiis, Omagialibus, ſervitoribus, ſervitiis, ſylvis, rubetis, virgultis nemoribus, paſcuis, pratis, agris cultis & incultis, molendinis, allodiis, prædiis, poſſeſſionibus, araturis, aquis, aquarúmqve decurſionibus, venationibus, piſcationibus, piſcaturis, aucupationibus & omnibus ſimpliciter ipſorum pertinentiis, quibuſcunque ſpecialibus nominibus valeant appellari in feudum nobile juſto & Theutonici feudi titulo, ſicut eadem Progenitores noſtri, & nos hactenus tenuiſſe dignoſcimur, nobis & hæredibus & ſucceſſoribus noſtris in perpetuum dedit & contulit & donavit, decernens & Regio ſtatuens edicto, quòd nos hæredes & ſucceſſores noſtri in perpetuum ſupradicta feuda & omnes earum pertinentias ab ipſo Domino noſtro *Rege*, Hæredibus, & Succeſſoribus ſuis *Regibus Boëmiæ* & à *Corona Regni Boëmiæ* præfatis debeamus tenere, & eadem quoties opportunum fuerit juxta morem ſuſcipere, eiſque Omagii, Obedientiæ, ſubjectionis, & fidelitatis præſtare & facere more ſolito corporalia juramenta. Nos itaque ejuſdem Domini noſtri *Regis* diſpoſitione & decreto in his & aliis quibuslibet obedire humiliter cupientes, pro nobis hæredibus & ſucceſſoribus noſtris promittimus bonâ & ſincerâ fide, quòd dum & quoties ſupradicta feuda & ipſorum pertinentiæ vacaverint, & quoties opportunum fuerit, ipſa à ſæpiùs dicto Domino noſtro *Rege*, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis *Regibus Boëmiæ* & à *Corona Regni* præfati adhibitis debitis ſolemnitatibus velimus & debeamus juxta morem ſuſcipere, eiſque præſtare & facere homagium, Obedientiæ & ſubjectionis ac fidelitatis juramenta.

In cujus rei Teſtimonium Sigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. Datum *Pragæ* Anno 1352. In octava Sancti Wenceslai.

EPISTOLA CX.

Hohenſtein.

Nos Hinco de Dube dictus Berka.

NOtum facimus Univerſis præſentes Literas inſpecturis. Quòd nos maturo conſilio cum amicis noſtris præhabito de bona & libera voluntate noſtra Caſtrum noſtrum *Hohenſtein* cum omnibus Juribus & pertinentiis ſuis univerſis, in quibuſcunque locis exiſtant, ſeu quibuſcunque

nominibus censeantur, susceпimus in feudum à Sereniſſimo Principe & Domino Domino *Carolo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto & Boëmiæ Rege*, promittentes in his ſcriptis bonâ fide dictum Castrum *Hohenſtein* cum omnibus Juribus & pertinentiis ſuis ſupradictis à dicto Domino *Rege & Corona Regni Bohemiæ* tenere & poſſidere perpetuis, in feudum affuturis temporibus.

In cujus rei Teſtimonium præſentes Literas fieri & ſigillo noſtro ac Illuſtris Principis Domini *Rudolphi Ducis Saxoniæ* ſummi Marſchalli Sacri Imperii, Reverendíque Patris Domini *Joannis Epiſcopi Olomucenſis*, nec non Nobilium virorum *Herbordi & Peſconis*, *& Peſconis* fratrum de *Janovvitz*, & *Alberti* de Slavvietin, *Alberti* de Schomburg, *& Timothei* de Koldicz petivimus communiri. Datum & Actum *Pragæ* in Domo habitationis Domini *Epiſcopi Olomucenſis* prædicti. Anno Domini 1353. In Craſtino Aſſumtionis Sanctæ MARIÆ Virginis Glorioſæ.

EPISTOLA CXI.

Koſtelecz.

Ego Jeſco de **Koſtelecz** dictus de Nachod.

NOtum facio tenore præſentium Univerſis. Quòd, cùm Ego bona mea libera, videlicet Caſtrum & Villam *Koſtelecz in nigra Sylva Suabov*, *Byrnik Czukmantel*, *Senl Sola*, *Bohmül*, *Wiczlancize*, *Jevvany Penczicze*, *Udaſchin*, *Silvanos in Udoslaviczin*, *Vodierad & Libeczicz nigram Sylvam & Sylvam dictam Bieluſy cum Jure Patronatûs Eccleſiarum in Koſtelecz & Udaſchin* villis, araturis, poſſeſſionibus, campo *Equitiorum* dicto *Kopole*, redditibus, cenſibus, Juribus, Utilitatibus ac univerſis aliis ſingulis ſuis pertinentiis & toto meo Dominio in quibuſcunque conſiſtant rebus, quibus etiam ſpecialibus vocabulis poſſunt expreſſari, in manus Sereniſſimi Principis & Domini Domini *Caroli Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti & Boëmiæ Regis* Domini mei gratioſi, non per errorem aut ignorantiam, ſed voluntate liberâ reſignaverim & eodem modo & hæredum & ſucceſſorum meorum nomine à dicto Domino meo tanquam *Rege Boëmiæ & Corona* ejuſdem Regni Jure & vero feudali titulo ſuſceperim, memoratus Dominus meus ùt *Boëmiæ Rex* animo deliberato, Sano Principum, Baronum & Procerum ſuorum accedente Conſilio, mihi, hæredibus & ſucceſſoribus meis, prædicta Bona cum omnibus & ſingulis pertinentiis & utilitatibus ſuis ac toto Dominio in quibuſcunque conſiſtunt, titulo Nobilis & veri feudi contulit gratiosè eâ conditione notanter adjecta, quòd Ego, hæredes & ſucceſſores mei bonum, honorem, commodum & profectum memorati Domini mei, hæredum ſucceſſorum ſuorum *Regum Boëmiæ* & ejuſdem *Regni Coronæ* pro Viribus & poſſe ubilibet procurare, ac damna & inconvenientias eorum bonâ fide abſque dolo & fraude prævenire & avertere, ac alia ſingula facere debebimus & volumus, in quibus veri & juſti fideles Vaſalli ſuis veris & naturalibus Dominis, quomodolibet obligantur. Sicut Ego pro me hæredibus & ſucceſſoribus meis dicto Domino meo & *Boëmiæ Regi* ſuper his ſubjectionis, fidelitatis, obedientiæ & homagii corporalia, ſolita, debita & conſueta præſtiti juramenta, quæ etiam hæredes & ſucceſſores mei, quoties dictum feudum vacare contigerit, dicto

dicto Domino meo, hæredibus & ſucceſſoribus ejus *Regibus Bohemiæ*, *& Coronæ* ejuſdem *Regni*, dum feudum ſicut tenentur, accipient de novo præſtare & facere tenebuntur.

In cujus rei Teſtimonium & perpetuam roboris firmitatem, ſigillum meum præſentibus eſt appenſum. Datæ *Pragæ* Anno Domini 1358. Die Decimâ Octavâ Menſis Aprilis.

EPISTOLA CXII.

Nowy Hradÿ.

Nos Petrus, Jodocus, Ulricus & Joannes Fratres Germani de Roſenberg.

AD Univerſorum notitiam volumus pervenire tenore præſentium publicè proteſtantes. Quòd Caſtrum cum Civitate *Greczen* & villæ infrà ſcriptæ cum agris, ſylvis & nemoribus, & ſuis pertinentiis, prout inferiùs in ſuis metis & limitibus ſunt diſtinctæ, videlicet: *Villa Ledercal*, *Villa Binovv*, *Villa Gruczovv*, *Villa Scriplim*, *& Curia ſeu Allodium Svvarzishovv*, *& ſylvæ ſeu nemora ad ipſum Caſtrum Greczen* ſpectantes & ſpectantia viciniora Caſtro prædicto videlicet: in numero *centum viginti quinque Laneorum*, quorum fines & limites taliter exprimuntur, videlicet: via, quæ ducit de villa *Nakalicz ultra Puchek uſque ad Paludem*, *ſive Blatto*, deinde penes ipſam paludem ſunt fines ſive limites *Pſſy Oſtrovv*, & abinde quædam ſemita uſque Kochlovv ſignata & inſuper uſque ad *quercum Regis* ſuper limites *Herſtracz*, & abinde uſque ad obſtaculum molendini *Nedikonis*; Inſuper flumen dictum *Strobniz*, cum aliis rivis ſeu rivulis, qui jam dictis ſylvis ſeu nemoribus deſinunt & continentur à *Regno Bohemiæ*, *ejusque Divis Regibus*, qui fuerunt pro tempore, dependebant, & nunc ab invictiſſimo Principe Domino Domino noſtro gratioſo Domino *Carolo Imperatore*, *ùt à Rege Bohemiæ* dependent in feudum, aliæ verò villæ & hæreditates cum ſylvis ſeu nemoribus aliiſque earum pertinentiis univerſis ad idem Caſtrum ſpectantia in feudum non dependent, ſed tanquam alia bona noſtra, quæ in *Regno Boëmiæ* poſſidemus, libera eſſe dignoſcuntur.

Ego quoque *Jodocus de Roſenberg* ſupràdictus. Recognoſco in his ſcriptis univerſis, me ipſum Caſtrum *Gretzen* cum civitate *Gretzen* & villis ac nemoribus aliiſque earum pertinentiis & fructibus, proùt limites & fines ſuperiùs expreſsè & diſtinctè exiſtunt, ab eodem Domino meo gratioſo *Romanorum Imperatore ùt à Rege Boëmiæ* in feudis tenere, habere & poſſidere.

In quorum omnium evidens Teſtimonium meum proprium, Fratrúmque meorum præſcriptorum ſigilla præſentibus ſunt appenſa. Datum in *Chrumlovv*, Anno Domini 1362. Die Septimâ Menſis Maji.

EPISTOLA CXIII.

Freudenberg und Fridland.

Ego Herſco de Rozdialovvicz.

NOtum facio tenore præſentium Univerſis. Quòd cùm Sereniſſimus atque Invictiſſimus Princeps & Dominus Dominus *Carolus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Boëmiæ Rex*, Dominus meus gratioſus mihi & meis hæredibus & ſucceſſoribus in perpetuum Caſtrum **Freudenberg** cum Oppido **Fridland**/ nec non villis, agris, cultis & incultis, ſylvis, aquis, pratis, curiis, molendinis, Judiciis, Juribus, Patronatibus Eccleſiarum, redditibus, utilitatibus, proventibus & emolumentis, cæteríſque ejuſdem *Caſtri* pertinentiis univerſis pro duobus millibus & trecentis ſexagenis groſſorum denariorum Pragenſium paratæ pecuniæ vendiderit, ac nobis, tanquam *Rex Boëmiæ* in feudum hæreditarium ac veri & juſti feudi hæreditarii titulo ritè contulerit & donaverit prout in Literis ſuis deſuper editis & confectis pleniùs continetur, ſibi ſuíſque hæredibus & ſucceſſoribus *Boëmiæ Regibus & Coronæ Regni* ejuſdem pro me meiſque ſuccenſſoribus & Hæredibus ad Sancta DEI Evangelia juravi & juro in his ſcriptis ipſis tanquam veris hæreditariis noſtris Dominis, ac Domino hæreditario fidelitatem, Omagium & Obedientiam debitam ad modum aliorum hæreditarium feudalium *Regni Boëmiæ* prædicti perpetuis temporibus exhibere, promitto, etiam pro me dictíſque hæredibus & ſucceſſoribus ſuis *Bohemiæ Regibus*, quod ſi & quandocunque dictum *Caſtrum* ac præfatas ejus pertinentias à Feſto Sancti Galli venturo proximè intra duos annos continuos pro antèdicta ſumma pecuniæ reemere voluerint, nos ipſis ſinè contradictione qualibet voluntariè condeſcendemus, & in abſentia vel defectu ipſorum Illuſtri Principi Domino *Bolkoni Duci Sileſiæ & Domino Suvidnicenſi*, nec non Venerabilibus in Chriſto Patribus *Dominis*, *Joanni Olomucenſis & Theodorico Mündenſis Eccleſiæ Epiſcopis* aut eorum alteri, qui præſens exſtiterit, & hoc ipſorum nomine petierit, ad manus *Regnum Bohemiæ* pro tempore *Dominorum* noſtrorum de eadem reemtione abſque impedimento quolibet favebimus durante ſpatio ante acti temporis. *Datum Pragæ* Anno *Domini* 1356. proximâ feriâ ſecundâ ante diem Beati Laurentii.

EPISTOLA CXIV.

Sternberg.

Carolus IV. Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Boëmiæ Rex.

NOtum facimus tenore præſentium Univerſis. Quòd cùm Nobilis *Albertus* filius olim *Peſchonis de Sternberg* fidelis noſter dilectus hæreditates poſſeſſiones & Bona ſua inſcripta videlicet: *medium Caſtrum Sternberg* & in Oppido ſub Caſtro eodem quantum habet ibidem; Item Curiam Araturæ in *Zironicz* cum Curiis ruſticalibus ibidem. Item Curiam in *Czeykovvicz* cum duabus araturis. Item in *Dolankach*, Curiam araturæ, nec non in *Diviſchovv* partem illam totam duntaxat, in qua Plebanus reſidet ejuſdem Oppidi, ſalvo tamen cenſu ipſius Plebani, quem habet in hominibus partis ejuſdem. Item Villam integram in *Czereniczic*. Item Villam integram in *Vraniveku*. Item in *Porziczy* Curiam ruſticalem, item *Wrankovvicz*, quantum ibi habet cum ſylvis, videlicet: *Zezme Mezne*, inferiorem partem ad Caſtrum, rivum *Brtnicze*, *ſylvam ſuper molendinum*, quæ dicitur *Stranie*, *ſylvam Wirovvicze*, *ſylvam Czerenizke Stranie*. Item in *Voranicku* ſylvæ dictæ *Stranie* cum agris, pratis, rivis, molendino in *Sazava*, cum flumine eodem *Sazavva*, & omni libertate & Dominio ad ea ſpectante & toto quidquid habet in hæreditatibus, Bonis & Poſſeſſionibus ſupradictis, cum eorum pertinentiis univerſis; Nobis & Sereniſſimo Principi Domino *Wenceslao Romanorum & Boëmiæ Regi* Filio noſtro chariſſimo, nec non hæredibus & ſucceſſoribus Noſtris *Regibus Boëmiæ* pro Octingentis Sexagenis Groſſorum denariorum Pragenſium, de quibus ei ſatis fecimus integraliter & ad plenum ritè ac rationabiliter vendiderit, ac ob hoc pro ſe, nec non hæredibus & ſucceſſoribus ſuis medio Caſtro hæreditatibus poſſeſſionibus & bonis hujuſmodi, idem *Albertus* expreſsè renunciaverit, proùt prædicta Terræ *Tabulis Regni Boëmiæ* juxta ſolitum ſunt inſcripta. Tandem dictus *Albertus* Nobis tanquam *Regi Boëmiæ* humiliter ſupplicavit, quatenùs medietatem Caſtri, hæreditates, poſſeſſiones & Bona prædicta cum univerſis eorum pertinentiis ùt præfertur ſibi, nec non Nobili *Zdenkoni de Sternberg* dicto de *Konopiſtz*, pro ſe & eorum hæredibus legitimis in perpetuum feudi nomine poſſidenda, concedere ac conferre auctoritate *Regiâ Bohemiæ* dignaremur. Nos verò conſideratis fidelibus obſequiis, quæ Nobis & *Coronæ Bohemiæ Albertus & Zdenko* præfati continuatis actibus, impenderunt & impendere poterunt abundantiùs in futurum, ſupplicationi hujuſmodi gratioſus annuentes non improvidè, nec per errorem, ſed animo deliberato de certa noſtra ſcientia, tanquam *Rex Bohemiæ* & auctoritate *Regiâ Bohemiæ* præfatis *Alberto & Zdenkoni* pro ſe, ac hæredibus eorum legitimis in perpetuum medietatem Caſtri *Sternberg*, & quantum in Oppido ſub eodem Caſtro dictus *Albertus* obtinuerit, nec non hæreditates & poſſeſſiones & Bona nominata ſuperiùs cum eorum pertinentiis univerſis & ſingulis in verum & legitimum feudum, ſic videlicet quod eadem Bona à nobis hæredibus & ſucceſſoribus Noſtris *Regibus Bohemiæ Regno & Coronæ Bohemiæ* perpetuis temporibus affuturis debeant omnimodo dependere, nec non à Nobis & dictis hæredibus & ſucceſſoribus *Regibus Boëmiæ* quoties fuerit Opportunum in feudum, pro ut alia Bona feudalia *Regni Bohemiæ* conſueverunt cum humilitate ſuſcipi, & de his fidelitatis & obedientiæ fieri ſolita juramenta, quodque medietas dicti Caſtri Sternberg Nobis & hæredibus & ſucceſſoribus Noſtris *Regibus Bohemiæ* eſſe debeat aperta perpetuò dum & quoties opportunum fuerit, contulimus & conceſſimus, conferimus & concedimus per præſentes inveſtientes, tanquam *Rex Bohemiæ Albertum & Zdenkonem* prædictos de eodem feudo, adhibitis ſolemnitatibus & Ceremoniis debitis & conſuetis recipientes ab eiſdem *Alberto & Zdenkone* pro ſe ac hæredibus & ſucceſſoribus ipſorum ſuper præmiſſis fidelitatis & obedientiæ ſolita juramenta. Præſentium ſub Imperialis Noſtræ Majeſtatis Sigillo Teſtimonio Literarum. Datum *Pragæ* Anno Domini 1377. Indictione quintâ decimâ. Nono Calendas Maji, Regnorum Noſtrorum Anno Triceſimo primo. Imperii verò vigeſimo ſecundo.

EPISTOLA CXV.

Venditio Caſtri Fridland.

Ego Rulco de Biberſtein Iſtius tenore Paginæ notum facio Univerſis, tam præſentibus quàm futuris.

QUòd Caſtrum *Fridland* cum omnibus Juribus & attinentiis ipſius Caſtri emi à Sereniſſimo Domino noſtro Domino *Ottogaro Illuſtri Rege Boëmiæ* pro Octingentis marchis Nürnbergenſis ponderis & argenti hæreditariè poſſidendum; ità tamen, quòd ego, & Hæredes mei legitimi teneamus, & poſſideamus dictum Caſtrum à Domino *Rege* Boëmiæ pro taxato ad Jura & conſtitutiones *Regni Boëmiæ*, & quod Ego & hæredes mei de dicto Caſtro dicto *Domino Regi* & hæredibus ſuis fideliter ſerviamus, & obſequia devota impendamus, & Jura exſolvamus, quælibet ſecundum conſuetudinem *Regni Bohemiæ*, & quod Ego & hæredes mei ad expeditiones ipſius *Domini Regis* vel Hæredum ſuorum veniamus, & venire teneamur, muniti armis, equis & cæteris armorum neceſſariis ſicut decet, quoties ipſum *Dominum Regem* eas facere contigerit, vel ejus Hæredes contra Provincias vel homines qualeſcunque, & breviter univerſa alia quæcunque in Judiciis, Steuris & Expeditionibus, ac aliis conditionibus, quibuslibet juxta Regni ipſius conſuetudinem impenduntur, & ſolvuntur ab aliis fidelibus ipſius Regni, eadem & ſingula Ego, & Hæredes mei dicto Regi & Hæredibus ſuis impendamus, & impendere teneamur, Teſtes autem qui interfuerunt, ſunt iſti: Dominus *Nicolaus* Filius dicti Domini *Regis*, *Damaczlaus* Camerarius Boëmiæ, *Mſtidruzius* Burggravius Pragenſis, *Theodorikus* Spatzmanus Camerarius Bohemiæ, *Hinco* de Liechtenburg, *Hinco* Dapifer; *Czenco* de Lippa, *Wilſs* de Luticz, *Hinco* de Duba, *Jerco* de Waldenberg, *Gregorius* Camerarius Dominæ Reginæ, & alii quàm plures. In cujus rei Teſtimonium & robur, præſens ſcriptum fieri, & ſigillo meo feci muniri. Actum *Pragæ* Anno Domini 1278. Septimo Idus Februarii, ſextæ Indictionis. Item *Bottonis de Plane* de ſex ſexagenis redituum in Villa *Langendorflein* ad Caſtrum *Tachovv* pettinentibus. Datum 1361. Item *Hermanni* & Fratrum de *Sonburch*, renunciatio Officii ſuper *Cadan* & pertinentiis ejus, 1312.

EPISTOLA CXVI.

Henrici de Kamnik Infeudatio Regno Boëmiæ munitionis Kamnik & aliorum Bonorum.

Ego Henricus de Kamnik.

NOtum facio Univerſis & tenore præſentium Recognoſco, quòd *Illuſtri Principi Domino Domino Joanni Bohemiæ & Poloniæ Regi* pro eo, quod mihi, & meis hæredibus munitionem *Kamnik* dictam, quam conſtruxi & in ipſo *Regno Bohemiæ* de novo inſtauravi, ac omnia alia Bona, quæ ad præſens teneo, villámque etiam *Czehozticz* cum ſuis pertinentiis in feudum

feudum hæreditarium, & Jus feudi contulit, & donavit ad habendum, tenendum & poſſidendum Jure feudi per me, & meos hæredes promitto corporaliter, præſtito Sacramento ex nunc ſibi & ſuis hæredibus fidelem Vaſallum ſuum me ipſum quoque eſſe, & ſuos hæredes ac ſucceſſores rei, vitam, honoréſque ipſorum pro poſſe fideliter conſervare, & nullatenus quod in detrimentum & periculum, ſive damnum Perſonæ, vel Perſonarum & honorem ſui & ſuorum hæredi verti poſſet aliquid per me, aut meos hæredes, vel per quemcunque alium contractare vel modo aliquo machinari, imò ſi quis hoc vel aliquid eorum tractare, vel procurare voluerit, quàm velocius ſenſero, ſibi & ſuis hæredibus indicare, & quidquid mihi ac hæredibus meis ſub fide ac reverentia impoſitum ab ipſo Domino meo *Rege* vel ſuis hæredibus fuerit ſecretum, fideliter tenere & ipſo toto poſſe meo adjuvare, & eis ſervire quando & quoties indiguerint, & nos requiſiverint & generaliter puram & veram fidelitatem ſibi & hæredibus ſuis reddere ac etiam impertiri. In cujus rei Teſtimonium hanc Literam Sigillo meo proprio ſigillatam trado, Domino meo prædicto Regi. Datum *Pragæ* Quinto Idus Januarii, Anno Domini 1319.

EPISTOLA CXVII.

Joannis de Michelsberg, Conceſſio Villarum Tuchlovvicz & Zerbi VVenceslao Domino & Hæredi Regni Boëmiæ ſuiſque Hæredibus.

Ego Joannes de Michelsberg.

NOtum facio Univerſis tam præſentibus quàm futuris, quòd ego pro datione Caſtrorum *Weleſchin*, *Scharfenſtain* & *Nevin* cum Civitatibus & Villis pertinentibus ad eadem, nec non Villæ *Weczovvicz* cum aliis Villis ad eandem Villam pertinentibus, quam dationem *Illuſtris Dominus meus*, *Dominus Wenceslaus Inclytus Dominus & Hæres Regni Boëmiæ & Marchionatûs Moraviæ* ad preces, & propter ſervitia amicorum meorum Dominorum (*Sdislai ſummi Camerarii Boëmiæ Burggravii in Burglino*, *Burchardi de Wittenberg Magiſtri Curiæ Regiæ*, *Sdislai Burggravii Pragenſis*, *Zeſemæ* de Craſſovv *Dapipheri* dicti Domini *Wenceslai*, *Beneſſii* de Wartenberg Pincernæ ejuſdem, & *Jaroslai* de Levvenberg) fecit mihi, tam pro me, quàm hæredibus meis Liberâ & ſpontaneâ voluntate, eidem Domino *Wenceslao* & hæredibus ſuis de Villa *Tuchlovvicz* & duabus Villis *Hoynicz* & *Zerbi*, cum omnibus Juribus & attinentiis earundem & renuncians ſponte ac liberè, tam pro me, quàm ſucceſſoribus meis & hæredibus, omni Juri & actioni, quod, vel quam Ego, Pater, avus, atavus, atque hæredes mei habemus, vel habere poſſemus, in dictis Villis *Tuchlovvicz*, *Hoynicz* & *Zerbi*, nec non & in Civitate *Gechin* ac ipſarum attinentiis de Jure vel de facto aliqua ratione, ſeu cauſa transfero ex nunc in eundem *Dominum Wenceslaum* & hæredes ejus tam pro me, quàm pro hæredibus meis omne Jus, & omnem poteſtatem, quod vel quam habeo, vel habere poſſum, in dictis Villis & Civitate & attinentiis earundem. Inſuper dabo eidem *Domino meo Wenceslao Octingentas Marchas Argenti* in illis terminis, & infra illud tempus ſpatium, qui vel quod ſunt in rationibus Regalibus annotati. Ad hæc prædictorum bonorum datione mihi à *Domino prædicto* factâ, obligo me, & hæredes meos eidem *Do-*

dem *Domino meo Wenceslao* & Hæredibus ejus, omni tempore fideliter ac devotè ſervire, velut alter Terrigena ſuus, & nunquam contra eum, vel ejus hæredes aliquid facere vel tentare, quodſi fortè Ego, vel hæredes mei dicto *Domino meo Wenceslao* vel ejus hæredibus fideliter & devotè non ſerviverimus, vel contra eum aut ejus hæredes facere quidquam tentaverimus, & de hoc in judicio convicti fuerimus, volumus ex tunc & debemus perjuri & exleges ab omnibus reputari, & ipſo facto dictis Caſtris Civitatibus & Villis ad ipſa pertinentibus & Villa *Weſkovic* & Villis ad ipſam ſpectantibus abjudicati eſſe volumus, tam ego quàm hæredes & ſucceſſores mei & quòd dicta Caſtra dictæ Civitates, & villæ omnes ad manus Curiæ Regiæ liberè revertantur, dans ex nunc dicto *Domino meo Wenceslao* & hæredibus ſuis pro me & hæredibus meis plenam & liberam facultatem intromittendi ſe, & hæredes ſuos de Caſtris, Civitatibus & Villis præfatis, & omnibus pertinentibus ad eadem, promitto pro me, & hæredibus meis veraciter ſinè dolo & omni captione contra dictas obligationem & ceſſionem prædictorum bonorum nunquam venire, ſed ſemper ratam & firmam tenere, renuncians omni exceptioni & omni Juris auxilio, quod vel quam poſſem opponere de Jure, vel de facto, & quod mihi poſſet ferre ſuffragium, ut Ego vel hæredes mei venire poſſemus contra prædicta, vel aliquod prædictorum. Quæ omnia ſicut ſuperiùs ſcripta ſunt, ut vigorem obtineant, validæ firmitatis præſens Inſtrumentum fieri, & ſigillis dictorum *Sdislai* Burggravii Pragenſis, *Beneſſii* de Wartenberg, *Jaroslai* de Levvenberg, & meo procuravi, & feci ex certa mea ſcientia communiri. Datum *Pragæ* Anno 1283. Quinto Calend: Sept: Indictio: 11.

EPISTOLA CXVIII.

VVeleſchin, Ratni, Huſcz.

Ego Petrus de Michelsberg.

NOtum facio tenore præſentium Univerſis. Quòd quia *Sereniſſimus ac Invictiſſimus Princeps & Dominus Carolus IV. Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Boëmiæ Rex Dominus meus gratioſus* hanc mihi gratiam facere dignatus eſt ſpecialem & ad hoc ſuum *tanquam Rex Boëmiæ* ſuo hæredum & ſucceſſorum ſuorum nomine, gratioſum conſenſum adhibuit & aſſenſum, quòd Ego cum Nobili puella *Margaretha de Weleſchin* congreſſus ſum, & Bona mea cum bonis ipſius univi juxta conſuetudinem hactenus in *Boëmia* obſervatam, taliter quòd ſi eandem puellam *Margaretham* non relictis hæredibus legitimis mihi, quod abſit, præmori contigerit, ex tunc bona ipſius, videlicet: Caſtrum *Weleſchin* cum omnibus pertinentiis, Juribus, Dominio & Utilitatibus ſuis univerſis ad me, hæredes & ſucceſſores meos legitimos juxta præfati *Regni Boëmiæ* conſuetudinem devolvantur; Tali tamen conſuetudine, quòd dum hujuſmodi bona ad me hæredes & ſucceſſores meos legitimos ſic fuerint devoluta, eadem ego bona & iidem hæredes & ſucceſſores mei Legitimi à præfato *Domino noſtro Imperatore tanquam* Rege *Boëmiæ* hæredibus & ſucceſſoribus ſuis *Regibus Boëmiæ & à Regno & Corona Bohemiæ* in feudum ſuſcipere & tenere perpetuò

perpetuò debeamus omni eo modo & Jure, quibus alii Barones *Regni Boëmiæ* ſua feuda à præfato Domino meo *Imperatore tanquam Rege Boëmiæ, Regibus, Regno & Corona Boëmiæ* tenere quomodolibet conſueverunt. Ego igitur præfatus *Petrus* eorundem beneficiorum bene gratus, quæ dictus *Dominus meus Imperator* mihi de benignitate ſolita dignoſcitur impendiſſe, bona mea libera, videlicet ambo Caſtra *Ratin, Huſcz*, cum omnibus ſingulis pertinentiis, Juribus, Dominio & Utilitatibus ſuis ab eodem *Domino meo Imperatore tanquam Rege Boëmiæ*, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis *Boëmiæ Regibus* & à *Regno & Corona Boëmiæ*, meo, hæredum & ſucceſſorum meorum nomine in feudum ſuſcepi & ſuſcipio per præſentes per me, hæredes & ſucceſſores meos habenda & tenenda perpetuò omni eo modo & jure, quibus, ùt præmittitur, alii Barones *Regni Boëmiæ*, à præfato Domino meo Imperatore tanquam Rege Bohemiæ, *Regibus Regno & Corona Boëmiæ* tenere ſua feuda conſueverunt, ſicuti Ego præfatus *Petrus* pro me, hæredibus & ſucceſſoribus meis, dicto *Domino meo Imperatori* tanquam *Regi Boëmiæ* hæredibus & ſucceſſoribus ſuis *Boëmiæ Regibus*, *Regno & Corona Boëmiæ* ſuper eo ſubjectionis, fidelitatis, & obedientiæ & homagii corporale ſolitum & debitum præſtiti juramentum, & ad abundantioris cautelæ præſidium infrà ſcriptos, Dominos *Principes*, *Comites*, *Barones & Nobiles* attentè rogavi, quôd in teſtimonium & perpetuam præmiſſorum memoriam ſigilla ſua unà cum meo ſigillo præſentibus appendere dignarentur. Et Nos *Bolko*, *DEI Gratiâ Dux Oppolienſis*, *Burchardus Burggravius Magdeburgenſis & Comes de Hardek*, *Joannes de Roſemberg*, *Petrus de Janovicz Sereniſſimæ Reginæ Majeſtatis Principis & Dominæ Dominæ Annæ Romanorum Imperatricis & Boëmiæ Reginæ Majeſtatis Curiæ, & Thymo de Kolditz Imperialis Cameræ Magiſter* recognoſcimus expreſsè, quôd ad præfati *Nobilis Viri Domini Petri de Michelsberg* petitionis inſtantiam ſigilla noſtra unà cum ſigillo ſuo præſentibus appendenda duximus ad perpetuam memoriam & evidens teſtimonium omnium præmiſſorum. Datum *Nürnberg*. Anno Domini 1361. Sabbatho ante Dominicam quâ Cantatur *Lætare Hieruſalem*.

EPISTOLA CXIX.

Janowice.

Ego Raczko de Janowitz.

NOtum facio tenore præſentium Univerſis. Quòd cùm Caſtrum meum *Janovvitz* cum Oppido meo ibidem ac omnibus ipſorum pertinentiis *à Sereniſſimo ac Invictiſſimo Principe & Domino Domino Carolo Romanor: Imper: ſemper Auguſto & Boëmiæ* Rege *Domino meo gratioſo tanquam à Rege Boëmiæ & Corona Regni* ejuſdem pro me & hæredibus meis in feudum receperim, & homagium, obedientiam & fidelitatem fecerim, promitto pro me, & eiſdem hæredibus, quòd nos tanquam veri feudales & Vaſalli Juſto Feudi Titulo ſicut Vaſalli Jure vel approbatâ conſuetudine obligari noſcuntur, dicto *Domino noſtro tanquam Bohemiæ Regi* hæredibus & ſucceſſoribus ſuis, & *Coronæ Regni* prædicti tanquam veris & naturalibus Dominis noſtris fideles, ſubjecti & obedientes erimus, damna ipſorum avertemus & profectus & commoda ipſorum procurabimus in perpetuum abſque omni dolo

prout de hoc pro me & dictis meis hæredibus corporale ad Sancta DEI præstiti juramentum. In cujus rei Testimonium sigillum duxi præsentibus appendendum. Datum *Sultzbach.* Anno 1356. Feriâ IV. proximâ post festum S. Michaëlis Archangeli.

EPISTOLA CXX.

Joannis Regis Boëmiæ Petro Plick & suis hæredibus ac successoribus Castri Neideck cum suis pertinentiis in feudum Concessio & Judicii Capitis ad eandem Arcem adjunctio.

Nos Joannes D. G. Boëmiæ Rex ac Lucemburgensis Comes.

NOtum facio tenore præsentium Universis. Quòd pensantes grata fidelitatis servitia, quæ fidelis Noster dilectus *Petrus* dictus *Plick* exhibuit & exhibere poterit promtiùs in futurum, singula Bona, quæ quondam *Conradus* dictus *Plick* Pater ipsius in Districtu *Cubitensi* possedit & tenuit & specialiter Castrum *Neideck* cum Villis *Tirbach*, *Hermangrien* & aliis agris cultis & incultis, pascuis, campis, mericis, montibus, planis, convallibus, venationibus, aucupationibus, piscationibus, stanni fodinis, censuum solutionibus ac omnibus & singulis pertinentiis utilitatibus & obventionibus, quæ nunc in eisdem Bonis sunt vel succedente tempore possunt, & potuerint aliqualiter evenire, ipsi *Petro* hæredibus & successoribus suis, omnibus Juribus & Libertatibus, quibus singula prædicta dictus *Pater* ipsius possedit & potuit in feudum honorabile, & hæreditarium concedendum duximus & præsentibus concedimus, conferimus, & donamus, per ipsos tenendum, habendum, & hæreditario Jure feudi possidendum pacificè & quietè ac in majorem Nostræ donationis cumulum sibi hæredibus & successoribus suis in singulis bonis ad dictum Castrum *Neideck* spectantibus & in quibusdam aliis bonis suis contiguis, quæ per ipsum *Petrum* ad dictum *Castrum* emtionis Titulo de Nostra licentia comparata fuerint, *Judicium Capitis*, licèt hoc ad Nos spectare dinoscatur damus & concedimus ac in ipsos transfundimus pleno Jure dantes ipsis singula prænotata eodem Jure feudi tenendi, vendendi, permutandi & in usus placidos vel quoscunque voluerint convertendi liberam facultatem. Committimus igitur Illustri *Carolo March: Morav: Primogenito ac cæteris nostris hæredibus & successoribus*, & mandamus singulis Nostris Officialibus & specialiter *Burggraviis in Cubito* & aliis Nostris fidelibus præsentibus & futuris, quatenus ipsum *Petrum* hæredes & successores suos in hujusmodi nostræ concessionis & donationis gratia non impediant, nec sinant per quempiam impediri, sed potiùs in manu ea teneant, protegant & conservent. Harum quibus Nostrum majus sigillum appendendum duximus Testimonio Literarum. Datum *Pragæ* in Vigilia B. Matthæi Apostoli, Anno Domini 1341.

Privil. Regni à fol. 75. Seberk.

Sunt hic in Archivo Regio addita quædam literæ, quarum hìc summam recitabo.

Literæ *Bottonis de Plane*, id est de Seberk *Carolo IV.* regnante A. 1361. quibus fatetur se debere 6. sexagenas redditum ex *Villa Langedorflein ad Castrum Tachovienſe* pertinente.

Herman-

Hermannus & Fratres ejus de *Ssönburch* renunciant officio Suppe (ità ibi legitur) Cadanensis, & pertinentiis ejus a. 1342. *Ssönburch.*

Literæ *Wocconis de Kravarz*, quibus enumerat plurima bona, quæ ab *Joanne Marchione Moraviæ* in feudum se accepisse testatur. Idem facit in iisdem literis *Laczko de Kravarz* prædicti *Wocconis Germanus*, & testatur *Benessius de Kravarz* aliàs de *Straznic patruus noster.* Idem testatur *Stiborius de Czymburg* aliàs dictus de Tovvaczov. Brunæ 1374. 20. Novemb. *Feudum Moravium. Privil. Reg. fol. 368. Kravarz. Czymburg.*

Joannis Senioris de Mezirzecz recognitio feudi in certis bonis ab *Joanne Marchione Moraviæ* hæredibus suis (sed masculini sexûs dumtaxat) concessis. Bona sunt *Ossovvo, Byteßka Przechovv, &c.* Testes *D. Hensling de Byetovv* & Strenuus Miles *Petrus Hecht* de Rossicz. Datum in Spilberg a. 1376. *Mezerziczky. Privil. Regn. fol. 380. Byetovv Hecht.*

Herczlini Dreſvviczer & Marſſionis ejus Fratris recognitio in feudum Castri sui *Rakinsdorff* & aliorum bonorum. Pragæ a. 1341. Data Regi Joanni. *Dreſvviczer. Castrum Rakinsdorf Priv. Reg. fol. 372.*

Literæ *Ottonis Reinczkonis & Nicolai Fratrum de Glubos à Joanne Rege Boëmiæ*, quibus suscipiunt in feudum, Castrum *Carpenſtein* cum Judicio Hæreditario in *Landek*, & pertinentias ejus. Pragæ a. 1346. Testes: *Ottokerus de Glubos. Henricus & Jerko de Muſchin, Otto Rattoldus.* Exstant adhuc ex his familiis *Glubos in Poloniæ, Rattoldi in Comitatu Glacensi*, & jam appellantur *Donig*, feruntque in clypeo gallum *Montanum* seu *Sylvestrem.* *Glubos Carpenſtein. Rattoldas.*

Dominorum de Plavven petitio ut à *Carolo Romanorum Imperatore & Bohemiæ Rege* in Juribus suis & præsertim *Castri Woytrsberg* conserventur. 1349. nominantur *Henricus Reuſe de Plavve. Henricus Senior de Wyda, Henricus Senior & Henricus Junior de Plavve*, citant literas datas a. 1327. in quibus *Henricus nominatur Advocatus Senior de Plavve.* *Plavveni.*

FINIS PARTIS I.

PARS II. EPISTOLARUM PUBLICARUM AD MARCHIONATUM MORAVIÆ SPECTANTIUM.

EPISTOLA I.

Bulla Aurea Henrico Marchioni Moraviæ ſuper Mocram & Mokny data.

A.1212. *IN NOMINE SANCTÆ & INDIVIDUÆ TRINITATIS. AMEN.*

Fridericus Divinâ favente Clementiâ Rom: Imp: Electus & ſemper Auguſtus, Rex Siciliæ, Ducatûs Apuliæ, & Principatûs Capuæ.

Fuit hic Henricus Princeps Brunenſis Svvatopluci filius Ottogari I. ex fratre nepos.

Cûm decor & poteſtas Imperii noſtrum præceſſerit ſtatum; dignum tamen ac honeſtum arbitramur fore, eorum votis uberiùs acclinare, quorum fidem, ac devotionem circa univerſa negotia noſtra promovenda integram ac inconvulſam certiori experientiâ didicimus. Inde eſt quòd nos advertentes grata & præclara devotionis obſequia, quæ *Henricus Nobilis Marchio Moraviæ*, hactenus tam fideliter, quàm devotè nobis exhibuit, ac etiam, Domino largiente, inantea eſt exhibiturus, ſuis ad præſens in quantum poſſumus reſpondere cupientes obſequiis, Notum facimus tam præſentibus, quàm in ævum ſucceſſuris, quòd nos eidem Marchioni, & hæredibus ſuis, de noſtræ libertatis munificentia, concedimus & confirmamus, *Mocram*, & *Mocny* cum omni jure & pertinentiis ſuis, ſalvo ſervitio, quòd in curia noſtra debetur. Ad hujus autem confirmationis, & conceſſionis noſtræ memoriam, & robur perpetuò valiturum, præſens privilegium per manus *Henrici de Pariſiis* Notarii, & fidelis noſtri ſcribi & *Bullâ* noſtrâ aureâ juſſimus communiri. Anno, Menſe & Indictione ſubſcriptis. Hujus rei teſtes ſunt: Archiepiſcopus *Barenſis*, Epiſcopus *Tridentinus*, Epiſcopus *Baſilienſis*, Epiſcopus *Conſtantienſis*,

Epiſcopus *Curienſis*, Abbas *Augenſis*, Abbas *Sancti Galli*, Abbas *de Witeburg*, *Bertholdus de Niſphe Regalis Curiæ Protonotarius*, Comes *Ulricus de Khiburk*, Comes *Rudolphus de Habsburgk*, & *Landgravius de Alſatia*, Comes *Ludovicus & Hermannus de Friburk*, Comes *Walterus de Hohenburgk*, *Arnoldus Nobilis de Warth*, *Rudolphus Advocatus de Rapthe*, Scurilare & alii quàm plures. Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis, 1212. Menſe Septembris Quindecimâ Indictione, Regni verò *Domini noſtri Friderici Illuſtriſſimi Rom: Imp: Electi & ſemper Auguſti Regis Siciliæ* quindecimo. Datum in nobili Civitate *Baſilienſi* per manus *Ulrici* vice Protonotarii, Sexto Calend: Octob: feliciter. Amen.

EPISTOLA II.

Quòd Epiſcopatus Olomucenſis & Marchionatus Moraviæ, & Ducatus Oppaviæ ſunt hæreditaria feuda Regum & Coronæ Regni Boëmiæ.

1348. Carolus DEI Gratiâ Rom: Rex ſemper Auguſtus & Boëmiæ Rex. Ad perpetuam rei memoriam.

NOn modicos famæ perſonantis titulos moderni temporis meretur poſteritas, ſi, quod prædeceſſorum inſtauravit laudanda proviſio, vigilanti curâ proſequitur, & talibus providæ circumſpectionis munit ſolertiis, ut fructuoſâ cautelâ, Ducatu præambulo, vivaci ſucceſſorum memoriæ commendetur. Sanè cùm inſignes & magnifici Principatus, videlicet *Epiſcopatus Olomucenſis*, *Marchionatûs Moraviæ & Ducatus Oppaviæ* longo jam & antiquo temporis tractu à claræ memoriæ Illuſtribus olim *Regibus & Ducibus Boëmiæ* olim eidem *Regno* præſidentibus, & à *Corona ac Dominio Regni* præfati in feudum ſempet habiti fuerint, & poſſeſſi & Ven: *Olomucenſis Eccleſiæ Antiſtites*, nec non Illuſtres *Marchiones Moraviæ & Oppaviæ Duces*, olim *Boëmiæ Regibus & Ducibus*, *progenitoribus & prædeceſſoribus noſtris*, in ſuſceptione feudorum, & in aliis, quæ ad Vaſallatûs ſpectant obſequia, veluti Dominis ſuis ordinariis & naturalibus debitam ſemper exhibuerint reverentiam & honorem, ſicut hoc literæ *Divi Friderici Rom: Imp: Auguſti*, qui de certa ſua ſcieniia, in prima ipſarum claræ memoriæ *Vladislaum Ducem Boëmiæ Illuſtrem* dum viveret, *hæredes & ſucceſſores ſuos* virtutibus & excellentiæ ipſius Induſtriâ ritè poſcente, antequam eundem ad *Regnum Boëmiæ* coronari contingeret, geſtando circulo decoravit, ut eodem inſigni circulo ad inſtar *Imperatorum & Regum Romanorum in Nativitate Chriſti*, & *Salvatoris noſtri*, *Paſchæ & Pentecoſtes*, nec non *B. B. Wenceslai*, & *Adalberti Patronorum Boëmiæ* feſtivitatibus uteretur; Qui tamen circulus eidem Duci à nemine, præterquam à *Pragenſi & Olomucenſi Epiſcopis*, vel eorum altero, qui, dum alterum ex eis abeſſe contingeret, vices ſuppleret amborum, in prædictis feſtivitatibus fuerat imponendus; ac in ſecunda litera claræ memoriæ Illuſtri *Ottogaro primo & ſucceſſoribus ſuis* præclaris *Boëmiæ Regibus* ob inſignia & grata ſervitia, quibus *Sacr: Imp:* dignis honoribus proſequi ſtuduerunt, inveſtiendi ac infeudandi Epiſcopos præfati *Regni Boëmiæ* tribuit poteſtatẽ, planè quibus exprimitur, quòd Illuſtris *Henricus*

Moraviæ, & in ea Epiſcopatus Olomuc: & Ducatus Opav: ſunt Feudum Regni Boh: ab antiquo.

Literarum Friderici Imp. Compendium.

Item comp. literar. ſecundarum.

ribus Marchio Moraviæ & Universitas Magnatum & Nobilium Bohemiæ, de assensu & voluntate Illustris *Ottogari* quondam *Boëmiæ Regis*, proavi nostri charissimi; Illustrem *Wenceslaum primogenitum* ipsius in *Regem* suum elegerint, & ejusdem electio per supràdictum *Fridericum Romanorum Regem* fuerit approbata, & literæ Divi *Richardi* olim Rom: *Regis*, qui auctoritate suâ, sicut protestatur in literis, præfatum *Regem Ottagarum*, *Proavum nostrum*, dum adhuc vitam ageret in humanis, de *Regni Boëmiæ & Marchionatûs Moraviæ*, *Principatibus*, & omnibus *feudis* ad eadem spectantibus investivit, & specialiter donatio Claræ memoriæ *Illustris Ottagari secundi* quondam *Boëmiæ Regis*, Proavi nostri dilecti, quam Patri Illustris *Nicolai Ducis Oppaviæ*, quem de merâ suæ benignitatis gratiâ sublimavit in Principem, hæredes & successores suos, unà cum Ducatu, sive Principatu præfato, sibi, *hæredibus & successoribus suis Boëmiæ Regibus*, & ejusdem *Regni Coronæ* voluit immediatè subesse, lucidissimè protestantur. Quarum quidem literarum sententias, & Clausulas, quas ad probationem dictarum intentionum adduximus, semper, & ubique in Judicio & extra, ac in singulis actibus publicis & privatis, quoties præsentium tenorem legi, vel publicari contingeret, ejusdem efficaciæ, vigoris & auctoritatis existere decernimus, ac si in figuris propriis Originalia viderentur, eò præcipuè cum eadem Originalia pridem per nos, ac nonnullos *Romanorum*, *ac Boëmiæ Regnorum Principes & Proceres Venerabili Joanne Olomucensi Episcopo consanguineo*, nec non *Illustribus Joanne Marchione Moraviæ Fratre, & Nicolao Duce Oppaviæ Principibus nostris* ibidem & in præsentia constitutis, auscultata, & examinata fuerint diligenter, sicut etiam nos & *Illustres Progenitores*, *& Prædecessores nostri Boëmiæ Reges*, in prædictorum Jurium vera, & justa possessione perstitimus, præscriptione temporum diuturnâ, & Divinâ favente Clementiâ persistimus in præsenti. Nos gratanter attendentes & accuratæ meditationis studio limpidiùs intuentes, qualiter impositio præfati *circuli* per manus Venerabilium *Pragensis & Olomucensis Ecclesiarum Antistitum* vel alterius ex eis, dum alterum abesse contingeret, ut præfertur, ritè fieri, ut *Rex Boëmiæ per Illustrem Marchionem Moraviæ* præfatum, & universitatem *Baronum & Procerum* Regni *Boëmiæ*, ùt prædicitur, eligi non valeret, nisi etiam tam ptæfati *Episcopi*, quàm *Marchiones Moraviæ Illustrem Bohemiæ Regem*, qui foret pro tempore, veluti verum, ordinarium hæreditarium & naturalem Dominum suum inspicerent, & investituras, ac feuda sua reciperent, & cognoscerent, ab eodem sicut etiam *Boëmiæ Regibus*, prædecessoribus nostris, investiendi ac infeudandi suos Episcopos, ùt præmittitur, à *Romano Principe* est pridem attributa facultas, neque *Marchionatum Moraviæ* prædictum ùt utile & immediatum Dominium, quod *Regibus Bohemiæ*, sicut ex præmissis colligitur, competit & competebat ibidem, à prædicto *Rege Ottagaro*, vel suis *successoribus*, *Bohemiæ Regibus*, in aliquam personam justâ æstimatione præsumimus fore translatum, nisi utique titulum feudi, & superioritatis Dominium sibi & successoribus *Bohemiæ Regibus* providè reservârint, sicut etiam nos, qui non aliunde ob hoc exempla colligimus, dum essemus in minoribus constituti, eundem *Marchionatum*, *cum omnibus suis Dominiis*, *honoribus*, *& pertinentiis*, *à claræ memoriæ Illustri Joanne* quondam *Bohemiæ* Rege *genitore nostro charissimo*, dignoscimur tenuisse, præsertim cùm & creatio, sive nova ordinatio dicti *Ducatûs*, *sive Principatûs Oppavienſis* modo suprà dicto ritè fuerit instaurata, non ex interpretatione sinistra quorumlibet, aut ex dubietatibus, obscuritatibus & eventibus contrariis quibuscunque, nostris, *hæredum & successorum nostro-*

Et Richardi Romanorum Regis.

Duces Oppaviæ quando creati & quibus conditionibus.

Privilegia Boh: examinata à Carolo IV. coram suis Principibus.

Moraviæ collata Ducibus ut Feudum Boh.

rum nostrorum, *Regum Boëmiæ & Coronæ Regni* præfati, Juribus, honori, & statui valeat imposterum quomodolibet derogari. Communicato super his nonnullorum *Sacri Imperii Principum*, *Baronum & Procerum*, *fidelium nostrorum consilio* speciali, prædictis omnibus, de verbo ad verbum, proùt superiùs exprimuntur, intellectis, & in examen deliberatæ ac providæ discussionis adductis, authoritate Rom: Regiâ interpretamur, pronuntiamus, diffinimus, protestamur, dicimus, ac de certâ nostrâ scientiâ declaramus, supradictos Principatus insignes videlicet *Episcopatum Olomucensem*, *Marchionatum Moraviæ*, *& Ducatum Oppaviæ* ad Jurisdictionem, & Directionem, *Dominium*, *Regum & Coronæ Regni Bohemiæ* jure spectare, quódque Episcopi, Marchiones, & Duces præfati, hæredes & successores ipsorum in perpetuum Principatus eosdem & præfata Dominia, quoties per mortem aut alias causis legitimis, ritè vacaverit, à nobis, hæredibus & successoribus nostris *Boëmiæ* duntaxat *Regibus & à Corona Regni Boëmiæ* absque renitentia seu difficultate in feudum reverenter suscipere, nobísque ac dictis hæredibus & successoribus nostris *Boëmiæ Regibus & Coronæ Regni* præfati, in casibus antedictis, homagium obedientiæ, ac subjectionis debitæ, consueta juramenta corporaliter facere teneantur, omnem defectum si quis in literis & Privilegiis dictorum *Imperatorum & Regum Romanorum* memoriæ recolendæ, aut etiam in præsentibus, seu donatione *Illustris Ottogari secundi Regis Boëmiæ*, *Proavi nostri*, ut, si fortassis *Ducatum Oppaviæ* absque *Romani Principis*, & superioris licentia creare non potuit, vel, si eadem donatio Juri communi contraria videretur, quavis obscuritate, interpretatione dubiâ, verborum defectu, aut ex alia occasione, vel causa compertus fuerit, supplentes *de plenitudine Romanorum Regis potestatis*. Non obstantibus legibus, consuetudinibus &c. *sicut Part. I. p.* 1. Datum *Pragæ* Anno Domini 1348. Indictione primâ, septimo Idus Aprilis. Regnorum nostrorum anno secundo.

Carolus IV. supplet omnes defectus, qui poterant admitti in literis Privilegiorum

EPISTOLA III.

Collatio Marchionatûs Moraviæ tanquam feudi Regum, & Coronæ Regni Boëmiæ.

1355.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS FELICITER. AMEN.

Carolus IV. Divinâ favente Clementiâ Rom: Imp: semper Augustus & Boëmiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.

INter cæteras solicitudinum curas, quibus pro universorum statu fidelium nostræ Majestatis animus ex innata nobis benignitate distrahitur; illud nostræ meditationi occurrit præcipuum, unde honorifico ac decenti statu *Illustris Joannis Marchionis Moraviæ*, *Fratris Germani nostri charissimi*, solerter & diligentiùs intendamus, non ambigentes nostris applicari thesauris, quidquid eidem ad insignis sui statûs & congrui honoris augmentum, fraternæ pietatis affectu liberaliter erogamus; Sanè animo deliberato, nonnullorum tam *Ecclesiasticorum*, quàm *secularium Principum*, *Baronum ac Nobilium Regni nostri Boëmiæ consilio* præcedente, dicto *fratri & Principi nostro*,

Amor fraternus Caroli IV.

nostro, & suis haredibus, ac proheredibus legitimis sexûs Masculini, nobilem & insignem Principatum, videlicet *Marchionatum Moraviæ* cum *Civitatibus, Terris, Districtibus, Oppidis, Villis, Monasteriis, Præposituris, Baronibus, Vasallis, Militibus, Clientibus, Civibus, Rusticis, Emphyteutis, & Censitis, & ad Glebam astrictis, castris, munitionibus, prædiis, agris cultis, & incultis, montibus, Vallibus, planis, silvis, nemoribus, rubetis vergultis, pascuis, pratis, venationibus, aucupationibus, piscinis, piscaturis, vineis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, montanis, auri, argenti, stanni, plumbi, vel cujuslibet alterius generis metallorum, Jurisdictionibus, Ballivis, Judiciis, Dominiis, Bernis*, tam in bonis *Venerabilis Olomucenses Episcopi, Principis nostri, & successorum ipsius*, quàm aliorum *Baronum, & incolarum Moraviæ*, quoties eadem secundùm approbatam *Regni* nostri *Boëmiæ* consuetudinem per nos, *haredes sive successores nostros Boëmiæ Reges*, ex legitimis causis exigi, seu requiri continget, & dum nobis, sive dictis *haredibus & successoribus nostris Jure debentur, redditibus, proventibus, censibus, exactionibus, pœnis & emendis, mero & mixto Imperio, Juribus patronatûs, Ecclesiarum & beneficiorum* quorumcunque, nec non cum omnibus Juribus, honoribus, dignitatibus, obventionibus, consuetudinibus, adhærentiis & singulis pertinentiis suis quibuscunque specialibus nominibus & vocabulis possint seu valeant expressari, in feudum nobile & insigne & in justo *feudi* titulo à nobis *haredibus & successoribus Regibus Bohemiæ*, & à *Corona Regni* præfati habendum, tenendum, possidendum, ac utifruendum perpetuò damus, conferimus & donamus, præsertim cùm eundem *Marchionatum Moraviæ*, *Duces* claræ recordationis *Illustres Progenitores & prædecessores nostri*, quondam *Bohemiæ Reges* à Divis *Romanor: Imperator: & Regibus*, memoriæ venerandæ in feudum tenuerint, & in feudum præsentialiter teneatur, & demum, ac de consequenti Illustres quondam *Marchiones Moraviæ* eundem *Principatum à Boëmiæ Regibus* ulterius in feudum tenuerint, ut sic, & inantea supradictus *Frater & Princeps noster* dilectus, hæredes & prohæredes sui *Marchiones Moraviæ*, dictum Marchionatum à nobis *haredibus & successoribus nostris Bohemiæ Regibus, & à Corona Regni Bohemiæ* etiam *in feudum* perpetuò tenere debeant, sicut etiam nos, qui non aliundè ob hoc exempla colligimus, dum essemus in minoribus constituti, eundem *Marchionatum* cum omnibus suis honoribus, dominiis & pertinentiis à Claræ memoriæ Illustri *Joanne*, quondam *Rege Bohemiæ* genitore nostro charissimo, dignoscimur tenuisse, sicut etiam illud argumento probabili ex literis *Divi Friderici Romanorum Regis*, in quibus exprimitur, quòd Illustris *Henricus* pro tunc *Marchio Moraviæ* & universitas *Magnatum, & Nobilium Bohemiæ* de assensu *Illustrissimi Ottogari quondam Bohemiæ Regis, Proavi nostri, Wenceslaum Primogenitum* ipsius Illustrem, *in Regem suum* elegerint, & eadem electio per suprà dictum *Fridericum Romanorum Regem* approbata fuerit, & ex literis *Divi Richardi Romanorum Regis* similiter, in quibus idem ad instar aliorum *Imperatorum & Romanorum Regum, Illustrem Ottogarum secundum*, quondam *Bohemiæ Regem* proavum nostrum pro se, *haredibus & successoribus suis Bohemiæ Regibus*, de prædicti *Regni Bohemiæ & Marchionatûs Moraviæ* Principatibus & feudis, ab ipsis descendentibus investivit, quas diligenter auscultari, & in examen providæ discussionis adduci fecimus, evidenter accipitur, & colligitur manifestè, Venerabili *Joanne Olomucensi Episcopo, consanguineo nostro*, nec non *Illustri Nicolao Duce Oppaviæ, Principibus nostris haredibus, & successoribus* ipsorum duntaxat exceptis. Quorum alterum videlicet *Olomucensem Episcopum* & successores

Carolus IV. eodem jure, quo à Patre suo acceperat, confert fratri Moraviam.

sores ejusdem, virtute literarum, recolendæ memoriæ Divorum *Friderici Imperatoris, & Friderici Regis Romanor: Augustæ Potentiæ prædecessorum nostrorum*, in quibus iidem Illustri *Ottogaro* primo quondam *Boëmiæ Regi* prænotato, *& Wenceslao Olomucensi Episcopo*, qui fuit pro tempore, & suis successoribus, insigne, *circulum Wladislao Boëmiæ Duci*, qui *Regnum* prædictum ante coronationem suam regebat, & ejusdem *Wladislai* hæredibus in *Nativitatis* Christi, *Paschæ, Pentecostes*, & B B. *Wenceslai & Adalberti Patronorum Bohemiæ* festivitatibus, ad instar *Imperatorum Romanorum Principum* imponendi, ut tamen à nemine, præterquam à *Pragensi & Olomucensi Episcopis*, aut eorum altero, qui dum alterum abesse contingeret vices suppleret amborum, imponi deberet, licentiam, & facultatem gratiosiùs erogârunt, & hoc edictis ac mandatis Imperialibus & Regiis perpetuò statuerunt. Alterum verò videlicet *Ducem Oppaviæ, haredes & successores* ipsius propter donationem Claræ memoriæ Illustris *Ottogari secundi*, quondam *Boëmiæ Regis, Proavi nostri*, quam Patri ejusdem Ducis fecisse dignoscitur, dum terram *Moraviæ* dividens, *Ducatum & Principatum Oppaviensem* creavit ex novo, ipsúmque Ducem, quem de mera suæ Benignitatis gratiâ sublimavit *in Principem, haredes & successores* ipsius unà cum Ducatu sive Principatu præfato sibi & *haredibus & suis successoribus Regibus Bohemiæ*, ac ejusdem *Regni Coronæ* voluit immediatè subesse. Nobis enim hæredibus & successoribus nostris, *Regibus Bohemiæ*, & ejusdem *Regni Coronæ*, tanquam rem appropriatam, & inseparabiliter incorporatam *Regno Bohemiæ* præfato specialiter & ex Nomine reservamus, de Romanæ Imperatoriæ potestatis plenitudine statuentes, quòd omnes suprà dictæ sententiæ & clausulæ Imperialium & Regalium literarum, quæ à *Romanis Imperatoribus & Regibus prædecessoribus nostris*, dictis *Bohemiæ Regibus & Principibus Regno & Coronæ Bohemiæ* indultæ noscuntur, & quas ad probationem dictarum intentionum adduximus, semper & ubique in judicio & extrà, ac in singulis actibus, publicis & privatis, quoties præsentium tenorem legi, sive publicari contigerit, ejusdem efficaciæ, vigoris, & auctoritatis existant, acsi in figuris propriis originalia viderentur, eò præcipuè, cùm eadem originalia pridem per nos, ac nonnullos Rom: & *Bohemiæ Regnorum Principes, Barones, & Proceres Illustri Joanne Marchione Moraviæ*, fratre, & Principe nostro, prædicto, ibidem & in præsentia constituto, auscultata & examinata fuerunt diligenter, sicut etiam nos & *Illustres Progenitores & prædecessores* nostri *Bohemiæ Reges*, in prædictorum Jurium vera & justa possessione perstitimus, in præsenti decernentes, ac edicto Imperiali deinceps perpetuò statuentes, quòd supradictus Princeps, & frater noster charissimus, hæredes & prohæredes sui, *Marchiones Moraviæ*, eundem *Marchionatum* à nobis velut *Rege Bohemiæ, haredibus & successoribus nostris, Bohemiæ Regibus, & à Corona Regni Bohemiæ* prædicti, in *feudum* cum debitis, & consuetis solemnitatibus & cæremoniis reverenter suscipere, nobísque, ac dictis hæredibus & successoribus, & Coronæ præfatæ, tanquam veris ordinariis, & naturalibus ac hæreditariis dominis suis tenebuntur, & debent fidelitatis, homagii, subjectionis, & obedientiæ, sicut in susceptione *feudorum* consuetum est fieri, ad instar prædecessorum suorum quondam *Marchionum*, ibidem præstare, & facere corporalia juramenta. Nósque, hæredes & successores nostri, *Bohemiæ Reges* prædictum fratrem nostrum, hæredes & prohæredes ipsius *Marchiones Moraviæ* tanquam alios *Regni & Coronæ Bohemiæ* Principes & Vasallos ab oppressionibus violentis, & injuriis defendere tenebimur, & tueri. Et quamvis de Jure communi & positivo con-

De Ducatu Oppavienſi.

Hinc apparet Ducatum Oppav: in Moraviam ſpectare.

Epiſcopatus Olomuc: & Ducatus Oppav: ſunt immediatè uniti Coronæ Boh.

 stat,

ſtat⁀, quòd Vaſallo, non relictis legitimis maſculini ſexûs hæredibus, moriente, feudum de ſui natura ad ipſius feudi Dominum juſto titulo revertatur; tamen ut via dubietatibus & calumniis præcludi valeat, conſilio ſaniori pronuntiamus, definimus, & præſentibus declaramus, ut quoties dictum fratrem noſtrum, quem Deus cuſtodiat, hæredes aut prohæredes ſuos abſque maſculini ſexûs hæredibus contingeret decedere⁀, quòd Marchionatus Moraviæ prædictus ad nos, hæredes ſive ſucceſſores noſtros *Reges Bohemiæ*, & ejuſdem *Regni Coronam*⁀, abſque difficultate liberè revertatur, nóſque & dicti *hæredes ſive ſucceſſores noſtri Bohemiæ Reges* vel alter eorum, qui pro tempore fuerit⁀, filias dicti Marchionis, hæredum & prohæredum ſuorum⁀, ſi quas poſt ſe dimiſerint, ad ſtatum ordinare decentem, & earum cuilibet⁀, dum matrimonio copulatæ fuerint, à die conſummatæ copulæ, infra unum annum decurrentem continuò de *decem millibus marcarum argenti groſſorum Pragenſium*, pagamenti Regalis, de pecuniis *Bernæ*, quæ ob eandem cauſam in *Marchionatu* prædicto inſtaurari debebit, ùt juris eſt, obſervatæ conſuetudinis, tenebimur providere⁀. Adjicientes de ſingulari munere gratiæ ſpecialis ob illum ſinceritatis affectum, quo prædictum fratrem noſtrum favorosè complectimur⁀, ut quoties nos, hæredes aut ſucceſſores noſtros *Reges Bohemiæ* non relictis maſculini ſexûs hæredibus ab hac luce migrare contingeret, *Regnum Bohemiæ* præfatum, *Comitatus Lucemburgenſis*, *Marchionatus Budiſſinenſis*, & *Görlicenſis*, ac cæteri noſtri Principatus ad ſupradictum fratrem noſtrum, aut eo non extante, hæredes ſive prohæredes ſuos legitimos, ſexûs maſculini, *Moraviæ Marchiones*, abſque electione ſive aſſumptione alia⁀, & abſque difficultate qualibet devolvatur⁀. Et quòd is, cujus tunc Jure⁀ præfato, & virtute declarationis prædictæ intereſſe videbitur, in *Bohemiæ Regem* aſſumi & coronari debeat, impedimento quolibet non obſtante⁀. Qui denique noſtris, hæredum, & prohæredum noſtrorum, ſive ſucceſſorum⁀ *Regum Bohemiæ* filiabus⁀, ſi quas dimiſerimus de congruenti ſtatu ſecundùm *Regni Bohemiæ* conſuetudinem approbatam, tenebitur & debebit, decenter⁀ & magnificè providere. Neque nos, hæredes, vel ſucceſſores noſtri *Bohemiæ Reges*, dictum *Regnum Bohemiæ*, vel ſupradictus Princeps & frater noſter, hæredes ſui, *Marchiones Moraviæ*, *Marchionatum* eundem, in toto vel in⁀ parte, occaſione filiarum noſtrarum, utrobique aut aliâ causâ quacunque⁀ donare, vendere, obligàre⁀, aut alienare debebimus, aliquo diſmembrationis, aut ſequeſtrationis modo, quo Præfati *Regni Bohemiæ Corona*, Principatus, & Dominia, quæ ad idem *Regnum Bohemiæ* pertinent, ſpecialiter Comitatus *Lucemburgenſis*, cum ſuis pertinentiis, ùt præfertur, à dictis *Moraviæ Marchionibus* vel præfati *Marchionatûs*, devolutis à nobis hæredibus & ſucceſſoribus noſtris *Bohemiæ Regibus* poſſet in caſibus prænotatis quomodolibet⁀ removeri. Cæterùm prædictus *Princeps & frater* noſter dilectus hujuſmodi noſtræ gratiæ largitione contentus *Marchionatum Moraviæ* ſupradictum cum digna gratiarum actione ſuſcepit, neque ipſe⁀, hæredes & prohæredes ſui *Marchiones Moraviæ* à noſtra Celſitudine⁀, hæredibus ſive ſucceſſoribus noſtris, *Bohemiæ Regibus*, aliud quicquam per diviſionem⁀, ſucceſſionem, ab inteſtato, vel alio quovis titulo, jure vel facto poterunt ſive debebunt repetere, aut exigere⁀, niſi quod ipſis de ſingulari favore & noſtræ mentis beneplacito, liberaliter duxerimus erogandum. Renunciavit etiam dictus frater noſter pro ſe, & dictis hæredibus, ac prohæredibus ſuis *Marchionibus Moraviæ*, omni Juri & Juris fictioni ſi quod, vel quam in *Regno Bohemiæ* aut⁀ cæteris noſtræ ditionis Principatibus, & dominiis habere potuit⁀, aut poſſe potue-

Provident Carolus filiabus fratris ſui, ſi Pater ſinè hærede Maſculo diſcederet.

Item fratrem conſtituit eligendum Regem Boh: ſi ipſe Carolus ſine hærede Maſculo decedat.

potuerunt, ſeu poterunt quomodolibet in futurum; Canonum etiam, aut Legum auxiliis⁀, ac omni Juris beneficio, quibus ordinationi, diſpoſitioni, & renuntiationi præfatis poſſet in toto vel in parte aliqualiter derogari. Promiſit etiam pro ſe & dictis hæredibus ac prohæredibus ſuis legaliter & bona fide⁀, omnes & ſingulos noſtros & *Coronæ Regni Bohemiæ Principes, Eccleſiaſticos & ſeculares* ubicunque reſideant⁀, noſtræ ditioni ſubjectos in⁀ omnibus & ſingulis ipſorum privilegiis, literis, Juribus, gratiis, libertatibus, & immunitatibus tam in bonis quàm in hominibus ipſorum non offendere, imò veriùs ipſos & eorum quemlibet dictis privilegiis, literis, Juribus, & cæteris conditionibus prænotatis, liberè gaudere & potiri permittere, & ad cautelam certitudinis amplioris, nos unà cum Principibus, Baronibus, Nobilibus, & Civitatibus *Regni Bohemiæ* pro nobis *hæredibus & ſucceſſoribus* noſtris *Bohemiæ Regibus* ex una, dictus frater noſter unâ cum Baronibus Nobilibus ac Civitatibus Moraviæ, pro ſe, ſuíſque hæredibus & prohæredibus, *Marchionibus Moraviæ* parte ex altera, ſuper omnibus punctis, clauſulis, articulis, & ſententiis prælibatis non per errorem aut improvidè, ſed maturâ conſideratione prævià fecimus & præſtitimus corporalia Juramenta, quæ etiam hæredes & ſucceſſores noſtri *Reges Bohemiæ* in poſterum in Coronatione ſua quam ac ad alia honorem & ſtatum *Regni Bohemiæ* concernentia, dictus *Marchio*, hæredes & prohæredes ſui, ſicut alii *Boëmiæ Principes* vocati venire debebunt⁀, unà cum Principibus, Baronibus, Nobilibus ac Civitatibus *Regni Boëmiæ* præfati, qui pro tempore fuerint, præſtare & facere tenebuntur. Hæredes quoque & prohæredes ejuſdem noſtri fratris, dictum *Marchionatum Moraviæ*, dum caſus vacationis ipſius emererit à nobis⁀, hæredibus & ſucceſſoribus noſtris *Boëmiæ Regibus*, qui tamen eundem *Marchionatum*, dum honore ſolito quæſiti fuerint, infra limites *Regni Boëmiæ* abſque difficultate conferre debebunt, in *feudum per unius anni* ſpatium à die Vacationis continuò revolvendi, cum debita ſolennitate recipient & facient, ac præſtabunt tempore ſuſceptionis, ſive infeudationis hujuſmodi, cum ſuis⁀ Baronibus, Nobilibus ac Civitatibus *Marchiæ* prælibatæ, ad inſtar Patrum⁀, ſive progenitorum ſuorum conſimilia juramenta, & ſpecialiter univerſi & ſinguli, Principes, Barones, Nobiles ac Civitates *Regni Boëmiæ & Marchionatûs Moraviæ* prædictorum, nobis hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris *Regibus Boëmiæ*, ac præfato fratri noſtro, hæredibus⁀, & prohæredibus ſuis *Moraviæ*, ubi in caſu contra præfatam ordinationem⁀, ſive diſpoſitionem in⁀ toto, vel in parte venire vellemus, aut alter ex nobis dictis tractatibus contrairet, conſentire non debent, aut in talibus obedire⁀, per quæ præmiſſa⁀ omnia, vel alterum ipſorum poſſet diminui ſeu turbari. Supplentes omnem defectum ſi quis in literis &c. *ut ſupra Part. I. pag. 57. cum iisdem teſtibus. Signum Sereniſſimi Principis & Domini Domini Caroli IV. Romanorum Imperatoris.* Datum *Pragæ* Anno Domini M. CCCLV. Indictione octavâ, quinto Calendas Octobris⁀, Regnorum noſtrorum Anno Decimo, Imperii verò primo.

Quid viciſſim promiſerit Joannes Carolo Fratri & Regno Boh.

Juramenta reciproca Bohemor: & Morav:

EPISTOLA IV.

Reversales Joannis Marchionis Moraviæ.

1350.

Nos Joannes DEI Gratiâ Marchio Moraviæ, Notum facimus Universis.

QUòd quia *Serenissimus ac Invictissimus Princeps, Frater & Dominus noster Gratiosus Dominus Carolus Romanorum semper Augustus & Boëmiæ Rex*, de nostri statûs honore solitâ fraternæ pietatis Clementiâ sollicitudinem gerens, & ex affectu desiderans, conditionem nostram de singulari favoris, & benignitatis munere fieri meliorem, nobis hæredibus & prohæredibus nostris legitimis *Marchionibus Moraviæ* sexûs Masculini Nobilem & Insignem Principatum *Marchionatum Moraviæ* cum Civitatibus, Terris, di-
Vide Epist. præcedentem pag. 170. strictibus &c. Tam in bonis Reverendi in Christo Patris Domini *Joannis Olomucensis* Episcopi Consanguinei nostri dilecti, & successorum ipsius, quàm aliorum Baronum, & Incolarum *Moraviæ*, quoties easdem secundùm approbatam *Regni Boëmiæ* consuetudinem per antedictum Dominum & fratrem nostrum, hæredes & successores ipsius *Boëmiæ Reges*, & Dominos nostros ex legitimis causis exigi, seu requiri continget, &c. supplevit etiam dictus frater & Dominus noster omnem defectum, si quis in Literis & Privilegiis &c.
Vide Epist. præc. pag. 170. Reverendis in Christo Patribus Dominis *Arnesto* Sanctæ *Pragensis Ecclesiæ ArchiEpiscopo*, *Joanne Olomucensis*, & *Nicolao Naumburgensis* Ecclesiarum Episcopis, nec non Illustribus, & Magnificis Principibus, & Dominis Dominis *Rudolpho* Duce Saxoniæ, *Ruperto* Comite Palatino Rheni, & Duce Bavariæ, & Nobilibus Viris *Wilhelmo* de Landstein; *Joanne* de Michlsberg; *Henrico* de Lüchtenburg, *Andrea* de Dubc, *Jodoco* de Rosenberg, *Buscone* de Welhartícz, *Hascone* de Zvvirzeticz *Regni Bohemiæ* Baronibus dicti Domini & fratris nostri fidelibus; & demum Nobilibus *Stephano* & *Jaroslao* de Sternberg, *Bernhardo* Cimburg; *Joanne* de Bozkovitz, *Henrico* de Lüchtenburg, dicto de Uetovia, *Jenczone* & *Proczkone* dictis de Lomnicz Baronibus & fidelibus nostris dilectis testibus ad præmissa. Præsentium sub nostro sigillo testimonio literarum. Datum *Pragæ* Anno Domini M. CCCL. Jubileo in die Beati Stephani Protomartyris.

Ferè in eandem sententiam extant aliæ literæ ejusdem *Joannis Marchionis Moraviæ* quarum Datum *Pragæ* Anno Domini M. CCCLI. In die B. Georgii Papæ.

EPISTOLA V.

Joannis Marchionis Moraviæ Literæ, quibus promittit, si eum per successionem in Regem Boëmiæ coronari contigerit, quòd nihil penitus ab eo Regno & Corona alienabit.

1356

Nos Joannes DEI Gratiâ Marchio Moraviæ.

Notum

NOtum facimus tenore præsentium universis, quòd attendentes labores multiplices, & multæ circumspectionis solertiam, quibus *Serenissimus ac Invictissimus Princeps & Dominus Dominus Carolus IV. Romanorum Imperator semper Augustus & Boëmiæ Rex, Dominus noster gratiosus Regnum Boëmiæ* & felicem ipsius Coronam, feliciter exaltavit, ut hujusmodi providi laboris gratum exercitium effectu non careat; sed quòd per eum felici principio ortum susccpisse dignoscitur, solicitudine succedentium sibi *Regum Boëmiæ* pro Regni gloria felici semper incremento proficiat, & beatæ sortis favore dilatetur; promittimus bonâ fide, sine dolo, & sub Juramento, quod super eo ad Sancta DEI Evangelia corporaliter præstitisse dignoscimur, pro nobis *hæredibus & successoribus nostris*, quòd in eventum ubi juxta declarationes alias, quas prædicti Domini nostri disposuit laudanda provisio, nos, seu hæredes nostros in *Regno Boëmiæ* continget voluntate Divinâ succedere, quòd tunc in eodem instanti priùs & antequam nos, aut dicti hæredes nostri ad præfati *Regni* fastigia coronemur, & antequam de manibus *Pragensis ArchiEpiscopi* nos, seu dictos hæredes nostros eandem Coronam continget susciperc, in præsentia *Principum*, *Baronum*, *Procerum*, *& Nobilium*, ac etiam Civitatum dicti *Regni Boëmiæ*, quos & quas tunc interesse continget, seu qui commodè poterunt & voluerint interesse, adhibitis cæremoniis, & solennitatibus consuetis debitis, publicè jurabimus super Sanctis DEI Evangelicis, tactô lignô crucis Sanctæ, quòd nunquam aliquo tempore, *Principatus*, *Dominia*, *Vasallagia*, *Vasallatus*, & partem *Boëmiæ* alienabimus, aliquo etiam alienationis titulo, quibuscunque valeat specialibus vocabulis designari, imò veriùs prædictum *Regnum*, Principatus, Dominia, Vasallatus & pertinentias ipsius, in sua plena & perfecta integritate, & plenè absque diminutione servabimus, & ad incrementum talium Principatuum, Dominiorum, Vasallatuum, & pertinentiarum *Regni*, *& Coronæ Boëmiæ* intendemus continuò, ferventibus desideriis, bonâ fide & juxta nostrarum Virium facultatem. Præsentium sub nostro sigillo testimonio literarum. Datum *Pragæ* Anno Domini M. CCCLVI. die ad Vincula S. Petri Apostoli Glorioši.

EPISTOLA VI.

Joannis Marchionis Moraviæ literæ universales, & obligationes Regno Bohemiæ factæ.

1366.

Nos Joannes DEI Gtatiâ Marchio Moraviæ.

NOtum facimus tenore præsentium Universis; Quòd licèt alias *Serenissimus ac Invictissimus Princeps & Dominus Dominus Carolus IV. Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus* & Boëmiæ *Rex Illustris*, *Dominus noster gratiosus*, tanquam *Boëmiæ Rex* nobis, hæredibus & successoribus nostris legitimis *Marchionibus Moraviæ* sexûs Masculini insignem & *Illustrem Principatum Marchionatum Moraviæ* cum attinentiis & pertinentiis ejusdem Principatûs *Vener: Olomucenſ: Ecclesiâ*, & Illustri *Oppaviæ* Ducatu duntaxat exceptis, propter *Bernam Regiam* Generalem, in bonis Episcopalibus dictæ Olomucensis Ecclesiæ quæ ad nos hæredes & successores nostros

Quâratione Episcopi Olomucensis pertinentia Bernarum Domino terræ subjiciatur.

nostros *Marchiones Moraviæ* pertinet, prout in aliis literis desuper editis pleniùs est expressum, in *feudum* Illustre & insigne concesserit. Nósque dictum *Marchionatum* cum suis pertinentiis, ùt præfertur, à præfato Domino nostro Imperatore ùt à *Rege* Boëmiæ, in *feudum* susceperimus, & fidelitatis, homagii, subjectionis & obedientiæ sicut in susceptione feudorum consuetum est fieri, sibi, ùt *Regi* Boëmiæ, præstiterimus corporalia juramenta, sicut etiam nostri hæredes, & successores legitimi *Marchiones Moraviæ* masculini sexûs, eundem *Marchionatum* cum attinentiis ejusdem ab ipso, ùt à *Rege* Boëmiæ & à *Corona Regni* ejusdem in feudum recipere tenebimur & habere. Eâ tamen conditione notanter adjectâ, quòd idem *Marchionatus* cum pertinentiis suis in eum casum, ubi nos, hæredes & successores nostri legitimi *Marchionatûs Moraviæ* sexûs masculini sine hæredibus masculini sexûs legitimis decederemus, ad ipsum ùt ad *Regem Bohemiæ* hæredes & successores suos, *Reges* Boëmiæ & ad *Coronam* ejusdem *Regni* immediatè devolvatur, sicut præmissa omnia in aliis literis desuper confectis sunt expressa. Nos tamen ex fidelitate & dilectione debitis commoditatibus dicti Domini Imperatoris, hæredum & successorum suorum prædictorum providere cupientes, sibi bonâ fide absque omni dolo, & sub Iuramento, quod desuper vivâ voce ad Sancta Dei Evangelia corporaliter præstitisse dignoscimur, pro nobis nostrísque hæredibus & successoribus *Marchionibus Moraviæ* promisimus, quòd homines ipsorum *Feudatarios*, *Vasallos*, *& alios quoslibet subjectos*, *Barones*, *Nobiles*, *& Ignobiles*, *Ecclesiasticos*, *& seculares* contra ipsorum voluntatem & in præjudicium ipsorum quantumin nobis est, quæ in *Regno Bohemiæ* obtinent, nunquâ defendemus, protegemus, proloquemur, manu tenebimus, nec ipsos tuebimur in futurum. Sicut etiam ipse, hæredes & successores sui prædicti contra nostram hæredum & successorum nostrorum *Marchionum Moraviæ* voluntatem, & in nostrum præjudicium nostros homines Feudatarios, Vasallos, & alios quoslibet subjectos Barones, Nobiles, & Ignobiles, Ecclesiasticos & seculares, qui in *Marchionatu Moraviæ* bona obtinent, & in eisdem bonis defendere, manu tenere, protegere, proloqui, aut tueri aliqualiter non debent. Notanter etiam pro nobis, dictis nostris hæredibus & successoribus nostris *Moraviæ Marchionibus*, sibi hæredibus & successoribus suis, *Bohemiæ Regibus* animo deliberato, & de certa nostra scientia bona fide sinè omni dolo promisimus, & super eo Baronum & fidelium nostrorum communicato consilio sano & maturo promittimus per hæc scripta; quòd nos & dicti nostri hæredes, & successores *Marchiones Moraviæ* præfatum *Regnum Bohemiæ*, attinentias & pertinentias ejusdem singulas à dicto Domino nostro, hæredibus & successoribus suis prædictis, Jure Ecclesiastico, vel civili, aut facto tacitè, vel expresè per nos, alium seu alios, aliquâ occasione, ratione, vel causâ, directè vel indirectè, quantum in nobis est, sinè omni dolo, invadi non permittemus, nec ipsum *Regnum Bohemiæ* aliqualiter impetemus, nisi in eum casum ubi dictum Dominum nostrum Imperatorem, hæredes & successores præfatos absque hæredibus legitimis masculini sexûs decedere contingeret, quia tunc dictum *Regnum Bohemiæ* cum suis attinentiis & pertinentiis suis ad nos, hæredes & successores nostros *Marchiones Moraviæ* esset devolutum, & nos, hæredes & successores nostri præfatum *Marchionatum* cum attinentiis & pertinentiis suis à dicto Domino nostro Imperatore, ut à *Rege Bohemiæ hæredibus & successoribus*, *Regibus Bohemiæ* & à *Corona Regni* prædicti in *feudum illustre & insigne* recipere & omni tempore tenere debebimus, prout in aliis literis desuper traditis pleniùs est expressum.

Vide Epist. III. paulò ante.

Quas

Quas literas in omnibus suis clausulis, sententiis, tenoribus & punctis, sicut scriptæ sunt, in suo robore per omnia volumus remanere & ad omnia & singula prædicta, & eorum quodlibet prout expressantur superiùs, observanda, nos bona fide absque omni dolo virtute corporalis Juramenti prædicti de certa nostra scientia obligamus, Præsentium sub appenso majori nostro sigillo, testimonio literarum. Datum *Pragæ* Anno 1366. in die Sanctorum Tiburtii & Valeriani Martyrum.

EPISTOLA VII.

Joannis Marchionis Moraviæ literæ reversales & obligationes, præsertim quòd nullum subditum Regum Boëmiæ aut bona eorum citra voluntatem ipsorum Regum in servitium aut defensionem suscipere possit & valeat.

Joannes DEI Gratiâ Marchio Moraviæ.

1371.

NOtum facimus tenore præsentium universis. Licèt aliàs Serenissimus Princeps & Dominus Dominus *Carolus* Romanorum Imperator semper Augustus, & *Boëmiæ Rex*, Dominus & frater noster præcharissimus, Nobis, hæredibus & successoribus nostris legitimis, *Marchionibus Moraviæ*, sexûs masculini, insignem & Illustrem Principatum, *Marchionatum Moraviæ*, cum attinentiis & pertinentiis ejusdem Principatûs, Venerabilis *Olomucensis* Ecclesiæ & Illustri *Oppaviæ* Ducatu duntaxat exceptis &c: Nos tamen commoditatibus dicti Domini nostri & fratris, hæredum & successorum suorum, fraternæ dilectionis indicio providere cupientes, eisdem bonâ fide, absque omni dolo, & sub juramento, quod desuper vivâ voce ad Evangelia Sancta DEI, nostrísque hæredibus, & successoribus *Marchionibus Moraviæ*, *Joanne*, & *Procopio*, filiis nostris, nec non aliis nostris filiis fortasse nascendis, eorum hæredibus, & prohæredibus, cujuscunque conditionis, statûs vel præeminentiæ forent, seu ad quemcunque gradum dignitatis, Principatuum, sivè Dominiorum pervenire possent, promittimus per præsentes, quòd prædictorum *Regum Boëmiæ* homines, feudatarios, Vasallos, & alios quoslibet subjectos, Barones, Nobiles, & Ignobiles, Ecclesiasticos sive sæculares eorundem, contra voluntatem & in præjudicium ipsorum in nobis, quæ in *Regno Boëmiæ* obtinent unquam defendemus, manu tenebimus, protegemus, proloquemur, aut ipsos tuebimur in futurum. Sicut etiam idem Dominus noster & frater, hæredes & successores sui, *Reges Boëmiæ*, ac etiam alii sui filii nati, & nascendi, eorum hæredes & prohæredes, cujuscunque conditionis, statûs, vel præeminentiæ forent, seu ad quemcunque gradum dignitatis Principatuum, sive Dominiorum pervenire possent, contra nostram, hæredum & successorum nostrorum prædictorum voluntatem & in nostrum præjudicium nostros homines, feudatarios, Vasallos, Barones, aliósque subjectos &c. Nec ipsum *Regnum Boëmiæ* cum suis pertinentiis nobis vendicabimus, applicabimus, aut eidem *Regnum* aliqualiter impetemus, pollicemur insuper & promittimus sub fide & Juramentis, quibus suprà, nominato *Domino & fratri nostro*, *Domino Imperatori ùt Regi Bohemiæ*, *hæredibus & prohæredibus suis* præfatis, in casu quo ipsi, seu ipsorum

Vide proximas literas sub pag. 169. usque ad: sunt expressata.

Vide præc. Epist. VI. pag. 169.

ipsorum aliquis vel etiam eorum, *Principes*, *Barones*, *Nobiles*, *Vasalli*, *homines*, *familiares & subditi* cujuscunque conditionis forent, quocunque ductu, Spiritu, vel ingenio quocunque seu ipsos, sive Dominia, terras, possessiones & bona ipsorum acceptare, suscipere seu nobis vendicare quomodolibet non debeamus, sed potiùs ad hoc consiliis, auxiliis, & juvaminibus operari pro viribus, ut ipsi *Principes*, *Barones*, *Nobiles*, *Vasalli*, *Familiares & subditi* unà cum terris Dominiis, hæreditatibus, possessionibus, & bonis omnibus sub ipsis & eorum Dominiis remaneant. Ità tamen, quòd *Marchionatus Moraviæ* ab ipso *Rege Boëmiæ*, qui pro tempore fuerit, & ipsius *Regni Corona* suis loco & tempore suscipiatur in feudum. Et ipsi *Reges Bohemiæ*, qui pro tempore fuerint, nos hæredes & successores nostros in ipso *Marchionatu*, & omnibus ipsius Juribus & pertinentiis, quæ ad ipsum ab antiquo spectâsse noscuntur, fovere, manu tenere debeant, effectualiter defensare, sicut hoc idem in aliis nostris literis, quas mutuò desuper sibi dedimus, lucidiùs est expressum. Et in eum casum, ubi dictum *Dominum nostrum & fratrem*, *hæredes*, *& successores nostros præfatos*, absque hæredibus legitimis masculini sexûs, decedere contingeret, quòd tunc dictum *Regnum*, ad nos, hæredes, & successores nostros *Marchiones Moraviæ* esset legitimè devolutum, ùt in aliis literis desuper traditis pleniùs est expressum, quas literas in omnibus suis clausulis, sententiis, tenoribus, & punctis sicut scriptæ sunt, in suo robore per omnia volumus remanere, & ad omnia & singula & eorum quodlibet, proùt expressantur superiùs, observanda, Nos bonâ fide absque omni dolo, & in virtute corporalis Juramenti prædicti de certa nostra scientia firmiter obligamus, Præsentium, sub nostro majori pendenti Sigillo, testimonio literarum. Datum *Pragæ*, Anno Domini M. CCCLXXI. Indictione 9. 15. Calend. Maji.

EPISTOLA VIII.

Joannis Marchionis Moraviæ literæ, quibus promittit, quòd Regi Bohemiæ ad recuperanda ejusdem Regni Jura contra quemlibet auxilio sit futurus, & de subditis Regum nullo modo se intromittet, aut eos defendet.

1350.

Nos Joannes DEI Gratiâ Marchio Moraviæ.

NOtum facimus Universis, quòd nos attendentes & in animo revolventes Serenissimi ac invictissimi Principis & Domini ac fratris nostri gratiosi Domini *Caroli Romani Imperatoris semper Augusti & Bohemiæ Regis* synceritatis affectum, & piam gratiam, quibus ad inclinationem nostræ conditionis, sicut in operationis affectu patenter apparuit, studuit intendere, gratiosè promittimus bonâ nostrâ fide, sine dolo, dicto Domino nostro adversùs omnes *Principes*, *Nobiles*, *Barones*, *Vasallos* & alios quoscunque homines, cujuscunque præeminentiæ, gradûs, sive dignitatis existant, nullo penitùs excepto, in omni sive casu, quoties necessitas incubuerit, & nominatim, ac expresè, ad recuperationem Jurium, utilitatum, & pertinentiarum, quæ de corpore *Regni & Coronæ Bohemiæ* quâvis occasione seu causâ alienata sive distracta noscuntur, adversùs Principes, Barones, Vasallos

Vasallos ac cæteros homines dicti *Regni* & Coronæ fideles ipsius & subditos, qui occasione præfatâ non contenti fortassis, quod hujusmodi Utilitates, Jura & Proventus *Regni & Coronæ Bohemiæ* repetantur ab eis, aut aliâ intentione quacunque contra prædictum Dominum & fratrem nostrum calcaneum rebellionis erexerint, quoties & quando per ipsum aut suo nomine requisiti fuerimus, auxiliari, cooperari & assistere fideliter, sicut decet, remediis, & consiliis opportunis, promittimus etiam & syncerè spondemus nos de Principibus, Baronibus, *Vasallis*, *& subditis dicti Domini & Fratris nostri*, verbo, facto, persuasione aut consilio non intromittere: imò quoties aliquis ex eisdem quacunque temeritate contra præfatum Dominum insurrexerit, nos insurgentis seu rebellantis ipsius contumaciam unà cum præfato Domino nostro compescere & refrænare tenebimur & debemus. Præsentium sub nostro sigillo testimonio literarum. Datum *Pragæ* Anno M. CCCL. Indictione secundo primâ Nonas Januarii, Regnorum nostrorum Anno quarto.

EPISTOLA IX.

Comaromissio Sigismundi Marchionis Brandeburgensis, Jodoci & Procopii Marchionum Moraviæ, & Dominarum Mariæ & Elisabeth Hungariæ Reginarum in VVenceslaum Romanorum & Boëmiæ Regem de certis controversiis.

1386.

Nos Sigismundus DEI Gratiâ Brandeburgensis Sacri Romani Imperii Archi-Camerarius, Jodocus & Procopius Moraviæ Marchiones.

NOtum facimus tenore præsentium Universis, quòd de synceritate amoris, fidei, legalitatis, ac Justitiæ *Serenissimi ac Invictissimi Principis*, *& Domini Domini Wenceslai* Regis Romanorum *semper Augusti*, *& Bohemiæ Regis*, *Domini Fratris*, *& Patrui nostri charissimi*, indubiè confidentes in ipsum compromisimus, & veluti syncerum, fidum, & æquum arbitratorem, amicabilem compositorem, & diffinitorem deliberatè, bonâ fide, sinè fraude & dolo, in virtute Juramenti præstiti compromittimus ex certis nostris scientiis per præsentes, de & super universis & singulis displicentiis, guerris, litibus, discordiis & controversiis, pro parte nostra, & omnium & singulorum nobis adhærentium, prout fraternali dispositioni, & ordinationi suæ recepit, ab una; nec non *Serenissimarum Dominarum Mariæ, Consortis nostræ Sigismundi*, *& Elisabeth Matris dilectæ*, *Ungariæ*, *Dalmatiæ*, *Croatiæ &c. Reginarum*, nec non *Prælatorum*, *Baronum*, *& singulorum Incolarum* Regnorum ipsorum & eis adhærentium parte ex altera, habitis & subortis usque præsens. Promittentes eâdem bonâ fide nostrâ dicto *Serenissimo Principi Domino & Fratri ac Patruo nostro charissimo Domino Wenceslao Romanorum & Bohemiæ Regi*, quòd quidquid ipse inter nos utrasque partes prædictas, auditis utrobique nostris intentionibus, informationibus, articulis & motivis signanter super capitulis subscriptis summariè, videlicet *super restitutione*, *& rehabitione Dominæ Mariæ* Reginæ *Hungariæ nostræ Sigismundi prædicti*

Controversiæ in Regia Familia Luxemburgensi.

Quænam illæ fuerant controversiæ.

prædicti Conthoralis Charissimæ. Item super statûs nostri honorificâ, prout nostra requirit conditio, provisione; item super bonis illis, quæ sunt sita circa metas Austriæ & Moraviæ assignatione & illorum bonorum liberâ & propria possessione; item super nostrorum debitorum universorum ratione, guerræ & dissensionis præsentis contractorum hinc inde plenaria solutione; item super literarum nostrarum Sigismundi prædicti, quas Illustres Marchiones Moraviæ, *patrui nostri charissimi, super bonis quæ sunt inter flumina Wag & Danubium sita, à nobis obtinere noscuntur, confirmatione; item super certis bonis, quæ adjutores nostri à nobis obtinent, corroboratione; item super certis displicentiarum Regni Ungariæ Incolarum, cujuscunque statûs vel conditionis extiterint, & omnium aliorum ad* Regnum Ungariæ *pertinentium, quas ex eo, quòd nobis & nostris adjutoribus adhæserunt, se incurrisse formidant, plena & totali relaxatione, & circa bona, possessiones & hæreditates eorum atque statum pristinum, Jura & Consuetudines,* Regni *conservatione.* Prout hæc omnia in articulis præfato *Serenissimo Principi Domino fratri & patruo nostro charissimo* exhibitis & oblatis capitulatim, distinctè & specificè sunt expressa, ordinabit, dictabit, pronunciabit, faciet, diffiniet & concludet, quòd hoc ipsum volumus, debemus & tenemur, absque fraude & dolo tenere, facere, adimplere, & inviolabiliter observare. Et nihilominus in omnibus, & singulis eidem *nostro Gratioso Domino fratri, ac patruo charissimo Domino Wenceslao* Romanorum *&* Bohemiæ Regi, tanquam arbitratori, amicabili, compositori ac diffinitori, fide, & virtute, quibus suprà, deliberatè, & ex certa nostra dedimus & damus pro parte nostra, & omnium nobis adhærentium, plenam expressam & omnimodam potestatem super capitulis & articulis suprà dictis, & eosdem corrigendi, addendi, minuendi, declarandi, interloquendi, & etiam diffiniendi, secundùm omnem æquitatem, & etiam rationem, prout Regio honori suo, & nostræ suæ Majestatis industriæ videbitur, utiliùs, honestiùs, atque decentiùs expedire, ratum, gratum, firmum, stabile & incommutabile permansurum, promittentes & habere volentes, sub data bona nostra fide prædicta quidquid in præmissis, & eorum aliquo per *dictum Serenissimum Principem gratiosum nostrum Dominum fratrem & patruum charissimum Dominum Wenceslaum* Roman: *& Bohemiæ Regem*, factum, declaratum, ordinatum, & quomodolibet fuerit diffinitum. Præsentium sub nostrorum *Sigismundi, & Jodoci* prædictorum sigillis testimonio literarum. Datum in Campis propè *Jaurinum* Anno Domini M. CCCLXXXVI. Die undecimâ Mensis Maji.

EPISTOLA X.

Literæ Civitatum Marchionatûs Moraviæ, quòd literis infeudationis Joannis Marchionis Moraviæ, *& conditionibus istic expressis satis facere velint, & obligantur. Ubi etiam de decreto successionis Filiorum Regum Boëmiæ in Regnum, & Marchionatum Moraviæ mentio fit.*

§. I. Civi-

§. I. Civitatis Olomucensis.

NOs *Pezoldus* Advocat⁹, Milotha, *Joann:* de Gevvezka, *Nicol:* Berhardi, & *Adam* Consules, *Nicol:* Poten-Walder, *Matthias* Carnifex, *Ula* de Praga, *Joan:* Himundi *Cunzmann⁹* Tyssnerii, *Stenslinus* Straubing & *Zdenco* Jurati Cives Civitatis Olomuczensis, qui nunc sum⁹ actu, aut pro tempore erimus in futurum; Notum facimus tenore præsentium universis: Quòd, quia in literis Magnifici, & Excellentissimi Principis Domini *Joannis Marchionis Moraviæ*, Domini nostri gratiosi, quas ipse sano Baronum & Procerum suorum accedente consilio, animo deliberato, non per errorem, sed ex certa scientia, Serenissimo ac Invictissimo Principi, & Domino Domino *Carolo Romanorum Imperatori* semper Augusto & glorioissimo *Bohemiæ Regi* super recognitionem feudi *Marchionatûs Moraviæ*, & ejus pertinentiis dedit, quædam specialis clausula repetitur expressa; Cujus tenor, sive sententia sequitur in hæc verba: *Et quamvis de Jure communi, & positivo constat, &c.* usq; *in prænotatis Casibus quomodolibet removeri.* Considerato nihilominus & extra formam præcedentis articuli diligenter inspecto: Quòd si Consortes, sive Conjuges prædicti Domini nostri *Imperatoris*, & *Regis Bohemiæ*, nec non *Marchionis Moraviæ*, seu earum alteram in tempore obitûs, alterius Dominorum prædictorum prægnantem, seu prægnantes fore contingeret, quæ tunc proles ipsa, si masculina fuerit, patri suo juxta formam expressam in præcedenti articulo, sinè qualibet difficultate succedet; si verò fœmella fuerit, quòd tunc provideatur eidem, sicut superiùs est expressum. Adjecit etiam Dominus *Imperator*, & *Rex Boëmiæ* prædictus & similiter extra articulum contentum in literis infeudationis prædictæ, ad abundantioris cautelæ præsidium, ritè decrevit, quòd in supradictis Principatibus, videlicet *Regno Bohemiæ & Marchionatu Moraviæ primogenitus* in Regem sive Marchionem assumi debeat, aut eo non existante *secundò genitus*, vel in defectu secundi geniti, si fortasse non fieret, *tertiò genitus*, vel *quartò genitus*, vel *quintò genitus*, quotquot fuerint, & sicut se casus obtulerit vitæ sive mortis eorum, sic quòd dignitas *Regni & Coronæ Bohemiæ*, & *Marchionatûs* similiter penes illum remaneat, qui paterno stipiti Regis vel Marchionis conspicietur in procedente linea fore propinquior eâ conditione, quòd si primò genitus, secundò genitus, tertiò genitus, qutarò genitus, seu quintò genitus, quotquot etiam fuerint ante obitum patris decederent, & quilibet eorum masculinos hæredes filios post se dimitteret, tunc *Regnum* prædictum *Bohemiæ* ad filium primogeniti Regis, & Marchionatus ad filium primogeniti Marchionis sinè difficultate qualibet devolventur, cùm quilibet eorum paterno stipiti propinquior videatur. Si verò primò genitus non quidem filium sed nepotem, & secundò genitus filium post se dimitteret, tunc Principatus hujusmodi ad filium secundò geniti, non ad nepotem primò geniti devolventur, & hoc idem est de filiis & nepotibus tertiò geniti, quartò geniti, quintò geniti, & sic de singulis perpetuò sentiendum. Cùm utique filius secundò genitus paterno stipiti propinquior, quàm nepos primò geniti, & etiam nepos secundò geniti eidem paterno stipiti vicinior, quàm utique pronepos primo geniti videatur. Nos igitur ad mandatum Domini Marchionis quod ab ipso tanquam vero & naturali Domino nostro reverenter accepimus, & de certa ipsius scientia non per errorem, aut improvidè sed maturâ deliberatione præviâ, nobis ob hoc pluries in Consilium convocatis, de verbo, scitu, voluntate,

Vide Epist. V. p. 173.

Si fuerint plures filii Regum Bohemiæ, quid agendum sit.

luntate, & expresso consensu seniorum, & universitatis nostræ promittimus, & bonâ nostrâ fide, sinè dolo spondemus, præfato Domino nostro *Imperatori & Boëmiæ Regi* tanquam *Boëmiæ Regi*, hæredibus & successoribus suis *Regibus Bohemiæ* prædicta omnia & eorum quodlibet sub omnibus sententiis, punctis, & verborum declarationibus sicut priùs invenitur, expressum in casibus declaratis superiùs, quando, seu quoties emerserint, attendere, observare & adimplere, & offerente se casu juxta sententiam, quæ declaratur superiùs tam in articulo prænotato, aliàs in literis infeudationis contento, quàm in aliis adjunctis eidem ad præfatum Dominum Imper: & *Regem Boëmiæ* tanquam *Bohemiæ Regem*, hæredes & successores suos *Reges Bohemiæ*, tanquam ad verum & naturalem Dominum fide, homagio, & obedientiâ habere respectum, sibíque in dictis casibus secundùm formam præcedentis articuli & aliarum declarationum, quæ exprimuntur superiùs, vel suis hæredibus, & successoribus *Regibus Bohemiæ*, tanquam veris, legitimis, naturalibus, & ordinariis Dominis nostris in omnibus obedire, dum tamen præfati *Reges Bohemiæ*, aut alter eorum, cujus juxta declarationem præcedentium sententiarum tunc interfuerit filiabus, *Marchionum Moraviæ*, Dominorum nostrorum, si quas post se dimiserint, rite provideant, ùt præfertur. In cujus rei Testimonium præsentes literas fieri & sigillo nostræ Civitatis volumus communiri. Datum.

§. II. Civitatis Brunensis.

1356. NOs *Jacobus de Roi Judex & Nicolaus Ellendr* pro nunc Magister Civium, *Nicolaus* Svveri, *Joannes Anshelmi*, *Henslinus* cum Rufis crinibus, *Bernhardus de Wischow*, *Henricus Fuschso*, *Haimlinus Pellifex*, *Hensling* pistor, *Bouschus de Thusabitcz*, *Peschlinus Smelicztini*, *Henricus Tuchslini & Siglinus de Slapanitz* Jurati Cives Civitatis *Brunensis*; Notum facimus tenore præsentium Universis. Quòd, quia &c. In cujus rei Testimonium præsentes literas fieri & sigillo nostræ Civitatis voluimus communiri. Datum ibidem in *Bruna* in Vigilia S. *Laurentii* Martyris Anno Domini M. CCC. LVI.

Vide superiores literas Olomucenſ. quia istæ cum illis ad verbum conveniunt.

§. III. Civitatis Iglavienſis.

1356. NOs *Haimannus de Broda Teutonicali Judex*, *Heinczlinus Pronczlaber Magister Civium*, *Cunclinus Hertwici*, *Nicolaus Monachus*, *Ulricus de Heyczmadorff*, *Jacobus de Pylgrenis*, *Jacobus Richnaver*, *Chuntmannus Styslai*, *Martinus Doliator*, *Petrus de Polna*, *Michaël Heydenrici*, *Fridmannus Haslauer*, *Nicolaus Peschil*, *Jurati & Cives Iglavienſis Civitatis*; Notum facimus tenore præsentium &c. In cujus rei Testimonium præsentes literas fieri, & sigillo nostræ Civitatis voluimus communiri. Datum ibidem in *Iglavia* in Vigilia S. *Laurentii* Martyris Anno Domini M. CCCLVI.

Ut in prioribus Olomucenſ: & Brun: literis.

FINIS PARTIS II.

PARS

PARS III. EPISTOLARUM PUBLICARUM.

LITERÆ PUBLICÆ AD SILESIAM SPECTANTES.

DUCATUS SILESIÆ.

§. I. EPISTOLA I.

Caroli IV. Bulla Aurea, de incorporatione & invisceratione perpetua Ducatuum Silesiæ Regno & Coronæ Regni Bohemiæ tanquam in feudum à Regibus Boëmiæ, & Corona ejusdem dependentium. Item de terra Glacensi, & Marchia Budessinensi ac Görlicensi.

1355. *IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS FELICITER. AMEN.*

Carolus IV. Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus & Boëmiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.

INsignes laudabilis famæ titulos moderni temporis meretur glorioſa posteritas, &c: &c: Hæ literæ Caroli IV. (seu Bulla Aurea) recitatæ sunt ad longum Parte I. pag. 55. 56. 57. 58.

EPISTOLA II.

Omnium VI. Imperii Electorum literæ, quibus consentiunt incorporationi Ducatuum Silesiæ Coronæ Regni Boëmiæ.

Ecclesiastici Electores.

1355. GERLACUS ARCHIEPISCOPUS MOGUNTINENSIS.

NOs &c: Hujus Gerlaci literæ ad verbum recitatæ sunt. Part. I. A. pag. 60. usque ad 64.

In eandem sententiam extant Guilielmi Archiepiscopi Colonienſis, & Boemundi Trevirenſis ArchiEpiſcopi, Electorum Imperii Literæ.

Seculares Electores.
Rupertus Palatinus Rheni.

Nos Rupertus Senior, DEI Gratiâ Comes Palatinus Rheni, Sacri Imperii ArchiDapifer, & Dux Bavariæ. Ad perpetuam rei memoriam.

Hæ literæ Ruperti ad verbum concordant cum literis *Gerlaci Arch: Mogunt:* & datæ ſunt eod: die, ùt ſupra Part. I. pag. 60.

Sereniſſimus, ac Invictiſſimus *Princeps, & Dominus Dominus Carolus, Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Boëmiæ Rex &c.* Nos igitur, qui ſuprâ, *Rupertus Senior*, Comes Palatinus Rheni, ex eidem rationabilibus & evidentibus cauſis, ex quibus ſuprà dictus *Sereniſſimus Princeps Dominus noſter Imperator Carolus*, circumſpectâ ſua prudentiâ &c. Datum Nürnberg. Anno Domini M. CCCLV. in die Beatæ *Luciæ* Virginis.

In eandem ſententiam extant Ludovici dicti Romani Marchionis Brandeburgenſis, & Rudolphi Ducis Saxoniæ Imperii Electorum Literæ.

§. II.

Ducatus, & Civitas Vratislavienſis.

Literæ Epiſcoporum VVratislavienſium & quòd ipſi quoq; Epiſcopi VVratislavienſes & Capitulum ejusdem Eccleſiæ immediatè ſubjaceant Regibus & Coronæ Regni Boëmiæ, ùt eorum veris & naturalibus Dominis, & Patronis.

EPISTOLA III.

De Oppido Crotkovv, & aliis Civitatibus Literæ.

Rudolphi I. Romani Regis Literæ, quibus conſenſit ordinationi, & promiſſioni Henrici Ducis VVratislavienſis cum VVenceslao Rege Bohemiæ factæ ratione ſucceſſionis ejusdem Regis in terram, & Principatum VVratislavienſem poſt mortem ipſius Ducis.

[1290.] Rudolphus, DEI Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus Univerſis Sacri Romani Imperii fidelibus præſentes literas inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum.

Univer-

UNiverſitatis veſtræ notitiæ innoteſcat, quòd nos ordinationem, ſeu promiſſionem *de terra & Principatu Wratislaviæ, & Sileſiæ*, quæ à nobis & Imperio habentur in feudum, quam *Illuſtris quondam Henricus Dux Wratislaviæ, noſter Princeps, cum Illuſtriſſimo & præclaro Wenceslao Rege Boëmiæ filio, & Principe noſtro chariſſimo*, videlicet: quòd idem *Rex Boëmiæ* in terra & *Principatu Wratislaviæ & Sileſiæ*, ſi ipſum *Henricum Ducem* præmori contigerit, ſibi deberet ſuccedere, iniiſſe dignoſcitur & feciſſe, habemus gratam & ratam, eam de plenitudine poteſtatis Regiæ confirmantes, & dantes has literas noſtras ſigillô noſtrô munitas in teſtimonium ſuper eo. Datum *Erfordiæ* ſeptimo Calendas Octobris. Indictione 3. Anno Domini M. CCXC. Regni noſtri Anno Decimo Septimo. *Contractus inter Reg: Boh: & Henricum Ducem Wratislav.*

Earundem literarum Rudolphi per Carolum Romanorum Regem Confirmatio & in literis ejus inſertio.

Carolus DEI Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Boëmiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.

JNnata cordi noſtro benignitas circa fidelium &c. *Quarum tenor & ſeries ſequitur in hæc verba.*

Rudolphus, DEI Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus univerſis Sacri Romani Imperii fidelibus præſentes literas inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum. Univerſitatis veſtræ notitiæ innoteſcat &c. *Sub eodem dato & loco.*

Noſtrâ confirmare Authoritate Regiâ dignaremur.

Nos utique Præfatorum, Prælatorum, Ducum, Principum, &c. Sub eodem dato.

EPISTOLA IV.

Ejusdem Rudolphi Romanorum Regis literæ, quibus concedit VVenceslao Regi Boëmiæ ex ſuis hæredibus Principatum VVratislaviæ & Sileſiæ ac omnia feuda vacantia per mortem Henrici Ducis Vratislavienſis.

Rudolphus DEI Gratiâ, Romanorum Rex ſemper Auguſtus Univerſis Sacri Romani Imperii fidelibus præſentes literas inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum.

LIcèt munificentiæ, noſtræ dexteram ad cunctos fideles quos Romanum ambit Imperium, & officii debito nobis deſuper recommiſſi porrigere teneamur, maximè tamen Illuſtres Principes qui velut aurora ſtellis prærutilans virtutum inſigniis cæteris præſtantiores, Imperialem gloriam reddunt radiantiùs illuſtratam, nos delectat gratioſiùs gratioſa dulcedine prævenire. Attendentes itaque inclytum *Wenceslaum Regem Boëmiæ Principem & filium noſtrum chariſſimum*, utpote bene meritum, condignis præmiis præmiandum, *Principatum Wratislaviæ & Sileſiæ*, quem à nobis & Imperio *Wratislav: & Sileſ. Ducatus Feudum Imperii.*

Imperio Illustris quondam *Henricus Dux Wratislaviæ* recipit in feudum, nec non omnia feuda vacantia ex morte ejusdem *Henrici* quondam *Ducis Wratislaviæ, ad nos & Imperium* pertinentia, cum omnibus suis attinentiis, possessionibus, Jurisdictionibus', & Juribus universis', quocunque nomine censeantur, dicto *Regi Boëmiæ* & suis hæredibus habenda & possidenda à nobis' & Imperio tenenda titulo feudali duximus conferenda. Si quid autem dimunitionis, vel Calumniæ, quod non credimus, circa prædicta cavillosè, malitiosè vel subdolè posset opponi, supplemus de plenitudine Regiæ potestatis'. In cujus rei testimonium præsens scriptum nostræ Majestatis sigillo fecimus communiri. Datum *Erfordiæ* sexto Calendas Octobris Indictione 3. Anno M. CCXC. Regni verò nostri Anno Septimo Decimo.

Earundem Literarum Caroli IV. Romanorum Regis confirmatio & literis suis insertio.

Carolus IV. DEI Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus & Boëmiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.

INnata cordi nostro benignitas &c: usque in hæc verba: *Rudolphus* DEI Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus universis Sacri Romani Imperii fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam & omne bonum. Licèt munificentiæ nostræ dexteram &c: Nostrâ confirmare authoritate Regiâ dignaremur &c.

EPISTOLA V.

Hæ literæ Rudolphi I jam recitatæ sunt Parte I. pag. 37. uti & Caroli IV. eas confirmantis. Ibid.

Ejusdem Rudolphi Romanorum Regis Collatio Ducatûs VVratislaviensis tanquam actu vacantis VVenceslao Boëmiæ Regi.

Nos Rudolphus DEI Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, ad universorum Sacri Romani Imperii fidelium notitiam cupimus præsenti paginâ pervenire.

Laus Wenceslai Regis Boh.

QUòd nos attendentes multiformia meritorum insignia, virtutum & fidei præmia pretiosa, quibus Illustrissimus *Wenceslaus Rex Boëmiæ* Princeps & filius noster charissimus erga nos & Romanorum Imperium se constituit multiformiter gratiosum, omnia feuda nobis & Imperio per mortem Illustris Ducis *Wratislaviæ* vacantia dicto *Regi Boëmiæ*, nec non suis hæredibus tenenda, habenda, possidenda titulo feudali duximus' conferenda. In cujus rei testimonium præsentes literas conscribi & nostræ Majestatis sigillo jussimus roborari. Datum *Erfordiæ XI.* Calend. Augusti. Anno Domini M. CCXC. Indictione 3. Regni verò nostri Anno Septimo Decimo.

Confirma-

Confirmatio & Insertio earundem literarum Caroli Romanorum Regis Aurea Bulla.

Carolus DEI Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus & Boëmiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.

Vide auream bullam Caroli IV. Rudolphi de pincernatu literas confirmantis.

INnata cordi nostro benignitas &c: usque in hæc verba. Nos Rudolphus DEI Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus ad universorum Sacri Romani Imperii, fidelium notitiam cupimus præsenti paginâ pervenire, Quod nos attendentes &c. Nostrâ confirmare authoritate Regiâ dignaremur &c.

Integras Caroli IV. habes p. 36. & seq. §. I.

Ejusdem Caroli literæ sub Majestate sigilli ipsius per omnia similes.

EPISTOLA VI.

Preczlai, Episcopi VVratislaviensis literæ de resignatione Ducum Silesiæ, Ducatuum & Dominiorum ipsorum Joanni Regi Bohemiæ & eorundem in perpetuum feudum Regium ab eodem Rege & Corona Regni Boëmiæ receptione. Item Civitatis VVratislaviensis homagii, hæreditarii & perpetui Regi Joanni & Coronæ Regni Boëmiæ exhibitione.

Item quòd Rex Boëmiæ sit Patronus immediatè Ecclesiæ VVratislaviensis, & Dominiorum ejusdem Ecclesiæ, & Episcopatûs, quæ omnia sponte & libere in præsentia Caroli Marchionis Moraviæ ejusdem Regis Joannis primogeniti sunt facta & declarata.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

1342.

Nos Preczlaus DEI & Apostolicæ sedis providentiâ Episcopus Wratislaviensis, omnibus præsentes literas intuentibus, publicè profitemur.

Principes Silesiæ, Primi, subdierunt se Coronæ Boh.

QUòd Magnifici Principes Domini *Boleslaus Bregensis; Bolko, Falkenbergensis; & Bolko, Oppolienſis; Wratislaus, Kozlensis; Casimirus Theschinensis; Nicolaus Oppavienſis & Ratiborensis, Semovitus Glivicensis, Duces nostræ Wratislaviensis diœcesis*, in nostra præsentia constituti, sponte recognoverunt, & publicè sunt confessi se munitiones suas & terras ipsis subjectas', singuli suas terras & munitiones in manus *Serenissimi Principis Ducis Domini Joannis Regis Boëmiæ* resignâsse, dictásque munitiones & terras taliter resignatas ab eodem *Domino Joanne* Rege suo & hæredum suorum nomine *Regni Boëmiæ* in perpetuum feudum recepisse, Juramentum quoque fidelitatis & homagium ipsi *Regi Bohemiæ suis hæredibus seu successoribus suis legitimis*, pro se & eorum hæredibus præstitisse. Similiter etiam Nobiles terræ &

Consules Civitatis Wratislavienſis, ſuo & Civitatis ac Univerſitatis ejuſdem Civitatis nomine, in noſtra præſentia conſtituti ſponte recognoverunt & publicè ſunt confeſſi, piæ memoriæ *Henricum ſextum* & ultimum olim Ducem *Wratislavienſem* ipſius Ducatûs *Wratislavienſis Dominum* hæreditarium, *Civitatémque Wratislavienſem*, & *Ducatum* ipſius cum ſuo honore, Juriſdictione, & diſtrictu eidem *Domino Regi* donâſſe, tradidiſſe, & ceſſiſſe, ſponte & libere de eiſdem per Regem prædictum, & hæredes ipſorum, non dividendo ea, â *Rege Boëmiæ*, ſeu *Corona Regni* ejuſdem, perpetuò poſſidenda, ſéque, univerſitates, & ſingulares perſones Civitatis & aliorum oppidorum & locorum dicti *Wratislavienſis* Ducatûs eidem Domino *Joanni Regi Boëmiæ & ſuis hæredibus* verum & fidele homagium præſtitiſſe, promittentes firmiter, quòd *Regibus* & *Coronæ Regni Boëmiæ* homagium, fidem & Juramenta fidelitatis per ipſos præſtita eidem *Domino* Regi *ac ſuis hæredibus* perpetuò fideliter obſervabunt. Quare excellens *Princeps Dominus Carolus Marchio Moraviæ Primogenitus* dicti Regis', qui prædictis recognitioni & confeſſioni affuit coram nobis', â nobis inſtanter poſtulans, ut ſibi ſuper eiſdem recognitionibus, & confeſſionibus noſtras daremus teſtimoniales literas, & nihilominus ſi aliquem vel aliquos de prædictis venire contra religionem juramenti præſtiti contingeret in futurum, ipſos ad obſervationem hujuſmodi Juramenti per cenſuram Eccleſiaſticam cogeremus'. Nos igitur perſonas' tam *Regis*, quàm *primogeniti* prædictorum ſpecialibus favoribus proſequentes, dicto Domino *Carolo Marchioni præſenti*, & *Domino genitori ſuo* abſenti, de conſilio noſtri Capituli promittimus, & ſpondemus pro nobis & ſucceſſoribus ſuis, quòd ſiquis Ducum prædictorum hæredum & ſucceſſorum ſuorum, quod non credimus, fieret in futurum tranſgreſſor prædicti Juramenti, nos ipſum, vel ipſos ad conſervationem fidei & Juramenti per cenſuram Eccleſiaſticam per requiſitionem dictorum Dominorum *Regis* & *Marchionis*, poſtquam nobis de tranſgreſſione hujuſmodi conſtiterit legitimè compellemus'. Inſuper cum dicto *Domino Marchione*, vice Regiâ & ſuâ talem inivimus concordiæ unionem, quòd nos nulli *Regi vel Principi* ipſos impugnare volenti contra ipſos Dominos', *Regem & Marchionem* hæredéſque ipſorum præſtabimus auxilium, Conſilium, vel favorem, imò ſynceræ dilectionis' affectu deſiderantes dicti *Domini Joannis Regis, hæredum & ſucceſſorum ſuorum Regis Boëmiæ* Rempubl: ſalubriter proſperare ſibi tanquam *Patrono Principali in Ducatu Wratislavienſi* ſicut memoratus Dux *Henricus Sextus*, & ultimus' Patronus fuiſſe dignoſcitur ab antiquo, cui immediatè ſucceſſit Dominus' *Rex* præfatus', munitiones noſtras Eccleſiæ & terræ *Niſſenſis*, quarum plenum Dominium & liberum nos habemus, contra quoſcunque Reges & Duces, extra tamen noſtram *Wratislavienſem Diœceſin* conſiſtentes, dictum *Dominum Regem* forſitan invadentes aperiemus, & faciemus pro defenſione Patriæ, abſque tamen noſtro & *Eccleſiæ VVratislavienſis* ac ſubditorum noſtrorum damno, vel præjudicio aperiri. Nobis verò & Capitulo recipientibus nomine Eccleſiæ noſtræ promiſit, vice Regis & ſuo *nomine Dominus Marchio* ſupradictus, quòd ipſi nos eccleſiam noſtram & terras ipſius ab omnibus *Regum, Principum, Potentûm & Tyrannorum* maximè *Boëmiæ* & *Moraviæ* & quorumlibet aliorum invaſionibus, impugnationibus, & injuriis pro Juribus' protegent ac etiam defenſabunt. Per promiſſa tamen privilegiis, donationibus & libertatibus datis & conceſſis, per quondam *Principes Sileſiæ* eidem noſtræ Eccleſiæ non intendimus aliquot præjudicium generare. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Actum & Datum in

Henricus VI. Dux Wratislav. tradidit ſuum Princ. & bona Regi & Coronæ Boh.

Promittit Wratisl. Epiſc. ſe etiam per Cenſuras Eccleſiaſticas effecturum, ut in Sileſia fides ſerveturRegibus Boh.

Obligatio mutua inter Epiſc. Wratisl. ac Reges Boh.

tum in domo habitationis Cruciferorum Ordinis S. *Joannis* Hieroſolymitani prope Wratislaviam in Octava B: *Joannis Baptiſtæ*. Anno Domini M. CCC. XLII.

EPISTOLA VII.

Preczlai Epiſcopi & Capituli Eccleſiæ VVratislavienſis literæ, quòd Reges Boëmiæ Ducatûs, & Civitatis VVratislavienſis, & omnium pertinentiarum ejusdem, nec non aliorum Ducatuum & Dominiorum Sileſiæ ſint hæreditarii, & ordinarii, & naturales legitimi Domini, nec ullo modo à Regno & Corona Boëmiæ alienari aut dividi poſſint, & quòd Rex Boëmiæ ſit Patronus & Dominus Eccleſiæ VVratislavienſis & ad Coronationem novi Regis quòd Epiſcopus venire cum præcipuis Prælatis ex Capitulo obligetur.

1358.

Nos Preczlaus DEI Gratiâ Epiſcopus, Petrus de Luna Præpoſitus, Joannes de Lithomyſſel Cantor, totúmque Capitulum Wratislavienſis Eccleſiæ. Notum facimus tenore præſentium univerſis.

QUia *Sereniſſimus & Invictiſſimus Princeps & Dominus Dominus Carolus Imperator Romanorum ſemper Auguſtus & Boëmiæ Rex Illuſtris Dominus & Patronus noſter gratioſus*, tanquam Bohemiæ Rex, *Principatus, Ducatus*, terrarum & diſtrictuum, & *Civitatis VVratislavienſis, Oppidi Noviforenſis*, & aliorum Oppidorum, & omnium quæ pertinent ad præmiſſa, hæreditarius, *Ordinarius ac Naturalis Dominus & legitimus* hæres exiſtit. Sicut etiam claræ memoriæ *Illuſtris Princeps Dominus Joannes*, quondam Bohemiæ *Rex*, ipſius genitor, pro ſe, *hæredibus & ſucceſſoribus ſuis* Regibus Bohemiæ & ejuſdem Regni *Coronæ*, omnia prædicta & eorum quodlibet ex donatione piæ recordationis Illuſtris Principis quondam Domini *Henrici Sexti*, & ultimi Ducis *VVratislavienſis*, hæreditario, juſto & legitimo titulo poſſedit. Et quia omnium Principatuum, & Ducatuum, omnium & ſingulorum Principum, ſivè Ducum *Sileſiæ & Oppolienſis*, quibus etiam ſpecialibus appellentur nominibus, *Ducatu Swidnicenſi & Jawrenſi* duntaxat excepto, partim directo, partim verò utili & immediato Dominio eſt, prout univerſalis' cunctorum notitia ſuperior Dominus generalis & Principatus, nec non Ducatus prædicti cum omnibus honoribus, Juribus, & pertinentiis ſuis ab eo tanquam *Rege* Bohemiæ & à *Corona* Regni Præfati in feudum dependent, ſicut hoc Principes & Duces prædicti in noſtra conſtituti præſentia, confeſſione notoriâ publicè fatebantur. Profitendo etiam qualiter præfato *Domino noſtro Imperatori* tanquam Regi Boëmiæ hæredibus & ſucceſſoribus Bohemiæ Regibus & ejuſdem *Regni Coronæ* tanquam veris naturalibus, hæreditariis & *legitimis Dominis pro ſe ac ſucceſſoribus ſuis Sileſiæ & Oppolienſis Ducibus* præſtiterint, homagii, fidelitatis, obedientiæ & ſubjectionis debitæ, conſueta *ac ſolemnia Juramenta*, & quòd prædicti *Ducatus Sileſiæ & Oppolienſis*, nec non *Ducatus vel Civi-*

Teſtimonium Epiſc. Wratisl. quod ſe ſe Duces Sileſiæ ſubdiderint Coronæ Boh.

vel Civitas VVratislavienſis, & etiam alia oppida, terræ, diſtrictus & pertinentiæ, cum *omnibus Dominiis, honoribus & Juribus ſuis Regno & Coronæ Boëmiæ* de communi voluntate, voto & Conſilio eorundem *Principum*, & etiam aliorum, quorum ad hoc requiri debeat aſſenſus, uniti & incorporati ac inviſcerati ſunt, & eſſe debent, adeò irrevocabiliter & inconvulsè, ut à præfatis *Regno & Corona Boëmiæ* ſcindi, dividi ſeu alienari non debeant, quovis modo. Sicut hoc *Principum prædictorum* & aliorum ſimiliter quorum intereſſe potuit, eſt Juramentis corporalibus approbatum ſolemniter. Et cùm Epiſcopalis ſedes, ſeu *Cathedra Eccleſiæ noſtræ VVratislavienſis* noſcatur, ſita in *Civitate VVratislavienſi* prædicta, quæ Civitas, ùt præmittitur *Regno & Coronæ Boëmiæ, ac Domino noſtro Imperatori* præfato, tanquam *Regi Boëmiæ*, eſt immediatè ſubjecta, qui nobis & Eccleſiæ noſtræ prædictæ, multas ſpeciales munificentias de Regia munificentia noſcitur contuliſſe, ob hoc grata viciſſitudine, ſibi, nè tantorum beneficiorum ſimus ingrati, occurrere cupientes, animo deliberato, non per errorem, aut improvidè, ſed maturo & communi præcedente conſilio, pari omnium noſtrûm voluntate, voto pariter & aſſenſu nobis ob hoc pluries in Capitulo congregatis *pro nobis & ſucceſſoribus noſtris* in perpetuum recognoſcimus, & tenore præſentium publicè profitemur, quòd præfatus *Dominus noſter Imperator tanquam Boëmiæ Rex* pro ſe, *hæredibus & ſucceſſoribus ſuis Boëmiæ Regibus*, & ejuſdem *Regni Corona* eſt Patronus noſter Principalis & *Dominus ratione VVratiſlavienſis Eccleſiæ & Bonorum* ipſius, quæ habemus in communi vel ſingulari in terris, ſive *diſtrictibus VVratiſlavienſi, Noviforenſi, Frankenſtein, & Namslavienſi*, quas & quos in præſentiarum obtinet, & ipſe aut ſui hæredes & ſucceſſores *Regni Boëmiæ favente DEO*, futuris temporibus obtinebunt, quódque ad ipſum, *hæredes, & ſucceſſores ſuos* Boëmiæ *Reges, Regnum & Coronam Boëmiæ* tanquam *Principalem Patronum & Dominum noſtrum* tenemur & volumꝰ fidelem habere reſpectũ ac ipſos tanquã *Principales Patronos & Dominos noſtros* juvare fideliter, &, ſicut expedit, dignis honoribꝰ venerari. Et licèt quædam alia bona noſtra, & Eccleſiæ noſtræ prædictæ ſint, etiam hinc indè in terris, & *Principatibus Ducum Sileſiæ, & Oppolienſis, Regno Boëmiæ* incorporatis & unitis, ùt præmittitur; Quia tamen omnes Principatus hujuſmodi à *Regno & Corona Boëmiæ* in feudum dependent; idcirco fatemur etiam bona noſtra eadem, præterquam ea, quæ ſunt in *Swidnicenſi & Jaurenſi Ducatibus* fore in *Regno Boëmiæ* conſtituta. Proteſtamur tamen expreſsè, quòd bona hujuſmodi ad nulla onera pecuniaria perſonalia ſive realia, ſint cuiquam penitus obligata. Promittentes bonâ fide noſtra, ſine omni dolo præfatis *Dominis & Patronis noſtris Boëmiæ Regibus pro nobis, & ſucceſſoribus noſtris*, quòd quotieſcunque *Regem Boëmiæ Dominum & Patronum noſtrum* mori continget, quòd tunc *Epiſcopus VVratiſlavienſis*, qui pro tempore fuerit, unà cum melioribus *Prælatis Eccleſiæ* nomine & vice ſui & Capituli, ad *Coronationem futuri Regis*, tanquam ad ſolemnitatem & gaudium *Patroni & Domini noſtri ac VVratiſlavienſis Eccleſiæ* tenebuntur, & debebunt accedere, & ibidem coronato Rege ſtatim ab ipſo Oppidum *Krodkaw* cum ipſius terra & diſtrictu & omnibus ac ſingulis Juribus & pertinentiis ſuis nomine *VVratiſlavienſis Eccleſiæ* in feudum ſuſcipere, & tempore ſuſceptionis hujuſmodi Juramentum homagii, fidelitatis & obedientiæ ac ſubjectionis, quod aliàs præfato *Domino noſtro Imperatori tanquam Bohemiæ Regi* ratione Oppidi & terræ jam dictorum præſtitimus, ſolenniter innovare. Ac ipſe *VVratiſlavienſis Epiſcopus* qui pro tempore fuerit, velut alii *Principes Ligii, Capitulum* verò ejuſdem Eccleſiæ tanquam *Vaſalli Regni, & Coronæ Boëmiæ*,

Epiſcop. & Capitulum Wratisl. agnoſcunt bona ſua feudum eſſe Coron. Boh.

Quid in Coronatione Regum Boh. Epiſc. Wratisl. & Capitulum illius facere teneatur.

miæ, omnia & ſingula facient, quæ juxta privilegia & Conſuetudines Regni, & Coronæ *Boëmiæ* facere tenebuntur, toties quoties caſuum mutabilitate poſcente in morte *Regis Boëmiæ* ſeu *VVratiſlavienſis* Epiſcopi fuerit opportunum, Berna, talligis ſeu exactionibus ac cæteris gravaminibus exceptis, ad quas & quæ non recognoſcimus nos teneri, ut etiam Reſpublica *Regni & Coronæ Boëmiæ pro magnificentia Patronorum & Dominorum noſtrorum* Boëmiæ *Regum & ſubditorum Regni* prædicti, grata ſalute felicia quondam incrementa ſuſcipiens felicibus *authore DEO ſucceſſoribus* augeatur. Promittimus bonâ noſtrâ fide & ſine omni dolo pro nobis & ſucceſſoribus noſtris in perpetuum *præfato Domino noſtro Imperatori tanquam Boëmiæ Regi, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis Boëmiæ Regibus*, quòd nulli unquam *Regi, Principi, ſeu alteri Perſonæ*, vel hominibus cujuſcunque ſtatûs, dignitatis, gradûs, ſeu conditionis exiſtant, qui *Regni & Coronæ Boëmiæ, Principes, Principatus, & Ducatus, Civitatem VVratiſlavienſem* & alia ſimiliter in noſtra *VVratiſlavienſi Diœceſi*, ſeu alibi ſitos, aut ſita, nec non Dominia, Jura, Metas, ſeu Provincias ipſorum impugnare, offendere vel invadere niterentur, adversùs *Dominos & Patronos noſtros* Boëmiæ *Reges*, qui pro tempore fuerint, præſtabimus & faciemus præſtari, aut fieri ſuſtinebimus à nobis, vel noſtris ſubjectis auxilium, conſilium vel favorem, imò omnes & ſingulas munitiones noſtras & *Eccleſiæ VVratiſlavienſis nominatim terræ Nüſſenſis*, quæ terra *Nüſſenſis diſponente Domino* præterquam ad ſuperſcripta & infraſcripta promiſſa juvamina, & aperturas libera ſemper exſtitit & exiſtit, ac alias munitiones, ubicunque fuerint conſtitutæ, adversùs invaſores, impugnatores, ſeu offenſores quoſlibet complices, adjutores & fautores eorum præfato *Domino noſtro Imperatori tanquam* Boëmiæ *Regi hæredibus & ſucceſſoribus* Boëmiæ *Regibus, Capitaneis, Officialibus, & hominibus* ipſorum, dum & quoties opportunitas illud exegerit, pro defenſione *Patriæ, Principatuum, Ducatuum, Domorum, Jurium, pertinentiarum, & honorum* Regum, Regni *&* Coronæ Bohemiæ, qui & quæ exprimuntur ſuperiùs, promittimus, debemus, & volumus aperire fideliter & efficere, & procurare per homines, officiales, & Commiſſarios noſtros abſque cujuslibet difficultatis obice legaliter aperire. Si tamen quòd idem *Dominus noſter hæredes & ſucceſſores ipſius Reges* Bohemiæ non facient, cum invaſoribus, hoſtibus & æmulis hujuſmodi præter voluntatem noſtram concordiam; vel quòd alias reddamur indemnes, ac contra omnes & ſingulos invaſores, oppreſſores & moleſtatores noſtros, Eccleſiæ noſtræ, & bonorum ipſius tueantur, & pro viribus defendant. Harum quibus ſigillum noſtrum & Capituli dictæ noſtræ Wratislavienſis Eccleſiæ ſunt appenſa teſtimonio literarum. Actum & Datum *VVratiſlaviæ* ultimâ die Menſis Novembris Anno Domini M. CCCLVIII.

Obligationes Epiſcopi & Capituli.

EPISTOLA VIII.

Ejusdem Preczlai Epiſcopi & Capituli Eccleſiæ VVratislavienſis recognitio quòd Civitatis & Ducatûs VVratislavienſis ſint veri & legitimi Domini Reges Boëmiæ.

1367.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

NOs *Preczlaus* DEI Gratiâ Episcopus, *Jacobus* de Paczkov Præpositus, *Theodoricus* Decanus, *Simon* Scholasticus, totúmque Capitulum Ecclesiæ Wratislaviensis publicè recognoscimus pro nobis & successoribus nostris, & fatemur tenore præsentium universis, tam præsenti ætati quàm posteriori. Quòd bonæ memoriæ Illustris Princeps Dominus *Henricus Dux VVratislovienſis* sextus & ultimus, qui à prima fundatione hæreditaria à suis progenitoribus dictam *Civitatem & Ducatum VVratislaviensem* justè, rite, rationabiliter & libere possedit, dictam Civitatem & Ducatum magnifico *Principi Domino Joanni Regi Bohemiæ Regno & Coronæ ejusdem Regni*, nec non *hæredibus & successoribus suis Regibus Bohemiæ* rite, rationabiliter & juridicè donavit, per eos perpetuis temporibus liberè possidendum. Idcirco recognoscimus dictos *Reges Bohemiæ* esse veros & legitimos *Dominos Civitatis & Ducatûs VVratislaviensis* prædictorum. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Datum *VVratislaviæ* decimâ septimâ die Mensis Augusti, Anno Domini M. CCCLXVII.

EPISTOLA IX.

Administratorum Ecclesiæ VVratislaviensis & Capituli ejusdem Ecclesiæ literæ, quomodo Ecclesia VVratislaviensis consistat in Regno Bohemiæ, & quòd Reges & Corona Regni ejusdem Boëmiæ sint Principales Patroni & Domini eorum, præterea, ut Coronationi Regis adesse, & Ducatum Krotkovv in feudum suscipere debeant, & concessio seu indultum ipsis à Rege VVenceslao, ut possint summam Insulam, in qua Cathedralis VVratislaviensis Ecclesia est sita, muro, turribus, portis, pontibus construere & munire. Et quòd teneantur Regibus Boëmiæ in monte Sanctæ Crucis castrum propriis expensis extruere.

1382.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Nos Joannes Brunonis Præpositus Labacensis, & Nicolaus de Rysemburg Præpositus Brunensis, & Ecclesiæ Wratislaviensis Canonici & Administratores in Spiritualibus & temporalibus ejusdem Wratislaviensis Ecclesiæ Generales, Joannes Gosvini Scholasticus, Conradus de Rovvsinigen, Jacobus Augustini, Joannes Brunonis, Wernherus de Czeteras, Joannes Dervici, Joannes de Herndorf, Hermannus Nacklis, Petrus de Cymcymdorff, Nicolaus de Regnicz, Joannes Luminatoris, Nicolaus Wernheri, Franciscus de Geviczka, & Wenceslaus de Lythomissel, Canonici, nec non Capitulum Ecclesiæ Wratislaviensis.

Notum

NOtum facimus tenore præsentium universis. Quia *Serenissimus ac Invictissimus Princeps & Dominus Dominus Wenceslaus DEI Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, & Bohemiæ Rex, Princeps & Dux Silesiæ ac Dominus Wratislavienſis, Dominus & Patronus noster gratiosus, Ecclesiam Wratislaviensem in Regno Bohemiæ* consistentem, nos, & *Capitulum Wratislaviense*, nec non terras, possessiones, bona, & homines ad eam Ecclesiam, & nos communiter & divisim spectantes, non solùm jura, jurisdictiones temporales, concessiones, donationes, Privilegia, gratias & indulta per progenitores suos & alios Principes & homines fideles Ecclesiæ Wratislavienſi, & nobis hactenus concessas & datas, concessa pariter & donata confirmando; Verùm etiam novis Regiæ munificentiæ concessionibus, gratiis, & indultis consulendo liberaliter, & dotando de præsenti per certi tenoris literas, perpetuò duraturas, Ecclesiæ *VVratislaviensi* & nobis concessas & datas, plurimùm gratiosè respexit. Et insuper eandem Ecclesiam, nos, terras, homines atque bona nostra opportunæ protectionis suæ præsidio realiter defendendo, ob hoc grata vicissitudine, nè tantorum acceptorum beneficiorum simus ingrati, quantum possumus occurrere cupientes animo deliberato, non per errorem aut improvidè, sed maturo & communi præcedente consilio, pari & omnium nostrûm voluntate pariter & assensu, nobis ob hoc pluries personaliter in Capitulo congregatis pro nobis & successoribus nostris in perpetuum recognoscimus & publicè tenore præsentium profitemur: Quòd præfatus *Dominus noster Romanorum Rex tanquam Boëmiæ Rex* pro se, *hæredibus & successoribus suis Bohemiæ Regibus* & ejusdem *Regni Coronæ est Patronus noster Principalis & Dominus ratione VVratislaviensis Ecclesiæ* & bonorum ipsius, quæ habemus in Communi vel in singulari, in *Principatibus Ducatibus*, atque terris sibi in eodem *Regno & Coronæ Bohemiæ* subjectis, & in feudum dependentibus ab eisdem, quos & quas in præsentiarum obtinet & ipse & sui hæredes ac successores *Reges Bohemiæ favente Domino*, futuris temporibus obtinebunt, Quódque ad ipsum hæredes & successores suos *Bohemiæ Reges*, *Regnum & Coronam Bohemiæ*, tanquam *Principalem Patronum & Dominum* nostrum tenemur & volumus fidelem habere respectum; ac ipsos tanquam *Principales Patronos & Dominos nostros* fideliter sicut expedit, dignis honoribus venerari, promittentes bonâ fide sine omni dolo, Dominis atque Patronis nostris *Bohemiæ Regibus* pro nobis & successoribus nostris &c: usque *Authore* DEO *successoribus augeatur.* Memores, quemadmodum, quòd dictus Serenissimus Princeps, prædictus Patronus & Dominus noster gratiosus, Dominus *VVenceslaus Romanorum & Bohemiæ Rex Illustrissimus*, inter cæteras liberalitatis gratias *VVratislaviensi Ecclesiæ* & nobis concessas, ac etiam totum summum, Insulam seu locum *Joannis Baptistæ*, in quo & in qua *VVratislaviensis Ecclesiæ Cathedralis Episcopi, Prælatorum, Canonicorum, Collegiatarum Ecclesiarum ac Ecclesiasticarum Personarum*, ibidem existentium, *Principalia Domicilia, Situata*, muro, turribus, portis, pontibus per totum ejus circuitum construi & muniri concessit. Volens etiam, & statuens ibidem in antiquo castro seu parte montis Ecclesiæ Sanctæ Crucis, pro se, hæredibus & successoribus suis *Bohemiæ Regibus*, castrum seu habitationem Regalem construi, erigi, & firmari, prout super his sunt certæ Regales literæ, continentiæ plenioris, promittimus bonâ nostrâ fide & sine omni dolo pro nobis & successoribus nostris *Regibus Bohemiæ*, quòd nulli unquam Regi, *Principi*, *Duci*, vel alteri personæ, vel hominibus cujuscunque statûs, gradûs, dignitatis, aut conditionis existant, qui *Regni & Coronæ Bohemiæ*

Wenceslai Regis in Capitulum Wratislaviense liberalitas.

Vide literas Preczlai Episc. datas ult. Nov. 1358. paulo ante.

Wenceslaus Rex cogitabat Castrum construere in Insula S. Joannis Wratislaviæ.

hemiæ Principes, *Principatus & Ducatus*, *Civitatem VVratislaviensem*, & alia nostræ *VVratislaviensis Diœcesis* seu alibi sitos, sita, nec non Dominia, Jura, metas, sivè pertinentias ipsorum impugnarent, offenderent vel invaderent, adversùs *Patronos & Dominos nostros Bohemiæ Reges*, qui pro tempore fuerint, præstabimus à nobis vel nostris subditis auxilium, consilium, vel favorem. Imò etiam summum Wratislaviense muro firmatum, quem Episcopus existens pro tempore & Ecclesia completè construere tenebuntur, quam omnes & singulas Civitates, Oppida & Castra, & munitiones nostras, & *Ecclesiæ VVratislaviensis in terra Nüssensi*, ac alibi ubicunque fuerint constitutæ, adversùm invasores, impugnatores & offensores, quoslibet complices, adversarios & fautores eorum sicut præmittitur, *Præfato Domino nostro Romanorum & Boëmiæ Regi*, tanquam *Bohemiæ Regi*, *hæredibus & successoribus suis Bohemiæ Regibus*, *Capitaneis*, *Officialibus ac hominibus ipsorum* dum & quoties opportunitas illud exegerit, pro defensione *Patriæ*, *Principatuum*, *Ducatuum*, *Dominiorum*, *terrarum*, *Jurium*, pertinentiarum & honorum, *Regum*, *Regni & Coronæ Regni Boëmiæ* promittimus, debemus & volumus, sine tamen præjudicio Episcopi, qui pro tempore existentis *Ecclesiæ*, *& Capituli VVratislaviensis* absque fraude & dolo aperire fideliter, & efficere & procurare, per homines *Officiales & Commissarios* nostros absque cujuslibet difficultatis obice, legaliter aperiri, sic tamen, quòd idem *Dominus noster hæredes & successores sui Boëmiæ Reges* non facient cum invasoribus, æmulis & hostibus hujusmodi per voluntatem nostram, concordiam, & quod aliàs ad hoc, *ut Ecclesiæ VVratislaviensis* reddamur indemnes provideant cum effectu. Ac contra omnes & singulos invasores oppressores, & molestatores, *Ecclesiam VVratislaviensem*, nos, bona nostra, & homines, tueantur pro viribus & defendant. Quas etiam promissiones Episcopus qui pro tempore fuerit admissus & signanter in receptione feudi terræ, & Oppidi *Krotkavv*, dicto *Domino nostro Domino VVenceslao Romanorum & Bohemiæ Regi* tanquam *Bohemiæ Regi*, pro se *hæredibus & successoribus suis Bohemiæ Regibus ac Regno & Coronæ* cum effectu de novo facere tenebitur; Et easdem suis, & *Capituli VVratislaviensis Ecclesiæ* patentibus literis roborare. Harum, quibus Sigilla nostrorum videlicet Administratorum prædictorum & Capituli dictæ nostræ *VVratislaviensis Ecclesiæ* sunt appensa, testimonio literarum. Actum capitulariter & Datum *VVratislaviæ*, Anno Domini M. CCCLXXXII. Sexto Kalendas Junii.

Omnia Castra Episcopatus Wratislaviensis debent patere Regibus Boh.

EPISTOLA X.

VVenceslai Episcopi VVratislaviensis Literæ, quibus superiores Literas Administratorum & Capituli renovat, & se his velle satis facere promittit.

Wenceslaus DEI Gratiâ Episcopus Wratislaviensis.

1383. NOtum facimus tenore præsentium Universis: Cùm pridem honorabiles Viri Domini *Joannes Brunonis Labacensis & Nicolaus de Rasmburg Brunensis, & Colonensis Diœcesis Ecclesiarum Præpositi tunc Administratores in spiritualibus & temporalibus ac Capitulum Ecclesiæ nostræ VVratislaviensis* quandam

quandam literam dudum propter evidentem utilitatem & bonum Ecclesiæ nostræ prædictæ *Invictissimo Principi & Domino Domino VVenceslao Romanorum & Bohemiæ Regi*, *Domino nostro gratioso* dederint, cujus tenor de verbo ad verbum sequitur & est talis. *In nomine Domini Amen. Nos Joannes Brunonis Præpositus Lubecensis &c.* Nos igitur qui in votis gerimus & tenemur, quòd tempore nostri regiminis dicta nostra Ecclesia in spiritualibus & temporalibus augeatur feliciter, & tranquillitate, pace & securitate lætetur congruâ, & felicioribus proficiat incrementis; Considerantes hoc præcipuè fieri & evenire evidentiùs & gratitudine præfati Domini nostri *Romanorum & Boëmiæ Regis*, tanquam *Regis Boëmiæ*, *Domini & Patroni nostri*, & præsertim, cùm aliàs Divæ memoriæ *Serenissimo Principi Domino Carolo Romano Imperatori & Boëmiæ Regi & successoribus suis Boëmiæ Regibus* per olim bonæ memoriæ *Dominum Preczlaum*, pro tunc *Episcopum*, *& Capitulum VVratislaviense*, quasi tenoris consimilis literæ, duraturæ perpetuò, sunt donatæ. Idcirco animo deliberato, non per errorem, aut improvidè, sed maturô consiliô præhabitô & ex certa nostra scientia promittimus bonâ fide, absque dolo & fraude pro nobis & *successoribus nostris*, *VVratislaviensibus* Episcopis, & eâdem nostrâ *VVratislaviensi* Ecclesia, quòd suprà scriptas promissiones & literas, tam inde faciendis & componendis structuris & ædificiis Castri in antiquo Castro, seu monte Ecclesiæ Sanctæ Crucis *VVratislaviensis* pro Regali habitatione dicti *Domini nostri Domini VVenceslai Romanorum & Boemiæ Regis hæredibus & successoribus suis Boëmiæ Regibus*, *Dominis & Patronis VVratislaviensis Ecclesiæ* atque nostris, nec non etiam cingenda tota Insula seu summo *VVratislaviensi*, muro, portis, turribus, pontibus & clausuris per totum ejus circuitum nostris & Ecclesiæ *VVratislaviensis* sumptibus & impensis, quàm etiam liberâ apertione ejusdem summi seu Insulæ nec non Castri in monte Ecclesiæ Sanctæ Crucis prædicto, muratorum ac etiam omnium aliorum Castrorum, munitionum, Civitatum seu Oppidorum nostræ *VVratislaviensis Ecclesiæ* prædictæ prout superiùs in inclusa litera, præsentibus in suis punctis, clariùs est expressum, ratum & gratum tenebimus, faciemus, adimplebimus, & observabimus absque fraude, dolo & renitentia, excusatione & contradictione cessantibus quibuscunque. Et in hujus rei evidens testimonium præsentes nostras literas fieri & appensione Sigilli nostri de nostra certa scientia fecimus communiri. Actum & Datum *Pragæ* Calendis Januarii Anno Domini M. CCCLXXXIII.

Vide proximas A. 1382.

De exstruendo Regio Castro Wratisl. obligant se Episc. & Capitulum.

EPISTOLA XI.

Ludovici Hungariæ & Poloniæ &c. Regis & Elisabethæ consortis suæ literæ quibus promittunt sub Juramento pro se & futuris Regibus Hungariæ & Poloniæ in perpetuum, quòd nunquam ad Regnum Bohemiæ & Principatus ejusdem Regni Coronæ velint aspirare, aut eos sibi quocunque modo vendicare, & præcipuè Ducatus VVratislaviæ, & alios Ducatus, ac terras in literis eorum contentas &c. nec quemquam ex subditis Regum Bohemiæ ad protectionem, & subjectionem recipere. 1372.

Nos Ludovicus DEI Gratiâ Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Poloniæ &c.

NOtum facimus universis quibus interest, vel interesse poterit in futurum, per præsentes; quòd ob singularem internæ charitatis ardorem, quo *Serenissimum ac Invictissimum Principem & Dominum Dominum Carolum IV. Romani Imperii semper Augustum, & Boëmiæ Regem Illustrem, Serenissimam Principem Dominam Elisabeth* Romanorum Imperatricem & *Boëmiæ Reginam* sororem nostram, & Illustrem *ac Magnificum Principem Dominum VVenceslaum Boëmiæ Regem præfati Domini Imperatoris filium, ac Illustres Principes, Dominos Joannem, & Jodocum ejus Primogenitum, Marchiones & Dominos terræ Moraviæ* fratres nostros charissimos, cœterósque filios & hæredes ipsorum, pio fraternóque sinceritatis Zelo complectimur ipsis, animo deliberato, non per errorem, aut improvidè, sed maturo Principum Ecclesiasticorum & Sæcularium, Comitum, Baronum, & Nobilium nostrorúm, fidelium ad hoc accedente consilio, & ex certa nostra scientia pro nobis ac *Serenissima Principe Domina Elisabeth consorte nostra charissima, Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ &c. Regina*, nec non *hæredibus, hæredum hæredibus, & successoribus nostris Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ, &c.* Regibus in perpetuum promisimus, & promittimus bonâ fide, dolo & fraudibus quibuslibet procul motis, & sub eo Juramento corporali, quod nos & prædicta Domina consors nostra charissima Regina Hungariæ super lignum vivificæ Crucis, & super DEI Evangelia in manus Reverendi in Christo Patris Domini *Joannis Patriarchæ Alexandrini*, Apostolicæ sedis legati, præstitimus, quòd tam nos quàm eadem *Domina Regina, hæredes & successores nostri*, nunquam nos, vel hæredes nostri, & hæredum hæredes & successores aspirare debemus, nec volumus ad vendicandum, aut usurpandum nobis, vel ipsis, aut alicui ex nobis *Regnum Boëmiæ, Principatus seu Principes, aut Prælatos Ecclesiasticos sive seculares.* Et signanter specificè & expresè ejusdem *Regni, & Coronæ Boëmiæ Principes, Principatus & Ducatus videlicet VVratislaviæ, Svidniciæ, Jaurensis, Münsterbergensis, Lignicensis, Bregensis, Olsnicensis, Glogoviensis, & Crassii, Saganensis, Oppoliensis, Falckenbergensis, Strilitzensis, Thessinensis, Ratiboriensis, & Oppaviæ, Koslensis, Bytonensis, Usviciensis, Stinaviæ, & Gorensis*, nec non *Marchionatus Moraviæ, Lusatiæ Budissinensis & Görlicensis*, seu alios eorum quoscunque *Principatus, Ducatus, terras, homines, Dominia, Civitates, Castra*, seu quaslibet pertinentias eorum communiter & divisim in genere, seu in specie, sive in *Boëmia, Moravia, Silesia, Polonia, Saxonia, Bavaria, Franconia*, seu aliàs ubicunque locorum existant, vel ad vendicandum seu usurpandum nobis, quascunque vel alicujus eorum metas, granitias, Gades seu terminos aut Jura, libertates, pertinentias, consuetudines, vel observantias, quæ, seu quas ad præsens tenent, habent, & possident, seu authore Domino adipisci, habere, tenere, obtinere vel possidere poterunt, aut debebunt, quomodolibet in futurum. Seu etiam quæcunque alia ad ipsos quovis modo spectantia, ubicunque sita, quæ non sunt nominatim inclusa præsentibus, etiamsi talia forent, de quibus hîc fieri deberet vel posset mentio specialis. Et in eum casum, si hujusmodi eorum *Principes, Principatus, Ducatus, Duces, Comites, Barones, Nobiles, Milites & Clientes, Cives, Civitates, Oppida, Castra, aut Universitates terræ seu homines*, aut eorum aliquis, vel aliqui se voluntariè, seu sponte, libere offerent, offerre vellent, vel quovis modo deliberarent, subdere, subjicere, vel offerre, quod ex nunc, prout ex tunc, promittimus & spondemus, pro nobis & omnibus & singulis supradictis sub Juramento & fide præfatis, tales vel talem nullatenus assumere, recipere, seu aliquatenus acceptare, quibuscunque adinventionibus ingenio, vel colore quæsitis. In cujus rei testimonium præsentes nostræ Majestatis & ejusdem Dominæ *Reginæ*, consortis nostræ charissimæ Sigillis authenticis, simplicibus appensione jussimus communiri. Datum in *Wyssegrad* in festo *Sanctæ Trinitatis* Anno Domini M. CCCLXXII.

EPISTOLA XII.

Alberti Regis Romanorum Literæ, quibus concedit VVenceslao Regi Bohemiæ potestatem subjugandi terras Ladislai Ducis majoris Poloniæ.

1300.

Albertus DEI Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus Magnifico Principi Wenceslao Regi Boëmiæ Illustri, fratri suo charissimo, gratiam suam, & omne bonum.

IN abliqualis tuæ sinceritatis & fidei restitutionem quibus præ cæteris *Regibus & Imperii Romani Principibus*, erga nos, & ipsum *Imperium* dinosceris clariùs præclarare, non immeritò nos inducunt, ut universis & singulis, quæ honoris & statûs tui incrementa respiciunt, ferventibus desideriis intendamus. Quod attendens nostra Serenitas, tibi ex gratiâ speciali concedimus, ut quidquid de terra Illustrissimi *Ladislai* Ducis Majoris Poloniæ, quam occupat, tibi subjugare poteris, à nobis, & dicto Romano Imperio, à te, & tuis hæredibus teneri volumus perpetuò titulo feudali. In cujus rei testimonium præsentes literas tibi tradimus sigilli nostri robore communitas. Datum *Moguntiæ*. Tertio Calendas Julii. Indictione Decima tertia Anno M. CCC. Regni nostri Secundo. Locus corruptus.

EPISTOLA XIII.

Episcopi & Capituli VVratislaviensis Ecclesiæ Literæ de receptione in feudum Oppidi Grotkovv cum pertinentiis ejusdem à Joanne Rege Boëmiæ.

1358.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Nos Preczlaus DEI Gratiâ Episcopus, Petrus de Luna Præpositus, Joannes de Lithomyssel Cantor, totúmque Capitulum Wratislaviensis Ecclesiæ. Notum facimus tenore præsentium universis.

Grotkow quomodo accesserit Episc. Wratislav.

QUòd cùm bonæ memoriæ Illustris *Princeps Dominus* Boleczlaus quondam *Dux Silesiæ, & Dominus Bregensis* dum viveret, Oppidum *Grotkaw*, cum terræ districtu, munitionibus, ac omnibus, & singulis grenitiis, metis, circumferentiis, Juribus & pertinentiis suis, quod, quas, & quæ, à claræ recordationis magnifico, & excellenti *Principe Domino Joanne* olim Bohemiæ Rege *Domino & Patrono suo* tenebat, in feudum animo deliberatô, sano etiam fidelium suorum accedente consilio, nobis, & Ecclesiæ nostræ *VVratislaviensi* vendiderit, & nos, & Ecclesia nostra *VVratislaviensis* prædicta, in possessione dicti Oppidi, & pertinentiarum ipsius fuerimus, multo jam tempore retro acto, ac idem Oppidum, & ejus pertinentias à præfato *Domino nostro Boëmiæ Rege*, velut superiore feudi Domino infeudum & Justo, ac legitimo feudi titulo, Jure, more, & conditione feudi, acceperimus, sibíque præstiterimus, homagii, obedientiæ, & fidelitatis debitum Juramentum; Igitur animo deliberato, non per errorem aut improvidè, sed omnium communi accedente voto, pariter & consensu nobis pluries personaliter in Capitulum convocatis, præfatum Oppidum *Grotkow*, cum terra, districtu, munitionibus & omnibus & singulis Juribus & pertinentiis suis, nostro & *Ecclesiæ nostræ VVratislaviensis nomine à Serenissimo & Invictissimo Principe & Domino, Domino Carolo Romanorum Imperatore semper Augusto*, & Boëmiæ Rege, *Illustrissimo* Domino, *& Patrono nostro gratioso* tanquam *Boëmiæ Rege, & Regni, & Coronæ* Bohemiæ, hærede legitimo in feudum ac veri & justi feudi titulo suscepimus, sibíque & *Coronæ Regni Boëmiæ* præstitimus, prout veri Vasalli, vero, ordinario, legitimo & Justo feudi Domino, Jure tenemur, obedientiæ, subjectionis, homagii, & fidelitatis debitum & solitum Juramentum. Promittimus etiam virtute & vigore ejusdem Juramenti per nostros solemniter, & legitimè præstiti, pro nobis, & successoribus nostris, & *Ecclesia VVratislaviensis*, in perpetuum *Præfato* Domino *nostro Imperatori, tanquam Regi Boëmiæ, hæredibus & successoribus suis, Boëmiæ Regibus* & ejusdem *Regni Coronæ*, tanquam veris, ordinariis, naturalibus, hæreditariis, & legitimis Dominis nostris occasione dictorum Oppidi, terræ, districtûs & Dominii *Grotkaw*, & pertinentiarum ipsius tanquam veri & legitimi Vasalli, parêre, obedire, & intendere, in omnibus simpliciter, atque Vasalli Dominis suis hæreditariis superioribus, & legitimis obligari noscuntur. Promittentes nihilominus virtute & vigore Juramenti prædicti, pro nobis & *successoribus nostris præfatis Dominis nostris & Patronis*, Bohemiæ Regibus, quòd quotiescunque *Regem* Boëmiæ Dominum *& Patronum nostrum* mori continget, quòd tunc Episcopus *VVratislaviensis*, qui pro tempore fuerit, unâ cum melioribus Prælatis Ecclesiæ, nomine & vice, suis & Capituli, ad Coronationem futuri Regis debebunt accedere, & ibidem Coronato Rege statim ab ipso Oppidum præfatum, terras, districtum & pertinentias in feudum suscipere, & tempore susceptionis hujusmodi innovare juramentum expressatum superiùs, ac ipse Episcopus, qui pro tempore fuerit, velut alii Principes Ligii, Capitulum verò velut *Vasalli Regni, & Coronæ* Boëmiæ omnia facient, quæ juxta privilegia & Consuetudines Regni *& Coronæ* Bohemiæ, Berna, taliis seu exactionibus, ac cœteris gravaminibus exceptis, ad quæ non recognoscimus nos teneri, facere tenebuntur, toties, quoties in morte *Regis* Boëmiæ seu *Wratislaviensis Episcopi*, casuum mutabilitate poscente fuerit opportunum. Præsentium sub nostris sigillis testimonio literarum. Datum & Actum *Wratislaviæ*, tertio Calend. Dec. Anno Domini M. CCCLVIII.

Grotkow feudum Coronæ Boh.

EPI-

EPISTOLA XIV.

Episcopi & Capituli VVratislaviensis Literæ de receptione Oppidi Grotkovv, & pertinentiis ejus à Carolo Rege Boëmiæ, & ejusdem Regni Corona, & quòd ad Coronationem Regis venire, & ibidem de Oppido Grotkovv feudum suscipere teneantur.

1344.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

NOs *Preczlaus* DEI Gratiâ Episcopus, *Henricus* de Baruth Præpositus, *Stephanus* Decanus, *Henricus* Scholasticus, totúmque Capitulum Ecclesiæ *Wratislaviensis*, omnibus & singulis præsentes literas inspecturis volumus esse notum, ac tenore præsentium publicè profitemur, quòd Oppidum *Grotkow*, cum terra & districtu, ac omnibus, & singulis Juribus, & pertinentiis suis, quod dudum ab *Illustr: Principe Domino Boleslao, Duce Silesiæ & Domino Bregensi* rite ac rationabiliter comparavimus pro nobis, & nostra *VVratislaviensi* Ecclesia prædicta, quod dudum etiam dictus *Dux Boleslaus ab excellentissimo Principe, & Domino nostro Joanne Rege Boëmiæ* in feudum habuit, & possedit, recipimus nostro & dictæ nostræ *Wratislaviensis* Ecclesiæ nomine in verum feudum, ab eodem *Domino* Rege Bohemiæ Domino *nostro*, cui ratione terræ dictæ *Grotkoviensis* ad Jura feudalia secundùm naturam veri feudi tanquam Vasallus, & *Princeps* Domino *suo*, sumus obligati, tanquam veri feudi Domino, nos & nostri successores occasione dictæ terræ *Grotkoviensis* constanter, & fideliter de cætero intendere tenebimur, & parere. In cujus rei Testimonium Sigillum nostrum Episcopale majus, & ipsius Capituli *Wratislaviensis* præsentibus sunt appensa. Actum & Datum nono Calendas Decembris Anno Domini M. CCCXLIV. in domo Fratrum minorum. *Præsentibus Illustribus Principibus* Domino *Carolo Primogenito Marchione Moraviæ, Joanne* Duce *Carinthiæ* filio ipsius *Regis, Bolkone* Oppolienſi, *Henrico* Saganensi Ducibus, *Principibus & Vasallis* Domini Regis Bohemiæ supradicti, nec non Reverendis in Christo Patribus Dominis *Arnesto Sanctæ Pragensis Ecclesiæ Archiepiscopo, & Joanne Episcopo* Misnensi, ac *Renzzone* de Plaven, *Hinkone* dicto *Berka* de Dube Burggravio *Pragensi*, *Henrico* de Lucemburg, *Wanckone* de Wartenberg, fidelibus dicti Domini *Regis* ac honorabilibus viris Dominis *Joanne Archidiacono Glogovienſi*, *Friczkone* de Panovicz Canonicis nostris *Wratislaviæ*, & aliis pluribus fide dignis.

Testes prædictorum.

EPISTOLA XV.

Capituli VVratislaviensis Ecclesiæ Literæ, quibus recognoscunt & profitentur de receptione feudi super Oppido Grotkovv à Joanne Rege Bohemiæ & Carolo ejus Filio. Item de literis Regi Joanni super ea re datis, & de homagio Ducum Silesiæ & Nobilium terræ & Civitatis VVratislaviensis, Regibus Boëmiæ perpetuò præstito, quarum Datum VVratislaviæ, in Capitulo, 8. Calendas Octobr. Anno Domini 1355.

In eandem sententiam extant aliæ Literæ per omnia similes.

ITem extant Wenceslai Episcopi Wratislaviensis literæ: *Vidimus & ratificatio certarum literarum Preczlai Episcopi & Capituli* Wratislaviensis Ecclesiæ, *de recognitionibus, infeudationibus, & superioritatibus* Regum Bohemiæ & Coronæ *ejusdem* Regni *in* Ducatibus & terris Silesiæ &c. *ac* Dominio *legitimo in Episcopatum, & Capitulum Ecclesiæ* Wratislaviensis, *quæ quidem literæ omnes in hunc librum sunt de verbo ad verbum ex originalibus literis paulò antè descriptæ.*

Et in eam sententiam sunt quoque Wenceslai *Episcopi & Capituli* Wratislaviensis *Ecclesiæ literæ & earundem literarum* Vidimus *atque ratificatio & obligatio, quòd omnibus literis ab Ecclesia* Wratislaviensi *Regibus & Coronæ* Regni Bohemiæ *datis, ùt in originalibus continetur, satis facere velint, & teneantur.*

EPISTOLA XVI.

Civitatis VVratislaviensis homagium Principi VVenceslao Primogenito Caroli & ex mandato Patris præstitum, ubi etiam mentio fit de Successione legitima filiorum Regum Boëmiæ.

1371. Nos Consules Jurati & Universitas Civium Civitatis Wratislaviensis tenore præsentium notum facimus Universis.

QUòd ad mandatum Serenissimi & Invictissimi *Principis & Domini nostri gratiosi* Domini *Caroli Romani Imperatoris semper Augusti, & Bohemiæ Regis*, & juxta antiquam *Regni* Boëmiæ consuetudinem dudum laudabiliter observatam, nec non ordinationem providam, quam claræ memoriæ Illustris & Magnificus *Princeps & Dominus noster* Dominus *Joannes* quondam Boëmiæ Rex, genitor ipsius maturâ deliberatione instituisse dinoscitur, qua ipse prædictum *Dominum nostrum Romanorum* & Bohemiæ *Regem* primogenitum suum, ejúsque hæredes & successores per masculinam lineam descendentes ab ipso, in præfato *Regno* suo Boëmiæ suos hæredes esse constituit, voluit, & decrevit; Illustrissimo *Principi nostro* Domino *Wenceslao præfati* Domini *nostri* Romanorum *& Boëmiæ Regis* primogenito, Animô deliberatô, non per errorem aut improvidè, sed omnibus votis pariter accedentibus in præsentia Domini *Conradi de Falckynheim* Capitanei nostri & nonnullorum nobilium ac fide dignorum corporalia Juramenta homagii, & obedientiæ, atque fidelitatis debitæ præstitimus & præstamus; nec non promisimus & promittimus bonâ nostrâ fide & sinè dolo, pro nobis, hæredibus & successoribus nostris in perpetuum ad præfatum Dominum nostrum *Wenceslaum*, in casu, ubi fortasse Serenissimum Dominum nostrum, genitorem ipsius, quem Deus Omnipotens custodire dignetur, ab hac luce migrare contingeret, immediatum habere respectum, sibíque tanquam *Regi Boëmiæ*, nec non vero, legitimo, & naturali Domino nostro in omnibus & singulis parere, & intendere, & absque omnis contradictionis, impedimenti seu difficultatis obstaculo fideliter obedire. Promittentes nihilominus bonâ nostrâ fide, sinè dolo, pro nobis, hæredibus & successoribus nostris, ùt præmittitur, eadem Juramenta corporalia de fide, legalitate, & obedientia servanda, non extante præfato Domino *Wenceslao*, suo Primogenito, vel illo non existente, Seniori

Seniori suorum hæredum, vel, ipso absque hæredibus decedente, fratri suo seniori, si quem habuerit, aut illo decedente, seniori ejusdem fratris hæredi, & sic demum in ante à senioribus fratribus ac Seniorum fratrum senioribus hæredibus, in linea sexûs masculini, procedendo continuè præstare, & corporaliter facere, perpetuis temporibus affuturis. Præsentium sub nostræ Civitatis sigillo Testimonio literarum. Datum *VVratislaviæ* M. CCC. LI. In crastino Circumcisionis ejusdem. Earundem literarum *Vidimus* extat *Sigismundi* Romanorum Regis & *Alberti* Ducis Austriæ. Datum *Viennæ* Anno M. CCCCXXVI.

EPISTOLA XVII.

Civitatis Nissensis ex Mandato Preczlai Episcopi VVratislaviensis, & consensu Capituli ejusdem literæ, ut se erga Reges Bohemiæ *observare teneantur.*

1351. NOverint universi præsentes literas inspecturi: Quòd nos *Nicolaus Relner Magister consulum*, nec non *Petrus Groschener, Sydcinus Linwingi, Hango Wilhelmi, Stephanus Wasaldi*, Rudlinus Hopphe, *Nicolaus Vivandi, & Conradus Baratz Consules Civitatis Nissensis*, affectantes ex animo *Serenissimi Principis Domini Caroli Romanorum Regis semper Augusti, & Boëmiæ Regis* nobis gratiam attrahere, & favorem sperantes ex promotione ipsius, nobis, Civitati, ac terræ Nissensis pacis, & tranquillitatis commoda multiplicia provenire, sibi, hæredibus & successoribus nostris, de speciali & expresso mandato Domini nostri, *Domini Preczlai Episcopi VVratislaviensis*, & consensu Capituli ejusdem Ecclesiæ, bonâ & syncerâ nostrâ fide promittimus in perpetuum & spondemus, quòd nullum penitùs *Regem, Principem*, vel potentem extraneum, utpote extra *Wratislaviensem* Diœcesim constitutum, prædicto *Domino Carolo, seu ipsius hæredibus & successoribus Boëmiæ Regibus*, ac etiam suis *Principibus in ipsa Wratislaviensi* Diœcesi, *Principatus, & Dominia habentibus*, qui sui Vasalli existunt, ac etiam Civitati Wratislaviensi, & ejus annexis ad ipsum *Regem*, & *Regnum* pertinentibus contrariari seu adversari volentem in Civitatem nostram Nissensem perpetuis temporibus debeamus intromittere, seu quomodolibet receptare, in prædicti Domini *Caroli* hæredum & successorum ejus *Regum* Boëmiæ, & dictorum Principum Vasallorum suorum, & ipsius Civitatis *VVratislaviensis* dispendium, nec eisdem extraneis Regibus, Principibus, & Potentibus cujuscunque conditionis seu statûs existant, adversùs dictum *Dominum Carolum, hæredes & successores suos* Bohemiæ Reges, nec non *Principes, Vasallos* ipsius ac etiam *Civitatem Wratislaviensem* præbere consilium, auxilium, vel favorem. Eo salvo duntaxat, & excepto, si *Rex Bohemiæ*, qui pro tempore fuerit, Dominos nostros Episcopos, qui pro tempore fuerint, Capitulum, vel Clerum ipsius & ipsorum bona (quod absit) forsitan publicè impugnaret, tunc nos dictos Dominos nostros Episcopos, Capitulum, ac Clerum ipsius adjuvare tenebimur, & eis, tanquam Dominis nostris hæreditariis, assistere modis omnibus & pro posse, & si aliquis seu aliqui Principum Vasallorum in Diœcesi *VVratislaviensi* existentium vel ipsa Civitas *VVratislaviensis* ipsos Dominos nostros Episcopos, Capitulum & Clerum ipsius molestare vel ipsi guerram

Nissa feudum Regum Boh.

guerram indicere & gerere in negotiis & causis propriis conarentur, tunc Dominis nostris prædictis toto nostro posse similiter assistemus. Et nihilominùs Rex *Bohemiæ*, qui pro tempore fuerit, super eo, per prædictos Dominos nostros Episcopos, Capitulum requisitus mandare tenebitur, suis Principibus, Vasallis, ac Civitati *Wratislaviensi* guerram Ecclesiæ *Wratislaviensi* movere volentibus seu moventibus, ut ab impetitione hujusmodi quiescant commodè, donec inter partes ipsas decernatur Justitia, & si Principes ipsi vel Civitas *Wratislaviensis* Justitiâ noluerint contentari, & tunc ipse Rex *Bohemiæ* Dominos nostros Episcopos, Capitulum, Ecclesiam *Wratislaviensem*, nos, Civitatem, & terram Nissensem in Juribus suis adjuvare, sopitis verò & complanatis impugnationibus, & adversitatibus hujusmodi in *Regem Bohemiæ* seu Principes Vasallos suos, ac ipsam *Wratislaviensem* Civitatem ex una, & Dominos nostros Episcopos, qui pro tempore fuerint, & Capitulum parte ex altera, quoties id acciderit, semper dicto Domino *Carolo*, nec non hæredibus & successoribus suis *Regibus Bohemiæ* ad prædictorum nostrorum promissorum observantiam perpetuis volumus temporibus obligari.

In cujus rei Testimonium Sigillum Civitatis nostræ est expressum. Nos quoque *Preczlaus*, *DEI Gratiâ Episcopus Wratislaviensis Ecclesiæ*, unà cum Capitulo suprà dicto sperantes similiter, & tenentes indubiè ex prædicti Domini Caroli, & Hæredum, ac Successorum ejus *Regum Boëmiæ* protectione, gratiâ & favore nos Ecclesiam nostram, ac singulares Personas ejusdem, ipsamque terram Nissensem continuis pacis, & quietis proficere incrementis, præsentes literas sæpe dicto Domino nostro *Carolo*, hæredibus quoque & successoribus suis *Bohemiæ Regibus*, nos mandâsse dare recognoscimus, ac in Testimonium hujus Sigillum nostrum, & dicti Capituli nostri præsentibus apponi jussimus. Datum *Nissæ*, Anno Domini M. CCCLI. in die omnium Sanctorum.

In eandem sententiam extant per omnia similes, Literæ Consulum Civitatis Nissensis Wenceslao Regi Bohemiæ ex voluntate & consensu Episcopi & Capituli Wratislaviensis Ecclesiæ datæ, quarum datum Wratislaviæ, vigesimo sexto die Martii, Anno Domini M. CCCLXXXIII.

EPISTOLA XVIII.

Consulum Civitatis Grotkoviensis Literæ quibus promittunt, quòd neminem Regibus Bohemiæ, & Coronæ Regni ejusdem adversantem in Civitatem suam recipient, & quòd contra Reges Bohemiæ, & eorum subditos nullum præbebunt in perpetuum auxilium aut favorem.

1383. NOverint universi præsentes literas inspecturi: Quòd nos *Nicolaus Peenscheide Magister Consulum, Conradus Melis, & Nicolaus Cynedat, & Nicolaus Thamow Consules civitatis Grotkoviensis* affectantes ex animo *Serenissimi Principis Domini Wenceslai Romanorum Regis semper Augusti & Bohemiæ Regis* nobis gratiam attrahere, vel favorem sperantes ex promotione ipsius civitati, & terræ Grotkoviensi pacis & tranquillitatis &c. *ut in præcedentibus usque*: perpetuis temporibus obligari. In cujus rei Testimonium Sigillum

sigillum Civitatis nostræ præsentibus est appressum. Nos quoque *Preczlaus* DEI Gratiâ Episcopus &c. *mutato nomine terram Nissensem in terram Grotkoviensem.* Datum *Krotkow* Anno Domini M. CCCLXXXIII. Infra Octavas Sacri Christi corporis feriâ quartâ. *Grotkoviensem.*

In eandem sententiam sunt infrà Scriptæ Literæ Civitatis Paczkoviensis.

Noverint universi præsentes literas inspecturi: Quòd nos *Joannes Eyke Magister Consulum, Peczko Friburg, Nicolaus Ebihardi, Nicolaus Les, Joannes de Swanovitz, Consules Civitatis Paczkoviensis affectantes &c. mutato nomine* Krotkavv in Paczkovv. Datum *Paczkow* Anno Domini M. CCCLXXXIII. feriâ quartâ infra Octavas corporis christi.

EPISTOLA XIX.

Certorum Ducum Silesiæ Literæ, quibus fatentur Regem Bohemiæ & Coronam Regni ejusdem, esse Dominos eorum ac aliorum Ducum Silesiæ, & plenum Jus in eos habere, & devolutiones Ducatuum ipsorum Ducum, Regum & Regni Bohemiæ existere.

1355. Nos Conradus Olsnensis & Cazimirus Theschinensis DEI Gratiâ Duces ab una, & nos Bolko Falkenbergensis, Oppoliensis, & Joannes Osvicensis eâdem Gratiâ Duces ab alia.

NOtum facimus tenore præsentium universis: Quòd licèt *Serenissimus ac Invictissimus Princeps & Dominus Dominus Carolus Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex Dominus noster gratiosus tanquam* Rex *Bohemiæ* in virtute *Regni & Coronæ Bohemiæ*, & ex superioritate Dominii, quod sibi in nos & cæteros *Principes & Principatus seu Ducatus Poloniæ* ritè competit, plenum & notorium Jus habeat, in & super Bitumiensi & Kozlensi Ducatibus & Dominiis ad eosdem spectantibus; Et idem Ducatus ad ipsum tanquam *Regem Boëmiæ* & Dominum nostrum per mortem *Illustrium Principum, Ducum, Bitum: & Kozlensis* Patris & filii qui terras easdem & Ducatus à *Præfato Domino nostro tanquam Rege Boëmiæ*, nec non ab ipsius *Regni Bohemiæ Corona*, in feudum tenuisse noscuntur, sive Jure communi & approbata terrarum Poloniæ laudabili consuetudine de certa nostra scientia, legitimè devoluti, ac ad ipsum, velut feudi Dominum tanquam res justo titulo devolutæ, sicut præmittitur, pertineant pleno Jure; tamen præfatus Dominus noster ex innatæ sibi benignitatis officio, & gratiosi favoris munificentia nobis indulsit, quòd inter nos mutuò de Juribus nobis competentibus experiri possemus, & super terris eisdem sive Ducatibus viam diffinitionis seu compositionis amplecti, justitiâ & amore. Nos igitur considerata tam singularis benignitatis gratiâ, qua Dominus noster prædictus cedendo Juri suo prædicto sibi ut præmittitur, notoriè competenti, nos, statum

& conditionem noſtram favorosè proſequitur', nè tam inſignis actus generoſæ virtutis luat diſpendium, aut ſibi vel ſuis hæredibus *Bohemiæ* Regibus Dominis noſtris in damnum proveniant, quæ in nos munificentiâ liberali diſtribuit, proteſtamur, dicimus, recognoſcimus & ad publicam omnium perducimus notionem, quòd ex hujuſmodi ceſſione gratioſa, quæ de meri favoris pietate proceſſit, nullum præfato Domino noſtro *Regi Boëmiæ, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis Bohemiæ Regibus*, Dominis noſtris, & ejuſdem *Regni Coronæ*, circa futuras devolutiones terrarum noſtrarum, *Principatuum, Ducatuum*, & pertinentiarum quarumlibet, quoties eoſdem ſeu eaſdem in caſu ſimili vel alio quovis legitimo titulo vacare continget, poſſit ſeu debeat, damnum ſeu præjudicium generari. Præſentium ſub noſtris ſigillis teſtimonio literarum. Datum *Pragæ* Anno M. CCCLV. Sabbatho proximo poſt diem Sancti *VVenceslai.*

§. III.

DUCATUS LIGNICENSIS ET BREGENSIS.

EPISTOLA XX.

Boleslai Ducis Sileſiæ Lignicenſis & Bregenſis Literæ, quibus fatetur quòd ex indulto Joannis Regis Boëmiæ poſſit pignori aliqua bona ſua dare, dummodò eas devolvendi poteſtas ipſius hæredibus, aut Regibus Bohemiæ reſervetur.

Nos Boleslaus DEI Gratiâ Dux Sileſiæ & Dominus Lignicenſis & Bregenſis recognoſcimus tenore præſentium univerſis.

1341 QUòd cùm *Magnificus Princeps & Dominus ac Sororius noſter chariſſimus, Dominus Joannes Boëmiæ Rex, ac Lucemburgenſis Comes*, nobis benevolè conceſſerit & indulſerit, ut aliqua vel aliquas munitionum noſtrarum, quamcunque vel quaſcunque *Regi Poloniæ* pro quatuor millibus, aut *Domino Bolkoni Duci Sileſiæ & Domino Swidnicenſi* pro duabus Marcharum Polonici pagamenti, prout in aliis literis dicti Domini *Regis* nobis datis continetur, poſſimus pignore obligare. Volentes igitur præfato *Domino Regi Boëmiæ* ac nobis, noſtríſque hæredibus præcipuè in hoc præcavere, promittimus bonâ fide & ſyncerè, præfatas munitiones ſeu munitionem *præfatis Dominis Regi Poloniæ aut Duci Swidnicenſi* non aliter titulo pignoris obligare, niſi ſemper reſervatâ nobis aut noſtris hæredibus aut præfato *Domino Regi aut ſuis hæredibus*, liberâ aut plenariâ poteſtate eaſdem munitiones ſeu munitionem exolvendi, redimendi, & in ea ſumma pecuniæ pro qua fuerint obligatæ. Et ſi (quod abſit) nos aut prædicti noſtri hæredes & filii prædictas' munitiones', vel munitionem eximere vel redimere, non poſſemus, ex tunc præfatus *Dominus Rex, aut ſui hæredes*, & nullus alius hominum dictas' munitiones, vel munitionem redimere & liberare poterunt, & debebunt, in ſumma pecuniæ pro qua fuerint obligatæ, quandocunque eis videbitur opportunum, & meliùs expedire; & eas, vel eam tam diu habeant in pignore, quouſque nos, & hæredes noſtri filii & hæredes præfati, eas redimere poterimus, ſecundùm modum, quo ipſas vel ipſam præfatus *Rex Poloniæ aut Dux Swidnicenſis* priùs tenuerunt nomine pignoris, ùt priùs eſt expreſſum. Promittimus etiam & tenebimur ab illo, cui præfatas munitiones vel munitionem obligaverimus dicto *Domino noſtro Regi, aut ſuis hæredibus* literas ordinare petentes', quòd ipſas vel ipſam præfato Domino *Regi Boëmiæ* aut ſuis hæredibus & nulli alteri reſtituat & det, ſine contradictione qualibet ad redimendum, quodcunque videbitur eis utilius expedire. Harum quibus noſtrum, & ſuprà ſcriptorum teſtium Sigilla appenſa ſunt, teſtimonio literarum.

Et Nos Rudolphus, DEI Gratiâ Dux Saxoniæ ArchiMarſchalcus Sacri Imperii ac Stephanus de Parckwicz per dictum *Dominum Ducem* Rogati pro teſtibus in præmiſſorum evidentiam, noſtra ſigilla unâ cum ſigillo ipſius', præſentibus duximus appendenda. Datum *Pragæ* feriâ ſecundâ proxima poſt feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis Anno M. CCCXLI.

EPISTOLA XXI.

Ejusdem Boleslai Literæ, quòd ex mandato vivæ vocis Joannis Regis Boëmiæ Carolo primogenito filio ſuo promiſit pro ſe & hæredibus ſuis homagium præſtare, ùt ipſius naturali Domino &c.

Nos Boleslaus DEI Gratiâ Dux Sileſiæ & Dominus Lignicenſis, tenore præſentium recognoſcimus univerſis pro nobis & noſtris hæredibus.

QUòd *Magnifico Principi Domino Carolo Sereniſſimi noſtri Domini Regis Boëmiæ primogenito, Marchioni Moraviæ, ſororio noſtro chariſſimo*, ejuſque hæredibus & ſucceſſoribus in *Regno Bohemiæ*, ex juſſu & mandato nobis vivâ voce per ipſum *Dominum noſtrum Regem Bohemiæ* facto, noſtrâ bonâ fide duximus firmiter promittendum, quòd cùm *Dominum noſtrum præfatum Regem* decedere contigerit ab hac vita, quòd tunc prædictum *Dominum Carolum*, & non alium ratione primogenituræ ſuæ, & ipſo non exiſtente, ſuos hæredes aut ſucceſſores in Regno jam dicto *Bohemiæ* habere volumus pro noſtris naturalibus & legitimis Dominis, eíſque ex tunc fidelitatis' homagium præſtare debitum & conſuetum. Harum noſtrarum teſtimonio literarum, quibus noſtrum ſigillum duximus appendendum. Datum *Poſnow* feriâ ſecundâ proxima poſt feſtum Sancti *Michaëlis* Archangeli Anno Domini M. CCCXLI.

EPISTOLA XXII.

Ludovici Ducis Lignicensis constitutio & ordinatio VVenceslai fratris sui, ut nomine ipsius à Carolo Joannis Boëmiæ Regis primogenito feudum suscipiat.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

NOverint universi ac singuli præsentium notitiam habituri: Quòd nos *Ludovicus DEI Gratiâ Dux Silesiæ Dominus Lignicensis*, de fidelium nostrorum consilio facimus, constituimus, &, prout meliùs possumus, ordinamus Illustrem Principem Dominum *Wenceslaum Ducem Silesiæ*, & similiter Dominum *Lignicensem*, fratrem nostrum charissimum, nostrum verum & legitimum procuratorem, negotiorum nostrorum gestorem, & nuntium specialem ad comparendum, & se suo, nostro, terrarum nostrarum, Incolarum earundem, ac omnium subditorum nostrorum, cujuscunque conditionis fuerint, nomine, coram excellenti & magnifico Principe *Domino Carolo*, Serenissimi Domini nostri, *Domini Joannis Bohemiæ Regis* primogenito, *Marchione Moraviæ*, avunculo, & Domino nostro charissimo, præsentandum. Dantes & concedentes eidem fratri & procuratori nostro plenum mandatum ac liberam & omnimodam potestatem, prædictas terras nostras, cum Civitatibus, Munitionibus, Oppidis, Castris, Villis, Prædiis, Territoriis, Districtibus, Juribus, Jurisdictionibus, honoribus & pertinentiis universis, præsentibus & futuris, in quarum seu quorum possessione jam sumus, aut ex hæreditaria successione quorumlibet paternorum bonorum, & terrarum ejusdem erimus in futurum, præfato *Domino Carolo* vice & auctoritate *Regiâ*, suorum *Regum Bohemiæ* nomine, recipienti & denuò conferenti, nostro, Hæredum, successorum, Nobilium, Vasallorum, & quorumlibet subditorum nostrorum nomine resignandi; Nos ac easdem terras nostras, nec non prædictos subditos nostros *Regis Bohemiæ* ditioni & Dominio submittendi, Jurisdictionem Regiam in nos, ac sæpè dictos subditos nostros quoslibet, assumendi, nec non renunciandi, obligandi, cavendi, terras nostras prædictas cum omnibus suis appendiis & pertinentiis suis supradictis, ab ipso *Domino Carolo*, Domini nostri *Regis Bohemiæ* primogenito, *Marchione Moraviæ*, vice & auctoritate *Regiâ*, quemadmodum præmittitur, conferente, in perpetuum ac hæreditarium feudum, pro nobis hæredibus & successoribus, & subditis nostris omnibus recipiendi, sibíque Juramentum fidelitatis in animam nostram præstandi, ac alia omnia & singula faciendi, quæ verus & legitimus procurator facere potest, & debet, & quæ circa ejusmodi necessaria fuerint, vel etiam opportuna, seu quæ in talibus requiruntur, & quæ nosmet possemus, & facere deberemus, si personaliter aut præsentialiter adessemus, etiamsi mandatum exigant speciale, vel si majorem casum, aut clariorem interpretationem verborum requirerent, quàm superiùs est expressum. Promittentes nos ratum, gratum & firmum perpetuis temporibus habituros, sub bonorum nostrorum omnium hypotheca, quidquid per prædictum *Dominum Wenceslaum, Ducem Silesiæ Dominum Lignicensem fratrem & Procuratorem nostrum*, actum, gestum & legitimè procuratum fuerit in præmissis & quolibet præmissorum. In cujus rei Testimonium præsens procuratorium per *Laurentium* infrà scriptum Notarium, scribi

scribi & sigilli nostri voluimus appensione muniri. Actum & Datum in *Allodio* juxta rivulum *Laa*, districtûs Wratislavienſis, quondam *Jeczenii* de Gôrlitz Civis Wratislavienſis, nunc verò *Joannis* Salomonis, & *Joannis* de Oppavia Civium Wratislavienſium. Anno Domini Millesimo Trecentesimo Quadragesimo secundo. Indict: decimâ, Mensis Julii die quarta decimâ; præsentibus Patronis ac nostris dilectis fidelibus *Stephano* de Porchvvicz, *Henrico* de Landskron, *Hermanno* de Kytlicz, *Ottone* de Maltícz, Militibus; *Perzone*, dicto Schyrin, de Lippa, & *Luthero* de Schelndorff, famulis testibus ad præmissa vocatis.

Et Ego Laurentius quondam Nicolai de Dieditz *Olomucensis Diœcesis publicus, Apostolicâ & Imperiali authoritate Notarius*, factioni, constitutioni & ordinationi, nec non concessioni, & promissioni ac omnibus aliis & singulis supradictis, præsens unâ cum prædictis testibus interfui, & ad voluntatem *præfati Principis Domini Ludovici DEI Gratiâ Ducis Silesiæ, Domini Lignicensis*, fideliter scripsi & in hanc publicam formam redegi, meóque signo consueto, & nomine consignavi, rogatus in testimonium præmissorum.

EPISTOLA XXIII.

VVenceslai, & Ludovici Fratrum Ducum Lignicensium literæ, quibus profitentur se esse Vasallos Regum & Regni Boëmiæ, & quòd Carolo, Joannis Regis Boëmiæ, Primogenito, tanquam Primogenito, teneantur obedire, & ad ipsum respectum habere &c.

1343.

Nos Wenceslaus, & Ludovicus Fratres DEI Gratiâ, Duces Silesiæ, Domini Lignicenses, recognoscimus, & ad universorum volumus notitiam pervenire.

QUòd, quia per alias nostras certi tenoris literas profitemur, nos ab *Excellentissimo Principe* Domino *nostro charissimo*, Domino *Joanne Rege & à Regno Boëmiæ*, terras nostras & possessiones universas & singulas, quas habemus, aut ex successione seu devolutione paterna, vel aliàs sub Dominio *Regis & Regni Boëmiæ*, quæ feudales fuerint, obtinebimus in futurum, in feudo & Jure feudi obtinere, ac ipsius Domini *Regis* & successorum suorum *Regum & Regni Boëmiæ* nos esse meritos Principes & Vasallos. Idcirco promittimus in solidum, bonâ fide, vice & nomine Juramenti, quòd ex nunc ad *Magnificum Principem* Dominum *Carolum antedicti* Domini *nostri*, Domini *Joannis* Bohemiæ *Regis*, *primogenitum*, *Marchionem Moraviæ*, *Avunculum*, & Dominum *nostrum charissimum*, tanquam ad ipsum Dominum Regem, habere respectum in omnibus, & ubilibet debeamus, sibíque & mandatis suis intendere fideliter & parere, præfato quoque Domino nostro *Regi*, divinâ jubente Clementiâ, decedente, vel ipsum in vita quomodolibet annuente, terras nostras prædictas ab ipso Domino *Carolo*, quandocunque voluerit & mandaverit, in feudum perpetuum suscipere, ac præstare sibi de servando perpetuæ fidelitatis homagio solitum juramentum. Nec non omnia & singula quæ in dictis literis continentur, observare fideliter & implere. In-

cujus rei Testimonium præsentes fieri & nostrorum sigillorum appensione volumus communiri. Actum & Datum in *Castro Pragensi*, Tertio Calendas Augusti Anno Domini M. CCCXLIII.

EPISTOLA XXIV.

Ludovici Ducis Lignicensis Literæ, quibus recognoscit de divisione inter ipsum, & VVenceslaum fratrem ejus facta, ratione Dominiorum ipsorum, & quòd Civitatem Lignicensem cum pertinentiis à Rege Joanne in feudum susceperit.

1345. Nos Ludovicus, DEI Gratiâ Dux Silesiæ, & Dominus Lignicensis, Recognoscimus tenore præsentium universis.

QUòd, quia in præsentia *Serenissimi Principis*, Domini *nostri gratiosi*, Domini Domini *Joannis* Boëmiæ *Regis*, & *Comitis Lucemburgensis*, & *plurimorum Principum, Nobilium, ac aliorum nostrorum fidelium* inter nos ex una, & *Illustrem Principem Dominum Wenceslaum*, Ducem *Silesiæ*, & *Dominum in Goltberg fratrem nostrum charissimum*, parte ex alterâ, super omnibus Civitatibus, Castris, Oppidis, & terris nostris, ad hæc pertinentibus, cum eorum honoribus, Dominiis, Vasallatibus, & universis attinentiis, in quibuscunque rebus consistant, seu nominibus censeantur, divisio obvenerit, in qua pro parte nostri, sorte civitatem & terram recepimus Lignicensem, quam, ùt debuimus, ab ipso Domino nostro *Rege*, protinus cum omnibus suis honoribus, Dominiis, Vasallatibus, ac aliis pertinentiis suis in feudum suscepimus, & suscipimus per præsentes, tanquam â Domino nostro naturali, ab eo, hæredibus & successoribus suis, *Boëmiæ Regibus* tenendum, habendum & per nos possidendum, Jure feudali, sicut eas pridem *Illustrissimus Princeps Dominus Boleslaus*, Pater noster, Dux Silesiæ, & Dominus Bregensis, ac nos fratres dicti, cùm adhuc essemus indivisi, ab ipso nostro Rege dignoscimur tenuisse. Harum nostrarum testimonio Literarum. Datum *Wratislaviæ* in Vigilia S. *Laurentii* Anno Domini M. CCCXLV.

EPISTOLA XXV.

VVenceslai Ducis Lignicensis Literæ quibus promittit Carolo Regi Bohemiæ pro se, & hæredibus suis, quòd Civitatem Lignitz cum suis pertinentiis nunquam vendet, aut alienabit &c.

1362. NOs *Wenceslaus* DEI Gratiâ, *Dux Silesiæ & Dominus Lignicensis* promittimus bonâ nostrâ fide sine omni dolo, præsentibus, & spondemus *Serenissimo Principi & Domino Carolo quarto*, divinâ favente *Clementiâ Romanorum Imperatori semper Augusto & Bohemiæ Regi, tanquam Domino nostro, verè hæreditario & naturali*, Legnicz tam Castrum, quàm Civitatem cum ejus districtu, cúmque suis pertinentiis universis, & singulis, nunquam vendere,

vendere, neque à nobis, & â nostris hæredibus quomodolibet alienare. Harum nostrarum sigillo nostro sub appenso testimonio literarum. Datum in *Piska* Anno Domini M. CCCLXII. Quindecimo Calendas Junii.

EPISTOLA XXVI.

Sigismundi Romanorum *Regis, & Alberti Ducis Austriæ literæ, Vidimus literarum Boleslai, VVenceslai, Ludovici Ducum* Lignicensium, *quibus submittunt, & resignant Ducatus & Dominia sua Joanni Bohemiæ Regi, & Boëmiæ Regno, quæ vicissim ab eodem Rege in feudum perpetuum susceperunt. Item quòd non existentibus eorum hæredibus, hi Ducatus ad Reges Boëmiæ debent devolvi, & quod nihil ab his Ducatibus, possit vendi, nisi illud primùm Regibus Boëmiæ denuntietur, &c. & aliarum binarum literarum vidimus in his literis non sunt descriptæ, propterea quòd suis locis in hunc librum sunt ex originalibus annotatæ, & inscriptæ.*

1426. Nos Sigismundus DEI Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Et Albertus eâdem Gratiâ Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Marchio Moraviæ, notum facimus tenore præsentium universis.

QUòd nos nuper vidimus, & auscultare, ac legi fecimus certas literas *Illustrium Boleslai, Wenceslai, & Ludovici, Ducum Silesiæ, & Dominorum Lignicensium*, non abrasas, seu cancellatas, sed integras, sanas, & omni vitio, ac suspicione carentes sigillisque veris, & non fictis firmiùs communitas, quas ad præsentes literas nostras, atque scripta inseri, & transcribi fecimus, ut eis à quocunque homine adhibeatur fides infallibilis, & firma, quarum quidem literarum tenor sequitur, & est talis:

Nos Boleslaus, Wenceslaus, Ludovicus, DEI Gratiâ Duces Silesiæ, & Domini Lignicenses ad universorum notitiam tam præsentium quàm futurorum volumus pervenire, quòd nos habitâ deliberatione, & tractatu inter nos, & cum fidelibus nostris consilio diligenti, nullo metu penitùs nos urgente, sed motu proprio & bonâ nostra voluntate inducti, omnes terras, Civitates nostras, *Legnitz*, videlicet, cum Castro *Olow*, *Grotkow*, *Nemsch*, cum castro *Manislaw*, cum castro *Beroltstadt*, cum castro *Ehrevezburg*, cum castro *Ditschin*, *Landtsberg*, & *Chumczenstadt*, cum castro *Chozenow & Tyczense*, castra nostra cum Territoriis & pertinentiis omnibus ipsorum, & singulis quibuscunque distinguantur nominibus, quas, & quæ ab ineunte nostræ ætate à Parentibus, & progenitoribus nostris liberas semper, & ab omni servitute disbrigatas tenuimus, & possidemus Principis Magnifici Domini *Joannis Boëmiæ, & Poloniæ Regis, ac Lucemburgensis Comitis*, Domini & sororii nostri charissimi, ante fores Ecclesiæ Beati *Joannis* in Wratislavia submisimus ditio-

mus ditioni, ipsas, & ea pro nobis, & hæredibus nostris præsentibus', & futuris dicti Regis Imperio liberè resignantes', ut Principes, & Vasalli sui hæredum, & successorum suorum, ac *Regni Boëmiæ* fieri valeamus'. Ipse verò Rex affectionem nostram, & votum considerans, grato favore nobis' occurrens, nos, & hæredes nostros in Principes, & Vasallos suos, hæredum, & successorum suorum, ac ipsius *Regni Bohemiæ*, recepit placidè, & assumpsit præfatas terras, Civitates nostras, atque castra cum omnibus suis (ùt præmittitur) attinentiis, nobis, nostro, & hæredum nostrorum prædictorum nomine, in feudum perpetuum, & hæreditarium conferendo, ità, quòd Regem ipsum, hæredes, & successores suos prænotatos, de cætero Dominos nostros veros, & legitimos, nos, & hæredes nostri recognoscere, & eis intendere, & fideliter assistere perpetuò teneamur. Unde si (quod absit) nos ipsos vel hæredes nostros migrare contingeret ab hac vita, hæredibus masculinis legitimis, de corporibus nostris procedentibus', non relictis', sæpe dictæ terræ nostræ, & Civitates cum castris, & appendiis suis' omnibus ad suprà dictos, *Regem*, hæredes, & successores suos; nec non ad ipsum *Regnum Bohemiæ*, nomine, & titulo Dominii devolventur; si autem urgente casu aliquo, Civitatem nostram aliquam, sive castrum cum Territorio, vel sine Territorio, nos, vel hæredes nostri vendere compellemur, Principi, vel Nobili viro alteri, qui Civitatem ipsam, vel castrum, à nobis, vel hæredibus nostris, in feudum recipere noluerit, aut habere; Ipsam vel ipsum eidem *Regi*, hæredibus, & successoribus emendam offerre tenebimur, & exhibere pretiò, si voluerint, comparandam. Sin autem, ex tunc licebit nobis illam, vel illud, viro fideli, & idoneo vendere, qui in feudum ipsam, vel ipsum ab ipsis', *Rege*, hæredibus, & successoribus suis recipiat facturus, & exhibiturus ipsis servitia debita, juxta morem aliorum fidelium, & consueta. Mandamus igitur *universis*, *& singulis Baronibus*, *Nobilibus Clientibus*, *Vasallis*, *fidelibus*, *Civibus*, *Oppidanis*, *Villanis*, ac cæteris nostris hominibus omnibus, & singulis, qui nunc sunt, & erunt pro tempore, quatenus *supradictis Regi*, *hæredibus & successoribus suis* si (quod absit) ùt prædicitur, nos, hæredes nostri, decesserimus, hæredibus masculinis non relictis, tanquam veris, & naturalibus Dominis suis, ad quos' ipsos, præsentibus ordinamus, & dirigimus servitiis, & modis aliis juxta communem fidelium Poloniæ consuetudinem, intendere perpetuò debeant, & parere. Testes præmissorum sunt venerabiles Domini *Nanckerus Wratislavienses*, *Vitiko Misnenses*, *Ecclesiarum Episcopi*, *Principes & Duces Illustres*; *Domini Henricus Wratislavienses*, *Wladislaus Bitunienses*, *Henricus*, *Conradus*, *& Joannes Glogovienses*, *Bolko Falckenbergenses*, quorum omnium sigilla ad preces nostras, una cum sigillis nostrorum duorum, *Boleslai* scilicet, ac *Wenceslai* Ducum præfatorum, vicem Domini *Ludovici* supradicti supplentium, cùm adhuc Sigillo careat proprio, præsentibus in testimonium sunt appensa. Et nos *Nanckerus & Witiko Wratislavienses*, *& Misnenses Ecclesiarum Episcopi*, *Henricus Wratislavienses*, *Bitunienses*, *ac cæteri Duces*, *& Principes prædicti*, vocati ad præmissa testes, & rogati præmissis omnibus præsentialiter interfuimus', scriptis præsentibus sigilla nostra ad perpetuam rei memoriam in testimonium evidens appendentes. Datum *Pragæ* in die B. *Luciæ* Anno Domini 1301. literæ verò *Illustrissimorum* Ducum *Ruperti*, *& Boleslai* Ducum *Silesiæ*, *&* Dominorum *in Legnitz*, quas etiam auscultari, & legi, at transmutari fecimus, sic sonabant:

Wir

WIr Ruprecht und Womislaw Brüder von GOttes Gnaden Hertzog zu Schleßingen/ und Herren zu Lignitz: Bekennen vor uns und unsere Erben / und nachkommenden Hertzogen / und thuen kundt / die diesen Brieff immmer sehen/ und hören lesen / wan wir Vermög unser Fürstenthumb / Hertzogthumb / Herrschaffte / Lande / und Güter mit allen ihren Fürstlichen Rechten/ und Zugehörungen/ wo die gelegen seyn/ und wie man die mit sonderlichen Worten / und Namen benennen mag / von dem AllerDurchleuchtigsten Fürsten/ und Herrn Herrn Wenceslaen Röm. König / zu allen Zeiten Mehrer des Reichs/ und König zu Böhmen / als von einem König zu Böhmen / unserm Gnädigen lieben Erbherrn recht und redlich zu Fürstl. Lehn empfangen haben. Vnd Ihm auch als einen König zu Böhmen darüber gehuldet / gelobet / und geschworen haben leibhafftig Ayde / zu den Heyl seiner Frommen zu werben/ seinen Schaden zu wenden / und alles das gegen Ihm zu thun/ das recht Fürsten und Fürstliche Manne gegen ihren rechten Erblichen und Obristen LehnHerrn pflichtig seyn zu thun/ an alles gewerde. Da von andern weit mit wollbedachten Muhte / und von rechter unser beyden Wissen geloben / Wir aber in Kräfften solcher genandten Ayde denselben unsern Herrn Herrn Wenceslaen Röm. König und König zu Böhmen / daß wir Ihm als einen König zu Böhmen unsern recht natürlichen/ und ordentlichen/ und Erblichen/ und obersten LehnHerrn/ dem Königreich und der Kron zu Böhmen hold und getreu / gehorsam und unterthänigst seyn sollen / und wollen ihren Schaden zu wenden / ihren Frommen zu werben / und alles das gegen Ihm zu thun / daß wir als der König/des Königs und der Kron zu Böhmen / Fürsten und Fürstlichen Manne durch Recht oder durch Gewonheit gegen unsern rechten ordentlichen und natürlichen Herrn LehnHerrschafften und LehnHerrn zu thun schuldig oder verpflicht seyn / nach unserer Fürstlichen Rechten / ohne alles geneuerte und Tagliß/ mit Vrkundt dieses Brieffs gegeben/ mit unserer beyden guten Gewissen / zu Prag / und unseren anhangenden Insiegel am Heiligen Ostertag nach Christi Gebuhrt unseres lieben HErrn tausend und drey hundert Jahr im drey und achtzigsten Jahr.

In cujus rei Testimonium, atque robur præsentes literas, ac Inscriptiones, sigillorum nostrorum appensione fecimus firmiùs roborari. Datum *Viennæ* A. Dom. 1426. 26. die Mensis Martii, Regnorum nostrorum, A. Hungariæ &c. 39. Romanorum 16. & Bohemiæ 6.

§. IV.

DUCATUS GLOGOVIENSIS, ET SAGANENSIS.

EPISTOLA XXVII.

Henrici Ducis Glogoviæ & Domini Saganensis ejusdem Ducatus susceptio à Joanne Rege Bohemiæ & ejusdem Regni Corona in feudum.

Anno 1329.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

NOverint universi tam præsentes quàm posteri notitiam præsentium, ac copiam habituri. Quòd nos *Henricus DEI Gratiâ Dux Silesiæ, & Glogovienſis, ac Dominus Saganensis*, ob specialis amoris affectum, quem erga *Magnifici Principis, Domini Joannis Boëmiæ & Poloniæ Regis ac Lucemburgensis Comitis, Domini nostri charissimi*, gerimus Celsitudinem, habito nobiscum, amicis quoque ac fidelibus nostris consilio diligenti, ac deliberatione maturâ, accedentibus etiam favore & consensu eorundem expressis ad scripta, bonum in hoc nostrum principaliter, consequenter autem *fidelium, terrarum, Civitatum, hominum & bonorum nostrorum omnium infra scriptorum commodum*, statúmque inantea pacificum perpendentes, *Princeps & Vasallus suus, hæredum successorum suorum Boëmiæ Regum, ac ipsius Regni Bohemiæ* in perpetuum fieri & fore decrevimus, omnia & singula bona nostra, sub eisdem libertatibus & Juribus, quibus à *Prædecessoribus nostris*, ad nos perveniſſe noscuntur, omnes terras nostras, quas ad præsens possidemus, vel possidebimus, quocunque titulo in futurum tam citra quàm ultra fluvium, qui Odera dicitur, cum Civitatibus, ac castris eis adjacentibus, ac aliis Sagano, videlicet Vreniſtat, Sprotavv, Grunumberg, Krozzen, Nuemburg, Wartemberg, Malnitz, Pusa, Pobursberg, Czulchovv, Svvicozin, Lubnavv, Brutnicz, Bentschicz, Kopanicz, Standendorff, Netka, Babinmost, Premund, Prschbrovv, Trebechovv, cum cæteris fortalitiis, & munitionibus nostris, omnibus appendiis, Dominiis, Oppidis, Villis, Allodiis, feudis, feudalibus, Nobilibus & plebeis, Juribus, redditibus, proventibus, & utilitatibus earundem quocunque vocentur nomine, vel in quibuscunque consistant, nostro, hæredum & successorum nostrorum Silesiæ, & Glogoviæ, Ducum ac Dominorum Saganensium nomine, in Regis ipsius manibus sponte & liberè resignantes ab eo in feudum recepimus perpetuum, factóque sibi per nos fidelitatis debitæ homagio præstito corporali nihilominus Juramento, ipsi Regi, hæredibus & successoribus suis prædictis tanquam veris Dominis nostris, velut Princeps & Vasallus eorum, Regnique Bohemiæ antedicti parere deinceps promisimus & intendere in eosdem & contra quemlibet Principem & hominem ipsos pro viribus fideliter adjuvare. Reservatâ nobis ædificandi, ac restaurandi munitiones novas in terris nostris & bonis præmissis, & destruendi veteres ubicunque, & quocunque nobis videbitur pro nostro terrarum prædictarum, & hominum nostrorum commodo expedire, liberâ facultate, volentes & firmiter statuentes, ut si fortè

Quid sibi reservent Duces Glogovienſes.

si fortè nos hæredes aut successores nostri sublati de medio fuerimus, hæredibus legitimis, & præcipuè masculinis non relictis, ex tunc bona nostra, *Terræ, Civitates, & Oppida*, cum omnibus pertinentiis suis, ut prædicitur, *ad fratres nostros Principes, Illustres, Dominum Conradum* videlicet *Ducem Silesiæ & Glogoviæ, Dominum Olsnenſem, Dominum Joannem Ducem Silesiæ & Glogoviæ, ac Dominum Stynaviæ, hæredesque masculinos* duntaxat si quos reliquerint, ad *Regnum Bohemiæ* prædictum liberè & hæreditariè debeant pertinere, hoc tamen adjiciendum duximus nominatim, quòd si nos ipsi hæredes vel successores nostri præfati, cum *Clericis, Civibus, Rusticis vel Judæis* nostris aliquid causæ quæstionis vel Judicii instauraverimus, de his & hujusmodi, Rex, hæredes, & successores sui prædicti, nobis, hæredibus vel successoribus nostris superstitibus intromittere se non debeant quovis modo; Si verò Nobiles, vel fideles terrarum nostrarum suprascriptarum, debitam per nos, hæredes & successores nostros de suis quæstionibus, aut causis nobis motis de quibus juxta literarum Regalium datarum nobis continentiam secundum fidelium nostrorum sententiam, & dictamen subire tenemur, & facere Judicium, assequi non possint Justitiam, Regem hæredes & successores suos prædictos adire poterunt, liberè querelas ipsorum proponere & defectus. Nosque hæredes & successores nostri prædicti citati ibidem coram Rege videlicet, hæredibus & successoribus suis, *Boëmiæ Regibus*, ubicunque *Boëmiæ* fuerint aut *Poloniæ*, cum altero verò Principe per eos adhæc juridicè deputatos, sisti tenebimur in terra Wratislaviensi duntaxat, Judicio facere, & subire de nobis, hæredibus vel successoribus nostris conquerentibus quibuslibet justitiæ complementum, illud insuper specificè decrevimus exprimendum: Quòd si fortasse *nos, hæredes, & successores nostros gravatos* inopiâ, debitis aut aliâ causâ rationabili aliquâ, territorii & Dominii aliquantum de nostris vendere, aut obligare continget, munitionem, Principi nobis æquali, aut etiam territorium nostrum habentem seu Dominium alteri ipsi *Regno Boëmiæ* competendi munitionem eandem sivè Dominium, habeat, & territorium, sivè non, vendendam aut obligandam ipsis, *Regi, hæredibus & successoribus suis* exhibere præ cæteris debeamus, qui si ipsam emere vel in pignore recipere voluerit, Princeps ipse munitionem prædictam, territorium videlicet habentem emens, aut pignore tenens, in feudum ipsam recipere tenebitur, ab eisdem ipsísque tanquam suis veris Dominis parere, servire, intendere de eadem. Alter verò non Princeps emens, vel pignore tenens munitionem nostram, ut prædicitur, territorium aut Dominum non habentem, à nobis hæreditus & successoribus nostris eam in feudum suscipere tenebitur hoc adjecto: quòd *Rex, hæredes, aut successores sui* antedicti munitiones supradictas pro summa eadem in qua obligatæ fuerint, vel venditæ redimere valeant, quomodo velint. Illud etiam nollemus præterire, quòd si Rex, hæredes, vel successores sui supradicti, nos hæredes vel successores nostros pro præstando ipsis per nos adjutorio ad partes extra Bohemiam & Poloniam evocaverint alienas, convenientiam nobis debitam, nè servitiis nimiis, & importabilibus prægravemur, teneatur facere. In quorum omnium testimonium præsentes fieri jussimus literas sigilli nostri robore communitas. Datum & Actum *Wratislaviæ* feriâ tertiâ post Dominicam Misericord: Anno Domini ejusdem M. CCCXXIX.

EPISTOLA XXVIII.

Joannis Ducis Stinaviæ resignatio Jurium suorum Joanni Regi Bohemiæ, & Territorio Glogovienſi &c.

Nos Joannes DEI Gratiâ Dux Sileſiæ & Dominus in Stinavia.

NOtum fieri volumus univerſis præſentib⁹ quàm futuris præſentes literas inſpecturis. Quòd nos animo deliberato, maturóque conſilio, ſanâ mente & corpore totum Jus proprietatis, ac Dominii, devolutionis, ac ſucceſſionis hæreditariæ, quòd ex parte *Domini quondam genitoris noſtri Domini Henrici, aut ex parte Domini Primkonis bonæ memoriæ fratris noſtri Ducum Glogoviæ, in ipſa Civitate Glokov, territorio, Juribus, redditibus, Cenſibus, proventibus, ſuisque appendiis & pertinentiis*, aut in præſenti competit, vel competere poterit in futuro, *Magnifico Principi, Domino noſtro Domino Joanni Bohemiæ & Poloniæ Regi ac Comiti Lucemburgenſi, & hæredibus ſuis pro duobus millibus marcarum Polonici Pagamenti, quadraginta octo groſſos Pragenſes Denarii pro marca* qualibet computando, quas ab ipſo Domino *Rege* recepiſſe paratas præſentibus nos fatemur, vendidimus, ceſſimus, & reſignavimus liberè, in Præſentia *Illuſtrium Principum & Dominorum Boleslai* videlicet, *Ducis Sileſiæ, Domini Lignicenſis, Domini Conradi fratris noſtri chariſſimi Ducis Glogoviæ, & Domini Stinaviæ, Domini Witikonis Epiſcopi Miſnenſis, & aliorum magnorum Nobiliumquemultorum virorum* convocatis & evocatis ad hoc *Civibus Glogovienſibus* univerſis. Quos omnes tam divites, quàm pauperes, Juvenes atque ſenes⁹, ſexûs etiam utriúſque in loco publico ante hoſpitium dicti Domini *Regis* hoc eſt, ante domum Henrici filii quondam Ekhardi Civis Glogovienſis à præſtito nobis homagii & fidelitatis debitæ Juramento, & liga qualibet, quibus nobis tenebantur hactenus & aſtringebantur, abſolvimus & abſolutos à nobis & hæredibus noſtris, ſi quòd adhuc nos habere contigerit, omnes forè publicè pronunciavimus dirigentes & demonſtrantes ſeu transferentes eos, ad ipſos, Regem & hæredes ſuos, tanquam homines ligios & fideles ad veros, legitimos & hæreditarios de cætero ſuos Dominos⁹, doli, fraudis, & malitiæ fomento quolibet procul moto. Renunciantes ſponte, in his ſcriptis & expreſsè noſtro & hæredum noſtrorum nomine, omni Juri, proprietati & Dominio, quæ nobis in prædictis Civitate Glogovv, territorio ipſius, & cæteris annotatis ſuperiùs hucuſque competierunt, competunt præſentialiter, aut competere in futuro poterunt, quoquo modo: Exceptioni nihilominus, doli mali infactum, actioni, beneficio reſtitutionis⁹ in integrum, Literis quoque à *Papa Romanorum Imperatoribus aut Imperatore* ſivè *Regibus* vel *Rege* impetrandis ac etiam impetratis, omníque Juris auxilio tam Canonici quàm Civilis quibus præſenti noſtræ venditioni, ceſſioni & reſignationi ſpontaneæ modo poſſet aliquo derogari aut etium obviari. Et promittentes bonâ fide noſtro & hæredum noſtrorum nomine præfatorum, contractum noſtrum præſentem venditionis, ſeu ceſſionis, ac reſignationis noſtræ voluntariæ præfatorum, omnium ſuperiùs expreſſorum inviolabiliter perpetuis inantea temporibus obſervare, & contra præmiſſa, vel præmiſſorum aliquid de Jure ſive facto, per nos ipſos, alium vel alios nullo unquam

unquam tempore facere aut venire vel aliqualiter contraire. In quorum omnium teſtimonium, memoriam & cautelam præſentes fratris⁹, & ſigillorum noſtri videlicet, ac *Venerabilis Patris in Chriſto Domini Witigonis Miſnenſis Epiſcopi*, nec non *Civium ſeu Civitatis Glogovienſis* à nobis rogatorum, appenſionibus fecimus roborari. Et nos *Witigo DEI Gratiâ Miſn: Epiſcopus Judex, Scabini & Cives Glogovienſes* antedicti ad preces *Domini Joannis Ducis* ſupradicti ſigilla noſtra præſentibus in teſtimonium enarratorum ſuperiùs⁹ omnium, & ſingulorum duximus appendenda. Datum & Actum *Glogoviæ* in die B. Remigii. Anno M.CCCXXXI.

EPISTOLA XXIX.

Quomodo Bolkoni Duci Sileſiæ media Glogovia fuerit conceſſa.

1361.

Nos Bolko DEI Gratiâ Dux Sileſiæ de Fürſtenberg, & Dominus in Svveidnitz, notum facimus univerſis præſentes literas inſpecturis.

QUòd quia *Sereniſſimus, ac Invictiſſimus Princeps, & Dominus Carolus IV. divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Boëmiæ Rex, Dominus noſter gratioſus*, ob ſingularis amoris affectum, quo nos gratioſè complectitur medietatem Civitatis Glogoviæ ad ſe & Regnum ſuum Bohemiæ ejuſdem Regni Coronam immediatè ſpectantem cum *Villis, Curiis, Cenſibus, Utilitatibus, honoribus, Civibus, Vaſallis, Incolis, & Ruſticis, ac univerſis pertinentiis prædictæ Civitatis mediæ ac diſtrictus ejusdem*, nobis dedit atque donavit tenendam, habendam, utifruendam, per nos⁹, & ad vitæ noſtræ tempora pacificè poſſidendam. Ità quòd poſt noſtrum obitum ad ipſum, ſeu *hæredes, & ſucceſſores Reges Boëmiæ, & ad Regnum Bohemiæ* omnimodo revertatur. Ideóque ſuæ gratiæ grati eſſe volentes, eidem Domino noſtro promiſimus, & præſentibus ex certa noſtra ſcientia bonâ fide noſtrâ ſincerè abſque omni fraude promittimus, quòd quàmprimùm ad præſentiam ſuam (DEO volente) venerimus, ex tunc juxta ſuam, vel non extante (quod abſit) hæredis, & ſucceſſoris ſui *Regis Boëmiæ* in formationem & pro nobis & hæredibus noſtris ipſum & hæredes, aut ſucceſſores ſuos *Reges Boëmiæ*, cum literis & promiſſis fidelibus *Illuſtriſſimæ Principis* Dominæ *Agnetis* Ducisſæ *Sileſiæ & in Sweidnicz & Jaurov*: ſufficienter certificare, ſibíque cavere volumus, & debemus, quòd poſt obitum noſtrum dicta medietas Glogoviæ cum univerſis pertinentiis ſuis præfatis, abſque omni contradictione impedimento, & difficultate ad *memoratum Dominum noſtrum Dominum Imperatorem*, & *Regem Bohemiæ ſeu hæredes & ſucceſſores ſuos Reges Bohemiæ & ad Regnum Bohemiæ ejusque Coronam* infallibiliter & omnimodè revertatur. Et ſi quicunque cujuſcunque conditionis dignitatis vel ſtatûs, poſt noſtrum obitum ipſum Dominum *noſtrum Imperatorem*, *ut Regem Bohemiæ hæredes & ſucceſſores ſuos Reges Bohemiæ*, qui pro tempore fuerint, in receptione, & recuperatione dictæ Civitatis mediæ Glogovienſis nec non diſtrictus, & pertinentiarum omnium prædictarum quomodolibet impedire, vel eas occupare tentaverit, eadem conthoralis noſtra, hæredes noſtri nec non & *Nobiles, Civitatenſes, Vaſalli, & terrigenæ Swidnicenſes & Jaurenſes*, prædicti

eos ad obtinendum, recuperandum, ac plenissimè capiendum, Civitatem mediam antedictam cum suis pertinentiis prælibatis fideliter & efficaciter totâ suâ potentiâ adjuvabunt. Illud autem specialiter expresè promittimus bonâ fide, quod ad regimen & ad gubernationem Civitatis & districtus prædictorum, honestum virum statuere volumus & debemus, qui cum eisdem *Domino nostro Imperatori ut Regi Bohemiæ hæredibus & successoribus suis Regibus Boëmiæ* Juratâ fide promittet, quandocunque nos mori continget, ea sine omni dolo ipsis fideliter assignare & in ipsorum reddere potestatem. Et quotiescunque uno depósito alium in eodem Regimine statuemus, toties similem promissionem Juratam ipsis fieri procurabimus bona fide à quolibet qui per nos illis fuerit constitutus. In cujus rei testimonium præsentes literas fratris, & sigilli nostri de certa nostra scientia jussimus appensione muniri. Data *Sweidnicz* Anno Domini M. CCCLXI. Dominica quadragesimali quâ cantatur: *Oculi mei.*

§. V.

DUCATUS OPPOLIENSIS.

EPISTOLA XXX.

Kazimiri Ducis Oppoliensis Domini in Bithum VVenceslao Regi Bohemiæ & ejusdem Regni Coronæ homagium præstitum.

1289. Magnifico & Illustri Domino suo, Domino Wenceslao Serenissimo Regi Bohemiæ, & Marchioni Moraviæ, Kazimirus DEI Gratiâ Dux Oppoliensis & Dominus in Bithum, cum prompta devotione suæ fidelitatis servitium indefessum.

Cum naturæ ingeniosæ artificio creaturam suam summus opifex vi propagandarum rerum omnium sic formaverit, sicque disposuerit, ut quælibet res votivæ conservationis locum sibi appetat, ibíque auxiliaris opis adminiculum quærat, ubi in suæ stabilitatis permanentia meliùs & faciliùs se tueatur. Et amicitiæ vigor sic in creatis suas extendat propagines, ut, diversis potestatibus mundialis machinæ dissidentia uniat, & res rebus obscurissimus locus. concordi subjiciat unione. Mortalium quoque cognitio, cùm naturalium rerum dispositionem à DEO progressam opifice non immerito etiam imitetur, ut ibi locum homines quærant refugii, ubi auxiliare præsidium absque spe refuga salubriùs invenitur, & illorum se submittant liberiùs potestati, qui dilectionis & amicitiæ puritate, à retroactis temporibus per progenitores tanquam radicitus præconcepta eos favorabiliùs prosequuntur. Imitans equidem præmissa & attendens subsequentia: Quòd ex favore quondam Domini Ottogari *Regis Boëmiæ* memoriæ recolendæ, pater meus recordationis felicis quondam Wladislaus Dux Oppolienſis, propter devotionem & obsequia, quibus se totum cum prompta benevolentia eidem dederat, multa promotionis & honoris beneficio suis temporibus sit sortitus. Ego, qui in bonis & utilibus actibus sequor libenter vestigia patris mei, considerato &

rato & evidenter cognito, quòd bonitas favor & potentia vestræ dominationis, qui claræ indolis insignibus reniteſcentes, & paternæ prudentiæ nanciſcentes vestigia, non lenteſcitis subditorum vestrorum commoda procurare plurima, mihi, filiis, hæredibus, Ducatui, & hominibus meis in ipso Ducatu meo existentibus, honoris, & pacis profectum afferre, poterunt incrementa maximè, cùm per vos & successores nostros meliùs quàm per alium à meis violentis', & meorum fidelium oppressoribus à quibus hucusque sumus oppressi & opprimimur, potero cum eisdem meis fidelibus defensari, de consilio deliberato, ac bonâ voluntate, ac consensu *filiorum meorum Boleslai, & Wladislai, ac propinquorum, amicorum, Baronum, & aliorum meorum & ipsius Ducatûs mei Nobilium* non coactus, nec vi, nec metu inductus, sed bonâ spontaneâ, & liberà voluntate meâ, volens in hoc meam, filiorum hæredum & successorum meorum conditionem facere meliorem, nostræ, hæredum ac successorum nostrorum omnium, *Regum Boëmiæ* potestati & dominio, me, filios, hæredes', & successores meos & successorum meorum hæredes', Ducatum, Castra, Civitates, Oppida, & universas possessiones meas, & omnium Baronum, Nobilium, & aliorum terrigenarum meorum, in ipso Ducatu meo degentium, sive manentium, ac ipsos, Barones, Nobiles, & terrigenas meos, de unanimi consensu eorum, nonnullis etiam ipsorum præsentibus subjeci, & in his scriptis subjicio, & manere volo perpetuò sic subjectos, eosdem nihilominus Barones, Nobiles', terrigenas, alios Cives, & universos Ducatûs mei Incolas seu habitatores', à fidelitate & homagio, quibus mihi, & meis hæredibus filiis, ac universis successoribus, sunt astricti, ex nomine, sinè difficultate qualibet tenore præsentium absolvendo. Resignavi etiam & ex nomine resigno publicè per vexillum meum, eundem meum Ducatum, & omnia Jura ejusdem Ducatûs cum Juribus, & Dominiis, quæ mihi, filiis, hæredibus & successoribus' meis universis in eodem Ducatu competunt, meo, filiorum meorum, qui nati sunt, & qui nascentur imposterum, omnium hæredum & successorum meorum nomine ad manus, potestatem & Dominium vestrum, qui recepit à me resignationem eandem pro nobis, & hæredibus nostris, ac hæredum successoribus à nobis in perpetuum descendentibus universis, in præsentia subscriptorum testium ad hoc per me, filios, Barones, & Nobiles Ducatûs mei prædictos specialiter rogatorum. Et renuncians expresè meo filiorum meorum & hæredum & successorum meorum quorumlibet nomine, omnium privilegiorum patrociniis, & libertatibus, quæ mihi & eisdem filiis, hæredibus, & successoribus meis super Ducatum, ipsi & Juribus ejus competunt, vel possent competere in futurum. Et specialiter illi libertati renuncians', quam mei prædecessores Duces Oppolienses habuerunt, in antea, & quam ego hucusque habui, & mei hæredes & successores in futurum habuissent, ex consuetudine aliqua, vel de Jure meo, quòd nulli alteri Principi poterant subjici, vel debebant, à vobis Domino meo, in feudum, & Jure feudi prædictum Ducatum, dignitatem, titulum, & honorem ejusdem Ducatûs prædicti recepi & ex tempore recipio, vobísque tanquam meo, & feudi Domino homagium feci, & facio, & vobis Fidelitatem, devotionem, & obedientiam perpetuam promisi, & nunc promitto corporali Juramento interposito, in præsentia testium eorundem, ordinando & omnino volendo, ut filii, hæredes & successores mei universi in ipso feudo mihi de cætero succedentes, de manibus nostris & *Successorum nostrorum* idem *feudum & Ducatum* recipere, & vobis, vestrisque successoribus,

cessoribus, homagium, fidelitatem & obedientiam interposito etiam Juramento promittere, ac fideliter facere in perpetuum teneantur, obligando nihilominus *me, filios, hæredes, & successores meos* solenni stipulatione interpositâ, vobis, & successoribus vestris *Regibus Boëmiæ*, quòd quotiescunque vel quandocunque jusseritis, vel vestri jusserint successores, vos & eos juvabo, juvari volo per successores meos contra omnem hominem fideliter toto posse tanquam vester Vasallus quilibet, sive Baro Regni vestri. Nec non ad omnia, & singula in perpetuum quæ Jura feudi exigunt & requirunt, & etiam ad illa quæ quisque Vasallus suo vero Domino facere potest in omnibus, atque debet. Promitto insuper, & promisi pro me, hæredibus & successoribus meis prædictis sub prædicto Juramento prædicta omnia & singula prædictorum rata, & firma tenere & adimplere, ac servare perpetuò nec unquam contra eadem, vel eorum aliquod venire vel facere per me, vel alios, aut aliud quoquomodo. Et renuncians expresè, atque renuntio tenore præsentium in omnibus præmissis, & quolibet præmissorum pro me, filiis, hæredibus, & successoribus meis omnibus omni actioni, defensioni rei cuilibet, *aut auxilio, Juris Canonici & Civilis, Consuetudinibus, Constitutionibus & Statutis contrariis, privilegiis, seu indulgentiis* quibuslibet, & illis specialiter *privilegiis, seu indulgentiis* quibus à *sede Apostolica, vel à Romano Imperio* seu à quibuscunque aliis, vel alio, *Poloniæ Principibus* est provisum, nè Alemanniæ, vel aliis Principibus se subjiciant, & eis homagium faciant, & aliis quibuscunque tam generalibus, quàm specialibus privilegiis, seu indulgentiis, quas vel quæ hæredes mei possemus contra prædicta, vel aliquod prædictorum de Jure objicere, vel defacto, & quæ mihi, & successoribus meis, vel contra præmissa omnia, vel eorum aliquod, ego, filii, hæredes & successores mei venire possemus, & si ea non teneamus vel non servaremus possent competere vel aliqualiter suffragari. In cujus rei testimonium, & robur perpetuò valiturum præsens privilegium voluntariè ac libenter vobis trado, & offero. Sigillorum mei proprii & Venerabilium Patrum *Dominorum Tobiæ Pragensis & Theodorici Olomucensis Episcoporum, ac* Illustrium Principum Dominorum, *Bolkonis Ducis Silesiæ, & Domini de Lewenberg*, atque *Nicolai Ducis Oppaviensis*, nec non honorabilium personarum, *Cristanni Brevnoviensis Sancti Benedicti, Jordani montis Sion Præmonstratensis, Reinheri Cladrubensis, Sancti Benedicti, & Henrici Esze Cistercicensis Ordinum, Abbatum Pragensis Diœcesis.* Et Virorum Venerabilium Magistrorum *Ulrici Pragensis, Joannis Sacensis, Ulrici Melnicensis, & Pardi Boleslaviensis Ecclesiarum Præpositorum, Magistri Gregorii Pragensis, Domini Budislai Olomucensis, & Domini Bartholomæi Wissegradensis Ecclesiarum Decanorum*, ad mearum petitionum instantiam appensione in testimonium evidens roboratum. Acta sunt hæc Pragæ in Castro, Palatióque Regio in præsentia Personarum superius expressarum, & in præsentia Baronum, Nobilium meorum, videlicet *Zboleslai Judicis terræ meæ, Jeschonis Burggravii Bythunicensis, Grimislai Dapiferi mei, Michaëlis Marschalci mei Andreæ dicti Belick, Bernhardi & Theodorici Militum, Leonhardi, Pauli, Geschonis, Stephani, & Stephani Budiwoji Domicellorum Nobilium* meorum & terræ meæ prædictæ. Et in præsentia Nobilium virorum *Otogeri de Lomnicz summi Camerarii Regni* Boëmiæ, *Alberti de Seberg Marschalci ejusdem Regni Bohemiæ, Sdeslai de Sternberg Pragensis* Burggravii, *Benessii de Wartenberg Camerarii* ejusdem Domini mei *Regis Boëmiæ, Wenceslai Bavorii de Strakonicz* Burggravii *in Clinberg, Protiveni de Borowsko Camerarii Serenissimæ*

nissimæ Dominæ meæ Reginæ Bohemiæ, Alberti Dapiferi, & Joannis de Michelsberg, Theodorici Spatzmanni in Weinberg Burggravii, Potonis de Potenstain, Burggravii in Thust, Hinkonis de Lichtemburg, Hinkonis de Duba, Mutinæ de Kostomlat, Zbislai de Trzebun, Friderici de Sonemburch, Ottonis de Ilenburch, Bohuslai de Bor, Dluhomili de Wezde, Ulrici de Novadomo, & in præsentia multorum aliorum tam *Religiosorum, quàm Secularium, Clericorum & Nobilium, popularium & Civium*, qui propter hoc specialiter de omnibus *Regni Boëmiæ* finibus pro testimonio fuerant convocati. Anno Domini 1289. Quarto Idus Januarii, Indictione 2. Et nos *Theodoricus DEI Gratiâ Episcopus Olomuczensis* rogati per prædictum *Dominum Ducem* Kazimirum præsenti instrumento per Magistrum *Ambrosium Canonicum Ecclesiæ* nostræ Olomucensis nostrum *Notarium* nostro nomine subscribi, & sigillum nostrum fecimus appendi.

Earundem Literarum Vidimus Sigismundi Romanorum Regis, & Alberti Ducis Austriæ, quarum Datum Viennæ 1426. *Die Vigesimâ Mensis Martii.*

EPISTOLA XXXI.

Homagium Bolkonis Ducis Oppoliensis. Nos Bolko DEI Gratiâ Dux Oppoliensis, & Dominus in Waltenberg recognoscimus, & fatemur tenore præsentium universis.

NOs esse *Principem & Vasallum Magnifici Domini nostri Domini Joannis Bohemiæ, & Poloniæ Regis Illustris ac Comitis Lucemburgensis* & ab eo terram *Waltenberg, cum Glogovia* minore & Czulcz nec non Stulicz Oppido cum munitione ibidem, & Parmusim munitione, etiam cum Villis, hominibus, Vasallis, & militibus ad ipsas spectantibus ac aliis suis pertinentiis universis, in quibuscunque consistant, quas nunc habemus & in posterum sumus quocunque titulo habituri, nostro hæredum & successorum nomine Ducum Oppoliensium & Dominorum ibidem in Waltenberg recepisse in feudum & ab ipso tenere ac possidere Jure. Volentes quòd hæredes & successores nostri Duces Oppolienses, & Domini in Waltenberg prælibati, juxta literarum continentiam, quas à *Præfato Domino nostro Rege Bohemiæ* super eo recepimus, & habemus quandocunque prædictam terram nostram vacare contigerit eam ab ipso Domino nostro aut à suis hæredibus vel successoribus suis *Bohemiæ Regibus* in feudo recipere semper deinceps debeant & tenere, & facto sibi servandæ perpetuo fidelitatis homagio, sicut & nos nunc spontaneâ & liberâ voluntate fecimus ei vel eis, tanquam ejus vel eorum Princeps & Vasallus sincerâ fide intendere debeant & parere. In cujus rei testimonium præsentes literas fieri & sigillo nostro jussimus communiri. Anno Domini M. CCCXXVI. Duodecimo Calend. Martii.

EPISTOLA XXXII.

Boleslai Ducis Oppolienſis homagiales Joanni Regi Bohemiæ Datæ.

Nos Boleslaus DEI Gratiâ Dux Oppolienſis recognoſcimus tenore præſentium & fatemur:

NOs eſſe Principem & Vaſallum *Magnifici Domini noſtri Domini Joannis Bohemiæ, & Poloniæ Regis*, ac *Lucemburgenſis Comitis*, & ab eo terram noſtram Oppolienſem cum Civitate Oppolienſi, & Caſtro ibidem cum Civitate Senberg & Caſtro Claſſcovv, cum Oppidis, Villis, hominibus, Vaſallis, ad ipſas & ad ipſa ſpectantibus cum aliis ſuis pertinentiis univerſis &c. ut ſuprà. Datum *Wratislaviæ* Anno Domini M. CCCXXVII. In die Palmarum.

§. VI.

DUCATUS MUNSTERBERGENSIS.

EPISTOLA XXXIII.

Homagium Bolkonis Ducis Münſterbergenſis Joanni Regi Bohemiæ, & Coronæ ejusdem Regni ex voluntate ſubditorum ipſius Ducatûs factum & quòd Ducibus, atque liberis maſculinis decedentibus Reges & Regnum Boëmiæ in Ducatum ſuccedant, & ſi liberi Ducum exſtantes legitimam ætatem non haberent, quòd Reges Bohemiæ debeant eſſe eorum tutores, & curatores &c.

1336.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Obſcuriſſimus ſenſus.

ANtiqua patrum Veterum pia ſanxêre decreta, ſeſe Juriſdictiones Procerum & poteſtas Orbis Principum mutuâ coadunari Bagliâ, viciſſímque unaquæque alterius debere bajulare onera & labores, ut tanto magis ſubditorum creſcant commoda quanto major inter Principes dilectionis & unionis concordia generatur. Hinc eſt quòd nos *Bolko DEI Gratiâ Sileſiæ Dux Dominus in Münſterberg* gratiâ, ac dilectione uniri cupientes perpetuâ cum *Sereniſſimo Principe Domino noſtro Domino Joanne* eâdem gratiâ *Bohemiæ Rege Illuſtri Lucemburgenſi Comite*, *Ducatúmque noſtrum Regno Boëmiæ* ſubalternari volentes, ſeſe, & noſtra ipſius Domini Regis ſubpoſuerimus ditioni, animo hilari, & ſincero Conſiliariorum, Vaſallorum & Civitatum Conſulum infra ſcriptorum noſtrorum, prævio conſilio ſponte & liberè non compulſi, aut coacti verùm Zelo dilectionis, & amoris veri incenſi flamine, adſtantibus nonnullis Proceribus & magnatibus in præſentia, & teſtimonio Dominorum & teſtium infra ſcriptorum hodie Ducatum noſtrum præfatum, cum terris, & pertinentiis ſuis, *Civitatibus Münſterberg*, *Reichenbach*, *Franckenſtein*, *Strelin*, *Kant*, *Sobotka*, *Oppidum Sobotko*, & *caſtrum Paczkow*, caſtris for-

ſtris, fortalitiis, munitionibus, Villis, Dominiis, Libertatibus', Juriſdictione, Baylia, feudis feudalibus, Vaſallagiis, cenſitis, & ad glebam aſtrictis, & cum omnibus & ſingulis Juribus quibuſcunque qualiacunque ſint, & in quibuſcunque rebus conſiſtant, *ipſi Domino* Regi, *& ſuis ſucceſſoribus Boëmiæ* Regibus, *ab eóque Domino* Rege per oſculum inter nos hinc inde prælibatum, & reaſſumptione Bireti, ipſum Ducatum noſtrum, cum terris, & pertinentiis ipſius in feudum honorabile recipimus pariter & habemus, decernentes, quòd ſi nos ab hac luce migrare contingat, legitimis liberis videlicet Maſculinis non relictis, ipſe Ducatus noſter cum terris & pertinentiis ſuis univerſis, omni eo Jure, & formâ quibus nos habemus, ad ipſum *Regnum Boëmiæ* & *Coronam* ipſius perpetuò protinus debeat devolvi. Si liberos legitimos relinquere contingat, hi feudales *Regni Bohemiæ* perpetuis eſſe temporibus cenſebuntur. Quibus legitimam ætatem non habentibus præfatus Dominus *Rex Bohemiæ* eorum tutor erit legitimus, & Curator. Renuntiamus in promiſſis, & quovis promiſſorum tactis corporaliter Sacro-Sanctis Evangeliis pro nobis & prædictis Vaſallis, & Civitatibus noſtris, omni actioni, exceptioni, objectioni, replicationi, & impetitioni, doli, mali, aut alii quovis ſuffragio, tam Canonici, Imperialis, quàm Civilis, municipalis reformationis aut ſtatuti localis, ſeu conſuetudini optimæ legum interpreti, ſub quacunque forma, & conceptione verborum conceptis, etiamſi talia forent de quibus de verbo ad verbum in genere, aut etiam in ſpecie mentionem oporteret fieri ſpecialem. Quibus omnibus & ſingulis, & cuilibet eorum ex certa noſtra ſcientia eſſe, & intelligi volumus per omnia præſentibus derogatum. Promittimus bonâ fide & ſincero Spiritu contra prædicta & eorum quodlibet, & quavis occaſione de Jure, aut cauſa, aut facto ullo unquam tempore non venire, ad majorem autem cautelam & evidentiam firmiorem exploravimus voluntatem, & conſenſum prædictorum Vaſallorum, & Civitatum noſtrarum Conſulum; qui omnes & ſinguli ſuum in prædictis & in quolibet eorum adhibuêre conſilium, voluntatem, aſſenſum, pariter & conſenſum nemine penitùs diſcrepante. Nos verò *Præfati Domini Ducis Vaſalli*, putà *Henricus de Huguicz*, *Hermannus de Peterswaldt*, *Henricus de Stherecz*, *Rhinherus de Piſſowhein*, *Joannes de Budow*, & *Joannes de Buſſone*, *ac Civitatum Conſules*, *Puta Münſterberg*, *Reichenbach*, *Franckenſtein*, *Stralin & Kaſit* ad requiſitionem dicti *Domini noſtri Ducis Illuſtris* promittimus, & volumus pro nobis & Civitatibus noſtris omnia, & ſingula præmiſſa, & quodlibet præmiſſorum per ipſum *Dominum noſtrum Bolkonem facta* grata, rata, firma, & incommutabilia attendere, & obſervare, & irrefragabiliter cuſtodire, Promittentes etiam bonâ fide, & manu tactis Evangeliis DEI, prædictis, aut eorum alicui ex quavis cauſa, occaſione, aut caſu, de Jure, aut de facto nullo unquam tempore contraire. Renunciantes inſuper pro nobis & ſucceſſoribus noſtris in præmiſſis omnibus & ſingulis, omni actioni, cavillationi, exceptioni, objectioni, replicationi, & impetitioni, doli, mali, aut alii quantovis ſuffragio tam Canonici Imperialis, quàm Civilis municipalis reformationis, vel ſtatuti localis, ſeu conſuetudinis ſub quacunque forma, & conceptione verborum conceptis, etiam ſi talia forent de quibus de verbo ad verbum in genere aut etiam in ſpecie mentionem oporteret fieri ſpecialem, quibus omnibus & ſingulis, & cuilibet eorum ex certa noſtra ſcientia eſſe & intelligi volumus per omnia præſentibus derogatum. Promittentes bonâ fide, & ſincero Spiritu contra prædicta, & eorum quodlibet ex quavis occaſione & cauſa, de Jure aut de facto, ullo

Ritus in receptione & collatione feudi.

unquam tempore non venire. In quorum omnium testimonium atque robur perpetuò valiturum præsentes conscribi, & sigilli nostri Munimine unà cum Vasallorum, & Civitatum nostrarum prædictarum, ac testium inferiùs notatorum sigillis fecimus roborari. Actum & Datum Strabingæ in præsentia, & sub testimonio Dominorum ad hoc specialiter derogatorum, se: Boleslai Ducis Silesiæ, & Domini Legnicensis, Hinconis Bercæ de Duba, Conradi de Sleida, Timonis de Koldicz, & Ottonis de Bergovv, & aliorum nonnullorum fide dignorum in festo Decollationis Joannis Baptistæ Anno Domini M. CCCXXXVI.

EPISTOLA XXXVI.

Ejusdem Bolkonis Ducis Münsterbergensis obligatio, titulo pignoris Civitatis Franckenstein Joanni Regi Boëmiæ, & successoribus Boëmiæ Regibus &c. & si ipse Dux Bolko absque hæredibus masculinis decesserit, quòd dicta Civitas, & aliæ Civitates terræ & bona omnia sua ad Regcs Boëmiæ ut ad veros legitimos Dominos debeant devolvi.

Nos Bolko DEI Gratiâ Dux Silesiæ, & Dominus in Fürstenberg, & in Münsterberg.

REcognoscimus Magnifico & *Excellenti Principi Domino Joanni Boëmiæ Regi Illustri ac Comiti Lucemburgensi Domino nostro charissimo in duobus millibus marcarum Grossorum Denariorum Pragensium Polonicalis Pagamenti* ponderis quadraginta octo grossos pro marcha qualibet computandos. De qua summa Pecuniæ idem Dominus noster Rex nos expedivit, adeò quòd contentamus rationabiliter nos teneri. De qua quemadmodum pecunia ipsum *Dominum nostrum* Regem, *hæredes & successores suos seeuros*, & certos prout expedit reddere cupientes, Civitatem nostram Franckenstein cum districtu ad illam pertinente fortalitiis, Judicio Curiæ, aliisque pertinentiis, obventionibus, gratiis, immunitatibus, *Juribus*, *Dominiis*, *Libertasibus*, *honoribus*, *exactionibus*, *pecuniatibus*, *annonalibus*, *pecuniis*, monetalibus, Censibus, redditibus, Jurisdictionibus, feudis feudalibus, emphiteuticis, & ad glebam astrictis, Jure patronatus Ecclesiarum, & collationibus omnium beneficiorum, cum cura vel sinè cura, & præsentationibus earundem, nec non agris cultis, & incultis, montibus, planis, Sylvis, Rubetis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmve decursibus, molendinis, Piscinis, piscationibus, aucupationibus, venationibus, commodis, emolumentis, utilitatibus, & sine exceptione qualibet, bonis omnibus in quibuscunque rebus consistant, & prout sunt distincta ab antiquo, & ad Civitatem prædictam spectare noscuntur. In eo casu, si nos, & hæredes nostri masculini habitis hæredibus masculinis legitimis post nos relictis decesserimus, quòd Civitas ipsa Franckenstein cum omnibus & singulis pertinentiis suis supradictis, ipsis esse debebunt titulo pignoris obligata, tenenda, regenda, utifruenda, & etiam possidenda per eos absque fructuum defalcatione pacificè & quietè tamdiu quousque Civitas prædicta cum universis suis appendiis, prænotatis per nos, *hæredes ipsi Domino Regi*, *hæredibus & successoribus Bohemiæ Regibus fuerit in prædictis duobus millibus marcarum grossorum præfatorum* exoluta. Er tunc dicta Civitas Franckenstein cum prænotatis suis appendiis universis, vel aliæ Civitates terræ & bona omnia nostra ad ipsos *Dominum Regem hæredes & successores suos Reges Boëmiæ* tanquam *ad nostros veros legitimósque successores* debebunt esse ipso facto absque quolibet impedimento devoluta. In cujus rei testimonium præsentes literas fieri, & sigillo nostro majori fecimus communiri. Datum *Wratislaviæ* in crastino *Epiphaniæ* Domini Anno à nativitate ejusdem M. CCCXXXVII.

1337

EPISTOLA XXXV.

Idem Bolko Dux Münsterbergensis dat Joanni Bohemiæ Regi, & suis successoribus plenam potestatem exolvendi castri & Civitatis Richmbach cum pertinentiis suis.

NOs Bolko DEI Gratiâ Dux Silesiæ, & Dominus de Fürstenberg, & de Münsterberg, damus & concedimus *Magnifico & Excellenti Principi Domino nostro charissimo Domino Joanni* Regi Bohemiæ, *Comiti Lucemburgensi* castrum nostrum & Civitatem *Richmbach* cum districtu, & aliis omnibus & singulis dominiis, libertatibus, pertinentiis suis, & Juribus *à Serenissimis Principibus patruis nostris Bolkone & Henrico Ducibus Swidnicensibus*, quibus obligata pignoris titulo existunt, pro duobus millibus marcharum grossorum Denariorum Pragensium Polonicalis ponderis & numeri exolvendi & redimendi plenam & omnimodam potestatem. Volentes ut idem *Dominus* Rex cum suis successoribus *Boëmiæ Regibus*, Castrum & Civitatem Richmbach cum suis prædictis omnibus appendiis, si nos & hæredes nostros legitimis hæredibus non relictis, de hac luce (quod absit) migrare contigerit, pleno Jure & Dominio possideant, & habeant perpetuis temporibus, sed promissis nullo modo obstantibus quandocunque dicta, Castrum & Civitatem cum aliis ipsorum appendiis à dicto *Domino* Rege indictâ pecuniâ nos vel hæredes nostri exsolverimus, ex tunc ipse *Dominus Rex, & suus Capitaneus* quem ibidem præfecerit, statim nobis vel nostris *hæredibus de dicto Castro & Civitate* ac aliis omnibus prædictis & singulis suis pertinentiis sine dolo & absque difficultate, & contradictione qualibet cedere, & condescendere tenebuntur. Harum quas sigillo nostro muniri fecimus literarum testimonio. Actum *Wratislaviæ* Anno Domini M. CCCXXXVII. Feriâ quartâ post festum *Epiphaniæ* Domini proximâ.

1337

EPISTOLA XXXVI.

Homagium Nicolai Ducis Münsterbergensis.

NOs Nicolaus DEI Gratiâ Dux Silesiæ Dominus in Münsterberg. Promittimus sincerâ nostrâ fide & sine omni dolo *Illustrissimo ac Magnifico Domino nostro Carolo Marchioni Moraviæ*, cum omnibus, terris, Civitatibus, Castris, Munitionibus, Vasallis & universis subditis & fidelibus nostris ac

stris ac possessionibus ad nos per mortem felicis memoriæ *Domini genitoris nostri* devolutis, & imposterum acquirendis parere & intendere, ac per omnia ut tenemur fideliter obedire. Sibique & non alteri fidelitatis homagium præstare & facere sicut decet si *Serenissimo Domino nostro Joanni Bohemiæ Regi* quem DEUS custodiat quicquam humanitus eveniret. Datum *Pragæ* in die Sancti Bartholomæi Apostoli Anno Domini M. CCCXLI.

EPISTOLA XXXVII.

Civitatis Franckenstein & Vasallorum ejusdem districtûs homagium, & quomodo decedentibus eorum Dominis Masculis ad Reges & Coronam Regni Bohemiæ sint devoluti.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

REs gesta facilè labitur è memoria, quam non roborat, & solidat lucida series literarum. Proindè nos *Albertus Sesklok advocatus, nec non Nicolaus Niger, Joannes Largus, Nicolaus Giger, & Truchlik Pistor, Consules totáque Universitas Civium & Incolarum Civitatis in Franckenstein.* Nos quoque *Henricus de Hugwicz, Joannes de Budow, Synygnus de Biberstein, Friczko Grellinorch, & Nicolaus de Kantow*, totáque Universitas Nobilium, & Vasallorum ejusdem *Franckenstein: districtûs.* Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus, & ad universorum præsentiam, & futurorum quorum interest, aut interesse poterit quomodolibet in futurum volumus notitiam pervenire, quòd cum felicis recordationis quondam *Magnificus Princeps Dominus* Bolko Dux Silesiæ Dominus noster de Münsterberg, dum viveret, terras suas universas & singulas Excellentissimi *Principis Domini Joannis Regis Bohemiæ, hæredum & successorum suorum, ac Coronæ Regni* ejusdem submiserit & subjecerit ditioni, ut *Princeps Boëmiæ* mereretur fieri, & Vasallus, prout in literis ipsorum hinc inde confectis pleniùs continetur. Nos de *Illustris Principis* Domini *Nicolai* Ducis *Silesiæ*, Domini *de Münsterberg filii ipsius* Ducis *Bolkonis* prædicti, nostri veri naturalis Domini Patris sui inhærere vestigiis cupientes, speciali mandato, & expresso nihilominus consensu pariter & assensu, nobísque pluries ad consilium in simul convocatis, bonâ deliberatione, & maturo consilio inter nos præhabitis prospicientes, & animo revolventes, præfati Domini nostri Ducis honorem, commodum, & profectum posse multipliciter resultare, nostrámque & successorum nostrorum conditionem fieri meliorem, *Excellentissimis & Magnificis Principibus* Dominis *Joanni Bohemiæ Regi ac Lucemburgensi Comiti* absenti tanquam præsenti, & Carolo ejus Primogenito *Marckioni Moravia* genitoris sui, ac suorum hæredum & successorum *Regum, & Coronæ Regni Bohemiæ*, vice & nomine recipienti fatemur libenter, desideranter, & gaudenter, pro nobis hæredibus & successoribus nostris ex nunc inantea, & in perpetuum fidelitatis homagium promisisse, & de servando fidelitatis homagio corporalia Juramenta solito more fideliter præstitisse. In casu, quod si præfatus Dux *Nicolaus* absque legitimis hæredibus ab eo per masculinam lineam descendentibus (quod absit) decederet, aut si hujusmodi suos hæredes legitimos, si quos generaverit, aut quotiescunque tales hæredes post se aliis masculinis hæredibus non relictis, decedere dispositione

sitione divinâ contigerit, tum statim ex nunc prout ex tunc, & è converso, ex tunc prout ex nunc ad præfatos *Principes Dominos Joannem Regem Bohemiæ Carolum & Primogenitum Marchionem Moraviæ*, & etiam ad ipsorum *hæredes, & successores Reges, & ad Coronam Regni Bohemiæ* tenemur, & libenter volumus ac debemus habere respectum, ac deinceps perpetuis temporibus eis ubilibet, & in omnibus, tanquam veris naturalibus, & legitimis Dominis intendere, obedire, fideliter & parere, nec ad aliud quodcunque Dominium declinare. Sed circa *Reges Coronam & Regnum Bohemiæ* perpetuò remanere, promittentes nostro, *hæredum, & successorum nostrorum* nomine stipulati, vice & nomine omnium, quorum interest vel interesse poterit, in virtute præstiti Juramenti memoratis Principibus *Domino Joanni Regi Bohemiæ, Carolo ejus primogenito Marchioni Moraviæ*, ac ipsorum *hæredibus, & successoribus Regibus, & Coronæ Regni Bohemiæ* contra præmissa singula, vel aliqua præmissorum nunquam ullis temporibus verbo, vel facto Jure, vel potentiâ sive quovis ingenio, vel colore publicè, vel occultè venire, vel eis in aliquo contraire, sub rerum nostrarum, hæredum & successorum nostrorum, omnium mobilium & immobilium hypotheca. Renunciantes nihilominus de certa nostra scientia simpliciter & expresse, actioni, quæstioni, repetitioni, & omni beneficio cujuscunque Juris Canonici, vel Civilis, consuetudinarii seu municipalis, quibus contra præmissa & eorum aliquod venire, nunc vel imposterum deberemus quomodolibet vel possemus. In quorum omnium testimonium & robur perpetuò valiturum, cum sigillo Domini nostri Ducis prædicti nostræ Civitatis sigillum ac prædictorum Vasallorum nostro, & totius universitatis, aliorum Vasallorum supradicti districtûs nomine sigilla præsentibus sunt appensa. Actum & Datum in Franckenstein in die Beati Calixti Papæ Anno Domini M. CCCXLIII. 1343.

Et *Nos Nicolaus DEI Gratiâ Dux Silesiæ Dominus in Münsterberg* non coacti, quomodolibet vel decepti, præhabitâ maturâ deliberatione nobiscum & cum fidelibus & Consiliariis consilio diligenti, recognoscimus, & fatemur prædicta universa, & singula de nostro speciali mandato, ac de certa nostra scientia fore facta, Ipsíque nostrum benevolum adlibemus consensum. Sigillum nostrum unâ cum Civitatis prædictæ & Vasallorum prædictorum sigillis præsentibus in robur perpetuum appendentes. Actum & Datum Anno die & loco prædictis.

EPISTOLA XXXVIII.

Nicolai Ducis Münsterbergensis venditio hæreditaria Civitatis Franckenstein cum pertinentiis & districtu Monasterii Kamentz Carolo Regi Bohemiæ, suisque successoribus, & ejusdem Regni Bohemiæ Coronæ.

Nos Nicolaus DEI Gratiâ Dux Silesiæ Dominus Münsterbergensis.

NOtum facimus universis tenore præsentium in perpetuum. Quòd animo deliberato, & fidelium nostrorum maturo accedente consilio, considerantes in hoc utilitatem nostram, & prospicientes exindè

nostram

nostram conditionem fieri meliorem, Serenissimo ac *Invictissimo Principi & Domino Domino Carolo Romanorum semper Augusto, & Boëmiæ Regi Domino nostro gratioso* pro se & suis hæredibus, ac suis successoribus *Regibus Bohemiæ, & ejusdem Regni Coronæ*, ementi, & recipienti Civitatem nostram *Franckenstein* cum districtu *Monasterii Kamentz*, talia à nostro Ducatu separantes, & omnimodò disjungentes, Vasallis, Vasallagiis, feudis, feudatariis, militibus, Clientibus, Scultetis, Civibus, Rusticis, Emphiteutis, & ad glebam astrictis, agricolis, & Censitis, supremis & inferioribus, Judiciis, judicialibus, redditibus, Censibus, proventibus, obventionibus, emolumentis, Jure patronatûs Ecclesiarum quòd extra venditionis contractum cum universitate transire decernimus, montibus, planis. Sylvis, Rubetis, Virgultis, Venationibus, aucupationibus, aquis, & aquarum decursibus, molendinis, Lacubus, piscinis, stagnis, paludibus, piscaturis, cum omnibus Juribus, Jurisdictionibus, Dominiis, libertatibus, honoribus, honorationibus, utilitatibus, & obventionibus, quæ in sub & super terram hactenus habita, & inventa sunt, haberi seu inveniri poterunt in futurum quoquomodo, quibus etiam specialibus nominibus, & vocabulis valeant designari justo venditionis titulo vendidimus, dedimus & resignavimus, & præsentibus resignamus, pro sex millibus marcarum grossorum Pragensium Polonici numeri, quadraginta octo grossos pro marca qualibet computando, quas nobis, solutas, datas & numeratas protestamur, & dicimus, & in usus nostros utiles & beneplacitos applicatas. Universos & singulos milites, Clientes, Scultetos, Cives, & quosque inhabitatores, Civitatis, districtûs, & Territorii Franckenstein ab omnibus homagiis, Juramentis, promissis fœderibus & aliis quibuscunque respectibus quos & quæ ad nos velut *Principem & Dominum suum* hactenus habuisse noscuntur, & habere debebant, de bona voluntate, & certa nostra scientia pro nobis hæredibus & successoribus nostris prædictis, absolventes ipsos & eorum quemlibet, *hæredes & successores* eorum ad præfatos *Dominum nostrum Regem*, hæredes & successores ipsius *Reges Boëmiæ*, & ejusdem *Regni Coronam* in perpetuum remittentes. Ità videlicet, quòd ad præfatum *Dominum nostrum Regem*, hæredes & successores ipsius *Reges Boëmiæ* & ad ipsius *Regni Coronam* in perpetuum tanquam ad verum, ordinarium & naturalem Dominum, veros ordinarios seu naturales Dominos respectum habere debeant ipsisque in omnibus fideliter obedire. Renunciantes fideliter pro nobis, hæredibus & successoribus nostris prædictis, omni Juri, Jurisactioni, titulo, impetitioni, repetitioni, exceptioni, doli, mali, & in factum actioni, legi: si convenerit, & exceptioni non solutæ, non numeratæ, sed datæ pecuniæ non bonæ, seu legalis argenti, & aliis omnibus Canonum & Legum auxiliis sub quacunque forma verborum expressæ sint, etiam si de his vel eorum altero Jure, vel consuetudine deberet in præsentibus fieri mentio specialis. In cujus rei testimonium & robur perpetuò valiturum præsentes fieri, & nostri sigilli munimine roborari voluimus, & pro firmioris cautelæ præsidio, ut videlicet præfato *Domino Regi hæredibus & successoribus suis*, *Regibus & Coronæ Regni* præfati abundantiùs caveatur, *Illustres & magnificos Principes ac Dominos Bolkonem Swidnicensem, Conradum Olsnicensem, Ladislaum Teschinensem, Duces, Patruos, & consanguineos nostros*, nec non spectabilem *Dominum Matthiam Comitem de Trensch* fratrem nostrum dilectum attentè rogavimus, ut testes sint, & velint existere omnium præmissorum, sicut etiam ipsi ad nostræ supplicationis instantiam

tiam testimonium perhibent de præmissis. Datum *Wratislaviæ* Anno Domini M. CCCLI. feriâ quartâ ante Festum B. Martini Episcopi. 1351.

EPISTOLA XXXIX.

Monasterii Hendrichovv obligatio Regibus Boëmiæ.

Nos Fratres: Joannes Divinâ miseratione Abbas, Joannes Prior, Geskonis Supprior, Nicolaus Civis Cellarius, & Conventus Monasterii Hendrichovv, nostro, & successorum nostrorum nomine ad universorum quorum interest notitiam volùmus pervenire.

Quòd quia Civitates, Illustris, *ac Magnifici Principis Domini nostri Nicolai Ducis Münsterbergensis*, utpote *Münsterberg*, *Franckenstein & Streling & Nobiles atque Incolæ* districtuum pertinentium ad easdem, de mandato prædicti *Domini nostri Excellentissimis Principibus Dominis Joanni Bohemiæ Regi*, nec non *Illustri Carolo* ipsius primogenito & eorum *successoribus Regibus Boëmiæ*, si prædictum *Dominum nostrum* mori contigerit, sic quòd Principatum suum & hæreditatem dimitteret, fideliatis homagium præstiterint. Quapropter nos omnium *successorum nostrorum* nomine promittimus & spondemus supradictos *Serenissimos Principes*, *& Dominos nostros Joannem Boëmiæ Regem*, nec non *Carolum* ipsius primogenitum *Moraviæ Marchionem hæredes & successores ipsorum Boëmiæ*, sicut piæ memoriæ cæteros Principes, *Duces & Dominos nostros* agnovimus, tanquam veros ordinarios & naturales Dominos nostros, agnoscere in casu superiùs expressato, & ad ipsos & eorum successores, ut præmittitur, habere respectum, & ad nullum alium Dominum ullis temporibus declinare. In cujus evidentiam præsentes literas Abbatiæ, & Conventûs sigillo decrevimus roborari. Datum *Münsterberg*, Anno Domini M. CCCXLIII. 1343.

§. VII.

DUCATUS OLSNICENSIS.

EPISTOLA XL.

Homagium Conradi Ducis Olsnicensis, & quibus Coronæ, & Regibus Bohemiæ is Ducatus obligetur.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Noverint universi, tam præsentes quàm posteri notitiam præsentium ac copiam habituri. Quòd quia nos *Conradus DEI Gratiâ Dux Silesiæ, & Glogoviæ, ac Dominus in Olsna*, ob specialis amoris affectum, quem erga *Magnifici Principis*, *Domini Joannis Boëmiæ & Poloniæ Regis ac Comitis*

mitis Lucemburgensis Domini nostri charissimi, gerimus Celsitudinem, habito nobiscum, amicis quoque ac fidelibus nostris consilio diligenti, ac deliberatione maturâ, accedentibus etiam favore & consensu eorundem expressis, ad subscripta, bonum in hoc nostrum principaliter consequendum, ac *fidelium, terrarum, Civitatum, honorum & bonorum nostrorum omnium infra scriptorum commodum*, statúmque inantea pacificum perpendentes, *Princeps & Vasallus suus, hæredum successorum suorum Boëmiæ Regum, ac ipsius Regni Bohemiæ* in perpetuum fieri & fore decrevimus, omnia & singula bona nostra, sub eisdem libertatibus & Juribus, quibus à *Prædecessoribus nostris*, ad nos pervenisse noscuntur, omnes terras nostras, quas ad præsens possidemus, vel possidebimus, quocunque titulo in futurum tam citra quàm ultra fluvium, qui Odera dicitur, cum Civitatibus *Wartemberg, Mylicz, Trebnitz, Trachemberg, Walow, Lubest, Winchra, Herrenstadt*, cum omnibus suis appendiis, Dominiis, Oppidis, Villis, Allodiis, feudis, feudalibus, Nobilibus & plebeis &c. ut in superioribus literis Principum Silesiæ.

Ducatus Olsnicensis Civitates enumerantur.

In quorum omnium testimonium præsentes literas fieri & sigilli nostri munimine jussimus communiri. Datum & Actum *Wratislaviæ* Anno Domini M. CCCXXIX. Sexto Idus Maji.

Vidimus earundem Literarum *Sigismundi Romanorum Regis, & Alberti Ducis Austriæ.* Quarum Datum Viennæ Anno Domini M. CCCCXXVI. 20. die Martii.

EPISTOLA XLI.

Joannis Regis Bohemiæ Conrado Duci Olsnicensi indultum, ut decedente Prole Masculinâ, Filia ejus Hedvvigis, vel legitimi ejus hæredes possint in Ducatum succedere.

Joannes DEI Gratiâ Bohemiæ Rex, ac Lucemburgensis Comes.

NOtum esse volumus tenore præsentium universis. Quòd nos *Illustris Principis Domini Silesiæ, & Olsnicensis Principis Conradi, Domini nostri dilecti*, ingentem ardoris affectum, & jugem solicitudinem, quam erga Regale culmen semper gerit, & assiduè gessit, internâ mentis consideratione animadvertentes, ipsúmque ad prosequendum commodum & favorem nostrum frequentiùs aliquarum retributionum repensâ, & specialium gratiarum prærogativâ, allicere cupientes, hanc sibi duximus gratiam faciendam, quòd si (quod absit) præfatum Ducem ex hac luce migrando absque hæredibus vel prohæredibus masculinis decedere contingeret, quòd ex tunc filia sua dicta *Hedwigis*, quam habet in præsenti vel legitimi sui hæredes, de ipsius corpore descendentes, omnes suas terras, Dominia, & possessiones, quas ipse Dux habet in præsenti, vel habiturus esset imposterum pleno Juris titulo apprehendere hæreditariè, & possidere pacificè possit, debeat, ut in eisdem omni eo Jure, modo, & formâ succedere hæreditariè possit & debeat, tanquam Proles valeret Masculina. Quas quidem terras prædicta filia sua, ac ejusdem filiæ hæredes legitimi, de corpore

Ex singulari gratia concedit Joannes Rex ut filia ejus succedat in feudum.

pore ipsius descendentes, à nobis & hæredibus nostris in feudum semper habebunt, & recipient, & de ipsa, tanquam nostra fidelis & Princeps more aliorum Principum nostrorum, debita obsequia fidelitatis tenebitur exhibere, non obstantibus quibuscunque constitutionibus, Juribus, statutis, consuetudinibus, ac, aliis etiam, si talia essent, de quibus in genere vel specie expressam oporteret fieri mentionem, quibus omnibus, in quantum hujusmodi nostræ gratiæ concessioni obviare possent, esse volumus, & intelligimus totaliter derogatum. In cujus rei testimonium præsentibus nostrum sigillum duximus appendendum, Datum in *Altenburg* in die Beatæ Annunciationis Sanctæ Mariæ Virginis Anno Domini M. CCCXXXVIII.

EPISTOLA XLII.

Conradi Ducis Olsnicensis Venditio Joanni Regi Bohemiæ hæredibus, ac successoribus suis, mediæ partis Civitatis Gor, & terræ ejusdem, & aliorum Oppidorum.

Nos Conradus DEI Gratiâ Dux Silesiæ, & Dominus Olsnicensis, recognoscimus pro nobis, hæredibus, & successoribus nostris, & ad universorum notitiam tenore præsentium volumus pervenire.

QUòd nos ob meram, & evidentem nostram necessitatem, in quam ratione Dominiorum incurrimus, ex eventu captivitatis, & perditione equorum nostrorum hujusmodi, à damnis dictis, & captivos ab eorum captivitate absolvendis, *Serenissimo Domino & Principi nostro, Domino Joanni Regi Boëmiæ, & Comiti Lucemburgensi, hæredibus & successoribus suis*, mediam partem Civitatis nostræ *Gor*, & terræ *Gorensis*, & mediam partem. Oppidorum nostrorum *Stinaviæ & Cocben*, ac Civitatem *Fravenstatt*, ex nunc integram videlicet post mortem *Illustris Domini Joannis Ducis Silesiæ, & Domini Gorensis Fratris nostri*, tunc mediam; ità quòd alia medietas ad *Illustrem Dominum Henricum Ducem Silesiæ, & Dominum Saganensem patruum nostrum* devolvatur, quam etiam idem *Dominus noster Rex, hæredes & successores* sui, sibi ex novo restituere, & reddere tenebuntur liberè, & absque omni pecuniarum traditione, pro *quinque Millibus Marcarum, Polonicalis Pagamenti*, & numeri. Cúmque pecuniæ, si quidem summam prædictus *Dominus Rex*, hominibus nostris prædictis apud nos ut promittitur receptis, damnis ipsorum, damna pro parte nostri, & pro nobis solvere est astrictus, & quæ pro nobis solvit, & jam in parte expedit, & ulterius usque ad consummationem summæ prædictæ, tenebitur expedire cum omnibus dictarum Civitatum, & Oppidorum Civitatum prædictorum, Dominiis, honoribus, Jure, Patronatus Ecclesiarum Curatarum, & non Curatarum, Vasallatibus, agris, cultis, & incultis, nemoribus, Sylvis, rubetis, Pratis, pascuis, aquis, rivis, aquarúmque decursibus, Venationibus, aucupationibus, piscationibus, Judiciis cum Bayliis & potestate judicandi, ac aliis omnibus & singulis earum, & eorundem Juribus, & pertinentiis in quibuscunque rebus consistant, seu nominibus appellentur Justo emptionis titulo vendidimus & vendimus per præ-

Quæ in Ducatu Olsnicensi sint feuda Coronæ Boh.

Intricatus sensus & mendosus.

per præsentes, per eum, hæredes & successores suos, habenda, tenenda, & perpetuis temporibus possidenda, ac utifruenda, & de ipsis pro ipsorum voluntate disponendi liberam & omnimodam tradimus potestatem. Acta sunt hæc præsentibus, *Illustribus Principibus Dominis Wladislao & Nicolao Oppaviæ, & Ratiboriæ* Ducibus per nos ad præmissa omnia & singula pro testibus vocatis specialiter & Rogatis. Quorum sigilla unà cum sigillo nostro in evidens Testimonium præmissorum, præsentibus sunt appensa. Nos verò *Nicolaus & W. DEI Gratiâ* supradicti Duces recognoscimus nos emptioni, & venditioni interfuisse supradictis, & nostra sigilla, una cum prædicti Domini *Conradi* Ducis sigillo ad ipsius rogatum, in testimonium omnium præmissorum duximus appendenda. Datum *Wratislaviæ* Feriâ sextâ ante Festum Assumptionis Beatissimæ Virginis Anno Domini M. CCCXLV.

EPISTOLA XLIII.

Conradi Ducis Olsnicensis, & ejus filii literæ de apertione Castri Milicz, Regibus Boëmiæ.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

NOs *Conradus DEI Gratiâ Dux Silesiæ*, & Dominus Olsnicensis, unà cum *Conrado* filio nostro charissimo, eâdem gratiâ Duce Silesiæ, universis & singulis præsentes inspecturis literas, volumus esse notum, quòd Castrum *Milicz*, per nos à Reverendo in Christo Patre, *Domino Preczlao Divinæ & Apostolicæ sedis gratiâ Episcopo, ac Venerabilibus Viris Dominis Ecclesiæ Wratislaviensis Capitulo* emptum, ritè & rationabiliter comparatum, *Excellentissimo Principi Domino Carolo* divinâ favente Clementiâ, Romanorum Imperatori semper Augusto, & *Boëmiæ Regi* invictissimo, gratioso nostro Domino, suisque hæredibus & legitimis successoribus *Regibus Bohemiæ* pro nostro, nostrisque hæredibus & successoribus, ac possessoribus dicti Castri nomine, bonâ & sincerâ nostrâ fide promittimus pro necessitatibus & indigentiis suis, quando, & quoties ipsis opus fuerit, & nos, hæredésque nostros successores, ac possessores dicti Castri requisiverint, ad accessum, & recessum, ipsorum, semper sine difficultate qualibet aperire, & dicto *Domino Carolo* suis hæredibus, & successoribus *Regibus Bohemiæ*, cum dicto Castro *Milicz* adversùs omnes homines nullo penitùs excepto, fideliter suffragari. In cujus rei testimonium sigilla, nostrum videlicet, & filii nostri prædicti, præsentibus sunt appensa. Actum & Datum *Wrasislaviæ*, in Monasterio Beatissimæ Mariæ Virginis quartâ feria proximâ ante diem Beati Michaëlis Archangeli, Anno Domini M. CCCLVIII. Præsentibus *Venerabili, & Religioso Domino Conrado Abbate dicti Monasterii*, ac strenuis & prudentibus viris *Thone de Hayn, Milite Friczkone de Grodis, Simone de Gorow, Petro Hortzag, & Sygshardo Pylicz* fidelibus nostris, nec non *Petro Swarcz, Peczkone Bavari, Hancone Dominici, & Dominico, dicto Heid Dominick, Civibus Wratislaviensibus testibus* ad præmissa.

§. VIII.

DUCATUS OPPAVIENSIS.

EPISTOLA XLIV.

Homagium Nicolai Ducis Oppaviensis, & quòd, eo absque hæredibus Masculinis decedente, is Ducatus immediatè ad Coronam Regni Bohemiæ debeat devolvi.

NOs Nicolaus DEI Gratiâ Dux Oppaviæ, ad universorum tam præsentium quàm futurorum notitiam cupimus pervenire, quòd cùm *Serenissimus Dominus noster Dominus Joannes Bohemiæ & Poloniæ Rex, ac Lucemburgensis Comes Illustris*, consideratis fidei & servitiorum nostrorum meritis, quibus nos suæ munificæ liberalitatis gratiam meruisse cognovit, ac pensatis utilibus & fidelibus per nos sibi præstitis, & præstandis servitiis, ex sua munifica liberalitate, nobis & hæredibus nostris in feudum, & Jure feudi contulerit in perpetuum, Terram seu Ducatum suum Oppaviensem, cum dignitate & titulo Ducatûs ipsius, Nec non cum Civitatibus, Castris, Munitionibus, Villis, possessionibus, & universis aliis pertinentiis, Utilitatibus, proventibus, & Juribus terræ, seu Ducatûs ipsius, prout in privilegio suo, super ipsis nobis dato hæc omnia plenius & expressius continentur, nos pro nobis, & pro hæredibus nostris recipientes in feudum à dicto Domino nostro *Rege*, ipsum Ducatum cum omnibus & singulis supradictis, sibi, recipienti, pro se, & suis hæredibus, ac successoribus *Regibus Bohemiæ*, tanquam vero feudi prædicti Domino fecimus, & facimus homagium. Promittentes ipsi fidelitatem, devotionem, obedientiam, ac reverentiam perpetuam per præsentes, Corporali per nos interposito Juramento, ordinando, & omnino fieri volendo, ut *hæredes & successores* nostri in in ipso feudo seu Ducatu succedentes, de manibus ejusdem Domini nostri *Regis*, & prædictorum suorum, idem feudum seu Ducatum recipere Jure feudali, ac eis homagium, fidelitatem, devotionem, & obedientiam prædictos, interposito etiam Juramento promittere, ac similiter facere in perpetuum teneantur, obligando nihilominus nos, hæredes & successores nostros prædictos, sub promisso Juramento corporaliter præstito, solemni stipulatione interpositâ, ipsi Domino nostro *Regi*, ac *hæredibus & successoribus* suis præfatis promittimus, quòd quotiescunque & quandocunque ipse Dominus noster Rex jusserit, & ejus jusserint successores. & eos juvabimus, & juvari volumus per hæredes, & successores nostros contra omnem hominem fideliter toto posse, tanquam ejus fidelis Vasallus, nec non ad omnia alia, & singula in perpetuum, quæ Jura feudi exigunt, & requirunt, sed etiam quæ quisque fidelis Vasallus suo vero Domino facere potest in omnibus, atque debet; hoc autem specialiter expresso, quòd si nos, & quemcunque ex nostris hæredibus, & successoribus nobis succedentibus in Ducatu prædicto contingeret decedere filiis legitimis non relictis, ex tunc statim Ducatus ipse, cum omnibus & singulis supradictis *ad electum Dominum nostrum Regem, ac hæredes & successores* suos prædictos, & ad Regnum prædictum liberè revertantur. Promisimus denique & promittimus solemni interpositâ stipulatione ut præmissum est, pro nobis, hæredibus ac successoribus nostris prædictis,

Quomodo Ducatus Oppaviensis pervenerit ad Nicolaum Ducem.

sub præstito Juramento prædicta omnia & singula prædictorum firmiter servare perpetuò, & inviolabiliter adimplere. Testes autem qui præmissis interfuerunt ad hoc vocati & rogati sunt hi; Videlicet *Illustres Domini Principes Boleslaus, & Hyncko Duces Silesiæ, Nobiles Viri: Ulricus Comes de Hanaw, Otto de Bolandia, Petrus de Rosenberg summus Camerarius Regni Boëmiæ, Ulricus de Mendico Burggravius Pragensis, Benesius de Wartenberg Pincerna, & Hermannus de Kolditz, Henricus de Lucemburg, Heymannus & frater suus Hyncko, Filii Baronis de Fridlandt, Bernhardus de Cynnemburg Ensifer, Plichta de Adlar, Hermannus de Zwirzeticz, Schambergius dictus de Schylerberg, Sbinco de Mendico, Spaczmanus de Benessow, Zezema de Himstain, & Zdenko Kovan.* In quorum testimonium præsentes literas fieri fecimus, & sigilli nostri appensione muniri. Datum *Pragæ.* Quinto Nonas Julii, Anno M. CCCXVIII.

Proceres Boh. subscripti.

EPISTOLA XLV.

Ejusdem Nicolai Ducis Oppavienſis literæ, quòd Ducatus ſibi ſubditos & Vaſallos velit permittere, & conſervare in eorum libertatibus.

Nos Nicolaus Dux Oppaviæ ad universorum notitiam, tenore præsentium volumus pervenire.

Hic Nicolaus tyrannicè ſuos ſubditos regebat ut dixi in Epitome.

QUòd nos contenti stare volentes nostris terminis, libertatibus, & gratiis datis, & impensis nobis à Domino nostro *Domino Joanne Bohemiæ* Rege *Serenissimo*, cum gratiarum actionibus debitis, & devotis, Volentésque proindè Jus suum unicuique subditorum nostrorum tribuere, & *Nobiles, Barones, & Vasallos*, penes libertates & Justitiam habitos eorum inviolabiliter conservare. Promittimus præfato Domino nostro, *& hæredibus ac successoribus ejus, Bohemiæ Regibus*, pro nobis & hæredibus nostris firmiter & fideliter spondemus, purè & sincerè omnes & singulos *Barones, Vasallos, & Nobiles terræ Oppavienſis*, prout nobis ipse Dominus noster dedit, & tradidit per suas literas quarum tenor talis est:

Reverſales Nicolai, quod velit Nobilitatis ſuæ Privilegia conſervare.

Nos Nicolaus DEI Gratiâ, Dux Oppaviæ, ad universorum notitiam cupimus pervenire, quòd volentes dilectos nostros *fideles, Barones & Nobiles ipsius Ducatûs nostri Oppavienſis*, quos pleno & gratioso favoris applausu amplectimur, ad debita & gratuita provocare servitia pollicemur eisdem, quod eos in illis omnibus Juribus, & bonis consuetudinibus, quæ, & quas *Barones & Nobiles Regni Boëmiæ, & Marchionatûs Moraviæ* habent & obtinent, quibus & eos uti & gaudere volumus, promittimus observare, dantes eis has literas nostro sigillo & Serenissimi *Domini nostri Joannis, Bohemiæ & Poloniæ Regis, ac Lucemburgenſis Comitis ſigillis ſigillatas* in testimonium super eo. Datum *Brunæ* decimo quarto Calendas Augusti 1338. Et nos *Joannes* DEI Gratiâ *Boëmiæ & Poloniæ Rex*, ac Lucemburgensis Comes ad instantiam, & petitionem Illustris *Nicolai Ducis Oppaviæ, Principis nostri* dilecti, nostra sigilla ad majorem præmissorum certitudinem præsentibus duximus apponenda. Datum Anno loco, & die prædictis. Secundæ verò literæ tenor est talis.

Nos Nicolaus DEI Gratiâ Dux Oppaviæ promittimus, bonâ fide fidelibus nostris

nostris *Baronibus & Nobilibus Ducatûs nostri Oppolienſis*, quos gratiâ prosequimur speciali, omnia Privilegia per *Reges Bohemiæ* iis concessa, cum quibus Jure apud nos se juvare poterunt, & debebunt, & cum quibus apud *Serenissimum Dominum nostrum, Dominum Joannem Bohemiæ & Poloniæ Regem, ac Lucemburgenſem Comitem*, se juvisse debuissent, & etiam potuissent, rata & grata habere volumus, & inconvulsa servare, sub harum, quas sigillo nostro, unâ cum sigillis *Serenissimi Domini nostri, Domini Joannis Boëmiæ & Poloniæ Regis, ac Lucemburgenſis Comitis* signari rogavimus, testimonio literarum. Datum Brunæ Anno Domini 1338. Decimo quarto Calendas Augusti.

Et Nos *Joannes DEI Gratiâ Boëmiæ & Poloniæ Rex, ac Lucemburgenſis Comes* ad instantiam & petitionem *Illustris Nicolai Ducis Oppaviæ Principis* nostri dilecti, nostra sigilla ad majorem præmissorum certitudinem præsentibus duximus apponenda. Datum, loco & die prædictis in eorum Juribus, Libertatibus, Privilegiis, & gratiis antiquis à *Regibus Boëmiæ* habitis & obtentis, manu tenere, servare, & inviolabiliter custodire, eósque eisdem gratiis & Juribus uti facere & permittere plenè & volumus, & gaudere. Adjicientes ad majorem declarationem, & evidentiam facti clariorem, quòd si nos alicui vel aliquibus de *Terrigenis, Nobilibus, vel Vasallis, Justitiam* juxta terræ consuetudinem facere, recusaremus, ex tunc licitè & sinè nostra læsione aut offensa ad Dominum nostrum *Regem* poterunt appellare. Ipse autem Dominus Rex nos per suum nuncium admonere debet de Justitia exhibenda. Et si non tunc demus passis gravamen vel injuriam, Justitiam facere minimè curaremus, & tunc ipse Dominus Rex secundum terræ consuetudinem Justitiam eis facere tenebitur & debebit. In cujus rei testimonium præsentes fieri, & sigilli nostri munimine Jussimus communiri. Datum in *Olomuntz* die Octavâ Mensis Julii Anno Domini M. CCCXXXIX.

EPISTOLA XLVI.

Homagium Civitatis Oppavienſis Joanni Regi Boëmiæ præstitum, & quòd eadem Civitas fuit obligata Ducibus Lignicenſibus pro Octo Millibus.

Nos Albertus Judex, Scabini, atque universitas Civitatis Oppavienſis, recognoscimus publicè Confitentes Excellenti & Magnifico Principi Joanni Inclyto Bohemiæ & Poloniæ Regi, tanquam vero Regi, ac Domino nostro fide datâ, unanimiter homagium præstitisse.

Oppavia obligata Ducibus Lignicenſibus.

NEc non de mandato & voluntate ipsius speciali, *Serenissimis ac gloriosis, Principibus, Dominis, Boleslao Henrico & Wladislao Silesiæ, Ducibus, Dominisque Wratislaviæ & Lignitz Illustribus, hæredibúsque*, ac legitimis ipsorum successoribus, quibus nos & *Civitatem nostram, totámque terram Oppaviæ, pro octo Millibus Marcharum grossorum Regalium, Denariorum, Sexaginta quatuor grossos*, pro qualibet Marcha computando nomine pignoris obligavit, obedientiam & devotionem fidei absque dolo communiter juravisse. Promittentes bonâ scientiâ & fidei puritate, quòd ab ipsis, & eorum quolibet

quolibet nullatenùs divertemus, sed eis, & eorum cuilibet serviemus', & obedientes suberimus tam diu fideliter quousque ipsis dicta *Octo Millia Marcharum*, de certa illorum, qui ad hoc ex utraque parte deputati sunt scientia ex integro persolvantur. In cujus rei testimonium præsentes fieri, & sigillo Civitatis nostræ fecimus communiri. Datum Oppaviæ Anno Domini M. CCCXI. 17. Calendas Julii.

In eandem sententiam *Homagium Civitatis Lubeschiensis*, Nos Joannes' Judex Scabini, atque universitas Civitatis Lubeschiensis recognoscimus publicè profitentes. Datum Oppaviæ Anno Domini M. CCCXI. 16. Calendas Julii.

In simili per omnia Homagium Civitatis Jegendorff, Recognoscimus publicè confitentes. &c. Datum Oppaviæ Anno Domini M. CCCXI. 16. Calendas Julii.

EPISTOLA XLVII.

Ducum Silesiæ & Lignicensium literæ, quibus promittunt, ubi eis pecunia obligationis restituta fuerit, quod Civitatem Oppaviensem Regi Bohemiæ reddent.

Nos Boleslaus Henricus, & Wladislaus DEI Gratiâ Duces Silesiæ, Dominus Wratislaviæ & Legnitz, unâ cum Bernhardo & Henrico Ducibus Silesiæ, Dominísque de Wartemberg Illustribus, Patruelibus nostris charissimis.

PRomittimus bonâ fide, sine doli captione nos obligantes, *Excellenti ac Magnifico Principi Domino Joanni Boëmiæ & Poloniæ Regi affini* nostro charissimo suisque *hæredibus & successoribus* legitimis', quod quandocunque nobis, vel hæredibus, aut successoribus nostris legitimis, Octo Millia Marcharum grossorum, Denariorum Pragensium, sexaginta quatuor grossis pro qualibet Marcha computandis solverit, pro quibus nobis terram Oppaviæ, prout in literis de suo confectis docetur, nomine pignoris obligavit, ad requisitionem sui, vel cui deputaverit, seù quem ad hoc constituerit, ipsam terram Oppaviæ, cum universis Juribus & pertinentiis suis', sicut nobis obligata est, sibi resignabimus, liberè & absque contradictione qualibet supradicta. Promittimus insuper fide purâ, quòd sicut juravit & promisit *Henricus de Bilicz Castellanus* dicti *Castri Grecz*, propè *Civitatem Oppaviam*, sic & alii, quos in Castellanos itidem præfici contigerit, antequam præficiantur, ad hoc Jurabunt & promittent idem Castrum ad manus Domini *Regis* prædicti, vel cui disposuerit, postquam sibi de prædicta pecuniæ solutione constiterit, absque mora sine dispendio resignare. Super quibus' præsentes fieri & nostris & supradictorum *Bernhardi*, *ac Henrici Ducum*, sigillis fecimus communiri. *Et Nos Bernhardus & Henricus* prædicti recognoscentes nos promisisse, præmissa, & omnia sic acta esse, sigilla nostra unâ cum sigillis dictorum Ducum nostrorum Patruelium in eorum testimonium apposuimus huic scripto. Datum *Olomuc:* Anno Domini M. CCCXI. Tertio Idus Junii.

§. IX. DU-

§. IX.

DUCATUS STINAVIENSIS.

EPISTOLA XLVII.

Homagium Joannis Ducis Stinaviensis.

Nos Joannes DEI Gratiâ Dux Silesiæ, & Dominus Stinaviæ, ad universorum notitiam, tenore præsentium volumus pervenire.

QUòd nos deliberatione maturâ, & consilio diligenti præhabito, favore quoque & consensu fidelium & amicorum nostrorum expressis, principaliter hominum, Civitatum, & terrarum nostrarum subscriptarum attendentes profectum inanteà, & commodum, ipsas terras, Civitates nostras, & Castra, *Stinaviam* videlicet, *Liebin*, *Goram* Civitates, cum Castris eis adjacentibus, & bona nostra alia, quæcunque possidemus, in præsenti, vel possessuri, seu habituri sumus disponente Domino in futuro, cum omnibus suis Juribus, libertatibus & Dominio, quibus à nostris' ad nos pervenerunt, prædecessoribus, ex eo, quòd *Magnificum Principem Dominum nostrum charissimum Dominum Joannem Bohemiæ & Poloniæ Regem, ac Comitem Lucemburgensem*, post assumptum sibi Ducatûs, & terræ *Wratislaviensis Dominium* inferendo damna ipsius *Ducatui & Territorio*, districtui, ac hominibus dinoscimur perturbasse, in manus Regis ipsius spontè & liberè nostrorum hæredum, & successorum nostrorum nomine resignantes, ut nullum contra nos & inanteà de excessibus retroactis, per Regem ipsum, aut alium suo nomine instauretur judiciũ, aut ut proferatur sententia à Rege prædicto, suo hæredum ac successorum suorum nomine in feudum perpetuum recepimus. Promittentes nostro hæredum, & successorum nostrorum præfatorum nomine, sibi, hæredibus, & successoribus suis *Bohemiæ Regibus* anteà dictis, de cætero terris, Civitatibus, Castris, & bonis nostris sæpe dictis, tanquam veris nostris Dominis intendere fideliter & parere, obedientiam & fidem ipsis debitas exhibendo. In quorum testimonium præsentes' literas fieri, & sigillo nostro majori jussimus communiri. Datum *Wratislaviæ*, Anno Domini M. CCCXXIX. 3. Calendas Maji.

Enumerantur Feuda in D. Stinaviensi.

EPISTOLA XLVIII.

Joannis Ducis Stinaviæ, donatio, & libera resignatio hæreditariè Ducatûs sui Stinaviensis cum pertinentiis universis Joanni Regi Bohemiæ, & suis hæredibus ac successoribus Bohemiæ Regibus.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Nos Joannes D E I Gratiâ Dux Silesiæ & Dominus Stinaviæ memoriæ commendantes ad universorum notitiam, tam præsentis quàm futuræ ætatis cupimus tenore præsentium pervenire.

Rex Joannes Glogoviam ad vitam donat Joanni Duci Stinaviæ. ut eum faciat suum Feudatar.

Quòd providâ, & maturâ deliberatione, & consilio nostro, & fidelium nostrorum præhabitis, ac liberâ & bonâ voluntate, non coacti, non compulsi, nullâ fraude inducti, seu dolo aliquo circumventi, purè, liberè, spontè, & irrevocabiliter inter Nos commoditatem, seu utilitatem nostram, non modicam considerantes, & singularis, & ingentis favoris, & dilectionis affectum, quem erga *Magnificum & Excellentissimum Principem Dominum Joannem DEI Gratiâ Bohemiæ Regem, ac Comitem Lucemburgensem, Dominum nostrum charissimum*, semper gessimus & geremus, & potissimè ex eo, quòd idem *Dominus noster, Rex Bohemiæ Civitatem, & terram suam Glogoviæ*, cum omnibus, & singulis Juribus, honoribus, Dominio, pertinentiis, & appendiis, Utilitatibus, & fructibus, & obventionibus quibuscunque ad eam pertinentibus ad tempora vitæ nostræ per nos habendam, possidendam, utifruendam, tanquam *Domino Gubernatori*, & locum ipsius tenenti tradidit, & commisit, *Præfato Domino Joanni Bohemiæ Regi, hæredibus & successoribus* offerimus, donamus, cedimus, & liberè resignamus in perpetuum hæreditariè *Ducatum nostrum seu terram Stinaviensem*, videlicet *cum Civitatibus, Stinavia, Gora, Lubin, & Fravenstadt*, cum Castris seu fortaliciis ipsis adjacentibus, & jure proprietatis, Dominii, aut actionis competit, competiit hactenus, aut competere poterit quomodolibet in futurum habendam, regendam, tenendam, utifruendam, & possidendam, per ipsum *Dominum Regem Bohemiæ, hæredes & successores suos*, Jure proprietatis perpetuo, pacificè & quietè, quicquam quod ipsi *Regi, vel successoribus suis, aut hæredibus* deinceps, placuerit faciendum, cum omnibus, & singulis, quo prædictam terram, vel intrâ, vel suprâ, vel *subditis, Villis, Allodiis, Campis, Agris, Cultis, vel Incultis, Pratis, montibus, Vallibus, planis, Sylvis, Rubetis, deserto, viis, inviis, fluviis, Ripis, Rivis, stagnis, aquis, aquarúmque decursibus in aqua*, vel ad ventum expositis, *Venationibus, Aucupationibus, piscationibus, piscinis, Jurisdictionibus, Monetis, Teloniis, Juribus Patronatûs Ecclesiarum, feudalibus, Vasallatibus, Militibus, Clientibus, Servitoribus, Censitis, Agricolis, Judæis*, homagio quocunque, seu quovis alio titulo, Censibus, proventibus & fructibus cum Accessoribus & Egressoribus, terræ ipsius Limitibus, metis, vel finibus suis continentur, cum omnibus suis Juribus, appendiis, pertinentiis, aliisque *Civitatibus, Castris, Oppidis*, & generaliter cum omnibus & singulis utilitatibus, quæ habentur, aut haberi poterunt supra terram, vel infra, vel subtus terram, vel terras prædictas, *muneris, metalli, Auri, Argenti, Cupri, Stanni Plumbi, Ferri*, vel generis alterius, puta lapidibus Salis vel aliis obventionibus quibuscunque, in quibuscunque rebus consistant, integrum, cum omni usu seu requisitione, nobis, & eis, vel pro eis rebus ex aliqua earum modo aliquo pertinente, neque, in eodem Ducatu, seu terris, seu pertinentiis ipsarum, nobis & quibuscunque hæredibus, & successoribus nostris proprietatis, jurisdictionis, vel Dominii nihil penitùs reservantes sub eisdem, Ducatu & terris, cum pertinentiis

tinentiis ipsarum, cedentes, abdicantes, & in totum renunciantes, ut autem hæc nostra cessio, Donatio & Resignatio providè & rationabiliter consummata & celebrata robur firmitatis perpetuæ obtineat; Promittimus bonâ fide corporaliter præstito Juramento, contra eam nunquam ullo tempore facto, vel Jure facere, vel venire per nos, alium vel alios, palàm, vel occultè, in toto vel parte, nec eam revocare in vita, vel in morte, occasione, vel causâ quacunque, renunciantes spontè & expressè pro nobis, nostris hæredibus, vel successoribus universis, exceptioni, doli, mali in factum, actionem, beneficio restitutionis in integrum, constitutioni & consuetudini cuilibet, literis, Privilegiis, seu indulgentiis Apostolicis, Imperialibus seu à Romanis Regibus impetratis, seu etiam impetrandis, omníque Juris Canonici, vel Civilis auxilio, per quod nobis hæredibus, & successoribus nostris posset aliquomodo suffragium, ipsi verò *Regi Boëmiæ* hæredibus, & successoribus suis posset præjudicium generari. Mandantes firmiter, & præcipientes universis *feudalibus, Vasallis, Militibus, Clientibus, Servitoribus, Civibus, Oppidanis, Villanis, cæterisque Incolis, & hominibus* in dicto *Ducatu Stinaviæ*, & aliis terris nostris residentibus, cujuscunque statûs, Conditionis, vel præeminentiæ existant, quatenus dicto Domino *Regi Bohemiæ*, suis in perpetuum hæredibus, vel successoribus tanquam veris & naturalibus Dominis obediant. Nam à fide, devotione, & obedientia, nec non fidelitatis & homagii Juramento, quibus nobis essent astricti, absolvimus, & absolutos ac liberos dicimus, facimus, & omnimodè nunciamus taliter, quòd à modo ad nos & hæredes vel successores nostros, tanquam ad Dominos suos nullum respectum habere debeant, aut aliquo Juramento, homagio, seu fidelitate nobis de cætero in æternum astringantur; in quorum testimonium & evidentiam pleniorem præsentes fieri & nostri sigilli munimine fecimus communiri. Actum & Datum Pragæ sub testimonio, præsentibus *Venerabili in Christo Patre Domino Witkone Episcopo Misnensi, ac Excellenti Principe Domino Rudolpho Duce Saxoniæ, Tymone de Koldicz, & Henrico de Lippa, Ulrico Phlugone, Ottone de Russburo, Conrado de Bersnitz, nec non Gyscone de Reste, Joanne de Lubeck, Conrado de Ullenborck, Civibus Wratislaviensibus aliisque pluribus testibus* fide dignis. Anno Domini M. CCCXXXVI. feriâ secundâ proximâ ante festum Purificationis Beatissimæ Mariæ Virginis.

Testes supradictorum.

E P I S T O L A XLIX.

Joannis Ducis Stinaviæ Venditio Civitatis & Castri Gor, cum pertinentiis universis, Joanni Regi Boëmiæ, & ab eodem Rege ejusdem Civitatis & Castri, unâ cum Civitate Fravenstatt in feudum susceptio.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Nos Joannes DEI Gratiâ Dux Silesiæ, Dominus Stinaviæ, ad universorum notitiam tam præsentium quàm futurorum volumus publicè pervenire.

QUòd nos bonâ & nostrâ liberâ voluntate, sanâ mente & corpore, maturo, & deliberato nostro nostrorúmque publico consiliariorum consilio, sponte & liberè, non compulsi, non coacti, nec aliquâ suggestione pravitatis illecti, terram nostram Goram, cum Civitate & Castro Gora, Territorio & omnibus, & singulis limitibus, Dominio, honore, Jurisdictione, Bayllia, meri & mixti *Imperii*, *Juribus*, *Patrociniis*, & præsentationibus Ecclesiasticorum beneficiorum, nec non Vasallis, feudalibus, Vasallagiis, feudis, emphiteutis, & ad glebam adscriptis, hominibus, ac universis Juribus, Censibus, Fructibus, Usibus, Usufructibus, proventibus, & obventionibus suis universis, quæ & qualescunque sint, & in quibuscunque rebus consistant, vel consistere poterunt in futurum, & cum omnibus libertatibus, & utilitatibus, agris cultis, & incultis, planis, Vallibus, Montibus, campis, Pratis, pascuis, Venationibus, aucupationibus, piscinis, Molendinis, piscationibus, aquis, aquarúmque decursibus, Sylvis, rubetis, nemoribus, & aliis singulis pertinentiis, & appendiis suis *Serenissimo Principi Domino nostro Domino Joanni* eâdem gratiâ *Boëmiæ Regi*, *Comiti Lucemburgensi*, & nomine suo suis hæredibus, seu *successoribus Bohemiæ Regibus*, justè, ritè, legitimè, & rationabiliter exhibitis solennitatibus & cæremoniis, Venditionis, & emptionis, quæ in hujusmodi contractibus adhiberi consueverunt, vendidimus, vendimúsque vero titulo, & nomine venditionis tradimus stipulatione mutuâ inter nos hinc indè celebratâ, pro mille Marchis grossorum denariorum Pragensium Polonicalis numeri pecuniæ paratæ, quam pecuniam nos profitemur percepisse, & habere ipsum Dominum Regem & successores ejus de ipsa pecunia solutos, nósque quietos publicè cognoscentes. Ipse autem Dominus Rex ipsam terram Goram, cum Civitate Castróque Gora & Territorio suo, nec non Vasallis, & Utilitatibus suis, unâ cum Civitate Fravenstatt, expedita & exsoluta, penes Dominum *Conradum Olsnicensem Ducem fratrem nostrum* nobis in feudum honorabile & perpetuum dedit, cum aliis terris nostris & Civitatibus, possidenda, fruenda, utenda, & utifruenda & habenda usquè ad tempora vitæ nostræ pacificè & quietè. Tunc demum post mortem nostram, ad ipsum *Dominum Regem*, *& successores suos Bohemiæ Reges* protinùs liberè devolvenda. Ipsa autem terra *Gorensis cum Civitate Fravenstatt*, & ipsarum Vasallis, & homines nobis interim in vita nostra intendere, parere, obedire, & subesse debent, subesséque promittere absque omni præstito fidelitatis homagio, aut etiam Juramento. Verùm tamen ipsa terra præfata, Fravenstatt, ac Vasalli & homines eorum, statim præfato Domino Regi nomine suo, *suisque successoribus Boëmiæ Regibus* præstare tenentur fidelitatis debitæ homagium, & fidei Juramentum, ipsúmque solum & successores suos, Verum, legitimum, supremum, & immediatum Dominum recognoscere debebunt. Nos autem volumus, promittimus, & tenemur præfatos, terram Gorensem cum Civitate Fravenstatt, ac earum Vasallos, feudales & homines præfatos penes antiqua Jura, libertates, immunitates & gratias eorum nostris inviolabiliter conservare temporibus nullámque eis inferre, seu inferre quempiam permittere molestiam, injuriam, aut offensam pro totis nostris viribus & pro posse. Idem etiam *Dominus Rex* promisit, promittit, & tenetur nos, *Vasallos*, *terras*, *Civitates*, *& earum homines penes Jura*, *libertates*, *privilegia*, & immunitates omnes & singulos nostros, manu tenere, servare, & custodire, prout alii *Principes Plooniæ Vasallos* suos habent, eísque quomodolibet potiuntur, nos quoque non molestare, impedire, vel etiam amovere debet, ab

Joannes Rex emit ditiones Joannis Ducis Stinavienſis.

Peculiaris conditio, ut Rex ditiones illas conſuetudine & jure Polonico regat.

bet, ab ipsa possessione pacifica, terrarum, Civitatum, Castrorum, & possessionum omnium totis vitæ nostræ temporibus, prout in ipsius Domini Regis literis nobis super eo datis evidentiùs apparet, renunciantes itáque expresè pro nobis Vasallis, Civitatibus, & hominibus nostris universis, & singulis præsentibus & futuris, in præmissis omnibus, & eorum quolibet, omni actioni, exceptioni, explicationi, præscriptioni, impetitioni, interjectioni, doli, vel mali, non numeratæ pecuniæ, non soluti, non ponderati, & non electi, auri vel argenti, & cuilibet exceptioni alii Juris, tam Canonici quàm Civilis, seu municipalis, reformationis, constitutionis, consuetudinis, Privilegii, indulgentiæ aut statuti & literarum Apostolicarum, aut in Imperatorum vel aliorum quarumcunque forma, vel conceptione, Verborum, interpretatorum, seu interpretandarum, quæ privilegia, statuta, indulgentias, reformationes, constitutiones & literas ex nunc prout ex tunc esse intelligi volumus, cassa & irrita, & inania, nulliúsque fore efficaciæ penitùs aut momenti, ità quòd prorsus assumatur, quod nobis aut Vasallis, vel in Civitatibus nostris contra præmissa, aut præmissorum aliqua, in toto, vel in parte posset de Jure, aut in defacto competere in futurum, vel quocunque alio modo forma seu quæsito quovis colore alio valeat aliqualiter suffragari. Promittentes corporali præstito Juramento tactis corporaliter DEI Evangeliis, contra præmissa, vel eorum aliquod verbo, aut facto, directè, & indirectè publicè vel occultè, ullo unquam tempore non venire; in quorum omnium testimonium atque robur, perpetuò valiturum præsentes conscribi, & nostri sigilli munimine fecimus communiri. Datum & Actum *Wratislaviæ* in domo Regali, sub testimonio, & in præsentia *Virorum Dominorum Ottonis de Globus*, *Petri de Drossen*, *Wolframi de Pannowitz*, *Ottonis de Maticem*, *Lutholi de Lottin*, *& Nicolai Advocati de Stinavia*, ac aliorum nonnullorum fide dignorum ad hoc vocatorum, & rogatorum. Anno Domini M. CCCXXXVII. Feriâ quintâ ante Dominicam, in qua cantamus *lætare*.

EPISTOLA L.

Ejusdem Ducis Stinaviæ obligatio nomine pignoris Civitatis & Castri Gor, Carolo, Regis Bohemiæ Primogenito Marchioni Moraviæ.

Nos Joannes DEI Gratiâ Dux Silesiæ & Dominus Stinaviæ recognoscimus & ad universorum præsentium & futurorum volumus notitiam pervenire.

Altera obligatio data Carolo ab eodem Duce. Marchi Moraviæ.

QUòd bonâ deliberatione, & maturo consilio cum fidelibus nostris præhabitis nostram perspicientes conditionem fieri meliorem, *Excellenti & Magnifico Principi Domino nostro charissimo Carolo*, *Serenissimi Regis Bohemiæ veri nostri primogenito Marchioni Moraviæ*, *hæredibus & successoribus suis*, *Castrum Gor*, *& Civitatem*, *cum Territorio*, nec non Villis, possessionibus, granitiis, limitibus, metis, terminis, agris, cultis, & incultis, pratis, pascuis, sylvis, rubetis, nemoribus, venationibus, aucupationibus, aquis,

aquis, aquarúmve decursibus, piscationibus, molendinis ad aquam vel ad ventum expositis, montibus, Vallibus, planis, habitis & habendis Vasallis & hominibus, honoribus, Jurisdictionibus, plenóque Dominio, nullo diminuto penitus, vel excepto, ac aliis Juribus, fructibus, utilitatibus, & pertinentiis universis, quibuscunque nominibus censeantur, prout ad nos' à nostris progenitoribus pervenerunt, & sicut eadem hucusque dinoscimur possedisse, pro octo millibus Marcharum grossorum Denariorum Pragensium Polonici Pagamenti, ritè, & rationabiliter nomine pignoris obligavimus, & de certa scientia præsentibus obligamus. Taliter: quòd de Castro *Gor* prædicto duntaxat ad præsens sibi cessimus', & id suæ tradidimus & agnoscimus, & assignamus suæ potestati; Civitatem verò *Gor*, cum Territorio, & omnibus suis antedictis pertinentiis, fructibus, & utilitatibus quibuscunque pro vitæ nostræ tempore de præfati Domini Marchionis Moraviæ benevolentia, & concessu sine impedimento quolibet possidere debebimus' & tenere, sed post mortem nostram eadem Civitas, & Territorium in prædictis omnibus suis pertinentiis & appendiis ad prædictum Carolum Marchionem Moraviæ hæredes & successores suos sine difficultate qualibet & absque resistentia, seu renitentia cujuscunque pro prædictis octo millibus' Marcharum liberè nomine pignoris devolvetur, habenda, tenenda, utifruenda, & pacificè possidenda. Promittimus bonâ fide *vice & nomine Juramenti, Præfato Domino Marchioni, hæredibus & successoribus suis*, cum prædictæ *Civitatis Gor*, nec non *Civitatis Stinaviæ*, ac omnium aliarum nostrarum munitionum seu fortalitiorum apertione, ac omni quâ valemus potentiâ, contra quemlibet Dominum cujuscunque præeminentiæ aut statûs existant, etiam si nobis consanguinitate, & affinitate, quomodolibet sit astrictus, assistere & fideliter adhærere, quantociusque, & quotiescunque per ipsos, aut suos Capitaneos, vel officiales quoscunque fuerimus requisiti. In quorum omnium testimonium præsentes fieri, & sigilli nostri appensione fecimus communiri. Actum & Datum *Wratislaviæ*, feriâ septimâ infra octavas Corporis Christi Anno Domini M. CCCXLIII.

EPISTOLA LI.

Ejusdem Ducis Stinaviæ itidem obligatio Civitatis & Castri Gor cum pertinentiis, Domino Bertholdo de Lippa, Præposito VVischehradensi.

Nos Joannes DEI Gratiâ Dux Silesiæ, & Dominus Stinaviæ.

REcognoscimus, & ad universorum tam præsentium, quàm futurorum volumus notitiam pervenire quòd bonâ deliberatione, maturo consilio, cum fidelibus nostris præhabitis nostram prospicientes conditionem fieri meliorem, *Venerabili Viro Domino de Lippa Bertholdo, Præposito Wischehradensi, Cancellario* Regni Bohemiæ, *Castrum & Civitatem Gor*, cum *Territorio*, & districtu, nec non Villis, possessionibus, Granitiis', limitibus &c. ut in præcedentibus usquè ad finem.

Item

Item extant Joannis Ducis Stinaviæ literæ, quibus recognoscit pro se & hæredibus suis, quòd ad mandatum Joannis Regis Boëmiæ *statim visis suis* Regiis *literis, Carolo ejus Regis primogenito Marchioni Moraviæ, & suis hæredibus ipso non existente, homagium & Juramentum fidelitatis, & obedientiæ promisit, & obligavit se facturum, cùm tempus id faciendi postulaverit ut suo naturali & legitimo Domino.* Quarum Datum *Poznaniæ*, Feriâ tertiâ, proximâ post Festum Sancti Michaëlis Archangeli 1341.

§. X.

DUCATUS MAZOVIÆ.

EPISTOLA LII.

Homagium VVenceslai Ducis Mazoviæ & Domini Plocensis Joanni Regi Boëmiæ & suis successoribus Bohemiæ Regibus factum.

Nos Wenceslaus DEI Gratiâ Dux Mazovienſis & Plocensis. Notum fore volumus universis quibus præsentes exhibitæ fuerint.

QUòd quia nos ob specialis amoris affectum, quem erga *Magnifici Principis Domini Joannis* Boëmiæ *& Poloniæ Regis, ac Comitis Lucemburgensis Domini & affinis nostri charissimi* gerimus Celsitudinem, & statum nostrum inantea Pacificum, Princeps suus, ac Regnorum suorum *Bohemiæ & Poloniæ* fore decrevimus, terram nostram *Boridicienſem*, & Dominatum *Plocensem* cum castris nostris *Prolik, Wyschehrado, & Hostinim*, Civitatibus quoque Oppidis, Villis, & prædiis locatis, per nos aut locandis cum Nobilibus, Baronibus, Vasallis & hominibus, ad ipsas aut ipsa spectantibus cum pertinentiis suis ac aliis bonis universis, quas, & quæ nos omnia possidemus, vel imposterum quocunque possidebimus titulo, nostro hæredum & successorum nostrorum Ducum Mazovienſium & Dominorum Plotzenſium nomine in Regis ipsius sponte & liberè designantes manibus ab ipso in feudum recepimus, & facto per nos debitæ fidelitatis homagio, præstito per nos priùs corporali nihilominus Juramento, *ipsi* Regi *hæredibus & successoribus suis, tanquam veris Dominis nostris, velut Princeps & fidelis suus & Regnorum suorum* Boëmiæ *& Poloniæ* præfatorum promisimus parere, & intendere, ac servire, fideliter pro viribus de eisdem, & contra quemlibet Principem & hominem efficaciter juvare. Harum testimonio literarum, quas sigillo majori nostro communiri fecimus. Datum in *Plocz* Anno Domini M. CCC. IX. quartâ feriâ post Dominicam: *Oculi mei &c.*

Ditiones in Mazovia Regno Boh. Feudataria enumerantur.

EPI-

EPISTOLA LIII.

Sigismundi Romanorum Regis, & Alberti Ducis Austriæ vidimus literarum VVenceslai Ducis Mazoviæ, concordiæ, subjectionis Ducatûs sui Joanni Regi Bohemiæ.

Nos Sigismundus DEI Gratiâ Romanotum Rex, & Albertus eâdem Gratiâ Dux Austriæ, Styriæ, Carinthiæ &c: &c: Marchio Moraviæ, notum facimus tenore præsentium universis.

QUòd nos nuper vidimus & auscultari, ac legi fecimus quandam literam Illustris *Wenceslai Ducis Mazoviæ & Domini Plocensis*, non abrasam, seu cancellatam, sed integram & sanam, & omni vitio ac suspectione carentem, Sigillisque veris & non fictis firmiùs communitam, quam ad præsentes nostras literas atque scripto inseri, & transcribi fecimus, ut ei à quocunque homine adhibeatur fides infallibilis atque firma. Cujus' quidem literæ tenor sequitur & est talis.

Nos Wenceslaus DEI Gratiâ Dux Mazoviæ & Dominus Plocensis, constare volumus, tenore præsentium universis:

Quòd nos post habitos inter *Magnificum Principem Dominum Joannem Bohemiæ & Poloniæ Regem ac Lucemburgensem Comitem Dominum & affinem nostrum charissimum*, ex una, & nos parte ex altera, varios anfractus', & discordias, statûs & honoris nostri commodum attendentes, de consilio, & favore amicorum, & fidelium nostrorum nomine concordavimus in hunc modum: quòd videlicet, nos, hæredes, & successores nostri prædicti, terram nostram Mazoviensem hæreditariam, & ex Gentilium manibus ereptam, sicut ad nos deducta est penitùs liberam, & à nullo unquam Imperatore, aut etiam Rege in feudum priùs receptam, cum Castris nostris Plozick, scilicet Wischehrado, & Cosnik, Civitatibus, & Villis locatis meis, aut circa ea locandis, Nobilibus, Baronibus, Militibus, Vasallis, & hominibus aliis ac cæteris omnibus & singulis pertinentiis suis, & appendiis', in quibuscunque consistant, aut quocunque censeantur nomine, ac bonis aliis quæ nunc possidemus vel imposterum possidebimus, titulo sub quocunque, eis, Regi, hæredibus, & successoribus suis, sponte, & liberè ex causa subscripta resignare, ac eam, seu ea, ab *ipsis* Rege *hæredibus & successoribus suis* Boëmiæ *Regibus*, & *Poloniæ*, in feudum perpetuis à data præsentium inantea temporibus, præstito per nos hæredes & successores nostros fidelitatis debitæ homagio, & corporali nihilominus Juramento recipere & habere, dictisque Regi hæredibus, & successoribus suis, ad requisitionem eorundem de bonis supradictis parere, & intendere, tanquam veris nostris, Dominis, ipsisque serviendo juvare, contra quemlibet mundi Principem, vel hominem fideliter, pro totis nostris viribus teneamur. Promittentes' omnia, & singula supradicta, bonâ fide, dolo & fraude quibuslibet exclusis firmiter & inviolabiliter conservare, nec contra ea, vel eorum aliqua Jure

Plocensis ditio ex manibus Gentilium erepta.

qua Jure, vel facto, ullo unquam casu, vel tempore facere, vel venire. Renunciantes expresè in omnibus his exceptioni, doli, mali, in factum, actioni, beneficio restitutionis in integrum, constitutioni, & consuetudini, quibuslibet omnibus literis Apostolicis, & aliis quibuscunque nobis concessis, vel concedendis', omnique Juris tam Canonici, quàm Civilis auxilio, quo vel quibus contra præmissa, vel eorum aliquod nobis hæredibus, & successoribus nostris præfatis quocunque tempore vel modo posset in aliquo suffragium generari. Imò & si fortasse (quod DEUS avertat) nos ipsi, hæredes, & successores nostri prædicti contradicta, vel eorum aliquod, modo aliquo, aut tempore excesserimus; volumus ex tunc prout ex nunc, omnia & singula bona nostra quæcunque habuimus, ùt prædicitur, ipso facto fore perdita, & ad ipsos Regem, hæredes & successores suos legitimè, & rationabiliter devoluta. Testes sunt *Illustris Princeps Dominus Bolko Dux Falckenbergensis, Venerabilis in Christo Pater Dominus Florianus Episcopus, Andreas Subcamerarius, & Joannes Dapifer Plocensis*, quorum sigilla unâ cum nostro præsentibus sunt appensa. Et quia plura inter fideles nostros sigilla non invenimus', spectabiles & nobiles viros Joffridum de Linigl, & *Henricum de Wilnow, Comites, Ulricum Dominum in Hanow, Petrum de Rosemberg, & Henricum de Lippa, Juvenem*, testes ad præmissa invocavimus, qui etiam ad preces nostras sigilla sua appendi fecerunt, in testimonium & cautelam omnium præmissorum. Datum in *Ploczk*, Anno Domini M. CCCXXIX. Quartâ feriâ post Dominicam: *oculi mei semper.*

In cujus rei testimonium atque robur præsentes nostras literas & insertiones, sigillorum nostrorum appensione fecimus firmiùs roborari. Datum Viennæ, Anno Domini M. CCCCXXVI. 20. die Martii Regnorum nostrorum Anno Hungariæ &c: 39. Romanorum 16. Bohemiæ verò 6.

EPISTOLA LIV.

Boleslai Ducis Mazoviæ & Domini Plocensis, quibus promittit, quod ad mandatum Regis Joannis, Carolo ejus primogenito, si Rex moreretur, homagium fidelitatis præstabit.

Nos Boleslaus DEI Gratiâ Dux Mazoviæ & Dominus Plocensis, recognoscimus pro nobis, & nostris hæredibus tenore præsentium, & successoribus universis.

QUòd ad requisitum & mandatum *Serenissimi Principis Domini nostri charissimi, Domini Regis Boëmiæ* nobis præsentibus literis factum *Magnifico Principi Domino Carolo*, ipsius *Domini Regis Primogenito Marchioni Moraviæ consanguineo nostro charissimo, & suis hæredibus, & successoribus* fecimus & præsentibus facimus promissum, bonâ & sincerâ nostrâ fide ineum casum, si (quod absit) prædictum Dominum nostrum, *Regem Boëmiæ* decedere contigerit ab hac vita, ex tunc ipsum Dominum *Carolum* & non alium ratione primogenituræ suæ, vel eo non extante, hæredes & successores suos, pro Dominis nostris legitimis, & naturalibus habere volumus, & debemus eisque ex tunc homagium fidelitatis præstare solitum & consuetum.

Carolo March: Moraviæ vivente Patre Joanne præstatur juramentum.

Harum nostrarum testimonio literarum, quibus nostrum sigillum duximus appendendum. Actum & Datum Poznaniæ in crastino Sancti Michaëlis Archangeli, sub Anno Domini M. CCCXLI.

Kasimiri Regis Poloniæ literæ, quomodo Carolus Imperator sibi & Ludovico fratri ejus Regi Hungariæ, & eorum hæredibus & successoribus, Ducatum Plocensem donavit, & quòd vice versâ idem Casimirus ipsi Carolo & Coronæ Regni Boëmiæ restituit Oppida, Byczin & Crucemberg cum Vasallis & pertinentiis & ab omnibus debitis eundem Carolum absolvit.

KAsimirus DEI Gratiâ, Rex Poloniæ ac Russiæ, &c. Hæ literæ Casimiri Regis Part. I. Epist 65. pag. 68. ad verbum recitatæ sunt.

EPISTOLA LV. mutila.

Ducatus Placentinus. Henrici Ducis Glogoviæ Homagium de Ducatu Placentino Carolo Regi Bohemiæ, ejus hæredibus ac ejusdem Regni Coronæ præstitum.

Nos Henricus DEI Gratiâ Dux Glogoviæ & Dominus Saganensis, Notum facimus tenore præsentium.

QUòd quia Serenissimus ac Invictissimus Princeps & Dominus Dominus Carolus Romanorum Imperator, semper Augustus & Boëmiæ Rex Dominus noster gratiosus, nobis nec non Illustri Dominæ Annæ Consorti nostræ legitimæ hæredibus & successoribus nostris Ducatum Placentiæ, qui per mortem Illustris Principis Domini Bolkonis, olim Ducis ibidem Sororii nostri dilecti vacavit. &c.

Hic est hiatus in Autographo.

§. XI.

DUCATUS SWIDNICENSIS ET JAURENSIS.

EPISTOLA LVI.

Kasimirus Rex Poloniæ renunciat eos Ducatus, Carolo Regi Bohemiæ & ejusdem Regni Coronæ.

KAsimirus DEI Gratiâ Rex Poloniæ ac Russiæ, nec non Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Lytuaniæ & Pomeraniæ terrarum & Ducatuum Dominus ac hæres &c. Hæc renunciatio Jurium terræ Svvidnicensis & Jaurensis à Casimiro Rege Poloniæ recitatur in P.I. Ep. 55. p. 67.

Eorun-

Eorundem Ducatuum renunciatio Ludovici Regis Hungariæ Carolo Regi Bohemiæ & ejusdem Regni Coronæ.

Literæ Ludovici Regis Hungariæ hic omittuntur, quia per longum jam antè recitatæ sunt. Vol. I. p. 44. Ep. 41.

EPISTOLA LVII.

Henrici Ducis Jaurensis Literæ, quòd post mortem ejus Castrum & Oppidum Cant, cum Kammerdorff debeant ad Carolum Regem Bohemiæ, & ejusdem Regni Coronam devolvi.

Nos Henricus DEI Gratiâ Silesiæ Dux Dominus in Jauer ad universorum notitiam tenore præsentium volumus pervenire.

QUòd nos castrum cum *Oppido Kant & Allodium Kammerdorff* cum fructibus & pertinentiis suis universis, disbrigatis & disbrigandis ejusdem, imposterum prout frater & Pater noster possederunt, & habuerunt assignata & donata nobis, quoad usum fructum per Dominum Regem inclytum, & usquè ad tempora vitæ nostræ utifruenda per nos & possidenda &c. Post mortem autem nostram præfata Castrum & Oppidum *Kant cum Kammendorff*, & utilitatibus ac pertinentiis suis universis, per nos possessis & habitis, ad ipsum Dominum Regem, & successores suos *Boëmiæ Reges*, debent protinus devolvi. Harum nostrarum testimonio literarum. Datum *Wratislaviæ* Anno Domini M. CCCXXXVII. Feriâ sextâ proximâ ante Dominicam *Iætare*.

EPISTOLA LVIII.

Ejusdem Henrici Ducis Literæ, quomodo Joannes Rex Boëmiæ ei indulsit, à Civitate Sittaviensi exactionem exigere.

Nos Henricus DEI Gratiâ Silesiæ Dux Dominus in Jaur, & Fürstenberg. Universis præsentes literas inspecturis, volumus esse notum.

QUòd cùm Magnificus Princeps Dominus Joannes *Boëmiæ Rex* nobis indulserit, & à Civitate, & bonis Civium & hominum Sittaviensium de marca qualibet unum Lothonem grossorum nomine exactionis exigeremus; Promittimus firmiter, & tenemur, quòd nos medietatem totius pecuniæ illius exactæ nomine dicti Domini Regis, & pro eo in summa duorum millium Marcharum, in quo certa bona, & possessiones ad castrum Kant spectantia, & districtum ibidem, sunt obligata pignori, pro exsolutione eorum defalcare debemus in ipsa summa partem mediam, ipsum Dominum Regem contingente totaliter deducendam. Harum seriè literarum.

rum. Datum *Wratislaviæ*, Anno Domini M. CCCXXXVII. 7. die, Dominicâ quâ canitur *lætare*.

EPISTOLA LIX.

Civitatis Jaurensis Literæ de Thelonio eis concesso.

Nos Judex, Jurati ac Cives universi Civitatis Jaurensis. Notum facimus tenore præsentium universis.

Jaurovienses liberantur ad certum tempus à Theloniis.

QUòd licèt *Serenissimus ac Invictissimus Princeps & Dominus Carolus IV. Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus & Bohemiæ Rex*, nobis gratiam usq; ad voluntatem suam duraturam fecerit specialem, quòd ante Thelonia sua, Civitatis & Districtûs Wratislavien sis, cum rebus, & mercibus nostris propriis sine datione Thelonii transire liberè valeamus', ad illum modum sicut Cives Svvidnicenses ante dicta Thelonia liberè, cum eorum mercibus, absque solutione Thelonei transire consueverunt. Nos tamen præfato Domino nostro Imperatori bonâ fide promisimus, & promittimus per hæc scripta, quòd antedicta Thelonea, res & merces' alienas in fraudem solutionis Thelonei nullatenus deducemus. Datum *Wratislaviæ*, Anno Domini M. CCCLXIV. Die 28. Maji.

§. XII.

DUCATUS COSLENSIS.

EPISTOLA LX.

Homagium VVladislai Ducis Coslensis, Joanni Regi Boëmiæ & suis hæredibus & successoribus præstitum.

Nos Wladislaus Dux Coslensis recognoscimus & fatemur tenore præsentium universis.

Feuda Coronæ Boh: in Ducatu Coslensi.

NOs esse *Principem, & Vasallum Magnifici Domini nostri Joannis Boëmiæ, & Poloniæ Regis Illustris ac Luccmburgensis Comitis*, & ab eo terram nostram Coslensem, cum suis Civitatibus, videlicet, *Cosla, Peitum, Peynsenchreschin*, ac Castris videlicet *Tost & Slalatyra*, cum eorum *Villis, hominibus, Vasallis & Militibus* ad ipsas & ipsa spectantibus, ac aliis suis pertinentiis in quibuscunque consistant, quas & quæ nunc habemus & imposterum sumus quocunque titulo habituri, nostro hæredum & successorum nostrorum Ducum Coslensium nomine, recepisse in feudum, & ab ipso tenere & possidere, Jure ac titulo feudali. Volentes quòd hæredes & successores nostri Duces Coslenses prælibati juxta literarum continentiam, quas à Præfato Domino nostro *Rege Bohemiæ* super eo recepimus, & habemus, quandocunque prædictam terram nostram Coslensem vacare contigerit, eam ab ipso Domino *Rege Boëmiæ aut à suis hæredibus vel successoribus Regibus Bohemiæ* in feudo recipere

pere semper deinceps debeant & tenere. Et facto sibi per eos servandæ perpetuo fidelitatis homagio, sicut & nos spontaneâ & liberâ voluntate fecimus, ei vel eis tanquam ejus vel eorum princeps, & Vasallus sincerâ fide intendere semper debeant ac parere. Harum nostrarum testimonio literarum. Datum in *Oppavia*, Anno Domini M. CCCXVII. 11. Kalendas' Martii.

§. XIII.

DUCATUS FALKENBERGENSIS.

EPISTOLA LXI.

Bolkonis Ducis Falkenbergensis literæ, quibus fatetur, quòd nullum alium Dominum habeat, aut hæredes sive successores sui habere possint, præterquam Reges Bohemiæ, & ejusdem Regni Coronæ.

Nos Bolko DEI Gratiâ Dux Falkenbergensis, notum facimus tenore præsentium universis.

QUòd literas illas, quibus *Reverendum in Christo Patrem Dominum Preczlaum Episcopum Wratislaviensem* ad præsentiam *Regis Cracoviæ* provocavimus, ipsi Episcopo in tædium, & displicentiam destinavimus', cùm eo tempore essemus hostis ipsius', & quòd nostræ mentis non fuit, quòd ex illis literis Dominis nostris *Regibus, & Coronæ Regni Boëmiæ* aliquod deberet damnum seu præjudicium generari. Notum facimus ac etiam profitemur publicè, quòd tales literæ, quas Episcopo præfato, seu aliis destinavimus, ac etiam verba quæ diximus in causa prædicta, *Dominis nostris Regibus Bohemiæ* & ejusdem Coronæ nullum damnum afferre debeant quovis modo; Quódque nullum alium Dominum habemus, præterquam *Boëmiæ Regem*. Et promittimus pro nobis, hæredibus', & successoribus nostris bonâ fide, sine dolo, quòd coram prædictis *Dominis nostris Bohemiæ Regibus*, seu coram *Capitaneo Regni Bohemiæ*, cui vices suas committendas decreverint, cuilibet Principi seu in dignitate Principis constituto de justitia respondebimus, & Juri parebimus, & ab eis justitiam recipiemus' similiter, si verò cuiquam alteri in nobilitate Principis non existenti, adversùs nos actio, seu Jus quovis modo competeret, *illi* Justitiam facere tenebimur in nostra curia, & coram Vasallis nostris eâ conditione, quòd *Rex Bohemiæ* Dominus noster, qui pro tempore fuerit, si causam ad ipsum provocari contingeret, aliquem ex suis ad nostri Judciis audientiam destinare poterit, & valeat, qui advertat, & ritè consideret, si conquerenti de Justitia provideatur coram nobis, & in eum casum ubi relatione talis nuntii destinati clareret, non fore debitam administratam Justitiam, in nostra curia, & Vasallorum nostrorum præsentia, ut præfertur, tunc conquerens hujusmodi ab auditorio nostro provocare, seu appellare poterit ad Judicia *Dominorum nostrorum Bohemiæ Regum*, qui pro tempore fuerint, & ibidem tali conquerenti justificare tenebimur. Et vice versâ ab ipso postulare Justitiam

in causis & negotiis quibuscunque, neque sustinebimus, vitari seu provocari ad cujuscunque alterius Domini judicia quovis modo; Præsentium sub appenso nostro sigillo testimonio literarum. Datum *Wratislaviæ* Anno M. CCCLIX. in die S. Thomæ Cantuariensis Episcopi, & Martyris Glorioſi.

§. XIV.

DUCATUS OSVICENSIS.

EPISTOLA LXII.

Homagium Joannis Ducis Osvvicensis Joanni Regi Boëmiæ, & suis hæredibus ac successoribus factum.

Nos Joannes DEI Gratiâ Dux Osvvicensis Scholasticus Cracoviensis. Recognoscimus & fatemur tenore præsentium universis.

NOs esse *Principem & Vasallum Magnifici Domini nostri Joannis Bohemiæ & Poloniæ Regis Illustris ac Comitis Lucemburgensis*, & ab eo terram nostram Osvvicensem cum suis *Civitatibus, & Castris* videlicet *Osvvem* Civitate cum *Castro Jathor*, *Civitate Lant*, *Zipsa*, *Wadowitz*, *& Spikowitz*, Oppidis cum Oppidanis, Villis, hominibus, Vasallis ac Militibus ad ipsas & ipsa spectantibus, & aliis pertinentiis universis in quibuscunque consistant, quas nunc habemus, & imposterum sumus quocunque titulo habituri, nostro hæredum & successorum suorum nomine & Ducum Osvvicensium, recepisse in feudum, & ab ipso tenere, & possidere jure ac titulo feudali, volentes, quòd hæredes, & *successores nostri Duces Osvvicenses* prædicti juxta continentiam literarum, quas à prædicto *Domino Rege* super eo habemus, quandocunque prædictam terram nostram vacare contigerit, eam ab ipso Domino nostro Rege in feudo deinceps semper recipere debeant, ac tenere. Et facto sibi per eos servandæ perpetuo fidelitatis homagio, sicut & nos nunc spontaneâ & liberâ voluntate fecimus, ei vel eis tanquam ejus, vel eorum rei testimonium præsentes literas fieri, & sigillo nostro fecimus roborari. Datum in *Boütung* Anno Domini M. CCCXXVII. 6. Calend. Martii.

Feudalia loca Coronæ Boh: in Ducatu Osvicensi.

§. XV.

DUCATUS THESCHINENSIS.

EPISTOLA LXIII.

Homagium Casimiri Ducis Teschinensis Joanni Regi Boëmiæ præstitum.

Nos

Nos Casimirus DEI Gratiâ Dux Teschinensis recognoscimus, & fatemur tenore præsentium universis.

NOs esse *Principem*, *& Vasallum Magnifici Domini nostri Domini Joannis Boëmiæ & Poloniæ Regis Illustris*, *ac Comitis Lucemburgensis.* Et ab eo terram nostram *Teschinensem*, cum suis Civitatibus, & Castris videlicet Teschin Civitate, cum Civitate Freyenstadt, & Belitz Civitatibus, Zehoffchvve, Gemnitz, Oppidis cum munitionibus & Ostravià Castro, cum Villis (& cætera) *sequentia iisdem verbis habentur prout præcedens Homagium Osvicense.* Datum in *Oppavia*, Anno Domini M. CCCXXVII. 12. Calend. Martii.

EPISTOLA LXIV.

Compromissum Theschinensis, & Olsnensis Ducum in arbitros, in quo reservatur superioritas Carolo Regi Bohemiæ.

Nos Przimislaus DEI Gratiâ Dux Theschinensis, Notum facimus tenore præsentium universis.

QUòd cum in causa dissensionis, quæ vertitur inter nos ab una & *Illustrem Principem Dominum Conradum Olsnicensem Ducem* parte ab alia, super ordinatione, seu limitatione granitiarum, seu metarum inter *Bythumiam*, *Byszekreczem*, nos pro nobis *Petrum de Luba*, *& Strabonem de Slawolicz*, idemque *Dux Conradus* prædictus pro se & sua parte, *Ottonem de Wolaw*, *& Wenceslaum de Ternowitz*, ac eisdem quatuor in casu hujusmodi ei concordare non valentibus, *Nicolaum Kothulin*, quintum & superiorem, nostros arbitros & amicabiles compositores, in præsentia *Serenissimi*, *ac Invictissimi Principis*, *Domini Caroli IV. Romanorum Imperatoris semper Augusti*, *& Bohemiæ Regis Domini* nostri gratiosi, de bona nostra voluntate, nec non amicorum nostrorum accedente consilio, duximus eligendos. Sique dictus *Nicolaus* officium diffinitionis hujusmodi, fortè nollet assumere, ex tunc per nos utrobique quantum in nobis fuerit, ad diffiniendum eandem compelli debebit, sique fortassis ad hoc compelli non posset, ex tunc nos bona omnia ejusdem *Nicolai*, *dicto Domino nostro Imperatori* assignare tenebimur. Et infra dies quatuordecim abinde continuos, de alio quinto, & superiore nec non arbitro, ad invicem concordare, nobísque de hoc concordare non valentibus præfatus *Dominus Imperator* talem quintum superiorem communem hominem dabit, seu deputabit, qui sibi videbitur expedire, promittentes bonâ nostrâ fide sine dolo, prædicto Domino nostro Imperatori, quod diffinitioni seu discussioni prædictorum in omnibus hujusmodi causam concernentibus, firmiter obedire, seu parere volumus & tenemur præsentium sub nostro sigillo testimonio literarum. Datum *Wratislaviæ*, Anno M. CCCLVIII. Crastino Beatæ Luciæ Virginis.

FINIS PARTIS III.

PARS

PARS IV. EPISTOLARUM PUBLICARUM.

EGRA.

EPISTOLA I.

De Obligatione Civitatis Egrensis & ejus Territorio, Regibus, & Coronæ Regni Bohemiæ literæ Gerlaci Archiep: Moguntinensis Electoris Imperii.

Nos Gerlacus DEI Gratiâ Sanctæ Moguntinensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, S. Imperii per Germaniam Archicancellarius. Notum facimus præsentium inspectoribus & Auditoribus universis.

Literæ super Egram amissæ.

QUamvis literæ *Sereniſſimi, ac Invictiſſimi Principis & Domini Domini Caroli Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, & Bohemiæ Regis Domini noſtri gratioſi*, quas ſuper obligationem, & infra ſcriptis ſuis' pignoribus videlicet *Civitate Egrenſi*, & ejus *Territorio* nec non *Caſtris & munitionibus Floſs & Parkſtein*, & eorum pertinentiis, pridem obtinuit, quáſque claræ memoriæ *Illuſtres Principes quondam* Bohemiæ *Reges progenitores ſui*, ex notabilibus cauſis à Sacro Rom: Imperio obtinuiſſe noſcuntur, ſiniſtri caſus, odioſis eventibus crematæ, & perditæ fuerint, & ſint, quòd earum præſidio uti non poteſt ad oſtenſionem ſui juris, ſicut eiſdem meritò uteretur; Tamen cùm eadem obligatio, ſeu pignoratio, nota ſit publicè & nos de conditione obligationis hujuſmodi ſimus plenè & ſufficienter inſtructi, videlicet quòd præfata Egrenſis Civitas cum ſuo territorio, nec non caſtro ſeu munitione *Floſs*, & *Parkſtein*, cum omnibus ſuis pertinentiis *Regno & Coronæ Bohemiæ* pro quadraginta millibus Marcharum puri argenti 5. florenis cum dimidio Florentini ponderis pro Marcha qualibet computandis à S: Rom: Imperio ritè fuerint obligata, & *progenitores, ac præ-*

Egr æmpta à Rege Boh.

deceſſores ſui Reges Bohemiæ Illuſtres in poſſeſſione præfatorum pignorum fuerint, & ipſe Dominus noſter prædictus eadem pignora ritè poſſideat in præſenti. Conſideratis igitur multiplicibus favoribus & gratiis & fructuosâ diligentiâ, nec non laboribus indefeſſis', quibus præfatus Dominus noſter ad honorem & utilitatem S. Imperii fideliter & frequenter intendit: inſpectis' etiam notabilibus, & ſtudioſis obſequiis, quas progenitores ſui quondam *Reges Boëmiæ* ipſi S. Imperio reverenter & utiliter ſæpiùs oſtendiſſe noſcuntur cum

cùm præfatum *Regnum* Boëmiæ *Imperialis Coronæ dignum quidem, & nobile membrum* exiſtat, damnis hujuſmodi quibus præfatum *Regnum Bohemiæ* ex præmiſſis' eventibus gravari valeret, deſideramus occurrere ſapienter, nominatim ob illam fidem, quâ velut *Princeps Elector* Sacro tenemur *Imperio*, nè *Præfatus Dominus noſter &* Regnum Bohemiæ ſuum occaſione dubitationum talium, damna quævis impedimenta, ſeu diſpendia patiantur, animo deliberato, & de certa noſtra ſcientia notum facimus, & fatemur, quòd præfata Egrenſis Civitas cum ſuo territorio, & caſtra ſive munitiones, *Floſs & Parkſtein*, cum Oppidis, Villis, Nobilibus, plebeis, pauperibus, & divitibus circumſtantiis, & omnibus ſuis pertinentiis, quæ infra metas, ſive limites, terrarum, caſtrorum, ſeu munitionum hujuſmodi ſituantur, præfati *Domini noſtri Regis* tanquam *Regis* Boëmiæ *hæredum & ſucceſſorum ſuorum Regum* Boëmiæ & ejuſdem *Regni Coronæ* pignus & obligatio dudum fuerunt, & ſunt pro quadraginta Millibus Marcharum puri argenti ponderis antedicti. Et eandem obligationem ſeu pignorationem confirmamus de noſtra ſcientia, ſub omnibus modis, & conditionibus, ut præfati ſumus ipſiuſq; obligationi, & pignorationi favorem, voluntatem, & plenum conſenſum apponimus', velut *ArchiEpiſcopus Moguntinenſis, per Germaniam Archicancellarius & Prlnceps Elector S. Imperii* ſupradicti præſentium ſub noſtro ſigillo teſtimonio literarum. Datum *Spiræ* Anno M. CCCLIII. feriâ quartâ proximâ ante feſtum S. Nicolai.

EPISTOLA II.

Balduini Epiſcopi Trevirenſis.

Nos Balduinus DEI Gratiâ S. Trevirenſis Eccleſiæ ArchiEpiſcopus S: R: Imperii per Galliam, & Regnum Arelatenſe Archicancellarius. Notum facimus præſentium inſpectoribus & Auditoribus univerſis.

QUamvis literæ *Sereniſſimi ac Invictiſſimi Principis &c*: omnia ut in præcedenti, verbum de verbo, niſi ubi *Moguntinenſis ArchiEpiſcopus* legitur, legatur *ArchiEpiſcopus Trevirenſis* per Galliam & Regnum Arelaceum Archicancellarius. Datum *Moguntiæ* Anno M. CCCLIII. Dominico die proximo poſt feſtum Beati Thomæ Apoſtoli.

EPISTOLA III.

VVilhelmi ArchiEpiſcopi Colonienſis.

NOs Wilhelmus DEI Gratiâ Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ ArchiEpiſcopus S: Imperii per Italiam Archicancellarius. Notum facimus &c: Quarum Datum eſt *Spiræ*, Anno Domini M. CCCLIII. feriâ quartâ proximâ ante feſtum S. Nicolai Epiſcopi.

EPISTOLA IV.

Ruperti Senioris Comitis Palatini Rheni Imperii Electoris Ducis Bavariæ literæ.

NOs Rupertus Senior DEI Gratiâ Comes Palatinus Rheni S. Imperii Archidapifer & Bavariæ Dux. Notum facimus &c: Quarum Datum ibidem est *Sp-ræ.* Anno Domini M. CCCLIII. feriâ quartâ proximâ ante festum Sancti Nicolai.

EPISTOLA V.

Balduini Trevirensis ArchiEpiscopi Electoris Imperii.

VIdimus literarum Ludovici Rom: Regis in quibus *Joanni Regi Boëmiæ* certas promissiones facit, eò quod in Regem Romanorum ipsum promovit, in quibus etiam fit infra scripta mentio obligationis terræ Egrensis, ut patet. *Item obligamus sibi pro decem Millibus Marcharum argenti terram Egrensem, & Castra Floss & Parkstein, cum omnibus Regalibus, Dominiis, mero, & mixto Imperio, fructibus, redditibus, & juribus, & aliis quibuscunque pertinentiis, pro expensis factis ea de occasione promotionis nostræ in Romanorum Regem, quousque sibi aut suis heredibus de dicta summa integrè fuerit satisfactum percipiendis sibi & heredibus suis in sortem minimè computandum.* Datum literarum Coloniæ secundo nonas Decembris vidimus autem Actum & Datum *Treviris* Anno M. CCCXXXV. 18. Augusti.

Ludovici Romanor: Regis verba Egram Regibus Boh: oppignorantis.

EPISTOLA VI.

Caroli Romanorum Imperatoris literæ de incorporatione Regni Bohemiæ Castrorum Parkstein & Karlswald & Oppidi VVeyda.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS FELICITER. AMEN.

Carolus IV. Divinâ favente Clementiâ Rom: Imperator semper Augustus & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.

DUm imminentium nobis curarum varietatem quibus humeros nostros ex S: Imperii susceptione subjecimus nostra secum revolvit serenitas, multum nos eidem obnoxios invenimus Imperio, quo Mundiali Machinæ auctore Domino præsidemus, Multum *in Regni nostri Boëmiæ* quod initium & excellens ipsius Imperii membrum existit, profectibus & augmentis nos decet prospicere, cujus sublimatio Sacro Imperio, ad gloriam, & imperiale fastigium in illius felicitate feliciter sublimatur; hinc est, quòd

Caroli IV. solicitudo de Boh: Regni commodis & profectibus.

quòd cum *Venerabilibus & Illustribus* ipsius *Sacri Imperii Principibus, Electoribus*, habito pridem super variis Imperii necessitatibus, consilio, & deliberatione maturis inter cætera, illud nobis occurrit præcipuâ considerationę pensandum, qualiter illius auxilio, cujus nutu cœlestia simul & terrestria disponuntur, exigente rerum ordine, cum victorioso nostræ Majestatis exercitu, nuper ingressi Castrum Achatin, & Hohenstauff, ad jus & proprietatem Imperii S. spectantia, & ex multo tempore ab ipso alienata in pristinum Jus & proprietatem imperialem recuperavimus, & in antiquam reduximus potestatem, ubi etiam eodem tempore *Castra Lauterburg & Rosenstein*, nec non Oppida, Alen & Steubach per spectabiles *Ludovicum* seniorem & *Ludovicum* juniorem Comites de Oettingen fideles nostros dilectos venditioni palâm exposita, de Thesauro *Regni nostri Boëmiæ*, pro eodem Regno, & ejus insigni Corona comparavimus & ipsa in eorundem *Regni & Coronæ Bohemiæ* transtulimus, univimus & fundavimus potestatem. Consequenter una cum eisdem *Principibus Electoribus* consideravit & ritè perpendit nostra Serenitas, quomodo pro gubernatione Imperialium terrarum, tam in *Sueviam*, quàm in aliis regionibus, confiniis, Castra *Achatin*, & *Hoënstauff*, antedicta licèt in se supra modum essent utilia, tamen pro certiori magnificatione, & *Sacri Imperii* propagatione, ampliatione districtuum finitimorum indigebant, talémque dislationem dictis *Castris*, *Achatin*, & *Hohenstauff*, *ac Dominio Imperiali* proficuam ex permutatione, quæ de Castris *Luteburg*, & *Rosenstein*, nec non Oppidis *Alen & Steubach* prædictis, eorum districtibus, fieri poterat, visum fuit nobis, & prædictis Principibus posse utilissimè ordinari, eò quòd eadem Castra, Oppida & districtus cum jam dictis Castris *Achatin*, & *Hoënstauff* confinare, ac utrorúmque limites sese contingere dignoscuntur. Præterea providâ, & Sagaci unà cum prædictis Principibus Electoribus discussione nostra solicitè pensavit sublimitas, qualiter Castrum *Parckstein*, & *Karlswald* situm in terra Egrensi, cum centum mansis terræ ad illud spectantibus, Oppidum *Weiden*, & eorundem bona, Villæ, pertinentiæ, & districtus, licèt de Imperiali proprietate consistant, non sunt tamen cæteris Imperialibus bonis continua, & magis *Regno nostro Bohemiæ* seu terris ejusdem quas trans sylvam Boëmicalem in Bavaria Justis, & rationabilibus titulis conquisivit, conjuncta sunt contigua & vicina, & Castra *Lutterburg & Rosenstein*, Imperio Sacro, atque Castra *Parckstein*, & *Karlswald Regno Bohemiæ* magis expediant, sicut hoc *Electorum Principum* decrevit provisio, qui missis inspectoribus, permutationem hujusmodi utilem dictaverunt. Quam ob rem nullo quidem Patriæ natalis affectu, aut novalis successionis amore, sed solum DEUM & conscientiæ debitum nostræ habendo præ oculis, quod Sacro Imperio, ac *Regno nostro Bohemiæ*, nobili & insigni ejus membro, ampliùs convenire, fructúmque & commodum uberius afferre posset, prospicimus, unà cum Principibus Electoribus prædictis voto unanimi, aciem mentis nostræ convertimus, animóq; deliberato, & prædictorum omnium consilio prædicta bona decrevimus, & bonum esse invenimus, hinc inde inter Imperium ex una, & *Regnum nostrum Bohemiæ* parte ex altera, ad invicem permutare. Hinc est quòd nos tanquam Imperator, & antedictorum Electorum consilio, & assensu concordi jure & nomine nostri & S. Imperii cum *Illustri Joanne Marchione Moraviæ fratre*, *Principe nostro familiarissimo*, quem pro nobis, ùt *Rege Boëmiæ*, ad supra scripta & alia generaliter, & specialiter administratorem, procuratorem, & negotiorum gestorem Serenitas nostra constituit, prædicta Castra *Luterburg*, & *Rosenstein*,

Carolus IV. emit pecuniâ Regni Boh: quasdam Arces & Oppida.

Notandum: nomina locorum non bene legi potuisse.

Commutatio certorum locorum ad Imper: & Boh: pertinentium.

Locus corruptus.

Roſenſtein, nec non *Oppida Allen & Heibach*, cum eorum Villis, bonis, poſſeſſionibus, diſtrictibus, & pertinentiis univerſis', pro plenoque jure fundo, proprietate & Dominio utrobique ritè & rationabiliter permutavimus, & tenore præſentium autoritate noſtrâ Cæſareâ & certâ ſcientiâ permutamus. Et nos quidem Imperator prædictus, Imperiali autoritate, & nomine Caſtris *Parckſtein & Karlswald* Oppido *Weida*, & omnibus eorum bonis, Villis, poſſeſſionibus, Dominio, Juribus, & pertinentiis antedictis ceſſimus, & animo permutationis hujuſmodi *Regno Bohemiæ*, & inſigni ejus *Coronæ*, appropriamus, annectimus, inviſceramus, pariter & non minus' ac in Jus, proprietatem, *fundum*, *Dominium*, *& poteſtatem Regni*, *Coronæ*, *ac Regum Bohemiæ* prædictorum ex certa ſcientia eâdem Imperiali auctoritate redigimus, & firmamus, apud *Regnum Reges & Coronam Bohemiæ* inſeparabiliter jure hæreditario perpetuis temporibus permanſura. Dicta verò Caſtra *Lauterburg & Roſenſtein*, nec non Oppida *Allen & Heibach*, cum Villis, bonis, poſſeſſionibus, diſtrictibus & pertinentiis ſupradictiſque nemoribus frater noſter Marchio Moraviæ virtute adminiſtratoris *Regni noſtri Bohemiæ* admiſſis favorabiliter Sacro Romano Imperio ejuſque Cameræ incorporamus, inviſceramus, annectimus, & unimus, eaque in jus, proprietatem, feudum & Dominium ipſius Imperii ex certa noſtra ſcientia Imperiali reddimus', in ejuſdem Imperii poteſtate, jure, & Dominio ac proprietate perpetuò permanſura. Promiſimus equidem & ſincerè promittimus per præſentes', nos qui ſupra Rom: Imperator, pro nobis & *ſucceſſoribus noſtris Regibus & Imperatoribus Rom*: dictus verò *frater Illuſtris Joannes Marchio Moraviæ*, velut adminiſtrator, procurator, & negotiorum geſtorum à nobis ùt à *Rege Bohemiæ* ad hoc ſicut patet conſtitutus, pro nobis *hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris Regibus Bohemiæ* prædictum permutationis contractum in toto vel in parte ſui qualibet ſemper attendere, & perpetuis temporibus inviolabiliter obſervare, ac nullo unquam tempore contra eum ullo modo, directè vel indirectè, jure, vel facto per nos vel perſonas interpoſitas, quocunque colore quæſito facere, vel venire, aut etiam quippiam in ejus jacturam, reſciſſionem ſeu præjudicium quomodolibet attentare. Renunciantes certa ſcientia, & ſcriptis, *Nos Carolus Imperator*, qui ſupra *pro nobis*, *& ſucceſſoribus noſtris Regibus & Imperatoribus Romanorum*, dictus verò noſter *frater Marchio Moraviæ* adminiſtrator, procurator, ſicut præmittitur, pro nobis hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris *Regibus Bohemiæ* in præmiſſis eorum ſingulis, ſeu ab illis dependentibus, quovis modo ſecundùm omnem modum, & formam, ſicut ſuperiùs fuit expreſſum, & invenitur, omni actioni, juri, quæſtioni, impetitioni, exceptioni, doli, mali, ſeu infactum, auxilio reſtitutionis in integrum, & cuilibet actioni Juris Canonici, & Civilis Beneficio contra venire poſſemus, Jure vel facto in Judicio, vel extra Judicium, vel quibus hæc omnia, vel eorum aliquod violari, reſcindi, & infirmari poſſent, quibuſcunque temporibus, aut infringi, etiamſi de ſingulis hujuſmodi Canonibus, legibus, Juribus, obſervantiis, Uſibus, & Statutis, Jure, vel conſuetudine, deberet in præſentibus fieri mentio ſpecialis. Præterea nos *Carolus Romanorum Imperator*, qui ſuprà auctoritate Cæſareâ, & de plenitudine Imperatoriæ poteſtatis ex certa ſcientia ſupplemus omnem defectum, ſi quis in præmiſſis, vel eorum aliquo circà ſolennitatem in tractatibus præmittendam, ſive in forma verborum neceſſariorum ſubmiſſione, ſeu aliis quibuſvis Cæremoniis, Juris, aut facti neceſſariis, ſubſtantialibus vel voluntariis quomodolibet eſt, vel unquam reperiretur admiſſus. Decernentes hoc Imperiali

Marchio Joannes Frater Caroli, conſtitutus Procurator Regni Boh.

periali edicto: hæc omnia ſemper habere, & perpetuà debere ſubſiſtere roboris firmitate. Non obſtantibus quibuſcunque legibus ſeu juribus communibus, localibus, conſuetudinariis, vel ſtatutis, in contrarium editis', ſeu rebus hujuſmodi aliter formam ponentibus, quibus omnibus, & ſingulis, in quantum præmiſſis, vel eorum aliquibus ſeu alicui obviarent, auctoritate Cæſareâ, præſentibus, quo ad hunc duntaxat permutationis contractum, ex certa ſcientia derogamus, & eſſe decernimus omnimodè derogatum. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Majeſtatis infringere, vel ei quovis auſu temerario contraire. Si quis autem contrarium attentare præſumpſerit, indignationem noſtram & pœnam mille Marcharum auri puri, toties quoties contra factum fuerit eo ipſo, ſe noverit irremiſſibiliter incurſurum, quarum medietatem, Imperialis ærarii, reliquam verò Fiſci Regalis Bohemiæ uſibus decernimus applicari. Præmiſſis inſuper univerſis & ſingulis in ſuo robore perpetuò duraturis.

Signum Sereniſſimi Principis & Domini Domini

Caroli IV. Romanorum Imperioſiſſimi; Teſtes hujus rei Auguſtenſis, *Joannes* Olomu- Imperialis Aulæ Cancellarius, *tholdus* Eiſtetenſis Eccleſiarum nior Comes Palatinus Rheni ſis, *Primislaus* Teſſinenſis, & ratoris, Invictiſſimi & Gloſunt Venerabilis Marquardus' cenſis, *Joannes* Lütomislenſis *Theodoricus* Mindenſis, & *Ber*- Epiſcopi, Illuſtres *Rupertus* Ju- Bavariæ, *Richardus* Braudecen- *Joannes* Oppaviæ Duces ſpectabiles, *Burchardus* Imperialis curiæ Magiſter, Magdeburgenſis, & *Friderícus* Nürnbergenſis, Burggravii, *Eberhardus* Wirtenbergenſis, *Ulricus* ſenior de Helffenſtein, Advocatus Sueviæ, *Henricus* de Montfort, *Ludovicus* ſenior, & *Ludovicus* junior de Oettingen, Comites, *Ulricus Landgravii*, Lucemburgenſis, ac *Gerlacus* de Hoënloh, *Czenco* de Lippa ſummus *Regni Boëmiæ* Marſchallus & Camerarius, *Wilhelmus* de Rechberg, *Fridericus* de Heydeck, *Sbincko* de Hazenburg ſupremus Magiſter, *Hasko* de Zvirzeticz & Thimo de Kolditz Imperialis Cameræ Magiſter, Ogerius de Landſtein, *Joannes* de Roſenberg, & alii quàm plures Imperii noſtri Principes & Nobiles præſentium ſub Imperialis Majeſtatis ſigillo teſtimonio literarum. Datum *Nürnberg*, Anno Domini M. CCCLX. Indictione 13. Secundo nonas Decembris Regnorum noſtrorum Anno 15. Imperii 6.

EPISTOLA VII.

Ejusdem Caroli Romanorum Imperatoris literæ, quibus præcedentes ſuas literas confirmat.

Carolus IV. Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, notum facimus tenore præſentium univerſis.

QUòd cùm propter Zelum amoroſi affectûs, quem ad Sacrum Romanum Imperium, & ad inſigne *Regnum Bohemiæ ejusdem Imperii Magnificum & inſigne membrum* inceſſanter gerit noſtra ſerenitas, ſtudio diligenti, *Carolo uſitata phraſis.*

diligenti, ob utrorumque præsentium commodorum, quandam permutationem iniremus, quæ in sequentibus continetur, eandémque literis nostris Imperialibus confirmaverimus, quarum tenor per omnia sequitur in hæc verba: *In nomine SS. & Individuæ Trinitatis feliciter Amen. Carolus IV. DEI favente Clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam. Dum imminentium nobis curarum varietatem, quibus humeros nostros, ex Sacri Romani Imperii susceptione subjecimus, nostra secum revolvit serenitas, multum nos eidem obnoxios invenimus Imperio, quò mundiali Machinæ auctore Domino &c.* (usque ad finem priores literæ per omnia uno eodemque tenore verborum repetuntur.) Nos igitur qui supra, *Carolus IV. Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex*, attendentes prædictam permutationem, & honorem Sacri Imperii, & felix augmentum, Regnique Bohemiæ salutem & commodum tam providè, quàm sagaciter innovâsse, sicut per fide dignorum inspectorum, quos nos, & cæteri Proceres nostri, Ecclesiastici & Seculares Principes ad perscrutandum unanimi voto direximus, Claris fuimus relationibus informati, eisdem permutationi, incorporationi, annexioni, invisceratione, & unioni, omnibúsque & singulis ex eis dependentibus quovis modo, prout hæc omnia seriatim sunt expressa superiùs consensum, & assensum nostrum benevolum, præsentibus adhibemus. Eaque omnia, & singula prout inveniuntur expressa superius, velut *Rex Bohemiæ S: Imp: Archipincerna, & Princeps Elector* approbamus, laudamus, & in omnibus & singulis clausulis suis, punctis, articulis atque tenoribus supra scriptis ex certa scientia confirmamus, perpetuis temporibus, perpetuè valitura, præsentium sub Imperialis Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum *Nürnberg*, Anno Domini M. CCC. LXI. Indictione 14. 15. Calendas Maji. Regnorum nostrorum Anno 15. Imperii verò 7.

EPISTOLA VIII.

Gerlaci ArchiEpiscopi Moguntinensis literæ, de incorporatione Regni Bohemiæ Castrorum Parckstein, Karlsvvaldt, & Oppidi VVeyda.

Gerlacus DEI Gratiâ Sanctæ Moguntinensis sedis ArchiEpiscopus S. I. per Germaniam Archicancellarius. Notum facimus tenore præsentium universis.

QUòd cùm *Serenissimus ac Invictissimus Princeps, & Dominus Dominus Carolus IV. Divinâ favente Clementiâ, Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex Illustris, Dominus noster gratiosus*, Zelo amorosi affectûs, quem ad *Sacrum Romanorum Imperium, & Regnum, & Coronam Bohemiæ* animo gerit solicito, pro utrorúmque incrementis felicibus infra scriptam permutationem inierit, & eandem Imperialibus literis suis firmaverit. Illarum tenor est in hæc verba: *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis feliciter. Amen. Carolus IV. Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus, & Boëmiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.* Dum imminentium nobis curarum varietatem, quibus humeros nostros in Sacri

Sacri Imperii susceptione subjecimus, nostra ritè revolvit serenitas, multum nos eidem obnoxios invenimus Imperio, quo mundiali Machinæ auctore Domino præsidemus. (*Et sr. usque ad finem eadem litera simili per omnia tractu verborum repetuntur.*) Nos igitur, qui suprà *Gerlacus ArchiEpiscopus Moguntinensis Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius*, attendentes supra scriptam permutationem, ad Imperii Sacri honorem, & felix augmentum, nec non pro commodo, & salute, *Regni & Coronæ Bohemiæ*, tam solicitè, quàm sagaciter emanasse, sicuti de hoc per fide dignos & idoneos Inspectores, quos ad hoc providendum, nostra, & aliorum coëlectorum Ecclesiasticorum, & secularium Principum transmiserat deliberata provisio, clarissimis sumus relationibus informati, eidem permutationi, appropriationi, annexioni, invisceratione, decreto, inhibitioni, statuto, derogationi, pœnarum adjectioni, nec non omnibus & singulis ab his & eorum quolibet dependentibus, sicut seriatim superiùs exprimuntur, velut *ArchiEpiscopus Moguntinensis, Sacri Imperii per Germaniam Archicaneellarius, & Princeps Elector*, animo deliberato; & sano præcedente consilio consensimus, & animum nostrum benevolum præsentibus adhibemus, eadémque omnia, & eorum quodlibet in omnibus suis punctis, articulis, sententus, tenoribus & clausulis de verbo ad verbum prout sunt expressa superiùs, ex officii nostri debito, approbamus, laudamus, & ex certa nostra scientia confirmamus, plenissimè perpetuis temporibus valitura. Præsentium sub appensione sigilli nostri testimonio literarum. Datum *Aschaffenburg*, Sabbato proximo ante festum Purificationis B: Virginis. Anno M. CCCLXI.

EPISTOLA IX.

Boëmundi ArchiEpiscopi Trevirensis de incorporatione Regno Boëmiæ Castrorum Parckstein, & Karlsvvaldt, & Oppidi VVeyda.

BOëmundus DEI Gratiâ Sanctæ Trevirensis Ecclesiæ ArchiEpiscopus per Galliam & Regnum Arelatense Archicancellarius. Notum facimus tenore præsentium universis, quòd cùm Serenissimus ac Invictissimus Princeps, ac *Dominus Carolus IV.* (*per omnia nihil mutato, saltem ArchiEpiscopi nomine ut in præcedenti.*) Datum *Treviris*, Anno M. CCCLX. Secundum stylum scribendi in nostris, Civitate, & Diœcesi Trevirensi 16. Februarii.

EPISTOLA X.

VVilhelmi ArchiEpiscopi Colonienses de incorporatione Castrorum Parckstein, Karlsvvaldt, & Oppidi VVeyda Regno Bohemiæ.

WIlhelmus DEI Gratiâ Sanctæ Colonienses Ecclesiæ ArchiEpiscopus, S. Imperii per Italiam Archicancellarius. Notum facimus tenore præsentium universis, quòd cùm Serenissimus ac Invictissimus Princeps ac *Dominus Carolus IV.* (*per omnia ut in præcedenti.*) Datum *Alchnich* Anno M. CCCLXI. Dominicâ quâ cantatur esto mihi.

Sæcu-

Sæcularium Electorum Imperii

Literæ, de incorporatione Castrorum Parckstein, Karlswald, & Oppidi Weyda Regno Bohemiæ.

EPISTOLA XI.

Rupertus senior Comes Palatinus, & Imperii Archidapifer, & Dux Bavariæ.

NOtum facimus tenore præsentium, quòd cùm Serenissimus ac Invictissimus Princeps & Dominus Dominus *Carolus IV.* (*per omnia ut in præcedenti, nomine ubi opus est mutato.*) Datum in *Heidelberg*, Anno M. CCCLXI. proximâ ante Purificationem B: V: Matiæ Gloriosæ.

EPISTOLA XII.

Rudolphus Dux Saxoniæ.

RUdolphus DEI Gratiâ Dux Saxoniæ S: I: ArchiMarescallus. Notum facimus tenore præsentium, quòd cùm Serenissimus ac Invictissimus Princeps & Dominus Dominus *Carolus IV.* (*per omnia, ut in antecedentibus, nomine duntaxat ubi opus mutato.*) Datum *Nürnberg*, Anno M. CCCLXI. Sabbato ante Dominicam Jubilate.

EPISTOLA XIII.

Ludovicus dictus Romanus Marchio Brandenburgensis & Lusatiæ.

LUdovicus Dictus Romanus DEI Gratiâ Marchio *Brandenburgensis & Lusatiæ* S: I: Rom: Archicamerarius. Notum facimus tenore præsentium, quòd cùm Serenissimus ac Invictissimus Princeps ac Dominus Dominus *Carolus IV.* (*per omnia ut superiùs.*) Datum *Nürnberg* Dominicâ, quâ cantatur Oculi. Anno M. CCCLXI. Extant & aliæ literæ ejusdem *Ludovici* Marchionis Brandeburgensis per omnia similes quarum Datum, Anno M. CCCLXI. Sabbato proximo ante Dominicam, quâ cantatur *Jubilate.*

FINIS PARTIS IV.

PARS

PARS V. EPISTOLARUM PUBLICARUM.

AD LUSATIAM SPECTANTIUM.

MARCHIONATUS LUSATIÆ.

Diu dubitavi, an hasce, quæ sequuntur, de Lusatia *literas hic inserere oporteret, cùm à Corona Bohemiæ alienata sit; tamen quia & paucæ sunt, & aliquam antiquitatis notitiam legentibus præbent, easdem recitabo.*

EPISTOLA I.

Theodorici Junioris Thuringiæ Landgravii Orientalis, & Lusatiæ Marchionis venditio terræ seu Marchiæ Lusatiæ Burchardo ArchiEpiscopo Magdeburgensi, & ejusdem Ecclesiæ; ubi distincte continentur Limites Marchiæ præfatæ.

Nos Theodoricus Junior Thuringiæ Landgravius Orientalis & Lusatiæ Marchio. Recognoscimus præsentibus lucidè protestantes.

QUòd nos cùm *Venerabili in Christo Patri, Domino Burchardo Sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ ArchiEpiscopo*, & suæ Ecclesiæ, *terram* seu *Marchiam Lusatiæ* cum proprietatibus inibi existentibus, & cum omnibus suis' Juribus, & pertinentiis, cum bonis infeudatis', & non infeudatis, cum munitionibus, Oppidis, Castris inferiùs annotatis in eadem terra seu Marchia existentibus; Item in districtibus, distinctionibus, viis & inviis, molendinis, agris, cultis & incultis, sylvis, lignis, nemoribus, pratis, pascuis, aquis, aquarúmque decursibus', piscationibus, advocatiis, Theloneis, monetis, & cum omnium prædictorum Jurisdictionibus, usibus, utilitatibus, fructibus, ad prædictam *terram* seu *Marchiam Lusatiæ* attinentibus pro sex millibus Marcharum Argenti vendidissemus', & ejusdem terræ seu Marchiæ proprietates donavissemus', prædi-

Burchardus Archiepisc. Magdeburg. primitus emit Lusatiam pro sex mill. March.

prædictámque terram, ſeu Marchiam cùm Luſatiæ attinentibus omnibus, & ſingulis prænominatis; Inſuper cum Miniſterialibus, Vaſallis & mancipiis, & aliis hominibus, cujuſcunque conditionis exiſtant in jam dicta terra, ſeu Marchia commorantibus, in ſupradictum Dominum ArchiEpiſcopum, & ipſius Eccleſiam liberè & perpetuò poſſidenda tranſtuliſſemus. Iidem *Dominus Burchardus Magdeburgenſis Eccleſiæ ArchiEpiſcopus, dictam terram ſeu Marchiam*, cum omnibus, & ſingulis prænominatis, nobis in verum, & juſtum, & rationabile feudum rationabiliter contulit, idem feudum, ſeu Jus feudale utilis Dominii, quod ad nos nunc dignoſcitur pertinere, ex tunc ad eundem *Dominum Burchardum*, & ipſius Eccleſiam Magdeburgenſem liberè devolvetur, ut idem Dominus Burchardus ArchiEpiſcopus, & ſua Eccleſia terram ſeu Marchiam prædictam, cum Miniſterialibus, Vaſallis, Municipiis, ac omnibus Juribus & pertinentiis ſuis ſuprà nominatis, omni impedimento remoto, habeat & poſſideat, non ſolùm quoad Dominium, ſed etiam quoad poſſeſſionem liberè & pacificè, pleno Jure, ex tunc, etiam Miniſteriales, Vaſalli, mancipia, & homines cujuſcunque conditionis exiſtant in iſta terra dicta ſeu Marchia commorantes immediatè ad eundem ArchiEpiſcopum ipſiúsq; Eccleſiam pertinebunt. Ex quibus ſiquidem Miniſterialibus, & Vaſallis nonnulli ipſi Domino ArchiEpiſcopo nomine ſuæ Eccleſiæ jam homagium præſtiterunt. Item præſentibus proteſtamur, & bonâ fide promittimus, quòd bona, Jura feudalia, infeudata & non infeudata, terræ ſeu *Marchiæ* prædictæ, prædicto Domino ArchiEpiſcopo, & ipſius Eccleſiæ, à nobis vendita, & reſignata, & per nos in ipſum translata, abſque omni dolo & fraude tenebimus, quæ ſiquidem bona idem Dominus ArchiEpiſcopus jam fidelibus, & miniſterialibus ſuæ Magdeburgenſis Eccleſiæ feudali titulo contulit ſuæ Eccleſiæ poſſidenda. Principatum verò *Domino Romanorum Regi*, ad manus prædicti *ArchiEpiſcopi, & ſuæ Eccleſiæ* reſignabimus, cum ab eodem *Domino ArchiEpiſcopo*, aut à *ſuo ſucceſſore* fuerimus requiſiti. Quem quidem *Principatum* prænominatus *Dominus ArchiEpiſcopus, aut ſuus ſucceſſor*, nobis conferet, & conferre tenebitur, prout Principatus conferri principaliter conſueverunt. Inſuper recognoſcimus per præſentes & nos præſentibus obligamus: Nos procuraturos, & facturos, quòd *Dominus Albertus* dilectus *Pater noſter*, & *Dominus Fridericus dilectus frater noſter*, venditioni, donationi proprietatum, & traditioni hujuſmodi ſuum conſenſum adhibebunt, liberum & expreſſum, & venditionem, donationem & traditionem, prædictas à nobis gratas, & factas habebunt, firmiter ratas, ità quòd prædictus *Dominus Albertus Pater noſter* infrà hinc & proximum exſtans *feſtum Natalis Domini*, ſuas patentes literas ipſius ſigillo ſigillatas conſenſum & ratishabitionem hujuſmodi continentes per ſuum miniſterialem, qui vulgariter appellatur Jugebarw Deneſtman / utpote per pincernam Dapiferum, Camerarium, aut Marſchaleum ipſius eidem Domino ArchiEpiſcopo, & ſuæ Eccleſiæ deſtinabit. Hoc idem etiam faciet, & eodem modo frater noſter jam prædictus infra ſubſequentem Annum à data præſentium numerandum. Ut autem conſenſum & ratishabitionem Patris & fratris noſtri prædictorum, infrà terminos prædictos efficere, & procurare teneamur, nos Oppidum, ſeu munitionem *Chubin, Schidelowe*, cum hominibus, & bonis infeudatis, & non infeudatis, cum omnibus Juribus, & pertinentiis ſuis, etiam ab illa parte aquæ, quæ *Sprewa* dicitur, in qua quidem parte prædictum Oppidum *Chubyn* ſitum eſt, obligavimus, & præſentibus obligamus, ità videlicet, quòd ſi utriuſque ſeu amborum conſenſum,

Bona feudalia vendita Domino Archiepiſcopo, ſed non Principatus.

ſum, & ratihabitionem, & literas ratihabitionem & conſenſum continentes hujuſmodi minimè procuraverimus, ut eſt dictum, ex tunc idem Oppidum, & Caſtrum cum omnibus Juribus, & attinentiis prædictis, quoad Dominium & poſſeſſionem perdere debemus, & ipſi Domino ArchiEpiſcopo, & ſuæ Eccleſiæ acquiri debet & liberè præſentari, ut idem *Dominus ArchiEpiſcopus & ſua Eccleſia* prædictum *Oppidum & Caſtrum* cum ipſorum pertinentiis habeat ac poſſideat perpetuò pleno jure. Item recognoſcimus per præſentes, quòd ſi feudum, ſeu jus feudale noſtrum, quod in Marchia prædicta habere, & retinuiſſe dignoſcimur, aliquà neceſſitate cogente, utpote propter captivitatem noſtram, aut noſtrorum hominum, aut propter guerras habitas, vel habendas, vel propter rerum inopiam, aut propter onera debitorum neceſſe haberemus vendere, vel infeudare, aut modo quolibet alienare, hoc priùs prædicto *Domino ArchiEpiſcopo*, & ſuæ Eccleſiæ denuntiare debemus, & ipſis comparanda ſeu emenda exhibere. Quòd ſi idem *Dominus ArchiEpiſcopus*, & ipſius *Eccleſia* ea comparare, ſeu emere voluerint, hoc facient ad æſtimationem, ſeu arbitrium *Richardi de Alsleve Magdeburgenſis Curiæ Dapiferi, Henrici de Alsleve, Hermanni de Wederden* dicti de *Warmpoterp* Miniſterialium Magdeburgenſis Eccleſiæ, nec non *Friderici de Cholchenburg, Friderici de Iſtrele, Ottonis de Ilborch* dicti Slavi Miniſterialium Eccleſiæ, qui, ad æſtimandum valorem juris noſtri, quod in dictis bonis habemus, & ad ordinandum terminum, ſeu diem ſolvendæ pecuniæ per prædictum *Dominum ArchiEpiſcopum*, & ſuam Eccleſiam, & per nos ſunt communiter deputati, & ſi aliquem de prædictis noſtris arbitris ab hac vita decedere contigerit, in locum defuncti ſubſtituemus, æquè dignum infrà proximum menſem, poſtquam ſuper hoc per prædictum *Dominum ArchiEpiſcopum* fuerimus requiſiti; hoc idem debet facere & faciet *Dominus ArchiEpiſcopus* ſupradictus, quòd ſi non fecerimus, *Lipsk* intrabimus, prædictus verò Dominus ArchiEpiſcopus Magdeburgenſis ad Jacendum intrabit, inde nullâ nocte exibimus, donec per nos aut per jam dictum *Dominum ArchiEpiſcopum* in locum defuncti æque dignus fuerit ſubrogatus, ſi autem dictus *Dominus ArchiEpiſcopus*, & ſua Eccleſia jus noſtrum, quod habemus in prædictis bonis, nollent emere vel non poſſent, poſtquam ipſis à nobis eſſet exhibitum, vel per ſex dictos Miniſteriales fuerit æſtimatum, ex tunc aliis ſeu alii in feudum conferre, vendere, obligare, vel alio modo alienare, licitè poterimus cuicunque, dummodo juri dicti *Domini ArchiEpiſcopi*, & ipſius Eccleſiæ in nullo præjudicium generetur. Nomina verò Caſtrorum, Oppidorum, munitionum, terminorum, diſtrictuum prænominatæ terræ ſeu *Marchiæ Luſatiæ* ſunt hæc: prædicta enim terra ſeu *Marchia Luſatiæ* incipit ab illa parte aquæ *Damis*, & continet in ſe terram *Zarowe*, item prædicta terra incipit ab *Oelſtera* nigra & protenditur uſquè ad Oderam, & ab Odera uſquè ad fluvium *Stube*, & à fluvio *Stube* uſquè ad fluvium *Boberæ*, & ſpecialiter in ſe continet terram *Sarowe*, quæ ex *Stube* uſquè ad fluvium *Boberæ* extenditur uſquè ad terminos *Poloniæ*, & uſquè ad terminos terræ *Budeſſinenſis*. Item continet in ſe curiam *Preluz*, & Oppidum *Trebule*, item Caſtrum *Golſchin*, & Oppidum, & Caſtrum, *Lucowe*, Oppidum *Chubin*, & Oppidum & Caſtrum *Lubratz*, Caſtrum *Schedolowe*, Oppidum & Caſtrum *Sprevenberg*, curia *Dannenrode*, Oppidum *Kalowe*, & novum Caſtrum apud *Kohebutz*, cum Oppido & Caſtro *Kohebutz* Caſtrum *Lubbenow*. Item Caſtrum & Oppidum *Vredeburch*, Caſtrum & Oppidum *Scheickendorp*, Caſtrum & Oppidum *Trebitz*, curia *Zinnicz* Caſtrum *Rychenwalde*, curia *Reineswalde*, cum Villis, molendinis,

Obligationes mutuæ Emtoris & venditoris.

Termini Luſatiæ recenſentur accuratè.

dinis, sylvis, nemoribus, fluminibus, & aliis ibidem attinentiis, prout superiùs est expressum. In cujus rei evidens testimonium præsens scriptum inde confectum nostri sigilli munimine fecimus communiri. Testes sunt honorabiles viri *Bernhardus* Præpositus dictus de *Welpia*, *Ropertus de Mansfeld* Camerarius, *Otto de Brzerma Cantor*, *Burchardus de Schrapelo* Magister, *Heidenricus de Zupz*, *Henricus de Prunnenberg*, Canonici Magdeburgensis Ecclesiæ. Nobiles viri *Conradus de Wersberg*, *Heningus de Phula* dictus *Strutz*, *Richardus de Alslewe*, Magdeburgensis curiæ Dapifer, *Heyno Gumbertus & Joannes de Alslewe*, *Hermannus de Wederden*, dictus de *Warmpoter*, *Gherekus Landhoy*, *Joannes de Wrecelewe*, *Joannes Burggravius de Lynorch*, milites & Ministeriales supradictæ Magdeburgensis Ecclesiæ, nec non *Otto*, *& Bado de Ylborch* junior *Tredehelinus de Kodebuz*, *Fridhelinus & Bernhardus* fratres *de Pach*, *Joannes & Hermannus Burggravii de Gholsyn* fratres *de Landesberg*. *Albertus Knuth*, *Joannes & Guntherus* fratres *de Ghelnowe*, milites & ministeriales nostri & quàm plures alii fide digni. Actum & Datum in *Damis* Anno M. CCCI. In inventione Beati Stephani Proto-Martyris.

Testium multitudo.

EPISTOLA II.

Ejusdem Theodorici Landgravii Thuringiæ in simili ferè literæ, de eadem venditione Marchionatûs Lusatiæ Burchardo Archiepiscopo Magdeburgensi & ejusdem Ecclesiæ factæ, quarum Datum Anno 1301.

Alberti ArchiEpiscopi Magdeburgensis Primatis Germaniæ & Capituli ejusdem Ecclesiæ literæ, quibus profitentur quòd venditio, & contractus ratione Marchionatûs Lusatiæ Magdeburgensis Ecclesiæ per Theodoricum juniorem Landgravium Thuringiæ facta nunquam in effectum realem fuerit deducta, quòd idem Marchionatus legitimè à Marchionibus Brandeburgensibus per Carolum Regem Bohemiæ & ejusdem Regni Coronam sit emptus, renunciantes in perpetuum omni impetitioni & actioni in prædicto Marchionatu Lusatiæ.

Nos Albertus DEI Gratiâ Sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopus Germaniæ Primas, nec non Hermannus Præpositus, Gerhardus Decanus, & totum Capitulum ejusdem Magdeburgensis Ecclesiæ. Notum facimus tenore præsentium universis.

LIcèt â longis retroactis temporibus recolendæ memoriæ quondam *Venerabilis in Christo Pater Dominus Burchardus* pro tunc *Magdeburgensis Episcopus prædecessor* noster quendam emptionis contractum cum Illustri claræ recordationis Domino *Theodorico* juniore, *Thuringiæ Landgravio Orientali, & Lusatiæ Marchione pro Dominio & terra Marchionatûs-Lusatiæ* ac eorundem

dem pertinentiis, pro quibusdam certis pecuniis, sex Millibus, videlicet Marcharum Argenti fecisse & iniisse dicatur. Tamen considerantes & pertinenter attendentes, quòd contractus ejusmodi ex defectu notabilium & certarum conditionum in ipso notanter expressarum, in effectum nunquam deductus, neque rationabiliter consummatus dignoscitur, & præsertim quòd antèdictus *Landgravius Theodoricus*, *Principatus & Dominium Marchionatûs Lusatiæ* prædicti, Divis quondam *Regibus Roman: Imper: & Imperio Sacro* ad manus prædictorum *ArchiEpiscopi*, successorum ejus, & Ecclesiæ Magdeburgensis, nullo unquàm tempore resignaverit, sicut hoc in forma contractûs hujusmodi nominatim & singulariter est expressum, eo enim quòd exinde prædictus ArchiEpiscopus prædecessor noster, successores sui, nos ipsi, & præfata Magdeburgensis Ecclesia in possessionem realem Principatûs & Dominii, supradicti Marchionatûs nunquam missi sumus, nec ipsam adepti, vel ejus gubernatione functi quomodolibet, seu potiti. Perpendentésque ratione prævià qualiter idem Marchio *Theodoricus* Marchionatum prædictum, Marchionibus Brandeburgensibus supradicti Landgravii *Theodorici* legitimis successoribus, & ejusdem Dominii veris & quietis possessoribus cesserit, nunc *Serenissimus Princeps & Dominus Dominus Carolus IV. Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus & Bohemiæ Rex Illustris Dominus noster gratiosus Marchionatum* prædictum præsente piæ recordationis quondam *Domino Theodorico ArchiEpiscopo* ejusdem Ecclesiæ immediato *nostro prædecessore*, & de ejusdem scitu & consilio ritè & rationabiliter comparaverit, ipsúmque tanquam *Rex Boëmiæ*, *sibi*, *& Illustri Principi Domino Wenceslao Bohemiæ Regi, ejus filio*, *hæredibus & successoribus suis Boëmiæ Regibus*, & ejusdem *Regni Coronæ* justo venditionis titulo vendicaverit, qui etiam ex superabundante benignitatis ipsius clementiâ, nè nos & *Ecclesiam Magdeburgensem* in perditione pecuniarum sex millium videlicet Marcharum Argenti prædictarum dispendiosè remanere contingeret, licèt ad hoc faciendum non teneretur, supradictas *sex mille Marchas*, nobis & Ecclesiæ restituit, & donavit in integrum & completè. Idcirco pro nobis & Ecclesia nostra Magdeburgensi, nostris successoribus, nec non omnibus & singulis præsentibus, & futuris, quorum interesse poterit, consideratis præmissis omnibus, & in examen rationis ritè deductis, animo deliberato, diligentique & solemni tractatu communiter, & sæpiùs inter nos, & in nostro Capitulo habito, nostris nihilominus & Ecclesiæ Magdeburgensi, Ministerialibus, & privilegiis recensitis, nobis & successoribus nostris à quæstionibus & vexationibus præcavere volentes, recognoscimus publicè protestantes contractum præfatum, sicut hoc etiam ex præcessis omnibus perfectè colligitur, nullius fore simpliciter, nec unquam fuisse roboris, vigoris, vel efficaciæ, Nósque, Ecclesiam Magdeburgensem prædecessores vel successores nostros quoscunque, nullum penitùs in principatu, proprietate vel *Dominio*, *Marchionatûs Lusatiæ* antedicti aliquod jus habere, habuisse seu unquam ex contractu hujusmodi posse habere perpetuis temporibus adfuturis. Renunciantes expressè pro nobis *& Ecclesia Magdeburgensi* prædicta & omnibus successoribus nostris in perpetuum omni impetitioni, arrestationi, seu actioni, quas adversus supradictos *Dominum Imperatorem*, *velut Regem Bohemiæ*, *Dominum Wenceslaum ejus filium Bohemiæ Regem*, *eorum hæredes & successores*, *Bohemiæ Reges* & ipsius *Regni Coronam*, ratione *Principatûs*, *Marchionatûs* & Dominii prædictorum unquam facere, vel habere possemus, quocunque ingenio, indicio, colore per nos vel per alios directè, vel indirectè, tacitè vel expressè, in eundem. In testimo-

Causæ ob quos prædictus contractus, qui legitur in Epistola priore, fuerit invalidus.

Amor Justitiæ in Carolo IV.

stimonium omnium præmissorum, nostrum & Capituli nostri sigilla præsentibus sunt appensa. Datum *Magdeburg* Anno M. CCCLXXI. in die Assumptionis Beatissimæ Virginis Gloriosæ.

EPISTOLA III.

Emptio Marchionatûs Lusatiæ, & Dominiorum Milberg, Strel, Verdenheim, cum suis pertinentiis, à Carolo Romanorum Imperare, ut Rege Bohemiæ.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS FELICITER AMEN.

Carolus IV. DEI favente Clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex ad perpetuam rei memoriam.

INter meditationes alias, quæ nostræ mentis oculis variis modis occurrunt, etiam huc præcipuè consideratio nostra dirigitur, qualiter ad *honorem DEI Omnipotentis & S. R. Imperii decus, & gloriam*, Regnum & Corona Boëmiæ Augmento felici proficiant, & nostræ diligentiæ laboribus augeantur. Ut in hoc celebris, & recolendæ memoriæ progenitorum nostrorum imitemur vestigia & nostros hæredes & posteros consolari possimus, & magnificatis Rege & Coronâ prædictis, sub Magnifici Regis potenti regimine, subjectus nobis populus in amantissimæ pacis speciosâ pulchritudine conquiescat. Sanè cùm aliàs insignis Principatus *Marchionatûs Lusatiæ*, cum certis aliis terminis, eidem & vicinis Regionibus ex præcedentium debili quidem Regimine, & inordinato, adeò, ut seditionum & aliarum tempestatum adeò graventur periculis in manifestam circum adjacentium Dominiorum perniciem, ut etiam ex his præfatorum *Regni & Coronæ Boëmiæ* deberent non immeritò gravia dispendia formidari. Nos ad procurandum commoda quietis tranquillæ supradictum *Marchionatum Lusatiæ*, nec non Dominia videlicet *Milberg, Strel, & Werdenheim* cum suis pertinentiis à veris atque legitimis *Principibus, Dominis & Possessoribus* eorum comparavimus & emimus nostrâ pecuniâ *ad gloriam S. R. Imperii & Regni nostri, atque Coronæ Regni Boëmiæ* commoda pariter & tutelam. Ideóque animo deliberato sano *Principum, Comitum, Baronum ac Procerum Sacri Imperii fidelium nostrorum* accedente consilio, de Imperialis potestatis plenitudine, ac de certa nostra scientia, Insignem, atque Illustrem Principatum antedictum *Marchionatûs Lusatiæ*, nec non Dominia *Mülberg, Strel, & Werdeheim* cum omnibus Civitatibus, Vasallis, Vasallatibus, feudis, feudatariis, judicibus, scultetis, Civibus, rusticis, Emphiteutis ad glebam adstrictis & universitatibus Civitatum, Oppidorum, Villarum, & locorum quorumlibet, cum agris cultis, & incultis, viis, inviis, nemoribus, virgultis, rubetis, pascuis, pratis, venationibus, aucupationibus, aquis aquarúmque decursibus, stagnis, lacubus, paludibus, piscinis, piscaturis, molendinis, censibus, reditibus, proventibus, obventionibus, utilitatibus, honorantiis, emolumentis, theloneis, conductibus, Ungeltis, talliis, exactionibus, Judiciis, Jurisdictionibus, altis & bassis, pœnis & mulctis, de Judicio provenientibus, seu aliàs undecunque, monetis, & autoritate cudendi monetas, auri, argenti, *grossorum Hallensium, seu alterius Coni, impressoris seu characteris cujuscunque.* Quam quidem autoritatem per antedictum *Marchionatum Lusatiæ*, & Dominia *Mülberg, Strel, & Werdenheim* & eorum pertinentias universas, plenè extendi volumus ubicunque etiam nos hæredes, prohæredes, posteri, aut successores nostri *Bohemiæ Reges*, qui pro tempore fuerint, statuere ac ordinare decrevimus, antedictam monetam cudendam fore seu quomodolibet faciendam, nec non metis, gradibus, granitiis, limitibus, & omnibus circumferentiis suis, sicut ab aliis aliorum quorumcunque bonis circum adjacentibus, circumferentialiter sunt distincta, Dominiis directis & utilibus homagiis, homagialibus, atque auri, argenti, stanni, cupri, & alterius cujuscunque metalli mineris, Iudæis quoque, cameræ nostræ servis, tributis, & servitutibus eorum & omnibus aliis in sub & super terra consistentibus, quibus etiam possint, seu valeant specialibus vocabulis designari, antedicto *Regno nostro Bohemiæ & ejusdem Regni nostri Bohemiæ felicis Coronæ, Majestatis nostræ hæredibus, & prohæredibus, posteris, ac successoribus nostris Bohemiæ Regibus* in perpetuum *auctoritate Cæsareâ, & de Imperialis* potestatis plenitudine adjungimus, attribuimus, incorporamus, invisceramus, & unimus perpetuò, & irrevocabiliter sub modo, Jure, & forma sicut hoc unquam facere possumus meliori.

Turbatus Status Lusatiæ.

Ditiones nominantur in Lusatia quas Carolus IV. emit.

Emit Carolus IV. Lusatiam, & eam incorporat Reg. Boh.

Hîc duo folia omisi, quia mendosum exemplar sum nactus, ex quo nisi menda imprimerem, nihil intelligere potui.

Attentiùs decrevimus, & de hoc edicto Cæsareo dignum duximus perpetuò statuendum: Quòd nullus Princeps Elector, seu alter Princeps, Dux, Marchio, Comes, Baro, Ministerialis, miles, cliens, Clericus sive Laicus, Civis aut Civilis, universitas, sive clericale Collegium, sive alia quacunque persona Ecclesiastica, vel sæcularis cujuscunque dignitatis, Excellentiæ, præeminentiæ, Nobilitatis seu conditionis existant, quoscunque homines nostros *Marchionatûs Lusatiæ*, & Dominiorum expressatorum superiùs, cujuscunque etiam gradûs, statûs, aut conditionis existant, pro quacunque causa Civili, criminali seu mixta, ad alia quæcunque Judicia sæcularia quorumcunque Judicum, extra *Marchionatum Lusatiæ* præfatæ, & Dominiorum prædictorum, districtus, Judicia, seu Territoria, citare seu evocare præsumat, seu quemcunque hominem etiam reum notoriè, aut quem in ipso maleficio actuali fugitivo pede conantem evadere fuerint persecuti de prædictis Marchionatu atque Dominiis, & eorum judiciis potenter auferre præsumant, aut illum alibi judicare, nisi de judicum & officialium nostrorum ibidem quorum interfuerit mandato, scientiâ seu licentiâ speciali. Inhibemus etiam auctoritate præfata omnibus & singulis in *præfato Marchionatu*, nec non in *Mülberg, Strel, & Werdenheim*, Dominiis & eorum pertinentiis residentibus nè super bonis possessionibus & rebus quibuscunque sitis, in terris, districtibus, territoriis & pertinentiis *Marchionatûs*, & Dominiorum hujusmodi, alibi præterquam coram nostris Judicibus quorum interfuerit Consistoriis, & scamnis judiciorum nostrorum audeant respondere. Quòd omnes, & singuli cujuscunque gradûs, statûs, præeminentiæ seu conditionis existant, qui se adversum nostros subditos jus, aut actionem habere contenderint, ibidem & non alibi teneantur accipere justitiæ complementum, in defectum verò justitiæ puta, si judices nostri in administranda

Privileg: Lusatiæ, ut non possint citari ad aliena Tribunalia.

Quomodo Judices in administranda Justitia se gerere debeant & de Appellatione ex Lusatia.

stranda justitia (quod absit) negligentiùs redderent, aut si propter iniquitatem sententiæ, se aliquis quereretur oppressum, ex tunc liceat ei, cujus interfuerit, in casu dictorum gravaminum, ad nostrum hæredum & successorum nostrorum *Regum Bohemiæ* auditorium appellare, qui demum causam seu causas hujusmodi delegare poterunt, alicui fide digno, ex suis subditis fine juridico terminandum, à cujus tamen sic delegati sententia, non aliàs, ad *Illustrium Bohemiæ Regum*, qui pro tempore fuerint, *Regalem Cameram* aliquâ ratione concedimus appellari, reservatâ nihilominùs nobis, *hæredibus, & successoribus nostris Regibus Bohemiæ* facultate, & potestate liberâ, quoscunque homines *Marchionatûs Lusatiæ in Mülberg, Strel, & Werdenheim* Dominiorum, & pertinentiarum omnium, dum, & quoties nobis placuerit, quacunque ratione, seu causâ, pro nostro beneplacito ad nostri præsentiam evocandi, seu per judices nostros citari constituendi, sicut *Regni Bohemiæ* antiqua & dudum observata tenet consuetudo. Si quod adversùs prædicta seu alterum ipsorum in contemptum Imperialis nostri decreti, nec non in *Regum, Regni & Coronæ Bohemiæ* præjudicium fieret per quemcunque, in quacunque dignitate, honore, & statu manente.

Nos omnia & singula attentata seu attentanda, quocunque modo seu qualitercunque fierent, annullamus, cassamus, destruimus, & auctoritate Imperiali, ac de certa nostra scientia Juribus vacuamus, & pro non factis habere volumus. Neque ex his aliquem ad observandam satisfactionem, seu quodcunque aliud quomodolibet volumus obligari. Si quis verò in terra nostra prædicta, residentiam faciens, aut bona res & possessiones habens, ibidem se in præjudicium nostri *Marchionatûs Lusatiæ*, & Dominiorum, quæ sunt expressata superiùs, ad aliena judicia traxerit, seu alibi residens de possessionibus suis sitis ibidem, sub alterius cujuscunque judicio duxerit respondendum, & si quæ persona de rebus ad dictum *Marchionatum Lusatiæ*, & prædicta Dominia nostra pertinens, homines nostros, ad aliena judicia citaverit, decrevimus, & hoc Imperiali perpetuo sancimus edicto, quòd Citatores hujusmodi, & qui se alterius cujuscunque protectioni commiserint, seu qui tales in protectionem susceperint, aut quilibet eorum specificè, & singulariter *Drachmas*, 40 *puri auri*, nomine pœnæ componant ab eisdem, & eorum quolibet, quoties contrà factum fuerit irremissibiliter exigendas, quas Illustrium *Regum*, & prædicti *Regni & Coronæ Boëmiæ* usibus decernimus applicandas. Non obstantibus quibuscunque privilegiis literis ab Imperio Sacro seu aliunde obtentis, libertatibus, exemptionibus, vel indultis, statutis, reformationibus, & juribus communibus, municipalibus seu privatis editis, seu edendis imposterum, loquentibus in contrarium. Quibus omnibus si & in quantum præsentibus adversari, sub quibuscunque etiam verborum expressionibus, dici, vel enucleari valeant. Ac si etiam de his jure vel consuetudine debeat in præsentibus de verbo ad verbum fieri mentio specialis auctoritate Imperiali, & de Cæsareæ potestatis plenitudine, ac de certa nostra scientia derogamus. Nulli ergò penitùs horum liceat hanc nostræ incorporationis, invisserationis, unionis, decreti, inhibitionis, statuti, pœnarum, adjectionis, & derogationum paginam infringere, seu ei quovis ausu temerario contraire sub pœna 1000 *librarum auri puri*, quas ab eo, & ab his qui quavis præsumptione contravenerint, super omnes pœnas adjectas superiùs, quas in suo robore manere nostra decrevit serenitas, statim & immediatè componi, & irremissibiliter exigi volumus, toties, quoties fuerit contrafactum. Et earum medietatem Imperialis

Pœnæ in eos, qui Appellationem hanc turbare auderent.

rialis ærarii, sive fisci, residuam verò partem *Regum Boëmiæ*, qui pro tempore fuerint Cameræ seu usibus applicari.

Signum Serenissimi Principis & Domini Domini

Caroli IV. Romanorum Imperatoris, Invictissimi & Gloriosissimi *Boëmiæ Regis*. Testes Dux Saxoniæ *Rudolphus* S: R: Imp: Archicamerarius & Principes Electores, Venerabiles: *Joannes* Pragensis Ecclesiæ ArchiEpiscopus Apostolicæ sedis Legatus, *Albertus* Magdeburgensis ArchiEpiscopus, *Joannes* Olomucensis Episcopus S: Imperialis Aulæ Cancellarius, *Lampertus* Spirensis, & *Petrus* Lütomislensis Ecclesiarum Episcopi. Illustres: *Joannes* Marchio Moraviæ, *Rupertus* Lignicensis, *Joannes* Oppaviensis. *Bolko* Oppoliensis, & *Henricus*, Lithuaniæ Duces spectabiles: *Fridericus* Burggravius Nürnbergensis, *Joannes & Ulricus Landgravius* Leuchtenbergensis. *Ulricus* de Helffenstein, *Johannes & Burchardus* de Recz, *Eberhardus* de Chussin, Dominus in Bedefort, & in Soisson, Comites: Nobiles: *Petrus* deWartenberg, Imperialis Cameræ nostræ Magister, *Borso* de Kolditz Capitanei terrarum nostrarum Bavariæ & Franconiæ, *Thymo* de Kolditz Capitaneus terræ nostræ Poloniæ, *Andreas & Benessius* Fratres de Duba, *Hasco* de Zvirzetic, Imperialis Cameræ nostræ Magister, *Wanko* de Wartenberg, & *Paulus* Cameræ nostræ *Regalis Bohemiæ* Notarius, & alii quàm plures nostri Imperii Sacri Nobiles & fideles. Præsentium sub Imperialis Majestatis nostræ sigillo testimonio literarum. Datum *Pragæ*, Anno M. CCC. LXX. Indictione 8. Calendis Augusti, Regnorum nostrorum Anno 25. Boëmiæ 24. Imperii 16.

EPISTOLA IV.

Rudolphi Romanorum Regis literæ quibus Marchionatum Lusatiæ VVenceslao Regi Bohemiæ jure feudali confert.

Rudolphus DEI Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus universis S: R: I: fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam & omne bonum.

AD universitatis vestræ notitiam cupimus pervenire, quòd veniens ad Celsitudinis nostræ præsentiam, *Illustris Fridericus Misnensis, & Orientalis Marchio, hæres terræ Lusatiæ, Illustris quondam Henrici Marchionis Misnensis, junior filius, fidelis noster dilectus* nobis humiliter supplicavit, quatenus suarum Precum intuitu omnium bonorum suorum feudalium, quæ tenet ab Imperio ubicunque sitorum resignationem ad manus nostras recipere dignaremur. Nos suis devotis precibus inclinati dictam resignationem, ad manus nostras recipere dignabamur, dictóque Marchioni finceris hæc affectibus deprecanti dicta bona nobis resignata, inclyto *Wenceslao Regi* Boëmiæ *Principi & filio nostro*, concessimus jure feudali; quibus sic ordine peractis, idem Marchio denuo nostro culmini supplicavit, quòd permutationes factas,

Rudolphus I. Imp. hæc scribit.

ctas, de terris, Oppidis, Castris, argenti fodinis seu quibuscunque aliis rebus ad ipsum jure proprietatis pertinentibus, sive ex paterna vel materna successione, seu donatione, vel quocunque titulo ad ipsum pervenerint, ratificaremus; cujus votis favorabiliter annuentes dictas permutationes, ratificamus & approbamus per omnia præsentium testimonio literarum. Testes hujus rei sunt, *Venerabilis Conradus Argentinensis Episcopus, Illustres Rudolphus Dux Austriæ, filius noster charissimus, & Nobiles Viri: Ludovicus de Oettingen & Emicho de Leiningen. Comites, Joannes de Leichtenberg, & Valerius de Geroldseck.* Strenui viri, *Otto Burggravius de Horin, Kamoldus de Nemaus, Hermannus de Grünpach, Hermannus de Malticz, & Hermannus* notarius alius, & alii quàm plures; cujus rei præsens testimonium & scriptum Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Datum *Egræ*, Tertio Idus Martii. Indictione 2. Anno M. CCLXXXIX. Regni nostri anno 14.

EPISTOLA V.

Henrici Ducis Silesiæ Domini de Jaur, & Fürstenberg resignatio Joannis Regi Bohemiæ, in perpetuum, & renunciatio communium Jurium, quæ habebat in Marchiis, Provinciis, terris & Possessionibus, Lusicensi, Lubucensi & Budessinensi, & etiam Civitatis Franckenvverd ad Oderam.

Henricus DEI Gratiâ Dux Silesiæ, Dominus de Jaur & Fürstenberg, Omnibus in perpetuum.

Joannes Rex Boh: acquirit Jauroviam & Fürstenberg in feudum.

UT modus & ordo gestorum nostrorum, qui efficaci permanentiâ perpetuò oportet & debet subsistere, & solidè permanere, in Memorialibus recondantur & redigantur jugiter valituris, vigor æquitatis & ordo postulat rationis. Hinc igitur est quòd nos Henricus Dux prædictus ad perpetuam rei memoriam præsentibus recognoscimus, quòd maturâ deliberatione præhabitâ, & omnium & singulorum fidelium & consiliariorum nostrorum consilio accedente, & dando resignamus, & dedimus, & resignavimus, quinimò præsentibus resignamus, damus, & donamus omnia, & singula Jura, quæ, sive ex origine nostræ *Civitatis, & sanguinis quorumcunque progenitorum nostrorum, vel ex successione legitima, sive feudali titulo, *à Sacro Imperio, vel Romanorum Rege* vel à quocunque alio dependeant Domino, nobis *hæredibus & successoribus nostris, in* Marchiis, *Provinciis, terris, & Possessionibus Lusicense, Lubucense, & Budissinensi*, ac etiam in Civitate *Franckvverd*, sita propè Ripam fluminis dicti Odera, vel ad eas, vel ad alteram earum unquam competierunt, competunt, vel in futurum competere poterunt, quocunque titulo sive modo, cum omnibus & singulis *Civitatibus, Oppidis, Castris, Castellis, munitionibus, foris, Villis, Allodiis, Comitibus, Libertinis, Baronibus, Ministerialibus, Vasallis, inquilinis, & accolis, ad pradictas* Marchias, *Provincias, terras & possessiones, & ad Civitatem Franckenwerd* prædictam vel jure vel consuetudine, quocunque modo vel titulo *spectantibus Serenissimo Principi Domino Joanni* Bohemiæ, *& Poloniæ Regi, Lucemburgensi Comiti, Marchiæque Budissinensi Domino, hæredibus, & successoribus*

*Hîc mendum subest.

ribus ejus in perpetuum tenenda, possidenda, pariter & habenda. Expressè nos *præfatus Henricus*, nullum hæredum superstitem habentes, *hæredum & successorum nostrorum* nomine renunciantes in his scriptis omni Beneficio cujuscunque Juris, quo quis resignationem, dationem & donationem per se factam retractare poterit postulare. Testes, coram quibus tractatus hujusmodi sunt habiti, ac ordinati, sunt; *Venerabilis in Christo Pater Dominus Witko Misnensis Episcopus, Illustris Princeps Dominus Nicolaus Dux Oppaviæ, Nobiles Viri Domini, Petrus de Rosenberg, Withelmus de Pernstein, Hinco dictus Berka de Dube, Thymo de Koldicz, Fridericus, & Hermannus Witko fratres de Schönburg, Benessius de Michelsberg, Ulricus de Mendico Fridmannus de Schamm, Otto dictus Haidem de Donin, Albertus de Lisnik, Stephanus de Parkwicz, Sifridus de Borruch, Ludherus de Schreibendorff, & Christianus Gersdorff.* In cujus rei testimonium præsentes literas fieri & sigillo nostro majori jussimus muniri. Datum in Castris propè *Olsnitz*, 10. Calendas Octobris Anno Domini MCCCXIX.

EPISTOLA VI.

Vidimus literarum Joannis Episcopi Olomucensis & Rudolphi Ducis Saxoniæ, Henrici Ducis Silesiæ, Domini Jaur, & de Fürstenberg, resignationis & renunciationis Marchiarum Budessinensium & Civitatis Franckenfurt ad Oderam.

Item Joannis Episcopi Olomucensis. Rudolphi Ducis Saxoniæ, vidimus literarum Ludovici Regis, quibus Joanni Regi Boëmiæ, & suis hæredibus & successoribus Boëmiæ Regibus, Marchiam, & terram Budessinensium & Civitatem Camentz cum eorum pertinentiis perpetuò concedit in feudum.

Nos Joannes DEI Gratiâ Olomucensis Episcopus, & per eandem gratiam Rudolphus Dux Saxoniæ.

Imp: Ludovicus Bavarus Joanni Regi Boh: ob militaria auxilia donat Budessinam & Camentz cum pertinentiis.

REcognoscimus Domini *Ludovici* Romanorum Regis literas suæ Majestatis sigillo roboratas, non cancellatas, non viciatas, non abrasas, sed in prima & integra sua Figura existentes, quarum tenor per omnia est talis, nos vidisse. Nos *Ludovicus DEI Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus* ad universorum notitiam præsentibus volumus pervenire. Quòd nos *Illustris Joannes Bohemiæ, & Poloniæ Regis ac Lucemburgensis Comitis, Principis & affinis nostri charissimi*, affectum & jugem sollicitudinem, quem circa nos & Imperium gerit assiduè advertentes, ipsúmque *Joannem* ad prosequendum commodum, & honorem Imperii aliquarum retributionum repensa allicere cupientes, *sibi hæredibus & successoribus suis Bohemiæ Regibus Marchiam, & terram Budessinensem & Civitatem Camentz ac universum Dominium* earundem, quæ ad Imperium ex eo, quòd quondam *Woldemarus Marchio Brandeburgensis* sine hærede decessit, fuerant devoluta, damus, concedimus, & donamus ex certa nostra scientia in feudum, & jus feudi tenendum, & possi-

dendum perenniter cum *Civitatibus*, *Censibus*, *Castris*, *Munitionibus*, *Oppidis*, *Vallis*, *molendinis*, *sylvis*, *venationibus*, *rubetis*, *pratis*, *pascuis*, *aquis*, *aquarúmve decursibus*, & universaliter cum omnibus & singulis Juribus, quocunque nomine censeantur, & in quibuscunque rebus consistant, quæ ad ipsam terram *Budessinensem*, & *Civitatem Camentz* pertinere dignoscuntur. Volentes, ut ipse *Joannes*, *hæredes & successores sui Reges Bohemiæ*, terram & Civitatem prædictas, cum universis pertinentiis & Juribus suis prænotatis habere, Jure Dominii tenere, & possidere perpetuis temporibus debeant, nobisque & Imperio debita fidelitatis obsequia, ut Jus feudorum exigit de terra, & Civitatibus prædictis præstare teneantur. In cujus rei testimonium præsentes literas fieri, & sigillis Majestatis nostræ jussimus communiri. Datum in Castris propè Villam *Haslach*, Idibus Septembris Anno Domini M. CCC. XX. Regni verò nostri Anno 6. In cujus evidentiam sigilla nostra præsentibus duximus appendenda. Datum *Pragæ* Anno Domini M. CCCXXXIX. Sabbato ante Dominicam, quâ cantatur: Misericordias Domini.

In eandem sententiam exstant in simili earum literarum per supra nominatos, Episcopum & Ducem, cujus datum vidimus ùt supra.

EPISTOLA VII.

Henrici Ducis Silesiæ Domini de Fürstenberg, & in Javer venditio & commutatio Joanni Regi Bohemiæ & suis hæredibus & successoribus Bohemiæ Regibus, Civitatis Görlicensis facta.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

NOs *Henricus DEI Gratiâ Dux Silesiæ*, Dominus de Fürstenberg, & in Javvor, recognoscim⁹ quòd deliberatione maturâ, & consilio diligenti nobiscum amicis quoque & fidelibus nostris præhabitis, eorum favore & consensu expressis, accedentibus, Civitatem nostram, & terram *Görlitz*, quam ab Imperatoribus, aut Rom: Regibus nos, & prædecessores nostri recipere consuevimus, cum omnibus suis juribus & pertinentiis quocunque vocentur nomine, aut quibuscunque consistant exceptis: *Lubano* Civitate & Territorio ejusdem Civitatis, *Resna* Oppido *Forensi*, *Caychow*, & *Sweta* Castris cum suis appendiis, nominatim exceptis etiam: *Jaurow* Civitate, *Trybul*, & *Prybus* Castris & Oppidis, cum omnibus suis Juribus, Dominiis, & pertinentiis omnibus, feudis & feudalibus, quæ in terra *Lusatiæ* habere dignoscimur, expressis, & non expressis, *Principi Magnifico*, *Domino Joanni Bohemiæ, & Poloniæ Regi ac Lucemburgensi Comiti fratrio nostro charissimo* vendidimus, & in alia bona vitæ nostræ duntaxat possidenda temporibus mutavim⁹, nobis de medio sublatis, relictis per nos, hæredibus & expressis, vel non expressis, & actione quibuslibet remotis ad *Regnum Boëmiæ* libere reversura, etiamsi Castrum aliquod in bonis eisdem nostris instauraverimus laboribus⁹, ac expensis. *Trautenow* videlicet, & Curiam cum omnibus suis appendiis⁹, bonis feudalibus, & hominibus, salvis omnibus eorum quibus ad nos pervenerunt Juribus in tantum etiam quod nec Collectam, nec Steuram generalem quæ *Berna* vulgariter dicitur de eisdem, nisi per Regem ipsum aut suos

Henricus Dux Silesiæ quasdam Civitates in Lusatia vendit, quasdam commutat & subjicit in feudum Joanni Reg. Boh.

suos officiales imposita fuerit *Regno Boëmiæ*, & tunc taxationem illam, quæ colligitur in Bohemia recipere debeamus⁹, secum commutavimus, sibi hæredibus & successoribus suis *Boëmiæ Regibus* jure hæreditario præsentibus testibus subnotatis resignavim⁹, nostro hæredũ, & successorum nomine nostrorũ prædictorum. Exceptioni doli, mali, in factum actioni, beneficio restitutionis in integrum, omni Juris auxilio, tam Canonici, quàm Civilis, literis⁹ quoque à Papa, Imperatoribus, aut Romanorum Regibus impetratis⁹, vel etiam impetrandis, ac alteri quovis adminiculo, quod vel per successionem hæreditariam, aut infeudationem Imperialem, vel alium quemcunque modum, nobis, hæredibus, vel successoribus nostris antedictis competeret vel competere fortasse posset, per quod nobis suffragium ferri, *Regi verò, hæredibus, aut successoribus suis* sæpe dictis, dispendium vel impendium aliquod posset generari renuntiantes. Promittentes omnia & singula nostra scripta suprà, firmiter observare, & contra ea, vel eorum alterum, in toto vel in parte, nullo unquam tempore sive casu, dolo, fraude, vel ingenio aliquo de Jure vel facto, per nos ipsos alium, aut per alios facere, aut venire.

In quorum omnium testimonium & cautelam præsentes fieri fecimus literas sigilli nostri munimine roboratas. Testes sunt Venerabilis Pater Dominus *Witko* Episcopus Misnensis, Illustres Principes & Domini: *Rudolphus* scilicet Saxoniæ, *Henricus* Wratislavienſis, *Boleslaus* Lignicensis, *Bolko* Falkenbergensis, *Bolko* Oppolienſis; *Henricus & Conradus* fratres Glogovienses⁹ Duces, per nos rogati, sigilla sua præsentibus appendere, in testimonium præmissorum. Et nos *Witko* D: G: Misnensis Episcopus, *Rudolphus* Saxoniæ, *Henricus* Wratislavienſis, *Boleslaus* Legnicensis, *Bolko* Falkenbergensis, *Bolko* Oppolienſis, *Henricus Conradus* fratres Glogovienses Duces, & testes suprascripti, venditioni, emptioni, & commutationi, prædictis præsentialiter adfuimus⁹, & sigilla nostra rogati, & jussi per Principem nostrum Dominum Dominum supradictum, sororium & consanguineum nostrum charissimum duximus in testimonium & robur firmiùs appendenda. Datum & Actum *Wratislaviæ* in die Inventionis Sanctæ Crucis Anno Domini M. CCC. XXIX. 1329.

Testes prædictorum.

EPISTOLA VIII.

Henrici Ducis Silesiæ Domini de Fürstenberg & in Jaur resignatio Joanni Regi Bohemiæ ac suis hæredibus & successoribus Bohemiæ Regibus Civitatis Lubau cum Oppido Fridberg Jaurovv & Tribul.

Nos Henricus DEI Gratiâ Dux Silesiæ Dominus de Fürstenberg, & in Jaurovv ad universorum notitiam tenore præsentium volumus pervenire.

QUòd cùm *Serenissimus Dominus Joannes Boëmiæ Rex, ac Lucemburgensis Comes fratrius noster charissimus Civitatem Glogoviam* & districtum ad vitæ nostræ tempora nobis dederit, Nos viceversâ pro nostro posse, pro nobis his impensis beneficiis recompensam non immeritò ubi poterimus⁹ facere

Luba in Lusatia resignatur Joanni Reg. Boh.

facere cupientes', Civitatem nostram *Lubam* cum Oppido nostro *Fridberg*, *Zaraw*, & *Tribul*, cum Castris & Vasallatibus, Juribus videlicet: & *Senftmberg*, *Zachow* & *Zimet* cum earundem omnium, possessionibus, redditibus, & Dominio & rebus aliis in quibuscunque sitis, ad *prædictum Dominium* pertinentibus omni eo Jure quo hucusque tenuisse & ad nos dignoscitur pertinere, *dicto Domino Regi*, *hæredibus & successoribus suis Boëmiæ Regibus* præsentibus assignamus, & Nobilibus Viris *Hinconi Berca* de Dube, *Henrico de Lippa*, *Thimoni de* Koldicz, & *Ulrico* Pflugoni seu aliis quos ad hoc ipse Dominus Rex deputabit, ipsius *hæredum & successorum suorum* nomine per antedictos homines in prædictis Civitate *Lubau*, *Fridberg*, *Zaraw*, & *Zwet*, Castris, & Dominio residentes fidelitatis homagium facere statim tenebimur, & procurare, si (quod absit) sine hærede masculo nobis decedentibus, ut ex tunc prædicta omnia ad supradictum Regem, *hæredes & successores suos ad Regnum Bohèmiæ* liberè devolvantur, habitis verò legitimis hæredibus masculinis & post nos relictis, tunc omnia prænotata nobis, & eisdem remanebunt. In cujus rei testimonium præsentes literas, scribi, & sigillo nostro majori communiri jussimus. Datum *Wratislaviæ* Anno Domini M. CCCXXXVII. In Octava Innocentium.

Joannes Rex Henrico Duci Silesiæ ad vitam cedit Glogoviam majorem.

EPISTOLA IX.

Ejusdem Henrici Ducis Donatio Civitatis Görlicensis cum pertinentiis universis Joanni Regi Boëmiæ.

Nos Henricus DEI Gratiâ Dux Silesiæ Dominus de Fürstenberg & Javvor ad universorum notitiam tenore præsentium volumus pervenire.

Quòd cùm *Magnificus Princeps Dominus Joannes Boëmiæ Rex*, *ac Lucemburgensis Comes sororius noster charissimus Civitatem* suam *Glogoviam*, cum *districtibus & territoriis suis* & universis pertinentiis earundem nobis dederit ad tempora vitæ nostræ. Nos viceversa in specialis indicium Amicitiæ *Civitatem Görlicensem* cum districtu, & territorio suis Dominiis', Jurisdictione, Jure, honore, fortalitiis, Theloneis, Castris, Oppidis', Villis, Vasallis, & eorum Incolis, Judæis, Sylvis, nemoribus, Jure Patronatûs Ecclesiarum, & universis suis pertinentiis, damus sibi, & hæredibus suis, & liberè, & spontè, & bonâ voluntate, nostro, hæredum nostrorum habendorum seu aliorum propinquorum nostrorum quocunque nomine, condescendimus, & cedimus de eisdem. Renuntiantes pro nobis, hæredibus, habendis, seu propinquis nostris quibuscunque omni Juri, & actioni, tam Canonici quàm Civilis, si quæ nobis vel hæredibus nostris' habendis seu propinquis, ut præmittitur, competunt, vel competere possent quomodolibet in futurum, & si quas literas, vel *Privilegia à Rege Roman: vel Imperatore*, *Principibus*, *Civibus*, vel aliis quibuscunque habemus' forsitan, per quos, vel quæ secuturo tempore ipsi *Domino Regi*, *hæredibus & successoribus suis Bohemiæ Regibus*, *per nos aut hæredes nostros habendos*, aut propinquos, actio, vel quæstio de Civitate, territorio vel districtu prædictis posset aliqualiter suboriri de Jure, vel de facto, Cassas, vacuas esse volumus,

Görlicium donatur Joanni R. Boh.

lumus, & inanes, nec alicujus habere roboris firmitatem promittentes sincerè, & bonâ nostrâ fide præstito juramento, contra promissa omnia & singula per nos, hæredes nostros, aut propinquos nostros habendos', vel habere, vel venire, nec etiam modo aliquo attentare. de Jure, vel facto, nec quovis ingenio, ad impediendum, quæ promissa sunt, opem aut operam ad hoc dare: In cujus rei testimonium præsentes literas fieri, & nostro sigillo jussimus muniri. Datum *Wratislaviæ*, Anno Domini M. CCCXXXVII. In Octava Innocentum.

Vidimus literarum Sigismundi Romanorum Regis, & Alberti Ducis Austriæ, Caroli Romanorum Imperatoris de incorporatione Marchiæ Budessinensis, & Görlicensis, & Ducatuum Silesiæ.

Hæ literæ non recitantur, quia ipsorum Principum Silesiæ & Lusatiæ authenticæ suprà allatæ sunt.

PARS VI. EPISTOLARUM PUBLICARUM, QUIBUS DECLARANTUR FEUDA REGUM ET CORONÆ BOHEMIÆ IN MISNIA; TUM ETIAM QUID IN EA PROVINCIA REGES BOHEMIÆ SIBI ACQUISIERUNT JURE OPTIMO, CUM CONSENSU ET POTISSIMUM VENDITIONE IPSORUM DOMINORUM.

TERRA ET PROVINCIA MISNENSIS.

EPI-

EPISTOLA I.

Friderici Misnensis & Lusatiæ Marchionis, eorundem Marchionatuum, & Terrarum nec non Titulorum, dignitatis, ac honoris ipsorum VVenceslao Regi Bohemiæ, ipsius hæredibus pro quatuor Millibus, & Quingentis Marcis argenti venditio, & in feudum receptio &c. similitérque obligatio, quomodo ipsi Regi, & suis hæredibus servire debeant, & eos juvare &c.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Notum sit in perpetuum universis & singulis, tenorem præsentium inspecturis.

QUòd ego *Fridericus DEI Gratiâ Misnensis, & Orientalis Marchio, Princeps & Hæres Terræ Lusatiæ, Magnifici quondam Domini Henrici Misnensis, & Orientalis Marchionis junior filius* de maturo & deliberato meo, & amicorum fidelium meorum Consilio, eosdem meos *Marchionatus, & ipsum Principatum, & Terram Lusatiæ*, ac specialiter *Terram meam Misnensem*, per prædictum *Dominum, & Patrem meum*, de expressa voluntate, & consensu fratrum meorum, *Domini Alberti Landgravii Thuringiæ, & Domini* quondam *Theodorici* fidelis memoriæ Marchionis de *Landesberg*, specialiter mihi traditam, & donatam, nec non titulum, & dignitatem & honorem ipsorum Marchionatuum & terrarum, & de nomine Castrum *Scharffenberg*, Civitatem & Castrum *Dresden*, Castrum & Civitatem *Perne*, Castrum *Donin* infeudatum, cum suis attinentiis, Castrum Tharant cum *Trorescza*, & suis pertinentiis, Castrum *Boreststein*, Oppidum *Diepoldeswalde*, Castrum *Wrowenstein* infeudatum, Castrum *Lewenstein*, Castrum & Civitatem *Seydowe*, Civitatem *Heyn*, & omnia bona & Possessiones in districtu, seu Judicio ejusdem Civitatis *Heyn* sita, infeudata, & non infeudata. Item Castrum *Statim* infeudatum, Castrum *Tysenowe*, Villam *Sumawy Ferz* cum suis pertinentiis infeudatam, Castrum *Radeberg*, infeudatum, Castrum *Lybenteil*, Castrum *Vylin*, Oppidum *Radeberg*, munitionem *Lusenicz*, Castrum *Mussin* infeudatum, Castrum *Sachsenberg* infeudatum, item omnia bona, illa Castra videlicet & Civitates, Oppida & Villas, quas ipse Dominus Pater meus claræ memoriæ ab Ecclesia *Herveldensi* tenuit, & quæ mihi in feudum ab eadem Ecclesia sunt collata, & omnia alia Castra, Civitates, Oppida, & Villas, nemora, montes, argentifodinas, flumina, lacus, Valles, & eisdem Marchionatibus, *Lusatiæ*, & *Misnensibus* fodinis & terris contenta, seu sunt nota, seu non cum Castris, Civitatibus, Oppidis, Villis ac aliis locis, ac bonis intermediis, & cum Judiciis, Juribus, Utilitatibus', proventibus, & pertinentiis universis, ad dictos Marchionatus', Terras, Castra, Civitates nominatas & non nominatas, & loca prædicta spectantes, qui & quæ mihi debentur, in quantum ad me, & hæredes' meos pertinent, tam ex successione & donatione paterna, quàm ex quocunque alio Jure, mihi super his & eorum aliquo specialiter, vel generaliter ac-

Enumeratur feuda R. B. in Misnia

ter acquisitis & generaliter cum omni jure, alio, quo mihi & hæredibus meis competit, & in futurum potest competere, vel debetur in prædictis' Marchionatibus, Terris, Castris, Civitatibus, & aliis omnibus supradictis, & ipsorum quolibet, sentiens in hoc conditionem meam, posse fieri meliorem, do, trado, & permuto jure proprio in perpetuum meo, & omnium hæredum nomine meorum *Serenissimo Domino Wenceslao Regi Boëmiæ præfato & Marchioni Moraviæ*, & cum eo recipiente à me in permutandum, pro se, & universis Hæredibus suis Marchionatus, Terras, Castra, Civitates & omnia alia prænotata, ad habendum, possidendum, & quidquid deinceps sibi, suisque hæredibus de ipsis vel eorum aliquo placuerit, perpetuò faciendum, transferens in his scriptis in eundem *Dominum Regem & ejus hæredem*, omne Jus & Dominium, potestatem, & omnem Jurisdictionem, quæ mihi & hæredibus meis competunt, competebant, & possent in futurum de consuetudine competere vel de Jure in ipsis Marchionatibus, Terris, Castris, Civitatibus, Oppidis, Villis, & aliis prædictis, & in ipsarum terrarum, Baronibus, Ministerialibus, militibus, infeudatis, & non infeudatis', & in aliis habitatoribus, tam Nobilibus, quàm Popularibus universis tradens, sibi, & promittens tradere, omnia Privilegia, & Instrumenta, tam *Excellentissimi Domini mei, Domini Rudolphi Regis Romanorum, quàm Fratrum meorum*, & omnia alia mea Privilegia, mihi super dictis Principatibus, terris, Dominiis', & aliis omnibus & singulis, quæ continentur superiùs, à quibuscunque vel à quocunque acquisita, concessa, tradita, & donata, sibi ex nunc suisque hæredibus cedens liberè de promissis omnibus, & de ipsis' Privilegiis & Instrumentis', ità ut eisdem Privilegiis & Instrumentis & Jure meo, & hæredum meorum, quod sibi & hæredibus suis in prædictis Marchionatibus, Terris, Castris, & Civitatibus, & aliis omnibus dedi, tradidi, & in eum ac suos hæredes transtuli sicut superiùs est expressum, tam in Judicio, quàm extra Judicium, ipse *Dominus Rex Bohemiæ, & hæredes sui* contra quemlibet hominem, & specialiter contra fratrem meum *Albertum Thuringiæ* Landgravium, *Fridericum*, & *Thycemannum* ejusque filios, & contra fratruelem meum *Fridericum* prædicti quondam *Theodorici* fratris mei Marchionis de *Landesberg* filium, & hæredes liberè uti possint. Promittens nihilominus traditionem, donationem, & permutationem, prædictas, Domino Regi Romanorum innotescere, per me, vel per literas meas, & ejus consensum, & confirmationem, super eadem traditione, donatione, & permutatione, cum diligentia implorare, & hæc nominatim pro castris & munitionibus *Fürstenberg, Palycz, Landescrone, Landesberg, Orthæ, Muta, Selim, Wischemis, & Knos, Hoënstein, Hoënstat, Zwickavia* & pro annuis' redditibus assignandis mihi *per eundem Dominum Regem*, vel alios, aut aliud, quos vel quem *idem Dominus Rex* loco sui, & nomine ad hoc duxerit, destinandos, ad quantitatem *quatuor millium, & quingentarum Marcharum Argenti* Usualis & Ponderis Pragensis, in eisdem castris & munitionibus, possessionibus, ac aliis bonis, rebus, & Juribus ac in omnibus & singulis proventibus, fructibus, redditibus, utilitatibus, judiciis, officiis, & aliis, ad castra munitiones, bona, & possessiones prædictas spectantibus, & provenientibus, de eisdem recuperandis, habendis & recognoscendis, perpetuò per me, & meos hæredes legitimos sexûs masculini, in feudum, & jure feudi ab ipso *Domino Rege Bohemiæ, ac à suis hæredibus, & hæredum successoribus* ab ipso in perpetuum descendentibus universis, eo proviso nihilominus, & expresso, quòd quilibet Laneus possessoribus, in quibus mihi sunt prædicti

Enumeratio Civitatum Boh: quæ commutantur pro Civitatibus Misniæ quæ mendosè adferuntur.

redditus assignandi, talis mihi per ipsum Dominum Regem, vel per illos, aut illum, quibus, vel cui semper in hoc commiserit vices suas, pro unius Marcæ Argenti redditibus deputetur, & assignetur, de quo Marca Argenti annuatim nunc provenit, vel retroactis proveniebat temporibus, aut antè Quadriennium poterat provenire; Proviso etiam, quòd si in Castris, munitionibus, bonis, possessionibus, judiciis, officiis, utilitatibus, & aliis prædictis quatuor millium & quingentarum Marcharum argenti redditibus, non poterunt deputari aut designari servato modo de Laneis assignandis proximè jam expresso, ex tunc ipse Dominus Rex de Vicinioribus possessionibus, aut bonis cum ipsarum possessionum aut bonorum munitionibus, quas bonâ fide sine dolo nominaverint, & signaverint, arbiter videlicet *Zdeslaus de Sternberg Burggravius Pragensis & Hinko de Dube*, pro parte ipsius Domini Regis: Pro mea verò parte *Nobilis Vir, Otto Burggravius de Donin, & Otto de Illeburg*, & pro utraque parte communiter, frater *Hermannus de Holo Prior Domorum Hospitalis S. Joannis Baptistæ Hierosolymitani, per Bohemiam, Poloniam, & Moraviam*, ad hoc electi, & ad ipsorum arbitrium vel majoris partis mihi faciet prædictorum reddituum supplementum: si verò plures redditus quàm *quatuor millium & quingentarum Marcharum Argenti* in castris, munitionibus, bonis, possessionibus & aliis prædictis poterunt deputari vel haberi, ex tunc illud Domino *Regi Bohemiæ* de prædictis castris, munitionibus, possessionibus, redditibus, aliisque prædictis remanebit, quod prædicti arbiter vel eorum major pars jusserint & jusserit remanendum. Sylvis ad castra, munitiones, & possessiones spectantibus, in quibus magnarum Ferarum venationes sunt habitæ ab antiquo, duntaxat exceptis, quæ non debent mihi in prædictis redditibus computari, præterea hominibus, & habitatoribus bonorum & possessionum prædictarum, quæ ad me per commutationem hujusmodi devolventur, Jus si quod deinceps dedero, illud ipse *Dominus Rex* dignabitur approbare. Contulit mihi insuper & hæredibus meis Advocatiam in Litomissl in idem Cœnobium, & promisi nulla servitia, aut petitiones graves contra Abbatis, & fratrum ejusdem Monasterii voluntatem exigere ab eisdem. Volens igitur, affirmans & protestans tenore præsentium permutatione hujusmodi me fore contentum, plenè pacatum, & benè solutum, & absolvens, & absolutos esse volens, omnes & singulos Barones, Ministeriales milites, & alios omnes & singulos, Nobiles & populares ipsarum Terrarum, Civitatum & Castrorum infeudatos, & non infeudatos, à fidelitate & humagio, quibus mihi, & hæredibus meis tenentur, tenebantur, vel tenerentur, & mandans eis, & eorum cuilibet ut ipsi Domino Regi & hæredibus suis tanquam Dominis eorum de cætero intendere debeant, & obedire. Promitto in his scriptis jurando in ligno Crucis Dominicæ, & Jurantibus, ac promittentibus, mecum, & pro me prædicto *Ottone ab Ileburg, & Adolpho notario meo*, quòd decimo die intrante proximâ Quadragesimâ eidem Domino Regi, vel suis nunciis ad hoc per eum specialiter destinatis, tradam, assignabo, disbrigabo, & auctorizabo, terras, castra, Civitates & alia quæ per me in permutationem hujusmodi sunt deducta, sibique, vel suis possessionem assignabo plenariam eorundem excusatione & dilatione qualibet procul motis: *Hein & Perne Civitatibus, & Tyfenowe* castro & aliis castris infeudatis exceptis, in quibus sibi possessionem facti non valeo assignare in termino memorato; Jus tamen & Dominium, quod mihi & hæredibus meis in eisdem castris & civitatibus competit, competebat, & competere poterit in futurum, *eidem Domino Regi & suis hæredibus*,

Quatuor millia & quingentæ Marcas redituum percipere debebat in Boh. Fridericus Marchio Misnensis.

Excipiuntur Venationes à Misnensi Marchione

Advocatia in Litomissl. committitur Marchioni.

bus, dedi, tradidi, do, & trado, & à me & meis hæredibus transtuli, & transfero in eosdem sicut superiùs de eisdem & aliis est expressum. Promitto etiam stipulatione solenni, sub præstito juramento, contra prædictas donationem, traditionem, permutationem, & cessionem meas, & omnia alia & singula, quæ in præsenti continentur, contractu non venire, nec facere per me, aut alium, vel alios tempore nullo unquam, sed habere, tenere, & firmiter adimplere, ipse quoque Dominus Rex, à me priùs & per me terrarum castrorum, & civitatum, ac aliorum omnium bonorum meorum, quæ sibi per commutationem prædictam dedi, & tradidi, plenè possessione receptâ, statim de *Drezden* cum Domina & Matre mea *Beneßium Camerarium de Wartenberg*, vel alium Baronem suum ad assignandum, & præsentandum dictæ Dominæ, & Matri meæ, loco, & vice mei possessionem, castrorum, munitionum, & reddituum prædictorum, diriget & transmittet, qui assignabit, & præsentabit eidem Dominæ & Matri meæ, loco mei, & mihi potestatem de *Drezden* cum eodem *Domino Rege*, vel sine eo rediero, castra, munitiones, & redditus, prædictos debitè disbrigatos. Quos si ante Pascha Domini primò venturum, ipse *Dominus Rex, vel Beneßius Camerarius*, vel alter, quem ad hoc transmiserit, non assignaverit, vel præsentaverit, mihi, vel Matri meæ, proinde civitatem *Grecz*, & si non ipsa civitas *Grecz*, pro quantitate & valore castrorum, munitionum, & reddituum assignandorum, tunc *Chrudin* civitatem cum eadem civitate *Grecz*, mihi, aut matri meæ nomine meo in pignore ipse Dominus Rex statim post Pascha proximum obligabit, quam, vel quos usquè ad assecutionem castrorum, munitionum, & possessionum, in quibus sunt prædicti redditus deputandi, mihi loco pignoris retinebo. Ad hæc si ipse Dominus Rex, nec civitates prædictas dare in pignore, nec castra, munitiones, & possessiones prædictas, quæ mihi debentur, vellet sicut tractatum, & ordinatum est, assignare, & præsentare, ex tunc Viri Nobiles *Adalbertus de Seberg, Marschallus Regni Bohemiæ cum Castro, & Civitate Cadano & Ranvaldus de Nymanicz, Burggravius in Lapide, cum eodem Castro Lapide, & Castro Racem*, qui proinpe, & pro Domino Rege, ut adimpleret prædicta jurando in ligno Domini corporaliter promiserunt, mihi obedire, & intendere tenebuntur, quousque ea, quæ per ipsum Dominum Regem fieri, & adimpleri debuerant, prout tractata sunt, debitè compleantur. *Zdeslaus etiam de Sternberg Pragensis Burggravius & Hinko de Dube* pro observandis & adimplendis prædictis per ipsum *Dominum Regem* jurando in ligno Crucis Dominicæ pro ipso Rege promiserunt. Cæterum ipsum *Dominum Regem* ex nunc in Dominum meum recipio, & sibi ac hæredibus suis tanquam meis, & feudi Dominis obedire, & intendere promitto, ipsúmque & hæredes ejus juvare, & sibi assistere contra quemlibet Principem, & quemlibet hominem fideliter omni posse, quandocunque & quotiescunque per ipsum vel hæredes suos fuero requisitus. Hoc expresso, quòd si infra terminos terrarum suarum, in suo ero constitutus servitio, mihi tunc, & meis, in suo manentibus servitio expensas, & natalia tradere non teneatur: Si verò extra terras suas cum meis, & in ejus subsidium, & ad ejus servitia cum eodem Domino Rege, vel ad mandatum ejus processero sine eo, tunc mihi Dominus Rex subveniet in expensis. Hoc ipsum hæredes mei, ipsi Domino Regi, & hæredibus suis facere tenebuntur, quandocunque, & quotiescunque fuerint requisiti, damna quoque, si quæ ego, vel hæredes mei, aut homines in servitiis suis receperimus, & visum sibi fuerit dignabitur compensare; insuper si sine filiis

Textus vitiosus.

legitimè Masculini sexûs (quod absit) decedere, me contingeret, castris, munitionibus, & possessionibus meis aliis prædictis, ex nunc ad ipsum *Dominum Regem* & suos hæredes redeuntibus ipse *Dominus Rex* Dotem, quæ Lype Zedingen vulgariter dicitur, matris, & uxoris mearum, quam in eis bonis & munitionibus prædictis assignavero, & dimisero, patietur eas per vitæ ipsarum tempora pacificè possidere, feuda etiam, quæ in eisdem bonis meis hominibus contulero, ipse Dominus Rex post mortem etiam meam non cassabit, nec indebitè violabit. Hoc mihi promisso specialiter per eundem Regem, si eum (quod absit) mihi sine hæredibus præmori contingeret: quòd mihi, & hæredibus meis in amplioribus redditibus, & bonis, prout in ejus gratiâ fuerit, & sibi placuerit, gratiam faciet largiorem. Præterea si ipse Dominus Rex castra, & munitiones, quæ mihi ab eo debentur ex permutatione prædicta omnes ante Pascha Domini proximum sicut tractatum est, mihi præsentare nequiverit, pro eo forsitan, quia per alios detinentur, ad illarum tamen præsentationem tenebitur, quas nunc habet, vel quos in ipso termino Paschæ nunc proximo in sua habuerit potestate. Pro aliis autem, quos præsentare non poterit, Grecz & Chrudim, civitates suas juxta formam super obligatione ipsarum expressam superiùs, loco pignoris mihi obligabit. Promisit insuper ipse Dominus Rex de bonis prædictis ad me per commutationem hujusmodi devolutis creare, & facere Principatum sibi, & Regno suo, ac ejus hæredibus perpetuò subditum & subjectum, méque facere suum *Principem ad eundem Principatum*, & de ipso principatu me suum, & sibi ac *Regno suo subditum Principem*, ad Jura, & conconditiones feudi, ac in feudum, & ad servitia expressa superiùs investire, recepto priùs à me per eundem Dominum Regem & Homagio, & fidelitate sibi, & suis hæredibus præstandis, & tenendis corporali denuò sacramento, admisit etiam Dominus Rex prædictus & liberam mihi tribuit facultatem, munitiones prædictas murandi, & meliùs firmandi, sicut expediens fuerit, & mihi placuerit, & novas si placuerit construendi. Item si *Burggravii de Borsenstein & Saydowe* contra fidem mihi præstitam veniendo ex quacunque causa nollent mihi eadem cstra reddere, ipso Domino Regi, sicut promisi, & teneor præsentanda, quidquid *Otto de Ileburg*, *Hincko de Duba*, & *Raymwaldus de Nymanitz*, super eo, erga *Dominum Regem* facere jusserint, faciam & intendo. Præmissis quoque completis, de castrorum per me *Domino Regi* & per ipsum *Dominum Regem* mihi assignandorum Privilegia, hinc inde data (amputatis his, quæ de fide jussoribus, obligationibus & aliis superfluis dicta sunt & conscripta) renovari volumus, prædicta quoque omnia & singula promisit ipse *Dominus Rex* tenere, & adimplere bonâ fide, sicut per me ea quæ sibi promisimus fuerint adimpleta. In quorum omnium testimonium & robur præsentes exinde fieri fecimus litteras, & eas meo consueto sigillo sigillatas ipsi *Domini Regi* tradidi ad Cautelam. Actum & Datum *Pragæ* Anno Domini M. CCXCIX. Octavâ Idus Februarii, Indictione secundâ.

Principatus Misniæ sub Corona Boh: esse debebat.

EPI-

EPISTOLA II.

Harum literarum compendium pridem recitavi in Epitome, recitatque illud etiam Georgius Beatus, quod ideo moneo, ut sique menda in ipsis literis Lectores invenerint ex Epitome totius rei statum intelligant. Est autem hæc Epistola, ut videbis, pluribus Principum summorum literis conferta, & æquivalet pluribus, continetque immunitates ac Privilegia Cœnobii Cellensis in Misnia Ord: Cisterc.

Epitome nostra, L. 3. cap. 16. in Not. Beat. in Hist. Boh.

Caspari Episcopi Misnensis vidimus literarum Sigismundi Romanorum Regis, Monasterio Veteris Cellæ Sanctæ MARIÆ, Cisterciensis Ordinis Diœcesis suæ Datarum &c.

Casparus DEI Gratiâ Ecclesiæ Misnensis Episcopus, tenore præsentium publicè recognoscimus & protestamur.

QUòd literas Regales olim Serenissimi Principis, ac Domini Domini Sigismundi Romanorum Regis semper Augusti, & Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Regis sigillo Majestatis communitas, non abolitas, non Cancellatas, nec in aliqua sui parte vitiatas sed sigillo & filo salvas, per Religiosos ac DEO devotos *fratres Joannem Priorem, ac Magistrum Nicolaum Torsmed, Professos Monasterii Veteris Cellæ, Sanctæ Mariæ Cistercienses Ordinis, nostræ Diœcesis*, ex parte *Venerabilis in Christo Patris ac Domini Domini Joannis Abbatis*, totiusque Conventus, jam dicti Monasterii exhibitas vidimus & audivimus, & coram nobis legi fecimus, ac diligenter examinavimus. Ideóque quod vidimus, aut audivimus, ac manus nostræ contractaverunt hoc publicè protestamur, & perhibemus. Tenor autem literarum earundem sequitur, & est talis. *Sigismundus DEI Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungaeiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c: Rex*, Notum facimus tenore præsentium universis ad perpetuam rei memoriam: Tunc inæstimabilis decoris colligere Margaritas videbimur copiosas, dum Ecclesiarum & Monasteriorum per nostros in Imperio *Prædecessores, & alios Principes Christianos* mirificas fundationes per fidei nostræ hydrias balsamo charitatis aspicimur recreasse, dum Ecclesiasticarum, notanter Religiosarum personarum, quietem, sub regalis protectionis umbra conservare laboramus. Sanè per Venerabilem *Vincentium Abbatem Veteris Cellæ, Ordinis Cistercienstis, Misnensis Diœcesis* nobis oblata petitio continebat, quatenus sibi, suis successoribus, & conventui ejusdem Monasterii, omnia, & singula Privilegia, Jura, literas, & libertates, & signanter nonnulla privilegia eorundem Abbatis, & Conventûs antecessoribus, & ipsis per assertos divos Romanorum Imperatores & Reges concessa, & donata, ac concessa, & donatas confirmare dignaremur gratiosè. Quorum quidem Privilegiorum videlicet unius primo tenor sequitur, & est talis: *Wenceslaus DEI Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, & Boëmiæ Rex.* Notum facimus tenore præsentium universis, quod pro parte Religiosorum, *Abbatis & Conventûs* Monasterii in *Cella Ordinis Cistercienstis*, Misnensis Diœcesis, devotorum nostrorum dilectorum Majestati nostræ humiliter supplicatum existit; quatenus quædam Privilegia, seu literas ipsis, & eorum Monasterio per *Serenissimos Principes quondam Prædecesso-*

Literæ Wenceslai Regis Boh. & Cæsaris.

decessores nostros Bohemiæ Reges, & signanter: per *Serenissimum Principem quondam Dominum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum*, *& Bohemiæ Regem*, *genitorem nostrum charissimum*, super nonnullis eorum bonis, libertatibus, gratiis, & indultis, tradita, & concessa approbare, ratificare, innovare, & confirmare, de benignitate solita gratiosiùs dignaremur. Quorum quidem Privilegiorum seu literarum tenores hic sequuntur, & primo primi tenor est talis. *Carolus DEI Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, & Boëmiæ Rex. Magnificus*, qui facit mirabilia magna solus, supremi dispensatione consilii, ad hoc nos quamvis insufficientibus meritis misericorditer evocavit, ut Augustalis potentiæ dignitati feliciter præsidentes inter cæteras solicitudinum curas, quibus pro subditorum salute, incessanter distrahimur, ad ea singulariter quadam specialis prærogativa favoris sumus intenti, quæ divinæ laudis augmentum & gloriam ac sanctarum Ecclesiarum prospiciunt commodum & honorem. Sanè Religiosorum: *Abbatis & Conventûs Monasterii in Cella Ordinis Cistercienſis*, *Misnensis* Diœcesis devotorrm nostrorum, nuper Majestati nostræ oblata supplicatio continebat, quatenus eisdem literas divi *Adolphi* olim Romanorum Regis, prædecessoris nostri, approbare, ratificare, & confirmare, de benignitate Regia dignaremur. Quarum tenor sequitur in hæc verba, *Adolphus DEI Gratiâ* Romanorum Rex semper Augustus universis Sacri Romani fidelibus præsentes literas inspecturis, gratiam suam & omne bonum. Regalis dignitas à supremo & præcipuo Creatore videlicet, cùm suam recipiens dignitatem nullius inscius, quæ illius fulcitur robore, cujus potentiâ & virtute omnia sustineri dignoscuntur, nec est fas dicere, aut mente concipere, quod impensum eidem cujuscunque devotionis, aur devotæ fidelitatis servitium personis. Ecclesiasticis, seu ipsorum locis divino cultui deputatis aliquatenus vacuum reputatur, quin potiùs ad præsentis felicitatis effectum impetret & futuræ. Hinc est quod tam præsentibus notum esse volumus quàm futuris: Quòd cùm divæ recordationis, *Fridericus I. & II. quondam* Romanorum *Imperatores*, nec non *Philippus*, *Henricus*, *Rudolphus Reges* Romanorum *Monasterio de Cella Ordinis Cistercienſis*, Misnensis Diœcesis duxerint concedendum, quòd quæcunque bona in partibus ipsis obligatione infeudatorum Imperii, seu Ministerialium ipsius, ipsum Monasterium contingeret adipisci, illa posset possidere licitè, & habere, ratificantes nihilominus, & confirmantes Villas, & omnia bona, quas & quæ piæ recordationis olim *Otto*, *Theodoricus*, *Henricus*, *Theodoricus*, *& Henricus* Misnenses & Orientales Marchiones, qui eas & ea ab Imperio feudaliter obtinebant, eidem Monasterio *Cellenſi* tradiderunt, & donaverunt cum omnibus pertinentiis eorundem, prout in Privilegiis Præfatorum Imperatorum & Regum Romanorum super his confectis pleniùs est expressum. Nos devotis Religiosorum virorum Abbatis & Conventûs Monasterii antedicti supplicationibus favorabiliter inclinati prædictum Monasterium, cum personis omnibus Domino famulantibus quidquid justis modis, poterunt adipisci in nostram & Sacri Imperii potectionem recipimus speciale m, & præscripta Privilegia prædictorum Imperatorum & Regum Romanorum, & omnia contenta in eis, nec non concessiones, donationes, Jura, & libertates, à quibuscunque aliis eis factas, & concessas, prout ritè & providè facta & concessa sunt, authoritate Regiâ innovamus, ratificamus, & præsentibus confirmamus. Eo tantùm moderamine adhibito, quod quo ad bona Ministerialium & infeudatorum Imperii jam acquisita dicto Monasterio, hujusmodi nostra confirmatio tantummodo se extendat, & quòd de gra-

Literæ Caroli IV. recitantur.

Adolphi Rom: Regis recitantur literæ.

Confirmat Adolphus omnia Privilegia & concessiones omnium superiorum Imperatorum.

Item feuda Imperii, quæ sunt Monasterio donata.

de gratia nostra adhuc centum Marcharum redditibus in bonis hujusmodi licitè valeant adipisci, quos tamen retinendi, per solitum cursum terræ, nos & *successores nostri in Imperio* facultatem liberam nobis reservamus. Præterea ut affluentiam nostræ gratiæ sibi uberiùs sentiant adfuisse: Volumus, authoritate præsentium statuentes, ut quod adduxerimus, nullus Officiatorum, seu Judicum nostrorum, aliquas servitutes vecturas seu exactiones vel alia gravamina imponendi ipsius Monasterii bonis, aliquam habeat facultatem, nostrâ tamen salvâ in his omnibus potestate; Nulli ergo hominum liceat nostræ concessionis, confirmationis, ratificationis, paginam infringere, vel ei ausu aliquo contraire. Quòd qui attentare præsumserit gravem nostræ dignitatis offensam se noverit incursurum. In cujus rei testimonium præsens scriptum exindè conscribi, & Majestatis nostræ sigillo fecimus communiri. Datum in *Altenburg*, Decimo Octavo Calendas Maji Indictione Nonâ, *Anno Domini Millesimo Ducentesimo Nonagesimo Sexto;* Regni verò nostri Anno Quarto. Nos igitur ad prædictorum Abbatis & Conventûs supplicationis instantiam, ob reverentiam & honorem Omnipotentis DEI, & Intemeratæ Virginis Matris ejus, præsertim cùm Jure petentibus non sit denegandus assensus, prædictas literas, cum omnibus suis tenoribus, titulis, sententiis, & remissionibus, de verbo ad verbum, prout præsentibus sunt insertæ, prout ritè & provide processerunt, de certa nostra scientia & gratia speciali approbamus, ratificamus, & per omnia confirmamus. Mandantes universis *& singulis ArchiEpiscopis*, *Episcopis*, *Ducibus*, *Marchionibus*, *Landgraviis*, *Comitibus*, *Baronibus*, *Nobilibus*, *Militibus*, *Clientibus*, *Civibus*, indifferenter cujuscunque gradûs præeminentiæ seu dignitatis existant, nostri & Sacri Imperii devotis & fidelibus, firmiter, & districtè, nè prædictos Abbatem, & Conventum Monasterii Cellensis devotos nostros dilectos adversus nostræ præsentis approbationis, ratificationis, & confirmationis indultum damnificare, inquietare, seu molestare, præsumant, aut aliquos ipsis, eorum Monasterio, bonis, & hominibus ipsorum, injurias, seu violentias irrogare, sub pœna nostræ indignationis, quam qui secus attentare præsumpserit se cognoscant graviter incurrisse, præsentium nostræ Majestatis sub sigillo testimonio literarum, Datum in *Drezden* Anno Domini M. CCCXLVIII. Indictione 1. 6. Idus Decembris, Regnorum nostrorum Anno 3.

Facit potestatem adhuc bona pro Centum Marcis emendi.

Liberat Monasterium ab omnibus servitutibus.

Secundum verò talis tenoris.

Carolus DEI Gratiâ Romanorum Rex semper Augustus & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.

Etsi Regiæ dignitatis circumspecta benignitas omnes fideles suos ex innata Clementia pio favore complectitur, ad illorum tamen profectus & commoda speciali quadam prærogativa favoris vigilanter intendit, qui sub professione, & habitu regulari sæculi vanitate dimissâ nituntur Altissimo in simplicitate mentis, & corporis jugiter famulari. Sanè quia Religiosorum, *Abbatis*, *& Conventûs Monasterii*, *Cellæ Ordinis Sanctæ Mariæ Cistercienſis*, *Misnensis Diœcesis*, devotorum nostrorum, nuper Majestati nostræ oblata supplicatio continebat, quatenus ipsis & Monasterio ipsorum possessiones, Villas, in *Regno Bohemiæ* sitas, nec non Privilegia, libertates, gratias, Jura, consue-

consuetudines, immunitates, ipsis à claræ memoriæ Illustribus, *Ottogaro*, & *Wenceslao* prædecessoribus nostris, nec non *Joanne* genitoro nostro, quondam *Bohemiæ Regibus*, hactenus indulta, seu indultas, approbare, ratificare, & confirmare de solita benignitate Regiâ dignaremur. Nos igitur ad ipsorum supplicationis instantiam, & reverentiam & honorem Omnipotentis DEI, & intemeratæ Virginis Matris ejus, præsertim cum justa petentibus non sit denegandus assensus, & quia ipsos sub alas nostræ protectionis assumpsimus & assumimus, de nostræ Celsitudinis gratiâ speciali, ideirco ipsis Villam, quæ *Lowoscz* dicitur cum curia ibidem & cum navigio concedimus, ità quòd duas naves, quæ vulgariter Prämen dicuntur, & Cymbam quæ vulgariter Loß habere possint, & cum ipsis liberè, & sine impedimento transducere, & quòd nullum navigium infra Curiam *Lauschiz*, & Civitatem *Lythomerzicz* super flumen Albia ascendendo ad transducendum esse vel fieri debet, quàm navigium Curiæ supradictæ, & quod duas tabernas, & unum fabrum, & unum sartorem licitè tenere possint, & habere in Villa prædicta. Villam etiam *Sonieczek*, cum Curia & molendino, & Curiam in *Sulevicz*, & Villam quæ *Milhalt*, seu *Niderschein*, nominatur, & Villam *Wesels* cum omnibus Juribus, usufructibus, libertatibus, corporalibus, & incorporalibus, ad præfatas Villas pertinentibus, ac Judiciis tam in causa Civili, quàm Criminali, Capitalis sanguinum, qualiscunque fuerit persona ejusdem Villæ, ac aliorum bonorum prædictorum, aut possessoribus delinquente præsidendis aut judicandis. Nec non universis cæteris prædictarum & Curiarum attinentiis, seu pertinentiis, terris, cultis, & incultis, pratis, pascuis, viis, & inviis, nemoribus, & vinetis, vallibus, montanis, rupibus, rubetis, aquis, aquarumve decursibus, navigiis, atque vadis piscariis, ac cæteris aquarum usibus, ripis quoque, litoribus, ex utraque parte fluminis, insulis quoque in flumine natis, nec non cæteris nunc apparentibus, vel in posterum revelandis, & quod annonam sive Bladum, vel frumentum in prænominatis villis pertineat, in navigio super flumine Albia ascendendo vel descendendo futuris temporibus sine quovis impedimento ducere, & in usus proprios convertere, liberè poterunt pro ipsorum libito voluntatis. Universa insuper Privilegia, & literas Abbatis, & Monasterii prædictorum, ipsis à supradictis Illustribus *Ottagaro*, *& Wenceslao prædecessoribus nostris*, *ac Joanne* genitore nostro quondam *Boëmiæ Regibus*, supra quibuscunque Juribus, gratiis, consuetudinibus, libertatibus, & immunitatibus, concessa seu concessas, sicut & indulta, quæ concessa vel concessisse noscuntur, in omnibus suis tenoribus, clausulis, & sententiis, de verbo ad verbum, prout scripta sunt, ac si tenores Privilegiorum seu literarum hujusmodi præsentibus distinctè & seriatim inclusæ essent; singulis *Capitaneis*, *Camerariis*, *Advocatis*, *Judicibus*, *Justitiariis*, *Officialibus*, *& Viceofficiabibus Regni nostri Bohemiæ*, qui pro tempore fuerint fidelibus nostris dilectis, firmiter, & districtè mandantes, nè supradictos, Abbatem & Conventum Monasterii prædicti adversus præsentis nostræ approbationis, ratificationis, & confirmationis seriem impediant, vel molestent, seu impediri vel molestari permittant, imò ipsos potiùs studeant favorabiliter promovere, sub pœna nostræ indignationis gravissimæ; Nec non sub pœna Centum Marcharum auri purissimi, quam qui secus attentare præsumpserit, & toties quoties contra factum fuerit, se cognoscat graviter incurrisse, quarum medietatem Imperiali Camerario & fisco, residuam verò injuriam passorum usibus decernimus applicari. Præsentium sub nostræ Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum in

Caroli IV. liberalis confirmatio Villarum in Boh: quas Cœnobium Cellense à Reg. Boh. acceperat.

tum in *Drezden* Anno Domini Millesimo Trecentesimo, Quadragesimo Octavo, Indictione primâ Septimo Idus Decembris Regnorum nostrorum Anno Tertio. Nos eorum petitionibus annuentes, ut temporibus nostris feliciter conserventur, non per errorem, aut improvidè sed animo deliberato, *Sano Principum*, *Comitum*, *Baronum*, *Procerum*, *& aliorum nostrorum*, *& Imperi Sacri fidelium* accedente consilio, & de certa nostra scientia præscripta Privilegia, seu literas in omnibus eorum articulis, punctis, & clausulis, prout de verbo ad verbum expressantur superiùs; Nec non universa, & singula alia Privilegia ipsis, & eorum Monasterio per præfatos prædecessores nostros *Boëmiæ Reges*, aut quoscunque alios fideles piâ devotione concessa, & in quantum ritè & rationabiliter præcesserunt, approbamus, ratificamus, innovamus, virtute præsentium authoritate Regiâ gratiosiùs confirmamus, decernentes, ipsa obtinere debere perpetuam roboris firmitatem, præsentium sub Regiæ nostræ Majestatis Sigillo testimonio literarum. Datum in Carlstein Anno Domini 1395. Die penultimâ Aprilis &c: &c: Nos igitur præfati Abbatis supplicationibus favorabiliter inclinati,

Continuantur literæ Sigismundi Imperatoris.

Quinquæ istæ lineæ sequentes in Cod: M: S: a me nullo modo legi potuerunt.

animo deliberato, non per errorem aut improvidè, sed sano Principum, Comitum, Baronum & Nobilium ac aliorum accedente Consilio, & ex certa nostra scientia, suprà inserta, & insertas, ac quæcunque alia, & alias Privilegia, sive literas præfati Abbatis prædecessoris, & ipsi Abbati & Conventui, per quoscunque Romanorum Imperatores & Reges, ac *Bohemiæ Reges*, sive Principes alios quoscunque, omnesque libertates, immunitates, donationes, & concessiones, ac Jura, & Jurisdictiones, altas & bassas, ipsis per eosdem Imperatores & Reges, seu alios Principes donata & concessa, ac datas elargitas, & concessas de verbo ad verbum proùt ritè processerunt, confirmavimus, approbavimus, innovavimus, roboravimus, & de novo concessimus, confirmamus, approbamus, innovamus, roboramus, & auctoritate Romanâ Regiâ præsentibus de novo concedimus gratiosè. Volentes etiam, & hoc Regio statuentes edicto, ut nullus cujuscunque statûs, gradûs, vel conditionis existat, in Advocatiam præfati Monasterii se intromittere ausu quovis præsumat, præterquam Marchiones *Misnenses* pro tempore existentes sic tamen, quòd hujusmodi Advocatiam respectu, per eosdem Marchiones, absque emolumento sine gravamine dicti Conventûs purè propter DEUM in spem futuri præmii exerceant cum affectu. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ confirmationis, approbationis, innovationis, roborationis de novo concessionis, voluntatis, & statuti paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem nostram Regiam, & in suprà insertis literis pœnam contentam, medietatem Imperiali ærario fisco; residuam verò partem supradicto Abbati, vel ejus successoribus, & Conventui applicandam, ipso facto se noverit incursurum; Præsentium sub nostræ Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum *Constantiæ*, Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo decimo septimo, Octavâ die Mensis Junii, Regnorum nostrorum: Anno Hungariæ Trigesimo primo, Romanorum verò septimo. Post quarum quidem Regalium literarum, visionem, auditionem, lectionem, & diligentem examinationem fecimus per præfatos Religiosos & DEO devotos fratres, *Joannem* Priorem & Magistrum *Nicolaum*, ex parte suprà-

dicti Domini Abbatis, & totius Conventûs præfati Monasterii, Principales, in iisdem regalibus literis privilegialiter nominatis, debita cum instantia requisiti, quatenus per insertas Regales literas per publicum Notarium transsumi & transcribi mandaremus, ac decretum nostrum interponi dignaremur, ut eisdem literis transsumptis, tanquam originalibus fides adhibeatur. Nos igitur *Caspar* Episcopus præfatus attendentes hujusmodi requisitionem fore justam, consonam rationi, authoritate nostrâ pastorali decretum nostrum interponimus, in quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum atque robur & firmamentum perpetuum per insertas regales literas, *Michaëli Pfortern* Notario publico, dicti Domini Abbatis, & Conventûs transsumi & transcribi, & per Notarium nostrum publicum infra scriptum subscribi & publicari, sigilloque nostro roborari mandavimus, Datum & Actum in Castro nostro *Mogelin*, Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo Tertio, Indictione primâ, die Jovis; Quinta decimâ verò Mensis Novembris, hora vesperarum vel quasi sub *Pontificatu Sanctissimi in Christo Patris ac Domini Domini Nicolai Divinâ providentiâ Papæ quinti*: Anno ejus septimo præsentibus ibidem Nobili Domino *Vito de Kamenek ac honorabili Viro Domino Andreæ Braxatoris Magistro Curiæ in Magelin, nec non Christophoro de Malticz, & circumspecto Nicolao Spis, testibus ad præmissa.*

Et ego Caspar Melicz publicus Imperiali auctoritate & Curiæ Episcopalis Misnensis, *Notarius ac* Reverendissimi in Christo Patris ac Domini Caspari Episcopi Misnensis scriba. *Quia memoratæ requisitioni, transsumpto petitioni, ac decreto, interpositioni, omnibus & singulis præmissis, dum sic, ut præmittitur, agerentur & fierent, unà cum prænominatis testibus, præsens interfui, ideo præsens publicum instrumentum vim transsumpti continens per alium fidelem feliciter scribi procuravi. Hic me manu propriâ subscribens publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signoque nomine & cognomine meis solitis & consuetis consignavi, & ipse* Reverendus in Christo & Dominus Caspar Episcopus Misnensis *sigilli sui majoris signo de voluntate sua consignari fecit, in evidens testimonium eorundem rogatus & requisitus.*

EPISTOLA III.

Henrici Senioris, & ipsius Filii Dominorum de Plavven recognitio quòd se liberâ & spontaneâ voluntate Joanni Bohemiæ Regi, & suis hæredibus & successoribus, Regibus Bohemiæ in Vasallos cum eorum bonis submiserint &c.

Anno 1327.

Nos Henricus Senior de Plavven, & ejus filius Henricus senior, recognoscimus & fatemur tenore præsentium universis.

Ditiones Dominorũ de Plawen sunt feudũ Cor. Boh. Enumerantur.

NOs esse Vasallos *Magnifici Domini nostri Joannis Bohemiæ, & Poloniæ Regis Illustris, ac Comitis Lucemburgensis*, & ab eo principale Dominium nostrum *Plawen*, cum suis munitionibus, & bonis, videlicet Castro *Lubawe* munitionem Johanßgrin Castrum *Schoneck*, munitionem *Plonsivitz*, munitionem *Lapiden*, munitionem dictam *Tribil*, & *Gacendorf*, cum Villis, ho-

lis, hominibus, & vasallis, militibus, ad ipsas, & ipsa spectantibus, ac aliis suis pertinentiis universis in quibuscunque consistant, quas & quæ nunc habemus, & imposterum sumus ad idem nostrum Dominium quocunque titulo habituri, nostro hæredum ac successorum nostrorum nomine recepisse, in feudum, & ab ipso tempore, tenere, ac possidere, Jure, & titulo feudali, volentes quòd hæredes & successores nostri Domini in *Plawen* prælibati, quandocunque sæpedictum Dominium vacare contigerit, ipsum ab eodem Domino nostro Rege, aut à suis hæredibus vel successoribus *Regibus Bohemiæ* in feudum recipere semper deinceps debeant, & tenere, & facto sibi per eos servandæ perpetuæ fidelitatis, ei vel eis, homagio, sicut & nos nunc spontaneâ & liberâ voluntate fecimus, ei vel eis, tanquam ejus vel eorum Vasalli sincerâ fide cum prædictis bonis omnibus intendere debeant & parere. Hujus rei testes nostri sunt Vasalli infra scripti pertinentes ad nostrum Dominium prælibatum, videlicet: strenui milites, *Tosso de Schoneck*, & suus filius *Conradus*, *Ditricus de Tossenwelt*, *Conradus* dictus *Sack*, & *Nicolaus* frater suus militaris. *Henricus de Machvicz*, *Eberhardus de Wiedersperttz*, *Conradus de Milim*, & *Henczlinus* dictus *Rœder* Militaris, & quàm plures alii fide digni. In cujus rei testimonium præsentes literas fieri, & sigillo nostro unico, quo tantùm utimur fecimus roborari. Datum *Pragæ* Anno Domini, M. CCCXXVII. Tertio Idus Martii.

EPISTOLA IV.

Henrici Advocati de Plavven Senioris, & Henrici ipsius Filii concessio, quòd post decessum familiæ Comitum de Eberstein Terræ Saxoniæ Dominium suum Plavven cum ipsius pertinentiis, à Joanne Rege Bohemiæ & suis hæredibus in feudum cum consensu suorum Vasallorum susceperint &c.

A. 1327.

Nos Henricus Advocatus de Plavven senior, & Henricus ipsius filius senior; Recognoscimus tenore præsentium, & fatemur.

Comites ab Eberstein in Saxonia perierunt.

QUòd licet olim progenitores nostri bonæ memoriæ, quondam à viris specialibus Comitibus de *Eberstein* Terræ Saxoniæ retroactis temporibus Dominium eorum in *Plawen*, quod nunc tenemus, & ad nos ex successione legitima devolutum in feudo recepisse, ac etiam possedisse noscantur, tamen quia dudum cum omnibus suis Juribus, & pertinentiis in feudo, à quocunque Dominiorum nobis placuerit nunc recipere, ac tenere licitè valeamus. Nos ob specialis amoris affectum, quem ad Magnifici *Principis Domini nostri*, *Domini Joannis Boëmiæ & Poloniæ Regis Illustris*, *ac Comitis Lucemburgensis* Celsitudinem gerimus, ipsius nos recognoscentes esse feudatarios, & Vasallos prælibatum nostrum Dominium *Plawen* cum suis munitionibus & bonis videlicet, Castro *Lubow*, *Johansgrin*, Castrum *Sonek*, munitione *Blonsvicz*, munitione *Lapide* dicta, munitione dicta *Tribil*, & *Ganondorff*, cum Villis, hominibus, Vasallis & militibus ad ipsas & ipsa spectantibus, ac aliis suis pertinentiis universis in quibuscunque consistant,

Repetuntur ut priore Epistola munitiones Plawensiũ feudales.

quas & quæ nunc habemus, & impoſterum ſumus ad idem noſtrum Dominium quocunque titulo habituri, noſtro, hæredum & ſucceſſorum noſtrorum Dominorum in *Plawen* nomine, recepiſſe in feudo, & ab ipſo tenere & poſſidere Jure ac titulo feudali, volentes, quòd ipſi hæredes, ac ſucceſſores noſtri, quandocunque ſæpè dictum Dominium noſtrum per mortem alicujus eorum vacare contigerit, ipſum ab eodem *Domino noſtro Rege, aut à ſuis hæredibus ac ſucceſſoribus Regibus Boëmiæ* in feudo recipere ſemper deinceps debeant, & tenere, & propoſito ſibi per eos debito ſervandæ fidelitatis, & Homagii Sacramento, ſicut & nos ipſum ſibi nunc ſpontaneâ & liberâ voluntate præſtitimus, ei vel eis, tanquam eorum Vaſalli cum prædictis bonis omnibus, ſincerâ fide ſemper intendere debeant & parere. Et nos *Toſſo de Schoneck*, *Arnoldus* de Walchenſtein, *Gaczo* de Menka, *Henricus* de Machvvitz, *Conradus* de Sak, *Eberhardus* de Tribel, & *Conradus* de Milim, Milites nec non *Nicolaus* dictus *Sak*, *Nicolaus* de Dobeneck, & *Henricus* dictus Reoder Militares, ſeu armigeri prædictorum Dominorum noſtrorum de *Plawen*, quorum ſumus homines & Vaſalli precibus inclinati, proteſtamur præmiſſa omnia, prout ſuperiùs continentur per eoſdem Dominos noſtros, nobis, ſucceſſoribus, præſentibus, & conſentientibus de certa ſcientia eſſe facta. In quorum omnium prædictorum robur, & teſtimonium præſentes literæ factæ ſunt, ſigillorum noſtrorum, quæ ipſis appendi fecimus munimine roboratæ. Datum *Pragæ* Anno Domini M. CCC. XXVII. Decimo Octavo Calendas Aprilis.

EPISTOLA V.

Gerlaci ArchiEpiſcopi Moguntinenſis Electoris Imperii literæ quibus fatetur, quod Oppidum Plavven cum ſuis bonis & pertinentiis univerſis, ſit hæreditarium feudum Regum, & Coronæ Bohemiæ Regni, & quòd à Corona Regni Bohemiæ nullo modo dividi aut ſcindi poſſit, cui rei ipſe, ut Elector Imperii, aſſentit & eam confirmat.

Gerlacus DEI Gratiâ Sanctæ Moguntinenſis ſedis ArchiEpiſcopus, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius. Ad perpetuam rei memoriam.

Laus Regni Boh. à Mogunt. Archiep.

INter multiplices Imperialium ſolicitudinum meditationes, quibus *Sereniſſimi ac Invictiſſimi Principis & Domini Domini Caroli IV. Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, & Boëmiæ Regis Illuſtris, Domini noſtri gratioſi*, generoſus animus pro grata ſubditorum quiete hinc inde diſtrahitur, ad deſideratam pacem & felix augmentum inſignis *Regni ſui Bohemiæ*, oculos deliberationis ſuæ ſicuti dignum eſt, quâdam ſpecialitate convertit, tantóque ſolertiùs de ipſius meditatur augmento, quanto ex ſuarum dilatatione propaginum, velut à membro nobili Sacrum Romanum Imperium non ambigitur laudabiliùs honorari. Nam ſicut ex diviſione Regnorum calamitates odioſæ concurrunt, & horrendæ ſeditionis ſcandala fidelium Regnicolarum, quoties tranquilla pax confunditur; Sic multiplicatis, &

tis, & adjunctis Regni viribus in pacis pulchritudine, fiduciæ tabernaculis, & opulentâ requie fidelis populus conquieſcit, gratiſque gratulatur commodis, ſub grato regimine Principis gratioſi. Sanè ſicut notorium eſſe dignoſcitur, qualiter *Nobilis Vir quondam Henricus ſenior de Plawen Oppidum ſuam Plawen*, cum villis, territoriis, diſtrictibus, montibus, collibus, vallibus, planis, cenſibus, redditibus, proventibus, utilitatibus, agris, cultis, & incultis, ſylvis, rubetis, nèmoribus, aquis, aquarumque decurſibus, piſcationibus, venationibus, aucupationibus, nec non vaſallis, feudis, feudatariis, militibus, clientibus, judicibus, ſcultetis, ruſticis, emphiteutis, & ad glebam adſtrictis, viis, inviis, virgultis, paſcuis, pratis, ſtagnis, lacubus, paludibus, molendinis, honorantiis, emolumentis, taliis, pœnis, mulctis, Judicialibus, & aliis undecunque proventibus, & cum omnibus & ſingulis metis, gradibus, juribus, juriſdictionibus, dominiis, utilitatibus, & decretis, granitiis, circumferentiis, & militibus, quibus circumferentiis, & militibus, quibus circum adjacentibus undique bonis aliis circumferentialiter prædicta, & eorum ſingula ſunt diſtincta, nec non cum univerſis & ſingulis dictorum: Oppidi & bonorum Juribus, & pertinentiis habitis, & habendis præſentibus & futuris in quibuſcunque rebus conſiſterent, vel quocunque modo impoſterum orirentur, retroactis temporibus ab inſignis memoriæ *Sereniſſimo Principe Domino Joanne quondam* Rege *Boëmiæ, genitore prædicti Sereniſſimi Domini noſtri Imperatoris, & à Corona Regni Boëmiæ* ſuſcepit in feudum, ſeque de ipſis inveſtiri petiit, & fuit corporaliter inveſtitus. Et eadem omnia, quæ ab antiquo & ex legitima ſucceſſione à Parentibus & progenitoribus, ſua verò hæreditalis proprietas extiterunt. Prout Nobilis *Henrici* de Plavven filii ſui in præſentia Principum Coëlectorum noſtrorum ſpontaneâ, & apertâ recognitione & confeſſione recepimus, in jure & onere Vaſallagio, ſive feudali, eidem quondam *Domino Joanni Regi Bohemiæ, & Coronæ prædictæ* expreſsè ſubmiſit, ex certa ſcientia ei ſubjecit, & de prædicto Oppido *Plawen*, villis & bonis ac cæteris omnibus & ſingulis ſupra ſcriptis, tanquam de vero, & nobili feudo, jam dicto, quondam *Domino Joanni Regi, & Coronæ Boëmiæ* fidelitatis & homagii debitum & conſuetum præſtitit Juramentum. Jura quoque & obſequia ſubjectionis & fidelitatis hujuſmodi *Regi & Coronæ* præfatis uſquè ad finem vitæ ſuæ ritè tenuit, & conſtanter exſolvit. Ità poſt ejuſdem quondam *Henrici* obitum, Nobiles Viri, *Henricus* prædictus, & *Henricus* frater ipſius de Plavven prædicti quondam *Henrici* ſenioris filii, in prædicti Domini noſtri Imperatoris & *Regis Bohemiæ* præſentia conſtituti, ad inſtar quondam ejuſdem *Henrici* Patris ſui Oppidum Plavven univerſaliter, cum omnibus & ſingulariter cum ſingulis ſuis Juribus, & pertinentiis ſupradictis, ab ipſo Domino Imperatore noſtro, ut à *Rege Bohemiæ, & à Corona Regni Bohemiæ* receperunt in feudum, ſeque à Majeſtate ſua, tanquam à *Rege Bohemiæ* vero & legitimo Domino ſuo de præmiſſis infeudari, & inveſtiri ſicuti tenebantur ex debito cum humilitate & reverentia debitis petierunt, & ſibi hæredibus, ac ſucceſſoribus ſuis *Bohemiæ Regibus*, & ejuſdem *Regni Coronæ* pro ſe hæredibus & ſucceſſoribus ſuis præſtiterunt homagii obedientiæ, ſubjectionis, & fidelitatis debita & ſolita Juramenta; deſiderans ergo magnopere idem *Sereniſſimus Dominus noſter, Dominus Imperator, ut prædicti Regni ſui Boëmiæ* diutiùs optata, multipliciter felicitas, & ubertatibus & commodis Vaſallornm nobilium augmento felici proficiat, quibus eidem tam naturæ proceritas quadam ſingulari influentiâ, quàm *Illuſtriſſimorum Principum Dominorum quondam Regum Boëmiæ* præclaræ memo-

Nota: laudari Proceritatem quandã naturæ in Boh. veteribus.

memoriæ laudabili quodam & venerando studio providerunt. Ad hoc præcipuè aciem mentis suæ convertens, qualiter infrà scriptum feudum videlicet Oppidum *Plawen*, cum Oppidis, Villis, bonis, territoriis, districtibus, & aliis omnibus & singulis superiùs expressatis, quæ cum eodem Regno suo immediatè confinant, pro Illustrissimorum Principum Dominorum *Regni Bohemiæ*, & ejusdem *Regni Coronæ* commodis, & profectibus ad honorem Sacri Romani Imperii non solùm expediant, imò necessariæ videantur: Tum quia Oppidi, Villarum, & bonorum eorundem spatia dicti *Regni Bohemiæ*, veluti insignis membri Majestatis Cæsareæ præcelsa requirit Nobilitas, tum quia Oppidum, & bona jam dicta, & loca ipsorum post rapinas, & spolia, strages, & seditiones innumeras, ac periculosa discrimina, quibus peregrinis ac viatoribus transitus vetabatur, nunc Divinæ propitiationis munere *Regis Regni*, & Nobilium *Regnicolarum Bohemiæ* disponente potentiâ, amœnâ prosperitate gaudentes, quibuslibet mercatoribus, peregrinis, & personis aliis iter agentibus, tutum accessum, statum, & processum indubiis pollicentur, ut non ex hoc solùm dicti *Regni Bohemiæ*, verùm aliarum terrarum, & Reipublicæ commoda continuatis prosperitatibus augeantur. Animo deliberato, diligenti nihilominus, & maturo nostro, & aliorum *Principum, & Comitum, Procerum, & Baronum, & fidelium Sacri Imperii, & suorum accedente consilio*, de certa scientia habito respectu ad causas evidentes superiùs jam expressas, & ad alia justa motiva, quæ Imperialem ejus Celsitudinem ad hoc prosequendum rationabiliter inducebant, recepto ab eodem *Henrico & Henrico* fratribus fidelitatis, ut præmittitur, & homagii juramento solito, & solenni, tactis per eos Sanctis Evangeliis, ipsi Domino nostro Imperatori, & *Regi Bohemiæ* ipsos de memoreto feudo adhibitis debitis, & consuetis solennitatibus investivit, Imperiali perpetuis valituro temporibus, decernens edicto, ut prædicti, *Henricus, & Henricus* fratres, & eorum in feudo seu Oppido, & bonis suprà scriptis, hæredes, & successores ex nunc inantea sui tanquam *Regis Boëmiæ, & Coronæ Regni*, ac successorum suorum *Regum Bohemiæ*, Vasallorum, & feudales censeantur, & sint; Oppidum quoque, & bona omnia suprà dicta, per ipsos ab eodem Domino nostro, *Domino Imperatore, ut à Rege Bohemiæ, & à Corona & successoribus suis Regibus Boëmiæ* memoratis, dependere censeantur in feudum realitérque dependeant, & tanquam talia ab ipso, *& ab ipsa Corona, & successoribus Regni Bohemiæ* perpetuò teneantur, idem *Dominus noster, & Corona, & successores* prædicti *Reges Boëmiæ* omni Jure, eminentiâ, superioritate, & Dominio, quod & quo, verò legitimo, ac ordinario feudi Domino in feudalibus & Vasallis, & eorum feudis, de jure & more, vel consuetudine competit inconvulsè, & immutabiliter, perpetuò, & absque quovis impedimento gaudeant, & fruantur. Cúmque præfati, *Henricus & Henricus* fratres de memoratis Oppido, bonis, & pertinentiis tanquam vero feudo ab ipso Domino nostro Imperatore, ut à *Rege Regnoque & à Corona Bohemiæ* legitimè dependente, sibi tanquam *Regi Bohemiæ, naturali hæreditario & ordinario Domino suo* sicut præmittitur, obedientiæ, homagii, & subjectionis debitæ præstiterunt Juramentum. Teneantur etiam & debeant hæredes & successores eorum perpetuò, dum & quoties casus emerserit, dicto *Domino nostro, hæredibus & successoribus ejus Bohemiæ Regibus, & ejusdem Regni Coronæ* præstare & facere consimilia Juramenta, sub pœnis omnibus, quæ Vasallorum negligentiis in ejusdem *Regni Bohemiæ Privilegiis* infliguntur, feudum etiam, prædictum cum omnibus ab eo dependentibus, sub omnibus conditionibus, modis, & verborum expressionibus sicuti præmittitur, dicto *Regno Bohemiæ*, & ipsius *Regni Coronæ* in perpetuum auctoritate Imperiali, sæpè dictus Dominus noster Dominus Imperator de Imperialis suæ potestatis plenitudine incorporavit, adjunxit, appropriavit; annexuit inseparabiliter univit, & invisceravit, omnem defectum si quis in his ex parte solennitatis omissæ, obscuritatis, dubietatis, seu defectus verborum, aut sententiarum vel alio quovis modo compertus fuerit, de jam dictæ Imperialis plenitudine potestatis supplevit, non obstantibus, quibuscunq; legibus, constitutionibus, vel statutis publicis, seu privatis, aut municipalibus, in contrarium editis, quibus omnibus, si & in quantum præcedentibus ejus intentionibus, & factis in toto aut in parte contrariæ censentur, authoritate & potestate prædictis simpliciter derogavit. Decernens & statuens suo perpetuo Imperiali edicto quòd non liceat alicui *Illustrissimorum Principum Dominorum, Regum Bohemiæ successorum* suorum, prædictos feudales, & feudum in toto, vel in parte quovis etiam ingenio, & excusatione, occasione, adinventatione, seu colore quæsitis vendere, scindere, alienare, obligare, dividere, permutare, aut aliquo modo à potestate *Regum, & Coronæ Regni* removere, imò veriùs feudales & feudum hujusmodi sub omnibus modis & distinctionibus prælibatis per eosdem *Dominos Reges Bohemiæ* absque diminutione qualibet, ad prædicti *Regni Bohemiæ*, & felicis ipsius *Coronæ* gloriam seriè & attentissimè retineri. Quod si quis eorundem *Regum Boëmiæ*, in contemtum hujusmodi nostri Imperialis edicti, *& Regni Boëmiæ* præjudicium dictos fideles seu feuda, in toto vel in parte, quibuslibet ingeniis, titulis seu coloribus quæsitis, venderet, alienaret, scinderet, obligaret, aut etiam permutaret, seu à *Regno Boëmiæ & Coronæ* removeret, nulli pœnæ corporali, ab hac habeatur obnoxius, cùm non sit conveniens corporali pœnæ Regiam addici Majestatem, sed ipsum Regem pœnam & reatum perjurii ipso facto incurrisse decrevit. *Principes verò, Barones, Nobiles*, & alios quoscunque cujuscunque dignitatis, gradûs, conditionis, vel statûs existant, qui ad venditionem, obligationem, alienationem, permutationem, seu remotionem hujusmodi niterentur, ipso facto infames esse constituit, & ut cadant ac omnibus suis Juribus, & honore, & universa bona ipsorum mobilia, & immobilia, possessiones, & prædia, ubicunque deprehensa fuerint, in usus *Regum Boëmiæ* confiscentur, ipsique tanquam proditores, infideles, rei criminis læsæ Majestatis, turbatores pacis, & quietis fidelium, dissipatores *Regni Bohemiæ*, & throni regalis sint ab omnibus impunè usque ad mortem, & finale supplicium persequendi, & ad persecutionem ipsorum omnes indifferenter *Regnicolæ Regni Bohemiæ* consurgant sub omnium Jurium, libertatum, gratiarum, & honorum quibus regalis benignitas providit eisdem amissione. Teneantur etiam *Domini Reges Boëmiæ*, & sint virtute jam dicti Imperialis edicti specialiter obligati, ut videlicet hunc articulum de non vendendis, alienandis, permutandis, seu etiam removendis, feudalibus & feudis suprà dictis, Jurent inter alia in Principum, & bonorum & Nobilium *Regni Bohemiæ* prædicti præsentia, tactis corporaliter sacris, scriptis Evangeliis, antequam de manibus Pragensis ArchiEpiscopi, seu alteriùs Episcoporum *Regni Bohemiæ* coronati fuerint, seu sacram susceperint unctionem, & prædictis pœnis, inflictis, seu non inflictis, præmissa nihilominus, omnia, & eorum singula in suo robore perpetuò perseverent. Nos igitur, qui suprà *Gerlacus ArchiEpiscopus Moguntinensis, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius*, ex eisdem rationibus & evidentibus causis, quibus antedictus *Serenissimus Princeps & Dominus no-*

In Missnia quondam via infesta, & latrocinia regnabant.

nus noster, *Dominus Imperator*, circumspectâ suâ providentiâ motus fore dignoscitur, & ex omnibus prædictis, tanquam ex motivis legitimis Sacri Romani Imperii Magnificum statum prospicientibus propensiùs animati supradictis infeudationi, incorporationi, adjunctioni, approbationi, annexioni, unitioni, decreto, inhibitioni, statuto, derogationi, pœnarum adjunctioni, & omnibus aliis quæ expressantur, & sunt expressata superiùs, velut *ArchiEpiscopus Moguntinensis*, *Sacri Imperii*, *per Germaniam Archicancellarius*, & *Princeps Elector*, animo deliberato, & sano præcedente consilio nostrum benevolum consensum adhibemus præsentibus, & assensum, ac supradicta omnia & singula, & eorum quodlibet, in omnibus suis tenoribus, sententiis, punctis, & clausulis, de verbo ad verbum prout supra videntur expressa, ex officii nostri debito laudamus, approbamus, ratificamus, & de certâ nostrâ scientiâ confirmamus pleniſſimè perpetuis temporibus valitura. Præsentium sub nostro sigillo testimonio literarum. Datum *Metis* Anno Domini M. CCCLVI. Feriâ secundâ ante diem Beatæ Luciæ Virginis.

In eandem sententiam extant literæ *Boëmundi* ArchiEpiscopi Trevirensis Sacri Romani Imperii per Regnum *Arelatense*, & per Galliam Archicancellarii & Principis Electoris his per omnia similes. Quibus similiter hæreditariæ incorporationi, *Regno & Coronæ Regni Boëmiæ*, Oppidi *Plawen*, cum ejusdem Oppidis, bonis, & pertinentiis assentit, & eam, ut Elector Imperii confirmat; quarum Datum ut suprà, scilicet *Metis*, Anno Domini M. CCCLVI. in *Vigilia Beati Andreæ Apostoli.* In eandem sententiam extant literæ *Wilhelmi*, *DEI Gratiâ Sanctæ Colonienſis Ecclesiæ ArchiEpiscopi Sacri Romani Imperii*, *per Italiam Archicancellarii*, & per omnia præcedentibus similes: quibus similiter hæreditariæ incorporationi, *& Regno & Coronæ Regno Bohemiæ*, *Oppidi Plawen*, cum ejusdem pertinentiis assentit, & eam, ut Elector Imperii, approbat & confirmat, quarum Datum ut suprà, ibidem scilicet *Metis*, Anno Domini M. CCCLVI. *in Vigilia Beati Andreæ Apostoli.* In unam & eandem sententiam extant literæ sæcularium Electorum continentes ejusdem hæreditariæ incorporationis, & invisceratione Oppidi *Plawen*, cum ejusdem Oppidi bonis & pertinentiis *Regno & Coronæ Bohemiæ* approbationem, & confirmationem & primo quidem. *Ruperti Senioris DEI Gratiâ Comitis Palatini Rheni*, *Sacri Romani Imperii Archidapiferi & Bavariæ Ducis*, per omnia præcedentibus & supra annotatis literis similes, quibus similiter hæreditariæ incorporationi *Regno & Coronæ Regni Boëmiæ* Oppidi *Plawen*, cum ejusdem pertinentiis assentit: & eam ut Elector Imperii approbat & confirmat. Quarum Datum ibidem ut suprà in præcedentibus literis prætitulatur, scilicet *Metis* Anno Domini M. CCCLVI. *in Vigilia Beati Andreæ Apostoli.* Item extant literæ, de ea re, in eandem sententiam *Rudolphi DEI Gratiâ Ducis Saxoniæ*, *Sacri Imperii Archimarschalci*, istis per omnia similes, quibus similiter hæreditariæ incorporationi, *Regno & Coronæ Regni Bohemiæ* Oppidi *Plawen* cum ejusdem pertinentiis assentit, & eam ut Elector Imperii approbat, & confirmat, quarum Datum ibidem *Metis* Anno Domini M. CCC. LVI. *in Vigilia Beati Andreæ Apostoli.* Item extant literæ de eadem re, in eandem sententiam *Ludovici dicti Romani DEI Gratia Marchionis Brandeburgensis Sacri Romani Imperii Archicamerarii*, *& Bavariæ Ducis* istis per omnia similes, quibus similiter hæreditariæ incorporationi *Regno*, *& Coronæ Regni Boëmiæ* Oppidi *Plawen*, cum ejusdem pertinentiis assentit, & eam, ut Elector Imperii approbat, & confirmat. Quarum Datum ibidem *Metis*, ut suprà Anno & die eadem M. CCCLVI. *in Vigilia Beati Andreæ Apostoli &c.*

EPISTOLA VI.

Friderici, & Ottonis Dictorum fratrum Burggraviorum de Donin, & Henrici Dapiferi de Brun, Castri Donin, cum suo Dominio & omnibus Juribus ac pertinentiis à Joanne Rege Bohemiæ, & ejusdem hæredibus ac successoribus Regibus Bohemiæ & ejusdem Regni Corona in perpetuum & hæreditarium feudum susceptio.

A. 1341.

Nos Fridericus & Otto Dictus Heyden fratres Burggravii de Donin, & Henricus Dapifer de Brun, ad universorum notitiam, tenore præsentium volumus pervenire.

Quòd quia *Magnificus Princeps Dominus noster charissimus*, *Dominus Johannes Rex Bohemiæ*, *Lucemburgensis Comes*, perpetua nostra servitia Regio culmini exhibita, & quæ exhibere tenebimur respiciens in futurum nobis *Castrum Donin*, *cum suo Dominio*, & cum omnibus Juribus, appendiis, & honoribus, utilitatibus, Jurisdictionibus, & pertinentiis universis, quæ in præsenti & ab antiquo ad ipsum Castrum pertinebant, & spectant, & spectare poterunt, (quod quidem Castrum nos *Burggravius de Donin*, & *Henricus Dapifer de Brun* prædicti, ab ipso Domino nostro Rege in certa pecuniæ summa tenuimus in pignore) Nobis *Friderico*, *& Ottoni de Donin Burggravio*, *& Henrico de Brun*, & hæredibus nostris in exsolutione dictæ quantitatis pecuniæ, & principaliter, ac præcipuè ob perpetua nostra servitia, ut præmittitur ipsi Domino Regi exhibenda, de sua benignitate & gratiâ dedit, concessit, in feudum perpetuum, contulit, & donavit, per nos & hæredes nostros, ab ipso *Domino Rege suisque hæredibus & successoribus Bohemiæ Regibus*, tenenda, habenda, recipienda, & hæreditariè possidenda, perpetuo Jure, ac titulo feudali. Nos itaque eidem benevolentiæ gratuitæ occurrere disponentes, recognoscimus nostro & hæredum nostrorum nomine præfatum Castrum Donin à præfato Domino Rege recepisse, & habere in feudum, præstito sibi, & hæredibus suis debitæ fidelitatis & homagii Sacramento promittentes, ac volentes, quòd dictum Castrum Donin cum universis suis Juribus, *Dominio & pertinentiis ad Regnum Boëmiæ seu Coronam Regni* & nusquam alibi perpetuis debeat temporibus pertinere. Et quòd nos *Fridericus & Otto* Donin, & *Henricus* Dapifer supradicti nostríque *hæredes dicto Domino Regi*, *& suis hæredibus & successoribus* de eodem Castro debita servitia facere & exhibere tenebimur. Volumus etiam & expresè nos adstringimus, quod sæpe dictum Castrum Domino Regi, & præfatis suis hæredibus & successoribus, pro quibuscunque necessitatibus eorum, Castrum Domino Regi & opportunitatibus, tempore Querræ, vel pacis, aut alias qualitercunque, quotiescunque, & quandocunque præfato Domino Regi suis hæredibus, & successoribus placuerit, & expedire videbitur, & contra omnem hominem,

Castrum Donin non subjacet Capitaneis Districtuum Boh.

vel personam cujuscunque statûs, conditionis, dignitatis, vel præeminentiæ extiterit, nemine penitùs excepto, apertum seu manifestum esse debeat, licere vel patere & quanquam ipsum Castrum perpetuò ad prædictum *Regnum Bohemiæ* pertinere debeat, nihilominus Juri Bohemicali, videlicet Poo prawczuw seu Judâ cum dicto Castro subesse non debemus, nec aliqualiter subjacere, sed his Juribus gaudere volumus, quibus alia Castra feudalia gaudent & fruuntur, quæ ab ipso Domino Rege in feudum dependent, & quæ per veros Vasallos, puta terræ nostræ *Glacenses* possidentur, & tenentur. In cujus rei testimonium sigilla nostra unà cum sigillis *Illustrium Principum, Domini Rudolphi Ducis Saxoniæ, & Domini Bolezlai Ducis Silesiæ Domini Lignicensis, & Bregensis, ac Nobilis Viri Domini Ottonis* de Wytrin præsentibus sunt appensa. Et nos *Rudolphus DEI Gratiâ Dux Saxoniæ, & Boleslaus* eadem gratiâ *Dux Silesiæ, & Dominus Lignicensis & Bregensis*, nec non *Otto de Wytrin* supradicti ad ampliorem evidentiam & certitudinem præmissorum rogati per *Fridericum Ottonem Burggravios de Donin, & Henricum Dapiferum de Brun*, memoratis: sigilla nostra præsentibus literis fecimus applicari. Actum & Datum *Pragæ*, in Vigilia Nativitatis Mariæ Virginis gloriosæ, Anno M. CCCXLI.

1341 r.

Finis Voluminis primi Literarum Publicarum seu Miscellaneorum Decad:I. L.VIII.



INDEX

INDEX LITERARUM PUBLICARUM.

Quæ continentur in Volum. I.

Literæ Gregorii Papæ VII. *ad* Wratislaum Boh: Ducem, *quibus commendat ejus in Apostolicam sedem observantiam; & confirmat privilegium gestandi infulam Episcopalem, quam Boh: Ducibus novo exemplo concesserat gestandam* Alexander II. Pontifex; *ob Ducum Boh: Zelum proferendæ Religionis Christianæ.* Epist. I. — pag.1.

Literæ Gregorii VII. Is Pontifex Boh: *genti ad Christum conversæ scribens, hortatur, ut se Christiano nomine dignos præstent.* Epist. II. — pag.2.

Gregorii VII. *Apostolicæ literæ ad* Wratislaum *Ducem Boh: commendat* Fridericum *ejus Nepotem.* Epist. III. — pag.2.&3.

Quòd Duces Boh: in certis Festivitatibus circulum aureum in Capite gestare, & censem de terra Poloniæ *percipere possunt.* Epist. IV. Friderici I. *Imperatoris.* — pag.4.

Literæ Innocentii III. *Papæ ad Proceres Boh: quibus gratulatur de Victoria adversùs* Philippum *Sveviæ Ducem pro* Ottone *Imperatore Rom. designato.* Epist. V. — pag.5.

Literæ Ottogari *promittentis cum Juramento assistere* Ottoni *designato Imperatori, cui tum* Innocentius III. *studebat.* Epist. VI. — pag.6.

Liiera Innocentii *Papæ* III. *quibus* Przemislaum Ottogarum, *licet ab hoste Apostolicæ sedis Philippo Cæsare designatum, nominatum, ejúsque authoritate coronatum, agnoscit pro* Rege *Boh.* Epist. VII. — pag.6.

Friderici II. *Romanorum Imperatoris literæ sub Aureâ Bulla, quibus* Ottogarum *in Boh:* Regem *confirmat, & concedit, ut omnibus exactionibus pecuniarum, & Justitiæ Curiæ Imperialis* Regnum *Boh. in perpetuum liberum sit.* Epist. VIII. — pag.7.

Fridericus II. *confirmat* Electionem Wenceslai I. Regis Boh: Epist. IX. — pag.8.

Investitura Wenceslai I. *super* Regno Boh. *confirmatur.* An:1231. Epist. X. — pag.9.

Ottocari & Wenceslai Boh: Regum *attestatio, quòd* Reges Boh: *debent consecrari & coronari ab* ArchiEpiscopo Moguntino, Regni Metropolitano. An:1228. Epist. XI. — pag.10.

Alexander IV. Papa ad Regem Ottogarum. *Gratulatur quòd assumtâ Cruce, adversus Barbaros cum Exercitu perrexit*, & Wathlandiam, Ingriam & Careliam *perdomuit, Christóque adjunxit.* Epist. XII. — pag.10.

Narratio Cœlestis Victoriæ de Ungaris &c. ab Ottogaro II. Rege Boh: *partæ.* Ep. XIII. — pag.11.

Investitura Regis Ottocari *super* Boh. Morav. Austr. & Stiriam. Ep. XIV. — pag.12.

Ulricus II. Dux Carinthiæ &c: Ottogarum Regem Boh: *omnium Provinciarum suarum hæredem constituit.* Epist. XV. — pag.13.

Urbanus IV. Ottogaro Boh. Regi *scribens, laudat ejus fidei Zelum, & hortatur ad Crucem iteratò sumendam, eidémque quidquid sibi terrarum apud Ruthenos & Lithuanos subjugârit, Apostolicâ authoritate attribuit.* Ep. XVI. — pag.14.

*Pag.*16. Clemens Ottogaro Regi *Crucem adversùs Barbaros assumenti donat occupandas Regiones Barbarorum, & præficiendi Principem quem velit.* Ep.XVII.

*pag.*17. *Fœderis leges post bellum maximum inter* Ottogarum Boh: & Stephanum Ungariæ Reges. Epist.XVIII.

*pag.*21. *Investitura* Regis Ottocari *super* Regno Boh. & Marchionatu Morav: *cum suis attinentiis.* an:1276. Epist.XIX.

*pag.*22. *De Oblationibus vi extortis.* Epist.XX.

*pag.*23. *De Voce in* Electione Roman: Reg: & Archipincernarum in Imperio Regum Bohemiæ. Epist.XXI.

*pag.*24. Rudolphus I. Imperator *confirmat* Regi Boh: *Privilegium Pincernatûs, & Electoriæ dignitatis*, an:1290. *iterato.* Epist.XXII.

*pag.*25. *Infeudatio & investitura* Regis Boh: per Adolphum. an:1292. Ep.XXIII.

*pag.*25. *Investitura per interpositam personam super omnibus feudis* Regis Boh. an. 1292. Epist. eadem.

*pag.*26. Alberti Roman: Regis *Literæ, quibus fatetur* Reges Boh: *in solenni* Curia Imperiali *rogatos existentes, si* Imperatores vel Reges Roman: Coronam *gestaverint, & eos quoque gestare posse.* Epist.XXIV.

*pag.*26. *Generalis Confirmatio omnium* Privilegior: & Jur. Regis Wenceslai. an,1305. Epist.XXV.

*pag.*27. Alberti Imper. Aug. *Decretum de Absolutione* Regis Boh. à Banno Imperiali. an.1305. Epist.XXVI.

*pag.*28. *Homagium Civitatis in Gurzim* Henrico Reg. Boh. & Annæ ejus Uxori *præstitum.* Epist.XXVII.

*pag.*29. Joannes XXII. Papa *testatur hisce literis, se nunquam cogitâsse de mutandis* Electoribus, & Statu Romano-Germanici Imperii. Ep.XXVIII.

*pag.*30. *Renunciatio* Successionis Moraviæ, *facta per* Leopoldum Ducem Austriæ an. 1324. Ep.XXIX.

*pag.*31. Joannes XII. Papa *commendat* in Joanne Rege Boh *propositum expeditionis adversùs Barbaros suscipiendæ.* Epist.XXX.

*pag.*32. Liga, *& promissio inter* Carolum Regem Hungar. & Carolum March. Morav. *quòd si* Rex Casimirus Poloniæ *decederet*, Rex Hungariæ Regnum *ipsius obtinebit cum subsidio prædicti* Marchionis &c. Anno Domini 1338. Epist.XXXI.

*pag.*34. *Recognitio Generalis & renunciatio* Casimiri Regis Poloniæ, *quòd nullum jus habeat, nec sibi competat perpetuò* in Ducatibus Silesiæ & Poloniæ, *qui hic exprimuntur.* an.1339. Epist.XXXII.

*pag.*35. Liga Regis Poloniæ Casimiri, *quòd nullum Matrimonium velit contrahere absque licentia* Caroli March. Morav. an.1341. Epist.XXXIII.

*pag.*36. Privilegium Ducum Bregensiuu & Lignicensium à Rege Boh. an.1343. Epist. XXXIV.

*pag.*37. Caroli IV. Cæs. *Confirmatio literarum* Rudolphi I. Cæs. *quibus cedit omnibus* Feudis Imperii, *quæ posset habere in ditionibus* Ducis Wratislaviensis, & *illa Feuda confert* Reg. Boh. Epist.XXXV.

*pag.*38. Caroli IV. *Confirmatio* Privilegii Friderici I. *De Immunitate, Exemptione & Electione* Regum & Incolarum Bohemiæ. an:1348. Epist.XXXVI.

*pag.*40. *Confirmatio Generalis* Feudorum, Jurium, Libertatum & Privilegiorum Regni Boh. Anno 1348. Epist.XXXVII.

*pag.*42. Caroli IV. Imp. *Confirmatio investituræ* Richardi Cæsaris *super* Reg. Boh. & Ducatu Austriæ. an.1348. Epist.XXXVIII.

Gratu-

Gratulatoriæ Literæ Clementis VI. Papæ, *de Victoria adversùs* Comitem Guntherum de Schvvartzburg Carolo IV. Epist.XXXIX. *pag.*43.

Clemens *Pontifex gratias agit* Carolo IV. *de intercepto* Nicolao Laurentio, Romano; *postulatque, ut vinctus* Romam *mittatur.* Epist.XL. *pag.*44.

Ludovicus Rex Hungariæ *renunciat omni Juri sibi competenti in* Ducatu Svvidnicensi. an.1353. Epist.XLI. *pag.*44.

Ludovicus Rex Hungariæ dat Regi Boh. Oppida Beuten, & Creutzburg cum Vasallis, *& districtibus: & è converso* Rex Bohemiæ dat Regi Hungar. Ducatus Plotzen, *& etiam* Mazoviæ; & Rex Hung. *quitat omnia debita, quæ* Dux Svvidnicensis Regi Poloniæ *quomodolibet teneatur.* an.1353. Epist.XLII. *pag.*45.

Renunciatio Jurium super Terris Bavariæ. an.1353. Epist.XLIII. *pag.*46.

Innocentii VI. *literæ gratulantis* Carolo IV. *de fausto adventu in* Italiam *& excusantis, quòd ipsemet ad coronandum venire non posset, eam* Provinciam *Legatis suis demandatum iri.* an.1354. Epist.XLIV. *pag.*48.

Carolus IV. Imper. *cùm promisisset se ultro adventurum cum Exercitu, ut recuperaret & restitueret* Papæ *Pontificias ditiones, hâc Epistola eidem* Carolo *Pontifex egit gratias.* Epist.XLV. *pag.*50.

De revocatione novorum Statutorum & Jurium Regni Bohemiæ per Carolum Romanorum Imperatorem & Reg. Boh. Epist.XLVI. *pag.*50.

Attestatio Joannis Marchionis Moraviæ *de Abrogatione* Codicis Carolini Boh. an.1355. Epist.XLVII. *pag.*51.

Fœdus Regis Franciæ cum Rege Boh. *perpetuò.* Epist.XLVIII. *pag.*53.

Caroli IV. Imper. August. *Constitutio de Incorporatione* Ducatuum Poloniæ & Silesiæ & Marchionatûs Lusatiæ, *quòd perpetuò* Reg. Boh. *sint indivisibiliter comiti, uti & terra* Glacensis. an.1355. Epist.XLIX. *pag.*55.

Confirmatio Feudorum Imperial. in Bavaria Regi Boh. *factorum.* an.1355. Epist. L. *pag.*58.

ArchiEpiscopus Moguntinensis, *tanquam* Princeps Elector, *confirmat incorporationem* Bavariæ cum Regno Boh. an.1355. Epist.LI. *pag.*59.

Gerlacus ArchiEpiscopus Moguntinensis, *tanquam* Princeps Elector, *confirmat incorporationem & declarationem* Domini Caroli Imper. *factam super* Ducatibus Poloniæ & Silesiæ, & Marchionatu *utriusque* Lusatiæ. an. 1355. Epist.LII. *pag.*60.

Confirmatio Statuti Caroli.Imper. *quòd nullæ Personæ extra* Regnum Boh. *possint citari; & quòd* Rex *tenere debeat aurifodinas, & alterius Monetæ.* anno 1356. Epist.LIII. *pag.*64.

Dominorum de Rosis literæ, subjicientium sese integraliter Carolo IV. *tanquam* Boh. Regi. an.1356. Ep.LIV. *pag.*66.

Renunciatio Jurium terræ Svvidnicensis. an.1356. Epist.LV. *pag.*67.

Casimirus Rex Poloniæ *donat* Oppida Bythen & Creucenburg pro Ducatu Plocensi: *& quitat omnia debita* Ducis Svvidnicensis. an.1356. Epist. LVI. *pag.*68.

Gerlaci ArchiEpiscopi Moguntinensis Electoris Imperii, *literæ de Jure & Voce* Bohemiæ Regis *& quòd* Boh. Reges ad Electionem Imperatoris *debent solenniter vocari, & quòd possint vel personaliter, vel per Oratores suos interesse* Electioni. an.1356. Epist.LVII. *pag.*69.

Ruperti I. Comitis Palatini Rheni & Ducis Bavariæ S. Rom. Imperii Electoris, *Diploma de Jure* Electoratûs in Romano Imperio, Reg. Boh. *competente.* an.1356. Epist.LVIII. *pag.*70.

*pag.*72. *Fœdus perpetuum inter* Reges Franciæ, & Reges Bohemiæ, an. 1356. Epist. LIX.

*pag.*73. *Privilegium Dominorum* de Stadicz in Bohemia. an.1359. Epist.LX.

*pag.*75. *Quibus conditionibus Civitates* Dotalitiæ Reginis Boëmiæ *concedantur.* an.1363. Epist.LXI.

*pag.*77. Rudolphi Ducis Austriæ *renunciatio successionis* Boëmicæ. an. 1360. *Vivente* Carolo IV. Epist.LXII.

*pag.*79. *De Moneta* Bohemiæ Caroli IV. an.1378. Epist.LXIII.

*pag.*80. Sigismundi Hungariæ Regis *literæ, quibus cedit Juri suo quoad successionem in* Regnum Boëmiæ Joanni Duci Görlicensi & Marchioni Lusatiæ *Fratri suo, atque in his literis mentio quoque fit de successione in* Regnum Filiorum Regum Boh. an.1388. Epist.LXIV.

*pag.*82. *Creatio Justitiariorum seu Poprawczonum in Districtibus* Bohemiæ. an.1402. Epist.LXV.

*pag.*83. *Literæ Magistri Civium & communitatis Consulum* Urbis Zacensis, *quibus se obligant* Wenceslao Regi Boh. *quòd ei ad tempus vitæ suæ adhærere, & ipsum rebus & corporibus suis juvare usque ad effusionem sanguinis velint.* an.1405. Epist.LXVI.

*pag.*84. Sigismundi Imperatoris *literæ ad Concilium Basiliense. De gratiis Deo agendis pro Victoria* Bohemorum *adversus Taboritas.* an.1434. Epist.LXVII.

*pag.*84. *Formula Pactionum* Imperatoris Sigismundi cum Bohemis. an. 1430. Epist. LXVIII.

*pag.*86. *Copia Mandati ad subditos* Regni Boh. & Marchionatûs Moraviæ *pro pace servanda.* an.1436. Epist.LXIX.

*pag.*87. *Salvus Conductus datus* à Cæsare Friderico Boh. ut Comitia Viennæ *celebrare possint.* an.1447. Epist.LXX.

*pag.*89. *Juramentum* Regis Ladislai *in limitibus* Regni *præstitum.* an. 1453. Epist. LXXI.

*pag.*89. *Confœderatio* Friderici III. Imperatoris cum Georgio Rege Boh. an.1459. Epist.LXXII.

*pag.*90. Friderici III. Romanorum Imperatoris *Literæ ad supplicationem humilem* Georgii Boh. Regis, *quibus confirmat omnia, & singula* Regum & Reg. Boh. Privilegia. an.1459. Epist.LXXIII.

*pag.*92. *De diminutione Jurium* Reg. Boh. Romanor. *Reg. præstandorum, & ubi Regalia suscipere debeant,* ac Feuda, Friderici III. Romanor. Imper. Aurea Bulla. an.1462. Epist.LXXIV.

*pag.*93. *Renovatio Confœderationis cum* Rege Franciæ. an.1464. Epist.LXXV.

*pag.*96. *Concordia* Regum Hung. & Boh. *inter* Vladislaum *scilicet* Bohemiæ, & Matthiam Hungariæ. an.1478. Epist.LXXVI.

*pag.*97. *De Jure Electoratus in* Rom. Imper. *Reg.* Boh. *competente,* Rudolphi & Caroli Roman: Regum, & Ruperti Palatini Senioris *Attestationes.* an.1484. Epist.*LXXVII.*

*pag.*100. *Contractus Matrimoniorum Regalium inter Serenissimum quondam* Ludovicum Ungariæ Regem & Mariam Regis Hispaniarum *filiam: nec non Sereniss:* Ferdinandum, *tunc* ArchiDucem Austriæ & Annam Ladislai Regis Ungariæ & Boëmiæ *filiam, medio* Maximiliano Imperatore, *factus.* an. 1515. Epist.*LXXVIII.*

*pag.*105. *Quomodo* Sigismundus Rex Polon. *unâ cum* Divo Maximiliano Rom. Imper. à duobus Statibus Reg. Boh. Statu Baronum & Statu Militar. *in Tutorem & Protectorem* Regis Ludovici & Regni *illius fuerunt recepti.* an.1517. Ep.*LXXIX.* Ferdi-

Ferdinandi Romanorum Hungariæ, & Boh. Regis *aliæ literæ, quibus promittit, si aliqui contra* Provincias Regno Boh. *Hæreditariè adjunctas, aliquid vi aliquâ velint attentare, quòd eos deserere non debet.* an.1526. *Ep. LXXX.* *pag.*106.

Ferdinandi I. *De conservatione Compactatorum* Bohemicorum. an.1526. Epist. *LXXXI.* *pag.*107.

Imperatoris Ferdinandi Aug. Aurea Bulla de Societate JESU. Anno Domini 1561. *Epist.LXXXII.* *pag.*108.

Oratio à Legatis Ordinum Regni Bohemiæ *habita* Warsaviæ *in Conventu* Regni Poloniæ *pro* Ernesto Bohemiæ Principe in Regem Poloniæ *assumendo.* an.1573. *Epist.LXXXIII.* *pag.*109.

Responsum omnium Statuum & Ordinum Regni Poloniæ *atque Magni* Ducatûs Lithuaniæ *ad Legationem Sacratiss: & Invictiss:* Cæsareæ Catholicæ Majestatis *per Illustres ac Magnificos Dominos* Wilhelmum à Rosenberg, *Rectorem Domûs* Rosenbergicæ, *Burggravium*, & Wratislaum *Dominum* à Pernstein, in Tovvatschavv, Prostnicz & Leythomyschel &c. *Militem Ordinis aurei Velleris, Cancellarium* Regni Boëmiæ: *supremos* Sacræ Cæs: Majest: *Consiliarios & Oratores ad eosdem Ordines missos sub* Warsavia *in Comitiis generalibus Electionis novi* Regis. Dat. 21. Aprilis. Anno Domini 1573. *Epist.LXXXIV.* *pag.*113.

ArchiDucum Austriæ *Confœderatio.* an.1606. *Epist.LXXXV.* *pag.*114.

De Electione Matthiæ Imp. ArchiDucum *confœderatio.* an.1606. *Ep.LXXXVI.* *pag.*115.

Literæ Rudolphi II. *datæ Ordd:* Bohemiæ *pro Serenissimo fratre suo* ArchiDuce Matthia. an.1608. *Epist.LXXXVII.* *pag.*116.

Reversales literæ ArchiDucis Matthiæ *datæ Ordd:* Bohemiæ. an.1608. *Epist. LXXXVIII.* *pag.*118.

Rudolphi II. Imper. Augusti. *Edictum de pace religionis concessa* Bohemis *& conjunctarum* Provinciarum Incolis, Silesiis, Moravis, Lusatiis &c. Anno 1609. *Epist.LXXXIX.* *pag.*120.

Literæ reversales Matthiæ *ante ingressum in* Boh. an.1611. *Epist.*xc. *pag.*122.

Imperatoris Matthiæ. *Literæ reversales ante suam Coronationem.* an.1611. *Ep.* xci. *pag.*123.

Matthiæ Regis *reversales, & Obligatio universalis quoad Religionem & Privilegia post Coronationem Ordinibus datæ.* an.1611. *Epist.*xcii. *pag.*125.

Ferdinandi ArchiDucis Austriæ *Pactum cum* Rege Hispan. *de successione* Hungariæ, & Boh. an.1617. *Ep.*xciii. *pag.*126.

Reversales literæ cum renuntiatione prætensæ successionis hæreditariæ in Regnis Ungariæ, & Bohemiæ *conscriptæ, & datæ per Oratorem* Regis Hispaniæ. an. 1617. *Epist.*xciv. *pag.*130.

Ratificatio Cæsaris Matthiæ *factæ transactionis cum* Rege Hispaniæ. an.1617. *Epist.*xcv. *pag.*132.

Matthiæ Imperatoris *Confirmatio transactionis* Hispanicæ. anno.1617. *Epist.* xcvi. *pag.*134.

Decretum Ferdinandi II. *adversùs hæreticos in* Boh. *ut vel* Catholicam fidem & Religionem *amplectantur, vel* Regno *cedant intra sex menses.* an.1627. *Epist.*xcvii. *pag.*135.

Restitutio Privilegiorum Regni Boh. *exceptis literis Majestatis pro Vtraquistis datis; confirmatio eorum, quæ concessa sunt* Statui Dominorum à Wenceslao Rege. an.1502. *& sine Comitiis & Ordinum consensu nihil se & successores suos ex* Austriaca Domo *exacturos &c.* an.1627. *Ep.*xcviii. *pag.*138.

Eadem

*pag.*140. *Eædem literæ, quæ modò* Bohemicè *recitatæ sunt, recitantur* Germanicè. anno 1627. *Epist.*XCIX.

*pag.*143. *Constitutio* Regia *de novis* Baronibus & Equitibus *in Ordines* Bohemiæ *cooptatis, quid præstare priùs debeant* Regi, *deque eorum inter Ordines sessione.* anno 1629. *Epist.*C.

*pag.*146. *Nonnulla vetusta Feuda in* Regno Boh. *Permutatio* Oppidi Kostelecz pro Welisch & Giczin. an.1358. *Epist.*CI.

*pag.*148. *Renunciatio* Oppidi Koczen & Villis ad Castrum Liticz *spectantibus & ipso* Castro. an.1319. *Ep.*CII.

*pag.*149. *Feudum* Pesconis de Sirzekow. an.1319. *Epist.*CIII.

*pag.*149. *Feudum* Friderici de Fünffhunden. an.1361. *Epist.*CIV.

*pag.*150. *Feudum* Friczkonis de Egerberg. an.1332. *Ep.*CV.

*pag.*151. *Feudum* in Kostomlat Plichtæ de Zierotin. an.1379. *Epist.*CVI.

*pag.*151. *Feudum in* Berg auf der Ganß. *Dominorum* in Janovvicz. an.1341. *Epist.* CVII.

*pag.*151. *Feudum in* Podébrad. Hinconis de Sleven. an.1341. *Epist.*CVIII.

*pag.*152. *Feudum in* Birsenstein. Alberti, Friderici & Ditrici Fratrum de Schönburg. an.1352. *Ep.*CIX.

*pag.*153. *Feudum in* Hohenstein. Hinconis de Dube *dicti* Berka. an.1353. *Ep.*CX.

*pag.*154. *Feudum in* Kostelecz. Jesconis de Nachod. an.1358. *Epist.*CXI.

*pag.*155. *Feudum in* Gratzen *seu* Nowyhrady. Petri, Jodoci, Ulrici & Joannis Fratrum Germanorum de Rosenberg. an.1362. *Ep.*CXII.

*pag.*156. *Feudum in* Freudenberg und Fridland. Hersconis de Rozdialovvicz. an.1356. *Epist.*CXIII.

*pag.*156. *Feudum in* Sternberg. Alberti de Sternberg. an.1377. *Epist.*CXIV.

*pag.*158. *Feudum in* Fridland. Rulconis de Biberstein. an.1312. *Epist.*CXV.

*pag.*158. Henrici de Kamnik *infeudatio* Regno Boh. *munitionis* Kamnik *& aliorum bonorum.* an.1319. *Epist.*CXVI.

*pag.*159. Joannis de Michelsberg, *concessio Villarum*, Tuchlovvicz & Zerbi Wenceslao *Domino & Hæredi* Regni Boëmiæ *suisque hæredibus.* an.1283. *Ep.*CXVII.

*pag.*160. *Feudum in* Weleschin, Ratei, Husez, Petri de Michelsberg. an.1563. *Epist.* CXVIII.

*pag.*161. *Feudum in* Janovvitz. Ratzkonis de Janovvitz. an.1356, Epist.CXIX.

*pag.*161. Joannis *Regis* Bohemiæ Petro Plick *& suis hæredibus ac successoribus* castri Neideck *cum suis pertinentiis in feudum concessis & Judicii Capitis ad eandem Arcem adjunctio.* an.1341. Epist.CXX.

PARS II. EPISTOLARUM PUBLICARUM.
Ad
MARCHIONATUM MORAVIÆ SPECTANTIUM.

*pag.*164. Bulla Aurea Henrico Marchioni Moraviæ *super* Mocram & Mokny *data*. an.1212. Epist.I.

*pag.*165. *Quòd* Episcopatus Olomucensis & Marchionatus Moraviæ, & Ducatus Oppaviæ *sunt hæreditaria fevda* Regum & Coronæ Regni Bohemiæ. an.1348. Epist.II.

*pag.*167. *Collatio* Marchionatûs Moraviæ *tanquam fevdi* Regum, & Coronæ Regni Bohemiæ. an.1355. Epist.III.

Rever-

Reversales Joannis Marchionis Moraviæ. an.1350. Epist.IV. *pag.*172.

Joannis Marchionis Moraviæ *literæ, quibus promittit, si eum per successionem in* Reg. Boh. *coronari contigerit, quòd nihil penitùs ab eo* Regno & Corona *alienabit.* an.1356. Epist.V. *Pag.*172.

Joannis Marchionis Moraviæ *literæ universales, & obligationes* Regno Boh. *factæ.* an.1366. Epist.VI. *pag.*173.

Joannis Marchionis Moraviæ *literæ reversales, & obligationes, præsertim quòd nullum subditum* Regum Boh. *aut bona eorum citra voluntatem ipsorum* Regum *in servitium & defensionem suscipere possit & valeat.* anno 1371. Ep. VII. *pag.*175.

Joannis March. Morav. *literæ, quibus promittit, quòd* Regi Boh: *ad recuperanda ejusdem* Regni Jura *contra quemlibet auxilio sit futurus, & de subditis* Regum *nullo modo se intromittet, aut eos defendet.* anno.1350. Epist. VIII. *pag.*176.

Compromissio Sigismundi Marchionis Brandeburgensis, Jodoci & Procopii Marchionum Moraviæ, & Dominarum Mariæ & Elisabeth Hungariæ Reginarum in Wenceslaum Romanorum & Boh. Reg: *de certis controversiis.* an:1386. Epist.IX. *pag.*177.

Literæ Civitatum Marchionatûs Moraviæ, *quòd literis infeudationis* Joannis Marchionis Moraviæ, *& conditionibus istic expressis satis facere velint, & obligantur. Ubi etiam de decreto successionis* Filiorum Regum Boh: in Regnum, & Marchionatum Moraviæ *mentio fit.* *pag.*179.

§. I. Civitatis Olomucensis.
§. II. Civitatis Brunensis. an.1356.
§. III. Civitatis Iglaviensis. an.1356.

PARS III. EPISTOLARUM PUBLICARUM.
DUCATUS SILESIÆ.

§.I. EPISTOLA I.

CAroli IV. Bulla Aurea, *de incorporatione & invisceratione perpetua* Ducatuum Silesiæ Regno & Coronæ Regni Boh: *tanquam in feudum* à Regibus Bohemiæ & Corona *ejusdem dependentium. Item de terra* Glacensi, & Marchia Budessinensi ac Görlicensi. *pag.*181.

Omnium VI. Imperii Electorum *literæ, quibus consentiunt incorporationi* Ducatuum Silesiæ Coronæ Regni Boh. an.1355. Epist.II. *pag.*181.

In eandem sententiam extant Guilielmi ArchiEpiscopi Colonienſis, & Boëmundi Trevirensis ArchiEpiscopi, Electorum Imperii *literæ.*

In eandem sententiam extant Ludovici dicti Romani Marchionis Brandeburgensis, & Rudolphi Ducis Saxoniæ Imperii Electorum *literæ.*

Literæ Episcoporum Wratislavienſium *& quòd ipsi quoque* Episcopi Wratislavienſes *& Capitulum ejusdem Ecclesiæ immediatè subjaceant* Regibus & Coronæ Regni Boh. *ut eorum veris & naturalibus Dominis, & Patronis.*

Rudolphi I. Romani Regis *literæ, quibus consensit ordinationi, & promissioni* Henrici Ducis Wratislavienſis *cum* Wenceslao Rege Boh. *factæ ratione successionis ejusdem* Regis *in terram,* & Principatum Wratislavienſem *post mortem ipsius* Ducis. an.1290. Ep.III. *pag.*182.

Earundem literarum Rudolphi per Carolum Romanorum Regem *confirmatio & in literis ejus insertio.*
Ejusdem Rudolphi Roman: Regis *literæ, quibus concedit* Wenceslao Regi Boh. *& suis hæredibus* Principatum Wratislaviæ & Sileſiæ *ac omnia feuda vacantia per mortem* Henrici Ducis Wratislavienſis. an:1290. Epiſt.IV. *pag.*183.
Ejusdem Rudolphi Romanorum Regis *Collatio* Ducatûs Wratislavienſis *tanquam actu vacantis* Wenceslao Boh. Regi. an.1290. Epiſt.V. *pag.*184.
Confirmatio & insertio earundem literarum Caroli Roman: Regis aurea Bulla.
Ejusdem Caroli *literæ ſub Majeſtatis ipſius ſigillo per omnia ſimiles.*
Preczlai Epiſcopi Wratislavienſis *literæ de reſignatione* Ducum Sileſiæ, Ducatuum & Dominiorum *ipſorum* Joanni Regi Boh. *in perpetuum feudum*, Regium *ab eodem* Rege & Corona Reg. Boh. *receptione. Item* Civitatis Wratislavienſis *homagii, hæreditarii & perpetui* Regni Joanni & Coronæ Reg. Boh. *exhibitione.* *pag.*185.
Item quòd Rex Boh. *ſit* Patronus *immediatè* Eccleſiæ Wratislavienſis, & Dominiorum *ejusdem* Eccleſiæ, & Epiſcopatûs, *quæ omnia ſponte & liberè in præſentia* Caroli Marchionis Moraviæ *ejusdem* Regis Joannis *primogeniti ſunt facta & declarata.* an.1342. Epiſt.VI. *pag.*185.
Preczlai Epiſcopi & Capituli Eccleſiæ Wratislavienſis *literæ, quòd* Reges Boh. Ducatûs, & Civitatis Wratislavienſis, *& omnium pertinentiarum ejusdem, nec non aliorum* Ducatuum & Dominiorum Sileſiæ *ſint hæreditarii, & ordinarii, & naturales legitimi* Domini, *nec ullo modo* à Regno & Corona Boh. *alienari aut dividi poſſint, & quòd* Rex Bohemiæ ſit Patronus & Dominus Eccleſiæ Wratislavienſis & ad Coronationem *novi* Regis *quòd* Epiſcopus *venire cum præcipuis* Prælatis ex Capitulo *obligetur.* an. 1358. Epiſt.VII. *pag.*187.
Ejusdem Preczlai Epiſcopi, & Capituli Eccleſiæ Wratislavienſis *recognitio, quòd* Civitatis & Ducatûs Wratislavienſis *ſint veri & legitimi* Domini, Reges Bohemiæ. an.1367. Epiſt.VIII. *pag.*189.
Adminiſtratorum Eccleſiæ Wratislavienſis & Capituli *ejusdem* Eccleſiæ *literæ, quomodo* Eccleſia Wratislavienſis *conſiſtat in* Regno Bohemiæ; *& quod* Reges & Corona Regni *ejusdem* Bohemiæ *ſint* Principales Patroni & Domini *eorum, præterea, ut* Coronationi Regis *adeſſe, &* Ducatum Krotkovv *in feudum ſuſcipere debeant, & conceſſio ſeu indultum ipſis* à Rege Wenceslao, *ut poſſint ſummam* Inſulam, *in qua* Cathedralis Wratislavienſis Eccleſia *eſt ſita, muro, turribus, portis, pontibus conſtruere & munire. Et quòd teneantur* Regibus Boh. in monte Sanctæ crucis *caſtrum propriis expenſis extruere.* an.1382. Epiſt.IX. *pag.*190.
Wenceslai Epiſcopi Wratislavienſis *literæ, quibus ſuperiores literas* Adminiſtratorum & Capituli *renovat, & ſe his velle ſatis facere promittit.* an.1383. Epiſt.X. *pag.*192.
Ludovici Hungariæ & Poloniæ &c. Regis & Eliſabethæ *Conſortis ſuæ literæ quibus promittunt ſub Juramento pro ſe & futuris* Regibus Hungariæ & Poloniæ *in perpetuum, quòd nunquam ad* Regnum Boh. & Principatus *ejusdem* Regni Coronæ *velint aſpirare, aut eos ſibi quocunque modo vendicare, & præcipuè* Ducatum Wratislaviæ, *& alios* Ducatus, *ac terras in literis eorum contentas &c. nec quemquam ex ſubditis* Regum Boh. *ad protectionem, & ſubjectionem recipere.* an.1372. Ep.XI. *pag.*193.
Alberti Regis Romanorum *literæ, quibus concedit* Wenceslao Regi Boh *poteſtatem ſubjugandi terras* VVladislai Ducis majoris Polon. an.1300. Ep.XII. *pag.*195.
Epiſco-

Epiſcopi & Capituli Wratislavienſis *Eccleſiæ literæ de receptione in feudum* Oppidi Grotkovv *cum pertinentiis ejusdem* à Joanne Rege Bohemiæ. anno 1385. Epiſt.XIII. *pag.*195.
Epiſcopi & Capituli Wratislavienſis *literæ de receptione* Oppidi Grotkovv, *& pertinentiis ejus à* Carolo Rege Boh. *& ejusdem* Regni Corona, *& quòd ad* Coronationem Regis *venire, & ibidem de* Oppido Grotkovv *feudum ſuſcipere teneantur.* an.1344. Epiſt.XIV. *pag.*197.
Capituli Wratislavienſis *Eccleſiæ literæ, quibus recognoſcunt & profitentur de receptione feudi ſuper* Oppidi Krotkovv à Joanne Rege Boh: & Carolo ejus filio. *Item de literis* Regi Joanni *ſuper ea re datis, & de homagio* Ducum Sileſiæ *& Nobilium* terræ & Civitatis VVratislavienſis, Regibus Boh. *perpetuò præſtito, quarum Datum* VVratislaviæ, *in Capitulo, 8. Calendas Octobr.* Anno Domini 1355. Epiſt.XV. *pag.*197.
Civitatis VVratislavienſis *homagium* Principi VVenceslao Primogenito Caroli *& ex mandato* Patris *præſtitum, ubi etiam mentio fit de ſucceſſione legitima* filiorum Regum Boh. an.1371. Epiſt.XVI. *pag.*198.
Civitatis Niſſenſis *ex mandato* Preczlai Epiſcopi VVratislavienſis, *& conſenſu Capituli ejusdem literæ, ut ſe erga* Reges Boh: *obſervare teneantur.* anno 1351. Epiſt.XVII. *pag.*199.
Conſulum Civitatis Grotkovienſis *literæ quibus promittunt, quòd neminem* Reg. Bohemiæ & Coronæ Regni *ejusdem adverſantem in* Civitatem *ſuam recipient, & quòd contra* Reges Boh. *& eorum ſubditos nullum præbebunt in perpetuum auxilium aut favorem.* an.1383. Epiſt.XVIII. *pag.*200.
Certorum Ducum Sileſiæ *literæ, quibus fatentur* Regem Boëmiæ & Coronam Regni *ejusdem, eſſe* Dominos *eorum & aliorum* Ducum Sileſiæ, *& plenum Jus in eos habere, & devolutiones* Ducatuum *ipſorum* Ducum, Regum & Regni Boh. *exiſtere.* an.1355. Epiſt.XIX. *pag.*201.

§. III.

Boleslai Ducis Sileſiæ Lignicenſis & Bregenſis *literæ, quibus fatetur: quòd ex indulto* Joannis Regis Boh. *poſſit pignori aliqua bona ſua dare, dummodo eas devolvendi poteſtas ipſius hæredibus, aut* Regibus Boh. *reſervetur.* an. 1341. Epiſt.XX. *pag.*202.
Ejusdem Boleslai *literæ, quòd ex mandato vivæ vocis* Joannis Regis Boh. Carolo *primogenito filio ſuo promiſit pro ſe & hæredibus ſuis homagium præſtare, ut naturali Domino &c.* an.1341. Epiſt.XXI. *pag.*203.
Ludovici Ducis Lignicenſis *conſtitutio & ordinatio* Wenceslai fratris *ſui, ut nomine ipſius* à Carolo Joannis Boh. Regis *primogenito feudum ſuſcipiat.* an: 1342. Epiſt.XXII. *pag.*204.
Wenceslai, & Ludovici fratrum Ducum Lignicenſium *Literæ, quibus profitentur ſe eſſe* Vaſallos Regum & Regni Boëmiæ, *& quòd* Carolo, Joannis Regis Boh. *Primogenito, tanquam Primogenito, teneantur obedire, & ad ipſum reſpectum habere &c.* an.1343. Epiſt.XXIII. *pag.*205.
Ludovici Ducis Lignicenſis *literæ, quibus recognoſcit de diviſione inter ipſum, &* Wenceslaum fratrem *ejus factâ, ratione* Dominiorum *ipſorum, & quòd* Civitatem Lignicenſem *cum pertinentiis* à Rege Joanne *in feudum ſuſceperint.* an.1345. Epiſt.XXIV. *pag.*206.
VVenceslai Ducis Lignicenſis *literæ quibus promittit* Carolo Regi Boh. *pro ſe, & hæredibus ſuis, quòd* Civitatem Lignitz *cum ſuis pertinentiis nunquam vendet, aut alienabit &c.* an.1362. *pag.*206.

Sigiſmundi Romanorum Regis, & Alberti Ducis Auſtriæ *literæ, Vidimus literarum* Boleslai, VVenceslai, Ludovici Ducum Lignicenſium, *quibus ſubmittunt, & reſignant* Ducatus & Dominia ſua Joanni Boëmiæ Regi, & Boh: Regno, *quæ viciſſim ab eodem* Rege *in feudum perpetuum ſuſceperunt. Item quòd non exiſtentibus eorum hæredibus*, hi Ducatus ad Reges Boh. *debent devolvi, & quòd nihil ab his* Ducatibus *poſſit vendi, niſi illud primùm* Reg. Boh. *denuntietur, &c. & aliarum binarum literarum vidimus, quæ in his literis non ſunt ex originalibus annotatæ, & inſcriptæ.* an.1426. Epiſt.XXVI. *pag.207.*

Henrici Ducis Glogoviæ & Domini Saganenſis *ejusdem* Ducatûs *ſuſceptio* à Joanne Rege Boh: *& ejusdem* Regni Corona *in feudum.* an.1329. Epiſt. XXVII. *pag.211.*

Joannis Ducis Stinaviæ *reſignatio Jurium ſuorum* Joanni Reg. Boh: & Territorio Glogovienſi &c. an.1331. Epiſt.XXVIII. *pag.213.*

Quomodo Bolkoni Duci Sileſiæ *media* Glogovia *fuerit conceſſa.* an.1361. Epiſt. XXIX.

Kazimiri Ducis Oppolienſis Domini in Bithum Wenceslao Regi Bohemiæ & *ejusdem* Regni Coronæ *homagium præſtitum.* an.1289. Epiſt.XXX. *pag.214.*

Homagium Bolkonis Ducis Oppolienſis. an.1326. Epiſt.XXXI. *pag.217.*

Boleslai Ducis Oppolienſis *homagiales* Joanni Regi Bohemiæ *datæ.* an.1327. Epiſt.XXXII. *pag.218.*

Homagium Bolkonis Ducis Münſterbergenſis Joanni Regi Bohemiæ & Coronæ *ejusdem* Regni *ex voluntate ſubditorum ipſius* Ducatûs *factum* & *quòd* Ducibus, *atque liberis maſculinis decedentibus* Reges & Regnum Boh. in Ducatum *ſuccedant, & ſi liberi* Ducum *exſtantes legitimam ætatem non haberent, quòd* Reges Bohemiæ *debeant eſſe eorum tutores, & curatores &c.* an.1336. Epiſt.XXXIII. *pag.218.*

Ejusdem Bolkonis Ducis Münſterbergenſis *obligatio, titulo pignoris* Civitatis Franckenſtein Joanni *Regi* Boh. *& ſucceſſoribus* Boh. *Regibus* &c. *Etſi ipſe* Dux Bolko *abſque hæredibus maſculinis deceſſerit, quòd dicta* Civitas, *& aliæ* Civitates *terræ & bona omnia ſua ad* Reges Boh: *ut ad veros legitimos Dominos debeant devolvi.* an.1337 Epiſt.XXXIV. *pag.220.*

Idem Bolko Dux Münſterbergenſis *dat* Joanni Boh: *Regi, & ſuis ſucceſſoribus plenam poteſtatem exolvendi* Caſtri & Civitatis Reichenbach *cum pertinentiis ſuis.* an.1337. Epiſt.XXXV. *pag.221.*

Homagium Nicolai Ducis Münſterbergenſis. an.1241. Epiſt.XXXVI. *pag.222.*

Civitatis Franckenſtein & Vaſallorum *ejusdem diſtrictûs homagium, & quomodo decedentibus eorum* Dominis Maſculis ad *Reges* & Coronæ Regni Boh. *ſint devoluti.* an. 1343. Epiſt.XXXVII. *pag.223.*

Nicolai Ducis Münſterbergenſis *venditio hæreditaria* Civitatis Franckenſtein *cum pertinentiis & diſtrictu* Monaſterii Kamentz Carolo *Regi* Boh. *ſuisque ſucceſſoribus, & ejusdem Regni* Boh. Coronæ. anno 1351. Epiſt. XXXVIII. *pag.223.*

Monaſterii Hendrichow obligatio Reg. Boëmiæ an.1343. Epiſt.XXXIX. *pag.225.*

Homagium Conradi Ducis Olſnicenſis, *& quibus* Coronæ, & Reg. Boh. is Ducatus *obligetur.* an.1329. Epiſt.XL. *pag.226.*

Joannis *Regis* Boh. *Conrado* Duci Olſnicenſi *indultum, ut decedente prole maſculinâ, filia ejus* Hedvvigis, *vel legitimi ejus hæredes poſſint in* Ducatum *ſuccedere.* an.1338. Epiſt.XLI. *pag.227.*

Conradi Ducis Olſnicenſis *Venditio* Joanni *Regi* Boh. *hæredibus, ac ſucceſſoribus ſuis*

ſuis, mediæ partis Civitatis Gor, *& terræ ejusdem, & aliorum* Oppidorum. an.1345. *Epiſt.XLII.* *pag.227.*

Conradi Ducis Olſnicenſis *& ejus filii literæ de apertione* Caſtri Milicz, Regibus *Boh.* an.1358. *Epiſt.XLIII.* *pag.228.*

Homagium Nicolai Ducis Oppav. *& quòd, eo abſque hæredibus Maſculinis decedente, is* Ducatus *immediatè ad* Coronam Regni Bohemiæ *debeat devolvi.* an.1318. Epiſt.XLIV. *pag.229.*

Ejusdem Nicolai Ducis Oppav. *literæ, quòd* Ducatus *ſibi ſubditos & Vaſall. velit permittere, & conſervare in eorum libertatibus.* an.1339. *Epiſt.XLV.* *pag.230.*

Homagium Civitatis Oppav. Joanni Regi Boh. *præſtitum, & quòd eadem* Civitat. *fuit obligata* Ducibus Lignic. *pro octo millibus.* anno.1311. Epiſt. XLVI. *pag.231.*

Ducum Sileſiæ & Lignicenſis *literæ quibus promittunt, ubi eis pecunia obligationis reſtituta fuerit, quod* Civitatem Oppav. *Regi* Bohemiæ *reddent.* an. 1311. *Epiſt.XLVII.* *pag.232.*

Homagium Joannis Ducis Stinav. an.1329. Epiſt.XLVIII. *pag.233.*

Joannis Ducis Stinav. *donatio, & libera reſignatio hæreditariè* Ducat. ſui Stinaviæ *cum pertinentiis univerſis* Joannis Regi *Bohemiæ & ſuis hæredibus ac ſucceſſoribus* Bohemiæ *Regibus.* an.1336. Epiſt.XLIX. *pag.233.*

Joannis Duc. Stinav. *venditio* Civitat. & caſtri Gor, *cum pertinentiis univerſis* Joanni *Regis* Boh. *& ab eodem* Rege *ejusdem* civitat. & caſtri, *unâ cum* civit. Fravenſtatt *in feudum ſuſceptio.* an.1337. Epiſt.L. *pag.237.*

Ejusdem Ducum Stinav. *obligatio nomine pignoris* civitat. & caſtri Gor, Carolo *Reg. Boh.* Marchioni Morav. an.1343. Epiſt.LI. *pag.237.*

Ejusdem Duc. Stinav. *itidem obligatio* civitat. & caſtri Gor, *cum pertinentiis* Domino Bertholdo de Lippa, *Præpoſito* Wiſsehradenſi. an.1341. Epiſt. LII. *pag.238.*

Homagium Wenceslai Ducis Mazoviæ, & Domini Plocenſ. Joanni *Regi* Bohemiæ *& ſuis ſucceſſoribus* Bohemiæ Regibus *factum.* an.1329. *Epiſt.* LIII. *pag.239.*

Sigiſmundi *Romanorum Regis*, & Alberti Duc. Auſtr. *vidimus literarum* Wenceslai Duc. Mazov. *concordiæ, ſubjectionis* Ducatûs ſui Joanni Regi Bohemiæ. an.1329. *Epiſt.LIV.* *pag.240.*

Boleslai Ducis Mazov. & Dom. Plocenſis, *quibus promittit quòd ad mandatum* Regis Joannis, Carolo *ejus primogenito, ſi* Rex *moreretur homagium fidelitatis præſtabit.* an.1341. *Epiſt.LV.* *pag.241.*

Caſimiri Regis Poloniæ *literæ, quomodo* Carolus Imper. *ſibi &* Ludovico *fratri ejus* Regi Hungariæ *& eorum hæredibus & ſucceſſoribus*, Ducatum Plocenſem *donavit, & quòd vice versâ idem* Caſimirus *ipſi* Carolo & Coronæ Regni Bohemiæ *reſtituit* Oppida. Byczin & Crucemburg *cum Vaſallis & pertinentiis, & ab omnibus debitis eundem* Carolum abſolvit. *pag.241.*

Henrici Ducis Glogov. *Homagium* de Ducatu Placent. Carol. *Reg. Boh. ejus hæredibus ac ejusdem* Regni Coronæ *præſtitum.* *Epiſt.LVI.* *pag.242.*

Caſimirus Rex Poloniæ *renunciat eos* Ducatus, Carolo Reg. Bohemiæ *& ejusdem* Regni coronæ. *pag.142.*

Henrici *Ducis* Jaurenſis *literæ, quòd poſt mortem ejus* caſtrum & Oppidum Cant cum Kammerdorff *debeant ad* Carolum Regum *Boh. & ejusdem* Regni coronam *devolvi.* an.1337. *Epiſt.LVII.* *pag.243.*

pag.243. *Ejusdem* Henrici *Ducis literæ, quomodo* Joannes Rex Boh: *ei indulsit*, à Civit. Sittavienſi *exactionem exigere.* an.1337. *Epiſt.*LVIII.

pag.244. Civitatis Jaurenſis *literæ*, de Telonio *eis conceſſo.* an.1364. *Epiſt.*LIX.

pag.244. *Homagium* Wladislai *Ducis* Coslenſis, Joanni *Regi* Bohemiæ, *& ſuis hæredibus ac ſucceſſoribus præſtitum.* an.1317. *Epiſt.*LX.

pag.245. Bolkonis *Ducis* Falkenbergenſis *literæ quibus fatetur, quòd nullum alium* Dominum *habeat, aut hæredes ſive ſucceſſores ſui habere poſſint, præterquam* Reges Boëmiæ, *& ejusdem* Regni Coronam. an.1359. *Epiſt.*LXI.

pag.246. *Homagium* Joannis *Ducis* Oſvvicenſis Joanni *Regi* Boh. *& ſuis hæredibus ac ſucceſſoribus factum.* an.1327. *Epiſt.*LXII.

pag.246. *Homagium* Caſimiri *Ducis* Teſchinenſis Joanni *Regi* Boh. *præſtitum.* an.1327. *Epiſt.*LXIII.

pag.248. *Compromiſſum* Teſchinenſis & Olſnenſis *Ducum arbitros, in quo reſervatur ſuperioritas* Carolo *Regi* Bohemiæ. an.1358. *Epiſt.*LXIV.

PARS IV. EPISTOLARUM PUBLICARUM. *EGRA.*

pag.248. *De obligatione* Civitatis Egrenſis & *ejus* Territorio *Regibus* & coronæ Regni Boëmiæ *literæ* Gerlaci Archiepiſcopi Moguntinenſis Elector. Imperii. an.1353. *Epiſt.*I.

pag.249. Balduini Epiſcopi Trevirenſis. an.1353. *Epiſt.*II.

pag.249. Wilhelmi Archiepiſcopi Colonienſis. an.1353. *Epiſt.*III.

pag.250. *Ruperti Senioris Comitis Palatini Rheni Imperii Electoris* Ducis Bavariæ *literæ.* an.1353. *Epiſt.*IV.

pag.250. *Balduini Trevirenſis Archiepiſcopi Elector Imperii.* an.1335. Epiſt.V.

pag.250. *Caroli* Rom. Imp. *literæ* de Incorporatione *Regni* Bohemiæ, *Caſtrorum* Parkſtein & Karlſvvald, & Oppidi Weyda. an.1340. Epiſt.VI.

pag.253. *Ejusdem Caroli Rom.* Imper. *literæ, quibus præcedentes ſuas literas confirmat.* an. 1361. Epiſt.VII.

pag.255. Gerlaci Archiepiſc. Mogunt. *literæ* de Incorporat. *Regni Boh. Caſtrorum* Parkſtein, Karlſvvaldt, & Oppidi Weyda. an.1361. Epiſt.VIII.

pag.255. *Boëmundi* Archiepiſc. Trevir. de Incorporat. *Regno Boh. Caſtror.* Parkſtein, & Karlsvvaldt, & Oppidi Weyda. an.1360. Ep.IX.

pag.255. Wilhelmi Archiep. Colon. de Incorp. *Caſtror.* Parkſtein, Karlsvvaldt, & Oppidi Weyda *Regno Boh.* an.1361. *Ep.*X.

pag.256. *Rupertus Senior Comes Palat.* & Imper. Archidap. & *Dux* Bavariæ. an.1361. Epiſt.XI. *ſubſcribit.*

pag.256. *Rudolphus Dux* Saxoniæ. an.1361. *Epiſt.*XII. *ſubſcribit.*

pag.256. Ludovicus dictus Roman. Marchio Brandeburgenſis & Luſatiæ. anno.1361. Epiſt.XIII. *ſubſcribit.*

PARS V. EPISTOLARUM PUBLICARUM. *Ad* *LUSATIAM SPECTANTIUM.*

Theodorici Jun. Thuringiæ, Landgr. Orient. & Luſat. Marchionis *venditio* Terræ ſeu Marchiæ Luſatiæ *Burchardo* Archiepiſc. Magdeburg. & *ejus-*

ejusdem Eccleſiæ, ubi diſtinctè continentur limites Marchiæ *præfatæ.* anno 1301. Epiſt.I. pag.259.

Ejusdem Theodor. Landgr. Thuringiæ *in ſimili ferè literæ de eadem venditione* Marchionatûs Luſatiæ. *Burchardo* Archiepiſc. Magdeburg. & *ejusdem Eccleſiæ factæ. quarum Datum* an.1301. Epiſt.II. pag.262.

Emtio Marchionatûs Luſatiæ, & *Dominorum* Milberg, Strel, Verdenheim, *cum ſuis pertinentiis* à Carolo *Rom.* Imp. ut *Rege* Boh. *literæ deſuper* Imperat. an.1378. Epiſt.III. pag.264.

Epiſtola *pluribus* Principum *ſummorum literis conferta*, & *æquivalet pluribus, continetque immunitates ac Privilegia* Cœnobii Cellenſis in Miſnia Ord: Ciſterc. pag.279.

Caſpari Epiſcopi Miſnenſis *vidimus literarum* Sigiſmundi Romanorum Regis. Monaſter. Veteris Cellæ Sanctæ Mariæ, Ciſterc. Ord. Diœceſ. *ſuæ Datarum.* an.1348. Ep.II. pag.279.

Henrici Senioris, & *ipſius filii Dominorum* de Plavven *recognitio quòd ſe liberâ & ſpontaneâ voluntate* Joanni Bohemiæ *Regi*, & *ſuis hæredibus ac ſucceſſoribus*, Regibus Bohemiæ in Vaſallos *cum eorum bonis ſubmiſerint* &c.

Friderici & Ottonis *Dictorum* fratrum *Burggraviorum* de Donin, & Henrici Dapiferi de Brun, Caſtri Donin, *cum ſuo Dominio & omnibus Juribus ac pertinentiis* à Joanne *Rege* Bohemiæ & *ejusdem hæredibus ac ſucceſſoribus* Reg. Boh. & *ejusdem* Regni corona *in perpetuum, & Hæreditarium feudum ſuſceptio.* pag.291.

INDEX

INDEX RERUM
MEMORABILIUM,

Quæ in hoc Volumine I. Literarum Publicarum continentur.

A.

Adolphus *Rom. Rex inveſtit Wenceslaum R. Boh. pag.25.*
Albertus *Imp. multa Privilegia confert Regibus Boh. p.26. & 27.*
Alberti *Cæſaris conceſſio Regi Boh. ut ſibi ſubjuget terras, quasdam Regni Poloniæ p.195.*
Alexander II. *dedit Boh: Ducibus Privilegium geſtandi Infulam Epiſcop. p.1.*
Archipincernatus *Regum Boh. pag.23. Idem confirmatur p.24.*
Auſtriaci *Duces renunciant ſub Carolo IV. ſucceſſioni p.77. & 78.*
Auſtriacorum *Principum laus. p.3.*

B.

Baronum Boh. *nomina p.87.*
Bavariæ *quædam pars venditur Carolo IV. p:46.*
Bavaria. *In ea feuda* Reg. *Boh. p.58. & ſeq:*
Bellum *Paſſavienſe. p.122.*
Bercæ *feudatarii. p:153.*
Biberſtein *feudatarii. p.157. Vide* Reges.
Boh. Reges *habent jus geſtandi Infulam Epiſcopalem, & cur p.1.*
Boh. *converſos ad Chriſtum Papæ hortatur, ut Chriſtianè vivant. p.2.*
Boh. *Duces geſtant circulum aureum in capite. p.3.*
Bohemia *Proceres Papa literis ſalutat. p.5.*
Bohemi *victoriam adferunt Othoni Imper. p.5.*
Bohemiæ Regnum à *Frid.II. Privilegiis ornatur. p.7.*
Bohemiæ *merita erga Imper. p.7.*
Bohemia *eximitur ab Imperio: p.38.*
Bohemiæ *jura libertates, & Privilegia à Carolo IV. p.40. & 41.*
Bohemia. *nullus Civis, aut incola poteſt extra Bohemiam citari. p.64.*
Bohemiæ Reges *ſunt Electores, & ad Electionem Imperatoris vocantur p.69. non tenentur coronati miniſtrare Imperatori p.70. de jure Electoratûs. p.70. & ſeq.*
Boh. Reges, *Electores p.97. & ſeq.*
Bohem. *Ordinibus Ferdinandus I. defenſionem promittit. p.106.*
Bohemorum *cum Polonis conjunctio. p:110.*
Bohemorum *& Ungarorum concordia. p.102.*
Boh. Procuratoris *officium Carolus IV: imponit Joanni fratri ſuo Marchioni. p.252.*

C.

Camencenſis *Monaſterii bona feudalia Regni Boh. p.223.*
Caroli IV, *Zelus in Religione. p.136. ejusdem providentia de prolibus fratris ſui. p.170.*
Caroli IV. *de Boh. curæ. p.250. & ſeq. emit ditiones plurimas in Imp. pro Boh. p:251: & ſeq.*
Carolus IV. *Romam pergit ad coronationem. de ea re Pontificis literæ. p.48. Eidem Papa commendat pauperes p.49. ejus in Eccleſiam Romanam merita à Papa narrantur. p.50. idem nihil vult novi ſtatuere in Boh. pag:51. cura illius de conſervando Przemyſlai nuceto: p.47.*
Carolus IV. *vincit æmulum Imperii Guntherum p.43. intercipit Nicolaum Romanum hæreticum.*
Caſimiri *affectus in Carolum IV. p.35.*
Caſimirus *Rex Poloniæ Regibus Boh. cedit jus in Sileſiam: p:34. & 35.*
Caurzim *Civitas Henrico Carintho fidelis. p.29.*
Cellæ *S. Mariæ Monaſterium Ciſterc: Ord. cujus Privilegia referuntur à pag.279.*
Cenſus *ex Polonia ſeu Sileſia dabatur Regibus Boh. p.4.*
Circulum *aureum geſtabant Duc: Boh. p.3.*
Civitates *dotales ad quid obligentur Reginis. p.75.*
Civitates *Boh. peculiariter obligatæ Wenceslao Regi. p.83. & ſeq.*
Civitates *Moræviæ obligant ſe Joanni Marchioni. p.178.*
Civitates *in Ducatu Wratislavienſi præſtant homagium Regibus Boh: p:198. & ſeq.*
Colloquium *inter Regem Bohemiæ & R. Ungar. p.97.*
Comitia *Boh. celebranda Viennæ. p:87.*
Communio *ſub utráque in Bohem: permiſſa. p.86.*
Confœderatio *Archi-Ducum Auſtriæ contra Rudolphum II. p.114.*
Contractus *matrimoniales inter Ung: & Boh: Reges. p.100. & ſeq.*
Coronatio. *in eanuces Przemislai effundebantur. p:74.*
Coronatio Matthiæ, *quibus de cauſis facta. p.123. & ſeq.*
Coronatio. *ad eam obligantur venire ex Capitulo Wratislavienſi Prælati. p.197.*
Coslenſis Ducis *homagium. p:244.*

D.

D. de Dona *ditiones & ipſum caſtrum Donin feudatarium Regum Boh. p.291.*
Duces Sileſiæ *omnes Vaſalli R. Boh. p.56.*
Ducum Lignicenſium *literæ ſubjicientium ſe Regibus Boh. p:209. V.* Lignicenſes.
Ducatus Sileſiæ *ſubjiciuntur Reg. Boh. V. in particul.* Wratislavienſis & Lignicenſis &c.

E.

Egra, *& ejus territorium incorporatur Regno Boh. p.248. & ſeq.*
Egra *emta à Regibus Boh. ibid: unitur Regno Boh. diſtrictus* Egrenſis *cum Oppido Weyda. p.250.*
Emigrantes *è Boh. ſua bona vendere poterant. p.137.*
Epiſcopatus Olomucenſis *feudum Bohemiæ. p.165.*
Epiſcopatus Wratislavienſis *eſt feudum Regni Boh. p.188. & ſeq.*
Erneſtus Archi-Dux Auſtriæ *petit Coronam Poloniæ, ſed fruſtra. p.109.*

F.

Falckenbergenſis *Ducis homagium. p.245.*
Falſarii *monetæ puniendi. p.80.*
Familiæ Caroli IV. *Controverſiæ componuntur à Wenceslao Rege & Cæſare. p.177. & ſeq.*
Ferdinandi I. *ordinibus Boh. promiſſio de defenſione p.106. ejusdem Ferdinandi promiſſa ordinibus Boh. p.107.*
Ferdinandi II. *pactum de Boh. cum Rege Hiſpan. p.126. & ſeq. ejusdem Decretum adverſus hæreticos, ut Bohemiâ cedant intra ſex menſes. p.135.*
Ferdinandus II. *cupit reſtituere tempora Caroli IV. p.136.*
Feudum *in Ducatu Wratislavienſi à Rudolpho & Carolo. p.36.*
Feuda *quædam in Corona Boh. p.146.*
Feudum *DD. de Dona R. Boh. p:291.*
Fœdus *Friderici III. Imp. cum Georgio Reg. Boh. p.89.*
Fœdus *inter Reges Galliæ & Boh. p 72.*
Fœderis *leges inter Ottogarum, & Stephanum Ungariæ Regem. p.17.*
Fœdera *Regum Galliæ & Boh. p.53. & cum Ungariæ Reg. p.17. & inter Caſimirum Ungariæ Regem. p.32. & inter Caſimirum R. B. p.39. & inter Ludovicum R. Ung. p.44. & ſeq.*
Franckenſtein *& Diſtrictus totus facit homagium Regi Boh. p.222. & ſeq.*
Fridericum *Nepotem commendat Wratislao Papa. p.2.*
Fridericus I. Imp. *dat Privilegium Ducibus Boh. geſtandi circulum aureum. p.3. & 4.*
Fridericus II. *confert Regno Boh. magna Privilegia. p.7.*
Friderici III. *fœdus cum Georgio Rege. p.89.*
Fridericus III. *confirmat Privilegia R. Boh. p.90. & ſeq. & 92. Fœdus cum Rege Franciæ p.93. Fœdus vel concordia inter Reges Boh. & Ung. p.96.*
Fürſtenbergenſes *Duces ſubjiciunt ſe Regibus Boh. p.213.*

G.

Glacenſis *terra incorporatur Boh. p.55.*
Glogovienſes *Duces ſubjiciunt ſe Regibus B. p.210.*
Glogoviam *Rex Joannes donat ad vitam Duci Stinavienſi. p.234.*
Gor *caſtrum & Civitas venditur Joanni Regi Boh. p.236. & ſeq.*
Görlitium *emitur à Joanne Rege Bohemiæ. p.276.*
Gratulatur *Clemens VI. de Victoria Carolo IV. p.43.*
Grodkovv *Oppidum feudum Regni Boh. p.195. & ſeq.*
Guntherus *Schwartzburg æmulus Caroli IV. in Imperio vincitur. p.43.*

H.

Hæretici *pelluntur è Boh. p.135.*
Henrico *Marchioni Moraviæ, Frid. I. Imp. donat Mocram &c. p 164.*
Henrichau *Monasterium obligat se Regibus Boh. p:225.*
Hispaniæ *Rex renuntiat successioni in Ung. & Boh. p.126. usque ad 138.*

I.

Domini de Janovvicz *feudatarij. p.161.*
Jaurovia *subijcitur Regibus Boh. p.213.*
Jaurovienſis *Ducatus feudum Reg. Boh. p.242. & seq.*
Jaurovienſe *telonium. p.244.*
Imperii *Statum Joannes Papa non vult turbare. p.29.*
Inveſtitura *Wenceslai I. p.9.*
Inveſtitura *Ottogari à Rudolpho I. Imp. p.21.*
Inveſtitura *Wenceslai Regis per Adolphum. p.25.*
Inveſtitura *per interpoſitam perſonam. p.25.*
Joannes *Boh. Rex laudatur à Papa quòd invadat Barbaros Ethnicos. p.31.*
Joannis *Marchionis Moraviæ reverſales. p.172. ejusdem obligationes Regno Boh. ibid: & 173. & seq.*
Joannes *Marchio Moraviæ conſtituitur Procurator Regni Boh. p.252.*
Jurameutum *Ladislai Regis. p.89.*
Juſtitiarii *creantur. p.82.*

K.

Krayvarzii *feudatarii. p.163.*

L.

Leopoldus *Dux Auſtriæ renuntiat ſucceſſioni Moraviæ. p.30.*
Legatio *Gallica & Bohemica. p.94.*
Legati *R. Boh. ad Polonos. p.113.*
Liga *inter Carolum March. Moraviæ & Carolum Reg. Ung: p.32.*
Lignicenſium *Ducum Privilegia a Carolo IV. data. p.36.*
Lignicenſes *& Brigenſes Duces feudatarii Regum Boh. p.202. & seq. & Vaſalli 205. & seq. de eadem re Sigismundi Imperatoris & Alberti Auſtriæ Ducis literæ. p.207.*
Lippæus *Cancellarius Regni Boh. emit caſtrum & Civitatem Gor. p.238.*
Ludovici *Regis Boh. Pupilli Tutores. p.105.*
Luſatia *incorporatur Boh. p.56. & 60. & seq.*
Luſatia *venditur Burchardo Archiepiſcopo Magdeburgenſi. p:259.*
Luſatiæ *limites & termini p.261. emit Luſatiam Carolus IV. pag.264. & seq.*
Luſatia *latrociniis infeſta. p.264.*
Luſatiæ *vetus Privilegium, ut extra illam non judicentur. p.265. non poſſunt aliò appellare. p.266.*
Luſatia *ab annis 400. feudataria Regibus Boh. p. 267. Henricus Dux Sileſiæ renuntiat terris & poſſeſſionibus Luſatiæ. p.268. Ludovicus Bavarus donat aliquas terras* Luſatiæ *Regibus Boh. p.269. V. Görlitium.*
Luſatiæ *Civitates emuntur à Joanne R. Boh. p.271. & seq.*

M.

Matthiæ *Archi Ducis plures literæ in ordine ad coronationem p. 114. & seq. reverſales Archi Ducis Matthiæ datæ Boëmis. p. 118. & seq: maxi: 122.*
Matthiæ *confirmatio Privilegiorum 122. & seq.*
Matthiæ *reverſales poſt coronationem & promiſſiones. p.125. & 126.*
Maſoviæ *Dux præſtat homagium* Wenceslao *Regi Boh. p.239. de eadem re atteſtatio Sigismundi Imperatoris, & Alberti Ducis Auſtriæ. p.240.*
Michelsbergii *feudatarii. p.159. & seq.*
Milicz *caſtrum patet Reg. Boh. p.228.*
Miſniæ *pars emitur ab Joanne Boh. aut commutatur pro Civitatibus Boh. p.274. enumerantur Civitates Miſniæ & Boh. in quibus eſt commutatio facta. p.274. & seq. emptio Luſatiæ. p.276.*
Miſnenſis *Marchio debebat eſſe Princeps Boh. p.278.*
Monetæ *valor ſub Carolo IV. p.79.*
Monetam *probam promittit Ferdinandus II. p.140.*
Ad Moraviam *ſpectantes literæ. à fol. 164.*
Moravia *feudum Regum Boh. p.165.*
Moravia *feudum Coronæ Boh. p.167.*
Münſterbergenſis *Ducis homagium Joanni Regi. p.218. & seq.*

N.

Dnmini de Nachod *feudatarii. p.154.*
Nobilitas. *quo ordine debeant ſedere novi Domini & Equites. p.143. quomodo probare debeant Nobilitatem. p.143.*

O.

Olomucenſis *Epiſcopatus feudum Boh: p.165.*
Olſnicenſis *Ducatus facit homagium Regibus Boh. p.225. & seq.*

Olſnicenſis *Ducis filiæ Hedwigi conceditur feudum. p.226. Gor & alia Oppida emuntur à Joanne Rege Boh. p.227.*
Oppavienſis *Ducatus feudum Boh. p.165.*
Oppaviæ *Duces quando creati. p.166.*
Oppavia *an ſit in Moravia, an in Sileſia. p.169.*
Oppavienſis *Ducis homagium. p.229.*
Oppavienſis *Ducatus immediatè ſpectat ad Boh. ibid.*
Oppavienſis *Dux Nicolaus Tyrannicus, huic rei attulit remedium Joannes Rex. p.230.*
Oppavia *obligata Ducibus Lignicenſibus. p.231.*
Oppolienſis *Ducatus & Ducis homagium Wenceslao Regi Boh. p.214. & seq.*
Oſvvicenſis *Ducis homagium. p.246.*
Othoni *Imperatori Bohemi victoriam conciliant. p.5.*
Ottogarus *Rex adjuvat Othonem Imp. p.5.*
Ottogari *coronationem à Philippo excommunicato ratificat Papa. p.6.*
Ottogarus *aſſumit crucem adverſus Barbaros p.10. & 11. adjungit Chriſto provincias. ib. ejusdem laudatio à Papa. p.11. ejusdem Ottogari cœleſtis victoria. p.11. & seq.*
Ottogari *Regis inveſtitura ſuper Auſtria & Styria. p.14.*
Ottogaro *Ulricus Dux Carinthiam & Carnioliam donat &c. p.15.*
Ottogarus *militat pro fide Chriſtiana in Ruſſia & Lithuania p.16. eidem Regi Regiones Barbarorum occupandas donat Pontifex. p.16.*

P.

De Pace *mandatum. p.82.*
Palatinatûs *pars venditur Carolo IV. p.46.*
Paſſavienſe *Bellum p.122. Sancti Patroni Boh. juvant Boëmos in prælio. p.13.*
Plavenii *feudatarii. p:166. Pincernæ V. Archipincernæ.*
Plocenſis *ditio feudataria Regis Boh. p.240. erepta ex manibus Gentilium. ibid.*
Plocenſe *feudum p.241. & seq.*
Poloniæ *nomine olim intelligebatur Sileſia. p.4.*
Poloniæ *Reges cedunt Regibus Boh. Sileſiam. p:34.*
Domini de Pottenſtein *feudatarii. p.148.*
Pietipesky *feudatarii. p.149.*
Popravvczones *qui ſint, & quod eorum munus. p.82.*
Privilegia *Boh. confirmantur. p.27.*
Privilegium *Dominorum Villæ Stadicz. p.73.*
Privilegia *reſtituuntur Boh. à Ferdinando II. p.138. duobus exceptis. ibidem.*
Privilegia *Boh. examinantur à Carolo IV. p.166.*
Privilegia *Monaſterii Cellenſis Ord: Ciſterc: p.279. & seq.*
Prælium *adverſus Ungaros deſcribitur à pag. 11.*
Przemislai I. *Villa Stadicz privilegiatur à Carolo IV. p.74.*

R.

Reges *Boh. coronantur, & quibus ſint obligati. p.7.*
Reges *Boh. non tenentur ad Curiam Imperialem venire, niſi ad tria loca. p.7.*
Reges *Boh. trecentos Galeatos mittebant Romam Imperatori. p.7.*
Reges *Boh. habent vocem in Electione Rom: Regis, item Archipincernatum in Imp: p:23. & 24.*
Reges *Boh. in Curia Imperiali poſſunt geſtare coronam Regalem. p.26.*
Reges *Boh. poſſunt emere bona in Imperio. p.65.*
Reges *Boh. habent jus Monetæ & omnis generis fodinas. p.64.*
Reges *Boh. habent jus eligendi Imperatorem. p.97.*
Rex *Hiſpaniæ prætendit jus in* Regnum *Boh: & Ung. p.127.*
Rex *Boh. ſi fuerint plures filii Regis Boh: quid agendum olim fuerit. p.179.*
Reginarum *Boh. Civitates dotales quibus legibus teneantur. p.75. & seq.*
Regum *Boh, coronatio ſpectabat ad Archi Epiſcopum Moguntinum. p.10.*
Regnum *Boh. eximitur ab Imperio in certis. p.38. & seq.*
Regum *Ung. & Polon. literæ renuntiantium Ducatui Wratislavienſi. p.193.*
Reichenbach *exſolvit* Rex *Joannes. p.221.*
Richardi *Cæſaris inveſtituræ confirmatio. p.42.*
Roſenberg. *Domini de Roſis ſubjiciunt ſe Carolo IV. p.66.*
Roſenbergici *fratres feudatarii. p.155.*
Rudolphi II. *Imper. pax Religionis violentè conceſſa. p.120.*
Rudolphus I. *definit Wenceslaum nihil debere quod promiſit March-Brand. p.22. & 23.*
Rudolphi *literæ pro Archi Duce Matthia. p.116.*

S.

Saganenſes *Duces ſubjiciunt ſe* Regibus *Boh. p.210. V. Glogovienſes ibid. & seq.*
D. de Seberg *feudatarii. p.156.*

Schönburgii *feudatarii. p.156.*
Sigismundus *renuntiat successioni* Boh. *Joanni fratri suo. p.80.*
Sigismundi *Cæsaris literæ de victoria Catholicorum* Boh. *p.84. ejusdem Imperatoris pactiones cum* Boh. *p.84. & seq.*
Silesiæ *Ducatibus cedit* Rex Ung. *p.33. & Casimirus* Rex Poloniæ. *p.54.*
Silesia. *Ludovicus* Rex Ungariæ *renuntiat Carolo IV. Ducatum Swidnicensem. p.44. Eidem Carolo donat Beuten & Creutzburg pro Masovia. ibid.*
Silesia *incorporatur* R. Boh. *p.55. & 60. & seq.*
Silesiæ *Duces dant censum* Boh. R. *p.61.*
Silesia *feudum.* R. Boh. *p.62. & seq.*
Silesia. *Casimirus* Rex Poloniæ *renuntiat Svidnicio & Jaurovio p.67. & 68. quæ emit Carolus IV. ibid.*
Silesia *incorporatur* Regno Boh. *p.180. uti & terra Glacensis & Lusatia. ibid.*
Silesiæ *Duces fatentur se esse Vasallos* Regni Boh. *p.201.*
Societatis JESU *laudatio à Ferdinando I. p.108. & seq.*
Statuta *nova tolluntur in* Boh. *p.51. & 52.*
Sternbergici *feudatarii. p.156.*
Stinavienses *Duces subjiciunt se Joanni* Regi Boh. *p.212.*
De Suffraganeis *in* Boh. *p.85.*
Svvidnicensis *Ducatus subditur Carolo IV. p.45.*
Svvidnicium *subjicitur Coronæ* Boh. *p.213.*
Stinavienses. *p.233. & seq.*
Svvidniceasis *Ducatus feudatarius* Regibus Boh. *p.242.*

T.

Teffinensis *Ducis homagium. p.246. & seq.*

V.

Victoria *cœlestis Ottogari describitur à p.11.*
Viennæ *Comitia* Bohemica. *p.88.*
Viennenses *rebellant Friderico III. p.92.*
Ungariæ *Regnum non vult, cum posset, destruere Ottogarus. p.10.*

W.

Wartenbergii *feudatarii. p.146. & seq.*
Wenceslaus I. *coronatur probante Imp. p.8. Wenceslai I.* R. B. L. *à Frid. II. p.9.*
Wenceslaus *Cæsar componit lites in familia Carolina. p.177.*
Wenceslai *Regis ac Cæsaris affectus in Monasterium Cellense Cisterc. p.279.*
Wladislao *Duci* Boh. *confertur jus circuli gestandi aurei. p.3. & 4. à quo imponendus. p.4.*
Wladislaus R. *facit pacem cum Matthia* R. *Ungariæ. p.96. & seq.*
Wratislao *Duci* Boh. *Papa mittit Infulam Episc: p.1. Wratislao eidem commendat Papa Nepotem Fridericum. p.2. eidem commendatur Pax & Concordia in* Boh. *p.3.*
Wratislaviensis *Ducatus & Civitas immediatè subjacent.* Regi Boh. *p.182. Rudolphi I. de eadem re literæ. ibid. & 183. & seq.*
Wratislaviensis *Episcopi literæ, quòd* Rex Boh. *sit immediatus Patronus Ecclesiæ Wratislaviensis. p.185.*
Wratislaviensis *Episcopatûs obligationes erga Regnum* Boh. *p.186. & seq.*
Wratislavienses *Canonici tenentur venire ad Coronationem Regum* Boh. *p.197.*

Z.

Zatecenses *peculiariter se obligant Wenceslao Cæs. & Regi. p.83.*
Zerotinii *feudatarii. p.150.*
Zitaviæ *telonium donatur à Joanne Rege. p.243.*

A. M. D. G.

FINIS.

Liber VII i VIII
2 paginacje

700/K 94641

...cum duos iuuenes effectos
...dissimus. id est colobio
...ndutos caligulis calciatos.
...is orantes. Nulla quidem
...paciens loqui cum eis non
...ut dixi pars in me som
...bat. qui me ab eorum int
...ibi proferre non sineret.
...uigilante me. uisus eorum
...eis elapsus est. unde factum est
...i miscediam. ut si ludi
...num esset abscederet. si uero
...plenius appareret. Ad i
...quod poscebam a domino.
...unum. similiq; in ca
...orantes mecum iuuenes
...tercia uero nocte defecto
...non dormienti sed stupe
...in apparuere persona. quam
...ato paulo apostolo. cuius
...ctura docuit. ut tantum
...illis tacentibus loqueretur
...qui monita mea
...entes predia et diuicias
...nostri ihesu christi pia uestigia.
...nichilque carnale concu
...media mediolanensi
...nos iudi seruicio per
...hoc pertingere meruerunt.
...erent. Quorum corpora in
...es. in quo stas et oras.
...altitudine terre

rat paulus. Quam aperientes inueni
mus quasi ipsa hora positos. miro
odore flagrantes. Ad quorum caput
libellum inuenimus in quo erant hec
per ordinem uniuersa conscripta. Ego ser
uus christi philippus intra domum meam
sanctorum corpora cum filio meo rapui et
sepeliui. Quorum mater ualeria et pater
uitalis dicti sunt. quos uno ortu
geminos genuerunt. unum prothasium
et alium geruasium uocauerunt.
Quorum pater uitalis militans con
sularis erat. Hic cum fuisset cum
paulino iudice suo. rauennam in
gressus. et cum uideret in conspectu iu
dicis sui. christianum nomine ursecinum
arte medicum. natione liguriam. post
nimia tormenta. capitale accepisse sen
tenciam. locus autem ubi decollabantur
christiani. hoc habebat uocabulum ut dice
retur ad palmam. eo quod arbores antique
palme ibi essent. quia ut diximus. cum post
nimia tormenta. decollandus ueniret ad
palmam expauit. et dum uellet male
euadere. uitalis exclamauit dicens.
Noli ursecino medice qui alios cu
rare consueuisti. te ipsum eterne mor
iaculo uulnerare. et quia per passiones
nimias uenisti ad palmam. coronam per
dere uis a domino tibi preparatam. Audiens hec
ursecinus genu posuit et spiculatorem
ut feriret hortabatur. agens penitentie